
37
I C
26

R. P. TOBIÆ LOHNER

BIBLIOTHECA

MANUALIS CONCIONATORIA

ORDINE ALPHABETICO DIGESTA.

EDITIO NOVISSIMA

Ad commodiorem uſum in ſeptem Tomos diſtributa, cui nunc primum accedit

OPUSCULUM

INSTRUCTIO PRACTICA

DE MUNERE CONCIONANDI, EXHORTANDI, CATECHIZANDI.

TOMUS QUARTUS.

M=N=O







BASSANI MDCCLXXXVII.

PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI;

Superiorum Permiſſu, ac Privilegio.

TO4E022061
A: TO4E022067



JESU CHRISTO,

VERBO DEI FILIO,

INCREATÆ PATRIS CÆLESTIS SAPIENTIÆ,

ÆTERNO DEI VERBO,

OMNIUM SCIENTIARUM FONTI UBERRIMO,

LIBRO VITÆ OMNIA PRÆDESTINATORUM NOMINA EXPRIMENTI,

BIBLIOTHECÆ OMNI SCIENTIARUM GENERE INSTRUCTISSIMÆ,

Ex qua S. Bonaventura omnem suam doctrinam se hausisse confessus est, cujus verba singula, apicesque spiritus & vita sunt,

In qua Originales S. SCRIPTURÆ & SS. PATRUM atque DOCTORUM Sententiæ,

Omnium Virtutum EXEMPLA perfectissima,

PARABOLÆ ET SIMILITUDINES,

Sine quibus non loquebatur ad Intellectum convincendum aptissimæ;

MOTIVA AC MEDIA AD OMNES VIRTUTES ASSEQUENDAS EFFICACISSIMA,

Brevissimum & solidissimum totius Sacræ ASCESEOS seu doctrinarum ad perfectionem pertinentium Compendium:

CONCEPTUS PRÆDICABILES,

Quales nullus hominum unquam locutus est,

MISCELLANEÆ AC FONTALES

Omnium sapientum doctrinæ,

Et AXIOMATA denique non tam mellifluo ore eructata, quam efficacissimis exemplis confirmata

Uberrime velut in Fonte continentur.

Hanc spem Bibliothecam Manualem plurimum adauctam, & Septimo Typo feliciter expressam,

VELUT AUTHORI PRIMARIO

In æternam Beneficiorum acceptorum memoriam,
In perpetuam Debitoris obligatissimi Syngrapham,
In Amoris ardentissimi tenue argumentum,
In Desiderii obsequiosissimi constantissimum pignus,
In æternum, semperque memorem summi sui Benefactoris titulum,

Quamvis non sine verecundia

OB MUNERIS ET OFFERENTIS VILITATEM,

Nec sine timore

OB TANTAM ACCIPIENTIS CELSITUDINEM AC MAJESTATEM;

Magnam tamen fiduciam

OB NOTAM IPSIUS CLEMENTIAM ET BENIGNITATEM,

Nec minus prompta voluntate

OB DEBITORUM EX IMMERITA MUNIFICENTIA CONTRACTORUM MULTITUDINEM,

EJUSDEM

Humillimus Servus, Indignissimus Discipulus, Obstrictissimus Debitor,

Offert ex animo, dicat ex Debito, Dedicat ex amore,
Atque ut optatam Operi huic Benedictionem,
Ad illustrandum legentium Intellectum,
Ad promovendam lustrantium voluntatem,
Ad solidam utentium Delectationem
Largissime, clementissimeque impertiri dignetur,
Humillime rogat, impense obsecrat, & suppliciter obtestatur. N. N.

INDEX
TITULORUM GENERALIUM

Quæ in Quarto Tomo continentur.

M


LXXXIX. *Magia* Pag. 7
XC. *Mansuetudo.* 17
XCI. *Martyrium.* 39
XCII. *Matrimonium.* 84
XCIII. *Mendacium.* 94
XCIV. *Minimorum cura.* 111
XCV. *Misericordia erga vivos.* 115
XCVI. *Misericordia erga defunctos.* 150
XCVII. *Modestia.* 174
XCVIII. *Mors.* 183
XCIX. *Mortificatio.* 282
C. *Mulier.* 301
CI. *Mundus.* 307

N

CII. *Nobilitas.* Pag. 311

O

CIII. *Obedientia.* Pag. 313
CIV. *Oculorum Custodia.* 352
CV. *Odium.* 369
CVI. *Opus bonum.* 373
CVII. *Oratio.* 378
CVIII. *Orbis.* 424
CIX. *Otium.* 435



BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ.

TITULUS LXXXIX.

MAGIA.

PROŒMIUM.



NTER alias materias, quæ frequenter inter discurrendum occurrunt, non postrema censeri debet materia de Magia; cum enim quotidie varios effectus admiratione dignos producat, merito homines præsertim minus docti dubitari incipiunt, an ab extraordinaria Dei virtute, an vero causa naturali, aut ipsius etiam dæmonis ope atque cooperatione proveniant. Quare, ut talibus dubiis occurri possit, materia de Magia exacte cognosci debet, ad quem finem in compendio hic tradentur, quæ alioqui a Philosophis fusius in Physica tractari solent.

§. I. *Quid & quotuplex sit Magia?*

II. Resp. I. Magia in genere recte sic definitur: Est ars seu facultas vi creata, & non supernaturali quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio communem hominum captum superat. Ita Martinus Deirio, a quo non multum abludit Perer. l. 1. de Mag. c.3. & alii communiter. Dicitur 1. *Ars*, seu *facultas*, habitualis scilicet, val actualis per modum cujusdam dictaminis practici dirigentis intellectum & reliquas potentias ad effectum prodigiosum producendum. Dicitur. 2. *Vi creata & non supernaturali*, ut axcludantur scilicet effectus vere miraculosi, & qui a Deo solo procedunt in sanctum aliquem finem; qui effectus quo ad modum agendi, val quo ad ipsam substantiam sint nonnumquam ejusdem speciei cum illis, quæ per Magiam naturalem producuntur, tamen non subsunt huic suspectæ nomanclaturæ, sed absolute vocantur miracula. Intelligitur autem per vim craatam tam humana, quam diabolica vis seu virtus, nam neque diabolus per se quidquam potest supra vires naturæ, sed quidquid agit, facit vel per motum localem transferendo scilicet corpora de loco in locum, ut saga; vel sistendo & detinendo eadem, ut si pronum flumen inhiberet; aut facit applicando activa passivis, quorum activitates, & naturas, cum peritissime sciat diabolus, facile, si permittatur a Deo, quodlibet produci; nihil autem producere potest, quod non contineatur intra sphæram naturalium agentium. Dicitur 3. *Quædam mira & insolita efficiens*: uti accipitur vox efficiens late pro eo, quod est, quomodocumque patrara. Sic etiam divinatores tempestatum, aut futurorum eventuum quorumcumque aut de rebus occultis conjectatoras, dicuntur mira quædam efficere, si de talibus certo divinant, aut conjectant. Debent autem illi actus aut opera, quæ vocantur magica, esse mira & insolita, alioqui, si quotidie acciderent, aut raro quidem, sed sine ullius admiratione, non dicerentur proprie, & in consueto ac recepto jam sensu magica. Dicitur 4. *Quorum ratio sensum, & communem hominum sensum, & captum superat*: Sensus est, effectus, qui dicuntur magici, ita debent esse constituti, ut causæ illorum vulgo igno-

rentur, & consequenter admirationem parant: Illa enim admiramur, quarum causas admiramur; quarum causas ignoramus; hinc si nonnulli Agyrtæ præstigias suas tam lente, & oscitanter faciunt, ut processus, & causæ a spectatoribus deprehendantur, non amplius stupemus illorum effecta, sed explodimus tamquam inanes ludiones, qui nihil foro& oculis dignum afferant. Porro Magia sic in genere descripta varie dividitur.

Prima divisio ratione causæ finalis est in licitam, & illicitam; licita est, quæ rectæ rationi, & legi æternæ adæquate conformis est; illicita triplici modo fieri potest. 1. Ex fine malo, si scilicet præstigias per se, & in substantia licitas exercemus in finem malum, ut in contemptum Dei, in proximi detrimentum, in obscuratione verorum miraculorum. 2. Ex parte efficientis, si scilicet opem dæmonis expresse vel implicite adhibemus, qui hujusmodi nobis effectus vel per motum localem, vel per applicationem activorum ad passiva debet patrare. 3. Ex parte effectus, si scilicet ipse effectus, licet nec ab efficiente, nec a malo fine vitietur, tamen talis est, ut per se ex natura sua noceat animæ, corpori, vel bonis externis. Sed hæc divisio cum sit moralis potius, quam physica, finemque supernaturalem magis, quam naturalem concernens, Theologis relinquenda est. Secunda ergo divisio Magiæ ab efficiente causa petita est naturalem, & artificialem, & diabolicam; quia cuncti effectus vel adscribendi sunt insitæ rebus naturæ, vel humanæ industriæ, vel cacodæmonis malitiæ; Unde proin triplex species, paulo ante commemorata exurgit, de quibus proin speciebus, earumque definitionibus, & divisionibus nunc susius agemus.

§. II. *De Magia naturali*.

III. Quæritur 1. Quid sit Magia naturalis? Resp. Cum Martino Delrio lib. 1. c. 3. lit. A. eam nihil aliud esse, quam exactiorem quamdam arcanorum naturæ cognitionem, qua cælorum ac siderum cursu & influxu, & sympathiis, atque antipathiis rerum singularum observatis, suo tempore, loco ac modo, res rebus applicantur, & mirifica quædam hoc pacto perficiuntur, quæ causarum ignaris præstigiosa vel miraculosa videntur. Hujusmodi effectus sunt; cum Tobias paternam cæcitatem felle piscis discussit; cum tympani ex lupina pelle sonus aliud tympanum ex agnina pelle confectum disrumpit; cum Venetiis Turca quidam plumbo liquato & ferventi manus lavit innoxius. Huc etiam pertinet, quod Alex. ab Alex. l. 2. Genial. dier. memorat de veneno Tarantulæ, a quo morsis non aliud vitæ & remedii præsidium est, quam si certo musicæ sono saltitare ad numerum compellantur, donec concidant fatigati.

IV. Quær. 2. Quis Magiæ hujus primus Author fuerit? Resp. Delrio l. c. Eam Adamo mox ab initio suæ creationis cum cæteris scientiis communicatam fuisse, a quo docta postmodum posteritas per manus & orbem eam propagavit. Inter quos Salomonem artis hujus peritissimum fuisse idem Author minime dubitandum esse asserit. Pari ratione etiam Magos Evangelicos hac arte imbutos volunt nonnulli; an vero hac sola, & non etiam vetita instructi fuerint, dubium est. Affirmat Theophilactus in Matt. negabant alii. Delrio certo certius putat, eos post Christum natum ab hoc crimine alienos fuisse.

V. Quær. 3. Quotuplex sit Magia naturalis? Resp. Eam in operatricem & divinatricem dividi. Operatrix est, quæ raros, & vulgo insolitos effectus producit. Divinatrix est, quæ in abditis, & futuris conjectandis occupatur. Operatrix iterum subdividitur in Philosophicam & Mathematicam. Philosophica est, quæ circa occultas rerum naturalium virtutes occupatur: sic per hanc artem in hyeme haberi possunt rosæ, uvæ &c. Mathematica est, quæ sola Mathematicarum rerum notitia absque aliis rerum naturalium actionibus mira quædam & insolita perficit; hac arte fecerunt olim boves mugientes, angues sibilantes, columbas volantes; de quibus Perer. 3. in Magia.

VI. Quær. 4. An aliqui effectus Magiæ naturalis a cæli aspectu & influxu proveniant? Resp. Ita quidem sensisse olim multos ex veteribus, quos secuti postea aliqui etiam R. R. sunt, qui quæcumque per characteres, figuras, ac numeros ipsi perficiunt, ea produci volunt a virtute iis figuris communicata ab aliis figuris sublimioribus ex sympathia quadam naturali rerum inter se similium, quatenus hæ figuræ adamussim invicem coaptantur. Sed hæc doctrina merito a sana Theologia erronea, imo etiam fidei contraria reputatur; tum quia Idolatriæ peccatum est, effectus, qui a solo Deo procedunt, a dæmone vel constellationibus expectare; tum quia Philosophiæ & Astronomiæ repugnat, quarum neutra talem virtutem in astris aut imaginibus agnoscit, & merito, cum tales figuræ neque in subjectum novam aliquam qualitatem mixtorum, neque ullam formam essentialem inducant, neque aliunde vim talia operandi habere demonstrentur; ut autem moraliter suos effectus producant per modum conditionis ex pacto adhibitæ, certum sit, eas requirere pactum dæmonis. Unde obiter colligitur, eos, qui ejusmodi schediasmata, verba, figuras, characteres &c. scienter usurpant, gravi & periculosa noxa non carere, dum plerumque tales homines ex pacto tacito vel expresso cum dæmone inito aliquamdiu ab ipso foventur, & tela in ipsos impacta hebetantur; tandem autem cum gravissimis flagitiis implicati, & imparatissimi suot pro divino illo & tremendo tribunali, deferuntur ab ipso, & sic cum corpore & anima pereunt. Taliter cogitandum est, sæpissime fieri in bellis, ubi decretorie integri exercitus decertant; enim credibile est in strage aliqua octo v. gr. vel decem aut etiam viginti, triginta millium non fuisse multos, qui extra prælium per hujusmodi schediasmata putabant se esse invulnerabiles, & fortasse semel iterumque in privatis velitationibus hoc ipsum experti sunt, in ipsa autem decretoria pugna turpiter a diabolo deserti sunt, Deo ita volente, aut Diabolo omnis mendacii parente, studio pactum fallente, ut imparati interirent corpore & anima. Ita accidisse narrat Delrio, exercitui illi hæretico, quem Dux Guisius totum fere cecidit,

cidit; nam cum victor cadavera spoliaret, invenit fere in singulis collis appensas hujusmodi superstitiosas, & magice figuratas schedulas, quarum robur contra sclopeta, & enses insigniter apparuit, cum omnes ad unum sint cæsi.

VII. Quæst. 5. An vis Imaginativa possit miros quosdam effectus producere? Resp. cum communi sententia Theologorum, in corpus alienum disjunctum & sperarum ab imaginante, animam humanam neque per imaginationem, neque per aliam potentiam, mediantibus ullis radiis, spiritibus, vel speciebus, ulla mirifica hujusmodi posse efficere. Ratio est, quia imaginatio est actio immanens, adeoque imaginans nullam realem qualitatem imprimere potest rei disjunctæ; nam radii, quos aliqui fingunt ab imaginante emitti, sine fundamento asserunt, species vero dumtaxat vim repræsentandi objectum externum habent, animæ vero unius ad alteram nulla est coordinatio.

VIII. Objicitur, sæpe matres prægnantes prolem pariunt similem illi, quam fortiter imaginatæ sunt sic; Witembergæ civem cadaverosa facie animatum ferunt, eo, quod mater uterum ferens obvio cadavere subito fuerit pavefacta. Isenaci vero pudicam & formosam matronam scribunt glirem peperisse, quia ex vicinis aliquis gliri nolam appenderat, ad cujus sonitum reliqui fugarentur; is occurrit mulieri gravidæ, quæ ignara rei subito occursu & aspectu gliris ita est conterrita, ut fœtus in utero degeneraret in formam bestiolæ. Nicolao quoque tertio Pontifici in Palatio mulier infantem peperit in specie ursi, eo quod ibidem variis in locis ursi depicti cernebantur.

Respondet Delrio l. 1. c. 3. q. 3. per has & similes instantias satis probabiliter suaderi, per accidens posse aliquid imaginationem in corpus vicinum arcta quapiam conjunctione, & contactu ei copulatum, si tamen & imaginatio valde sit intensa, & vicinum corpus ad eam affectionem valde sit dispositum quale plerumque est corpus infantium. Laurentius Forerus in th. 14. de sympathia censet, hos effectus provenire ex sympathia, quam phantasia cum potentia formatrice matris habet; unde quidquid phantasia apprehendit, potentia illa formatrix suo modo efformat.

IX. Quæst. 5. An solo contactu, visu, voce, afflatu, osculo vel nudi lintei applicatione vulnera & morbi sanari, & alia mira hujusmodi naturaliter perfici possint?

Resp. 1. Vocem nihil simile posse, nisi quatenus per accidens ratione soni vel significationis mœrorem aut lætitiam in audiente excitare possit. Unde incantationes omnes superstitiosæ sunt; execrationes vero, si quandoque effectum repentinum nactæ sunt, is oriri potuit ex vehementi alteratione verecundiæ, timoris, tristitiæ; nonnumquam etiam ex permissione Dei evenit. Resp. 2. Nec visionem solam ad tales effectus producendos satis efficacem esse, quia & hæc est actio immanens, neque aliquid in objecto extrinseco producit.

X. Objiciuntur variæ experientiæ v. g. amor ex mutuo aspectu, anicularum fascinatio, speculorum vitiatio per aspectum menstruatæ mulieris; Galgali aspectu Icterici sibi morbum, ægro sanitatem causantis, luporum aspectus vocem eripiens, struthio, camelus & testudo aspectu ova excludentes, gallus leonem aspectu perterrefaciens; basilicus aspectus necans, quem prior vidit. Resp. Has omnes experientias non obstare conclusioni: nam 1. visus est tantum occasio initii & incrementi amoris, quatenus formæ simulacrum offert imaginationi, quæ postea assiduo a mente volutata amorem magis ac magis accendit. 2. Vitiatio speculi non ab oculo, sed ab halitu infecto per os ac nares erumpente provenit. 3. Trux aspectus vetularum deformi suo squalore potest infantulos perterrefacere, & ita per timorem hunc concitare humores, facereque, ut citius morbi erumpant, ad quos tenellum corpusculum jam erat dispositum ac præparatum. 4. Quod de Galgalo affertur, merito ait Delrio in dubium vocari, si tamen id verum sit, censet in occultam sympathiam morbi & aviculæ referendum. 5. Lupum raucedinem causare, vel quia truci aspectu & micantibus oculis metum incutit, qui metus sanguinem ad cor fugat & frigus cæteris membris inducit, & subitam totius corporis alterationem, unde raucedo, & vocis impedimentum oritur; vel quia lupus prior hominem videat, ad vindictam se recolligit, si & sic noxium quemdam vaporem insufflat, ne clamare queat, qui cum venenatus sit, potest raucedinem adferre; qualem vaporem tamen non insufflat, si prior ab homine visus sit, tunc enim metuens fugam meditatur, & de hoc vapore emittendo non cogitat. 6. Struthio, camelus, & testudo non excludunt ova aspectu, sed in arenis ea relinquunt, & aspiciunt solum ut nocitura arceant, postea enim ipsa terra calore solis adjuta ea maturat. 7. Leo gallum metuit ex arcana antipathia, quemadmodum mustella buffone hiante quasi coacta miro cum ejulatu ori illius sese ingerit. 8. De basilisco quod narratur, incertum est; si tamen id verum sit, dici potest, animal hoc virulento halitu aerem vicinum inficere, qui postea necet accedentes. Quod si vero homines prius videant basiliscum, tunc forte sibi cavere, & effugere possunt, antequam aerem inficiat. Resp. 3. Neque contactus solus similes effectus producere potest. Ratio est, quia tactus solam vim tangendi, non autem nocendi vel sanandi habet, alioqui enim prius proprium suum subjectum sanare vel occidere posset, quod tamen est contra experientiam. Unde si torpedo sarissa icta tenentis manum, & corpus torpefaciat, hiænæ umbra canes obmutescant, serpens quernis contactus frondibus emoriatur, ibidisque pœna sistatur si vipera arundinis, vel faginæ virgulæ percussione obstupescat; si vespertiliones foliis platani abigantur, si eryngius capræ sumptus ore greges totos sistat; si cæteræ pennæ aquilæ pennis mixtæ contactu absumuntur; si lepore marino viso vel tacto necentur nonnulli; si lupidæ fides junctæ agninis dissiliant; hæc omnia vel in occultam qualitatem emissam, vel in antipathiam referenda sunt.

XI. Objicitur. Cadaver coram occisore propter

pter præcedentem contactum, sanguinem solet fuodere. Milites per artem S. Anselmi sola appositione lintei vulnera curant; ergo contactus solus potest tales effectus producere. Resp. Posteriorem hanc experientiam pacto dæmonis oiti; prioris vero varias causas reddi: nam aliqui dicunt, miraculo id fieri, vel permissione Dei, ut reus innotescat; alii præstigiis dæmonis id adscribunt; Delrio causam totam in antipathiam occisi io occisorem refert, putatque ex vehementi odio, quo occisus flagrabat in occisorem, qualitatem quamdam cadaveri fuisse impressam, quæ ad præsentiam occisoris postea per antipathiam ebulliat, & simul sanguinem effuodat.

§. III. *De Magia artificiali*.

XII. Quæst. 1. Quid artificialis Magia circa cælos possit?

Resp. Certum esse, quod cæli per hanc artem produci oon possit, nihilominus tamen non defuerunt, qui jactarent, se ejusmodi liquores præparare posse, qui primi mobilis cursum, cælorum dein orbes reliquos ac sidera æterno motu repræsentent; Inter quos Cornelius Drebellies in sua ad Regem Angliæ epistola ait, se posse construere globum perpetuo secundum cursum ætheris singulis viginti quatuor horis semel circumrotabilem, aut toties amplius, quoties ipsi visum fuerit, ita ut oulle annis, ne semel fallat, ostendentem annos, menses, dies, horas, cursum Solis, Lunæ, omniumque planetarum & stellarum, quorum motus hominibus est notus. Imo alium se promittit globum facturum, in quo elementa ita se mutuo ambiant, sicuti de facto in magno orbe se ambiunt; sed hæc promissio videtur gloriosa magis, quam solida; certe P. Athanasius Kircher doctissimus ille Mathematicus testatur, tali machinationi se præsentem fuisse, & nihil minus spectasse, quam id, quod promittebatur.

XIII. Quæst. 2. Quid artificialis Magia circa elementa possit? Resp. 1. In genere gloriantur Chymici se posse omnia elementa ex quovis mixto educere. 2. vero in specie circa ignem sequentia potest Magia artificialis, videlicet beneficio speculi concavi & convexi possunt radii solis per reflexionem & refractionem colligi, & ignis tam vehemens accendi, ut etiam ad remotas ædes accendendas sufficiat; hoc modo Archimedes naves Romanorum io portu Syracusano accendisse dicitur. Præterea vero etiam variæ compositiones ignis per artem fieri possunt, v. g. ut ignis sub aqua ardeat, ut pilam per aera discurrere faciat; ut a manibus innoxius tractetur, ut oleo extinguatur, aqua accendatur, ut in facibus existens a ventis non extinguatur; ut incensus neque fumum, neque odorem faciat; ut aliquo cubiculum ingrediente totus aer igniatur, ut in teoebris comedens homo ex ore scintillas diffundat; ut candela perpetuo ardeat, &c. Circa aquam præter varias distillationes efficere potest magia artificialis, ut faciem aqua eruget, dealbet, nitorem inducat, &c. ut salsa aqua dulcis reddatur; ut a vino segregetur, &c. quæ omoia & alia apud Jo. Baptistam Portam in magia naturali videri fusius possunt.

XIV. Quæst. 3. Quid Magia artificialis circa mixta imperfecta possit? Pro respoosione nota, duplicis esse generis imperfecta mixta. Prima sunt, in quibus est forma tantum simplex, sed mixtio tantum qualitatibus, qualia censentur meteora, quæ communiter describuntur hoc modo: Meteorum est corpus imperfecte mixtum ex vapore vel exhalatione ortum in sublimi; atque hæc juxta numerum elementorum dividuntur io ignea, aerea, aquea, & terrea, quæ omnia artificialis Magia suo modo imitari potest; hioc beneficio pulveris nitrati excogitavit in tormeotis bellicis fulgura & tonitrua, iotra conclavia producit oives, grandines, veotos, pluvias &c. Insuper Iridis colores tum in aqua sparsa, tum in speculis, & vitris trigonis exacte repræsentat; uti fuse videre est apud Athanasium Kircher in arte magnetica l. 3. p. 2. c. 3.

Secuoda imperfecta mixta sunt, quæ per artem ex congregatione variorum corporum simplicium vel mixtorum componuntur; atque hæc proprie artis opus sunt: hæc enim cum deprehenderit, talia corpora per conjunctiooem ex una parte aliquid de qualitatibus suis amittere; ex altera vero parte per coojunctiooem talem aliquid de virtute alterius corporis conjuncti participare, denique notavit talem, & talem effectum tali vel tali mixto convenire; sic probabiliter theriacæ aggregatum inventum est, cujus compositio qoingeota ingredieotia iovolvere dicitur,

§. IV. *De Magia dæmoniaca*.

XV. Quæst. 1. Quid & quotuplex sit Magia dæmoniaca?

Resp. 1. Magia dæmoniaca est facultas seu ars, qua vi pacti cum dæmonibus initi mira quædam, & communem captum superantia efficiuntur. Tota hæc definitio ex iis quæ supra de Magia in geoere dicta suot, & pauio post dicentur, facile intelligetur.

Resp. 2. Magia dividitur in Magiam specialem, qua præcise extraordinarii & miri effectus cogitatio & operatio quæritur; Divioationem, per quam futura vel præsentia, aut etiam præterita, arcana & occulta nititor aliquis cognoscere; Maleficium, quando videlicet aliquis cupit a dæmone instrui vel juvari, ut noceat alteri; & vanam observantiam, per quam aliquis cupit a dæmone juvari, ut prosit alteri.

Resp. 3. Hæc Magia non est gratia gratis data, ut aliqui volebaot, quia gratiæ gratis datæ non dependent in operatione a certis cæremoniis, aut per præcepta varia addiscuntur, sicut Magia. Neque a bonis Angelis administratur, quia hi se non permittunt adorari, aut sacrificia sibi fieri, neque artes suas dirigunt ad aliorum damnum, sicut tamen dæmones hoc faciunt. Neque per animas Defunctorum exercetur, quia animæ justæ noo nocent, neque adorari etiam se sinunt; animæ vero damnatæ non sinuntur a Deo, ex carcere suo exire. Præcipua ergo causa hujus artis est diabolus,

bolus, proxima vero est humani ingenii ex originali labe detorta indoles.

XVI. Quæst. 2. Quale sit illud pactum, quod cum dæmonibus init Magia superstitiosa? Resp. cum Delrio l. 2. q. 4. duplex hujusmodi pactum esse, expressum & tacitum. Expressum fit triplici modo. 1. Cum solemnitate, ita ut ipsi dæmoni in visibili forma apparenti homagium præstetur, sicut Theophilum fecisse legimus. 2. Ut libellus supplex, in quo petitionis capita continentur, ei offeratur. 3. Per vicarium, videlicet per alium Magum. In his pactis, Delrio ait, sequentia diabolum ordinarie requirere a Magis. 1. Ut fidem, Deum & Sanctos negent, imo, & Baptismo renuntient; unde unguem illis in frontem injicit dæmon, fingens se Chrisma abradere, & Baptismi characterem delere. 2. Ut ficte baptizentur de novo, novum nomen recipiant, novos etiam patrinos & matrinos assumant. 3. Ut dent scrutum aliquod vestimenti. 4. Ut jusjurandum præstent super circulo in terram sculpto. 5. Ut petant deleri e libro vitæ. 6. Ut polliceantur sacrificia v. g. occisionem infantium, aut aliorum hominum. 7. Ut alicui parti corporis stigma inuri patiantur. 8. Ut promittant, se numquam SS. Eucharistiam adoraturos, injurias fore perpetuo in B. Virginem, conculcaturos SS. Reliquias & imagines signo Crucis, sale aut aqua benedicta numquam usuros, confessionem peccatorum integram numquam facturos, illud cum dæmone commercium pertinaci silentio obscuraturos, statutis diebus ad conventum advolaturos, & quæ illic agenda segniter obituros; denique quotquot poterunt, dæmonis servitio adjuncturos. In quorum præmium dæmon vicissim promittit, se illis semper presto futurum, in hoc mundo votis eorum satisfacturum, & post mortem illos beaturum. Pactum tacitum est duplex. 1. Quando quis sciens ac volens superstitiosis utitur signis, quibus uti solent Magi. 2. Quando quis ignorans utitur Magicis signis. Prius pactum semper peccatum est, & illicitum, posterius non item, nisi quando crassa est ignorantia, aut aliquis paratus non foret post admonitionem relinquere talem superstitionem.

XVII. Quæst. 3. Quid Magia dæmoniaca efficere possit? Resp. Magia diabolica per se omne id & solum potest, quod continetur intra vires naturæ. Dixi *per se*: Nam cum sciat diabolus omnium rerum naturalium causas, actiones & reactiones, sympathias & antipathias, & ipse de se habeat potentiam loco motivam, robustissimam & velocissimam, ut reputet ferrum quasi paleas, & ingentia corpora possit facili negotio, quocumque velit deferre, ruentia & fluentia pleno impetu sistere, omnis generis agentia ad omnis generis passiva applicare, per se omne id celeriter potest quidquid supra naturæ activitatem non est.

XVIII. Hinc colligitur. 1. Magos nulla proprie miracula edere posse, quia hæc soli Deo sunt reservata, aut iis, quibus Deus in fidei veræ confirmationem ea facere posse concedit. Possunt tamen multa facere, quæ miraculi speciem habent; qualia sunt, quæ de Zitone Bohemo narrantur, qui artem suam ostendens nunc sua, nunc aliena facie staturaque; item in purpura & serico, ac confestim in lana ac panno sordido Regi se offerebat: ambulanti in terra ipse tamquam in aqua adnavigabat; aliquoties equis rhedariis vectum gallis gallinaceis ad Epiredium alligatis subsequebatur. Convivas præterea Regis variis ludebat; interdum manus illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum aut ungolas equorum transformabat. Aliquoties fronti illorum cornua cervina latissima adjiciens, quoties videlicet e fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput & ora ad mensam referre possent. Sues pistori vendebat, quos vetabat fluvio lavari. Inde pistor pedem arripiens, cum abstraxisset, plus solvere debuit.

XIX. Colligitur 2. Miracula vera a falsis per hæc signa discerni posse. Primum est, si effectus superet vires naturæ creatæ tunc verum miraculum erit. Secundum est, si effectus fiat in finem malum, puta curiositatem vel voluptatem, & falsum erit miraculum, qualia erunt olim Antichristi miracula. Tertium est, quod miracula falsa maxime dæmonum evanescunt veris miraculis supervenientibus, item si variis superstitionibus, & precibus misceantur, non item vera miracula; hæc enim fiunt per sinceram & apertam Dei invocationem.

XX. Quæst. 4. Quid possit Magia dæmoniaca circa ordinem naturæ & leges universi?

Resp. 1. Non potest Magia dæmoniaca immediate producere ullam formam substantialem vel accidentalem materialem, excepto motu locali. Ita communiter Philosophi, & Theologi. Ratio est, quia diabolus, cujus opera potissimum nititur Magia dæmoniaca, est incorporeus neque ex natura sua per modum formæ ordinatur, ad corpus aliquod actuandum, sicut anima rationalis; ergo non habet ullam proportionem ad immutandam substantialiter materiam, & consequenter neque ad producendum ullum accidens, quod ex natura sua ad hujusmodi transmutationes vel per modum dispositionis, vel per modum instrumenti, vel ornamenti ordinatur.

Resp. 2. Non potest Magia dæmoniaca formas substantiales sine præviis dispositionibus producere; aut infinitum actu facere; nec corpus de extremo ad extremum transferre non transito medio; nec corpus a se distans localiter movere; nec corpus in qualibet celeritate transferre aut movere. Quia hæc omnia excedunt vires creatas, uti communiter docent Philosophi.

Resp. 3. Non potest etiam per Magiam dæmoniacam tolli connexio, & subordinatio partium universi; nec directe impediri actio agentis naturalis, quod habet omnia ad agendum requisita. Hinc si nonnumquam Magi innoxii ignes tetigerunt, id per applicationem agentis contrarii factum est, & sic actio ignis indirecte impedita.

Resp. 4. Nec cæli, nec siderum motum sistere, vel eorum statos cursus retroagere Magia potest; sed nec integrum elementum de loco suo naturali in alium transferre; aut partes,

tes, quibus mundus integratur, tollere, vel suo loco movere. Ratio est, quia sic ordinem universi turbarent, quod illos non posse superiori conclusione vidimus.

Resp. 5. Potest Magia tempestates sedare, excitare fulgura & tonitrua, grandines, imbres, & similia Meteorologica ciere, & in agros immittere. Ita Delrio l. 2. q. 11. Probatur 1. ex SS. Scripturis Jobi 1. Ubi satanas fecit ignem de cælo decidere, & absumere servos ac pecus Jobi; ventos quoque excitat, qui domum subruant; quod ipsum diabolum fecisse SS. Patres constanter affirmant. Pari modo eadem S. Scriptura docet, grandinem, qua Ægyptii fuerunt puniti, per Angelos fuisse immissam.

Resp. 6. Potest Magia dæmoniaca etiam tenebras excitare, quomodo Tartaros, quandocumque volunt, tenebras cælum inducere posse testatur Marcus Venetus in peregrin. Asiat. Item aerem & aquam certis in locis corrumpere, & tabificam ac lethalem reddere, uti aerem fœtore gravissimo infecisse testatur Niceph. l. 14. Hist. Eccl. c. 18. Potest denique fluvios ad tempus sistere; fontes venis exsiccatis obdurare; scopulos & saxa novis fontibus e terra productis diluere, aquas dirimere, & in caput repellere, ut retro fluere videantur, uti suis temporibus accidisse testatur Plin. l. 2. c. 13. quia hæc omnia vim & virtutem naturæ creatæ non excedunt.

XXI. Quæst. 5. Quid Magia superstitiosa possit circa bona externa hominis, seu bona fortunæ.

Resp. Magia superstitiosa circa bona fortunæ potest sequentia efficere.

1. Potest perimere greges & armenta, non solum adhibito veneno, sed etiam motu locali, quando scilicet dæmon corpora subit, & præcipitat, sicuti in portis Gerasenorum probabiliter fecit; imo Gellius l. 9. noct. Attic. c. 4. Scribit in Africa familias quasdam esse, quæ solum laudando segetes, arbores, pecudes aut homines interimant, nimirum dæmone interea clanculum perniciem adferente.

2. Potest messes, fructus & similia alio pellicere, & traducere, sic Delrio l. 2. q. 12. n. 2. narrat, suo tempore Treviris sagam ultimo supplicio affectam fuisse, quæ in domus suæ pariete impacto epistomio lac omne vaccarum alienarum eliciebat, videlicet dæmone interea eas mulgente, & celerrime lac eo transportante.

3. Potest alienæ famæ nocere vel ludificatione sensuum, uti contigit illi Parocho, quem Cenomanensis Triscalinus insimulavit gestari sub brachio chartarum lusoriarum pro breviario manipuli, quod & ipsi Parocho persuasit, fecitque ut robore suffusus breviarium abjiceret; vel personam, & figuram alterius assumendo, uti personam S. Silvani, & S. Cunegundis assumpsisse dicitur, & utrumque de inhonesto actu diffamasse. Recte tamen notat Delrio, Deum non facile permittere, ut diabolus in conventu sagarum figuram innoxiorum assumat propter gravissima incommoda, quæ sequi possent.

4. Potest exhibere convivia vel phantastica tantum, uti frequenter fieri credibile est; vel ex veris cibis, circa quos tamen Delrio l. c. n. 6. notat dæmonem sagis plerumque morticina apponere, & non facile salem adjungere, aut panem forte quia sal in Baptismo, & panis in SS. Eucharistia adhiberi solet.

5. Potest, Deo permittente, captivos carceribus & vinculis eripere, imo etiam victoriam de hostibus procurare. Sic Anno 1240. Tartarus quidam signifer vexillum suum quatiens fumum atque nebulam densissimam excitabat, simulque fœtore gravissimo hostes Polonos enecabat; unde tanta Polonorum strages orta, ut solæ auriculæ, quæ singulæ singulis præcisæ fuerant, novem ingentes saccos explerent.

6. Potest ad dignitates, & honores promovere, uti Theophilum suæ dignitati restituit; Pontifices tamen aliquos Romanos ad Apostolici culminis apicem hac arte promotos fuisse, falso confingitur.

7. Potest veras divitias & thesauros communicare, tum ope dæmonis de novo cudendo; tum alibi reconditos eruendo; licet diabolus frequenter fallat, & loco veræ pecuniæ fimum, & scruta, testas, carbones suppeditet, uti per varias historias probat Delrio.

XXII. Quæst. 6. An possit Magia dæmoniaca mixta quædam producere?

Resp. 1. Possunt per Magiam nigram animalia imperfecta v. g. muscæ, ranæ, vermes &c. produci. Ita Delrio l. 2. q. 14. cum schola Theologica & S. Augustino ibi cit. Ratio est, quia hæc applicando activa passivis generantur; cum dæmon ergo optime sciat, quæ dispositiones ad generationem talium animalium requirantur, ideo potest etiam Magia illius ope talia producere.

Resp. 2. Probabilius est, nullum animal perfectum per Magiam nigram produci posse, ita idem Delrio l. c. cum communi. Ratio est, quia talia animalia non generantur ex putri materia applicanda activa passivis, sed a prolifico parentum semine oriuntur. Unde si quandoque talia Magi producere visi sunt, diabolus ea alibi arripuit, & in utero conclusa callide eduxit.

XXIII. Quæst. tamen 7. An possit Magus vel Maga cum dæmone congrediens hominem generare?

Resp. 1. Delrio l. c. q. 15. ex communi sententia Patrum Theologorum, & Philosophorum doctiorum, & omnium sæculorum, atque nationum experientia receptum atque probatum esse, quod dæmones cum hominibus congrediantur, assumendo vel defunctorum corpora, vel nova formando ex aere, acceptum quoque aliunde semen adferendo, & naturalem ejus emissionem imitando.

Resp. 2. Posse etiam ex tali congressu prolem nasci, cum plus non requiratur, quam ut semen virile in uterum maternum transferatur, quod potest dæmon facere per motum localem; in hoc tamen casu pater prolis non foret dæmon, sed is, cujus semine ille abusus est. Atque hoc factum esse multis exemplis probat Delrio, additque non deesse aliquos, qui putent, etiam Lutherum tali modo natum fuisse.

Resp. 3. Ex dæmone succubo probabilius prolem nasci non posse; quia ad fœtum requiritur certum tempus, & continua vegetantis animæ ope-

operatio in fœtu alendo, & alia pœne innumera naturæ arcana, quæ omnia non videntur præstari posse a dæmone. Duo vero circa generationam talem ope dæmonis factam notant Authores. Primum est, si corpus defuncti dæmon assumat, non posse quodlibet promiscue assumere, sed probabilius solorum damnatorum in quorum animas potestatem accepit. Secundum est, quando corpus phantasticum format, ordinarie tam exacte non formare, quin a tactu accuratiore, aut alio sensu deprehendi possit. Hinc Cajet. a. 2. q. 95. ar. 3. ait: ipsummet diabolum, cum ejus caro tamquam glacialis & tactui ingrata ab amasio repudiaretur, fassum asse, se melioram facere non posse.

XXIV. Quær. 8. Quid Magia dæmoniaca circa corpora bumana, vel atiam bestialia possit?

Resp. 1. Potest, & probabilius da facto vare transfert dæmon sagas de loco in locum, hirco vel alteri animali, vel arundini veræ, scoparumqua baculo inequitantes, ut conventui sagarum intersint. Ita commuoiter PP. & Jurisconsultorum sentantia, teste Delrio l. 2. qu. 16. Pro qua taman conclusione melius intelligenda notandum est, ex eodem l. c. quatuor modis possa contingere translationea. 1. Sola cogitatione; quod S. Scriptura vocat transferri in spiritu. 2. Pedibus, quo modo commoveant ad conventus loco non admodum distanti celebrandos. 3. Per motum localam & dæmonis ope per aera productum. 4. Ita ut ignorant, an opinione tantum, an corporaliter translatæ sint. Hoc notato probatur, eas nonnumquam raaliter per aera transportari, tum authoritata Ecclesiæ, quæ striges plurimis jam annis pro hæreticis habet, & punit per Inquisitores; argo non tantum in phantasia hæc peragi debent: non enim punit Ecclesia nisi certa & manifesta crimina; tum quia nihil assignari potest, quod talem translationem non possibilem afficiat, nam ex una parte diabolus corpua assumit, ex altera vero superat facile resistentiam & gravitatem corporis assumpti; neque obstat voluntas Dei prohibans, nam sæpius id eum permisisse innumeris prope exemplis probari potest, quibus sine protervia nequit aliquis dissentire, inquit Delr.

Resp. 2. Non potest Magia nigra ope dæmonis quantitatem corporis sic mutare, ut penetratio partium saquatur, neque unum corpus in duobus locis disjunctis; vel duo corpora in uno & eodam loco penetrative collocara. Ita iterum communis. Ratio est, quia penetratio & replicatio corporum miraculosa ast, uti communiter docent Philosophi, adeoque non potest convenire dæmoni aut Magis. Unda si quandoque sagæ videntur januas & fenestras clausas transite, illusio dæmonis fuit, qui occulte & inadvertenter januas aperuit, sicut etiam Angelus S. Patro in carcara januam non advertentibus vigilibus reseravit.

Resp. 3. Non potest Magia superstitiosa corpora animata ex una in aliam speciem transformare. Ita communis. Ratio est, quia quælibet forma maxime animata, ut suum essa informando tribuat, requirit peauliares sibique convenientes dispositiones, & organiaationem corporis propriam; argo non poterit quæcunque anima quodcumque corpus informare, & consequanter nec animal ex uno in aliam speciem transmutari. Unde si nonnumquam sagæ vel Magi sibi aut aliis visi sunt in bestias mutati, deceptio & illusio dæmonis fuit, qui solet aliud corpus substituere, & illis absantibus, & alicubi in loco abdito ipse assumpto lupi corpore, vel ex aera formato, & sibi circumdato ista gerare, quæ putant homines ab illo misero absente & dormienta patrata; aliquando varo hominibus ipsis ferarum exuvias veras aptissima circumdat; alias aeream affigiem belluæ effingit, & membra accomodat, talis belluæ vestigia relinquant. Quando vero nonnumquam sauciatæ sagæ in ea parte, in qua ficta bestia læsa fuit, deprehenduntur, tum diabolus in absentium corpore eam partem consauciat, quam scit in ferino corpore fuisse sauciatam.

Resp. 4. Potest Magia superstitiosa efficere, ut statuæ & bestiæ articulate loquantur; non tamen efficere potest, ut intelligant bestiæ, quod loquuntur. Posterior pars patet, quia bestiæ sunt incapaces intelligentiæ. Prior probatur, ex mille experientiis antiquarum historiarum, ex quibus habetur, simulacra & bestias locutas fuisse; & confirmatur ex eo, quod da facto artifices solis aquis aut aere peritissime imitati sint bestiarum voces; cur non atiam dæmon possit humanas imitari?

Resp. 5. Potest Magia superstitiosa facere, ut homo non sentiat, vel ut longissimo tempore dormiat, aut inediam perferat. Ratio ast, quia novit dæmon vires herbarum, quibus hæc naturaliter parfici queunt; aut recte novit illudera, & verbera aliorum loco excipere, sicuti sæpe pueri fassi sunt, dæmonem pro ipsis virgas sustinuisse.

Resp. 6. Potest etiam Magia sexum mutare corporum. Ratio ast, quia naturaliter id de facto accidisse, plurimis historiis probat Delrius l. 2. q. 18. Inter aliaa ex Fulgoso narrat, Neapoli regnante Ferdinando I. Ludovicum Guarnam Salernitanum civem ex quinqua filiabus, primis duabus natu majoribus Franciscæ & Carolæ nomen indidisse; sed his post decimum quintum annum genitalia membra in marium morem erupisse, mutatoque habitu pro maribus habitos, & Franciscum & Carolum fuissa nuncupatos; si ergo naturaliter hoc fiari potest; quidni etiam dæmon efficere possit?

Resp. 7. Potest probabilitar Magia suparstitiosa etiam homini seni juventam reddere; si enim Lusitanicæ Historiæ Scriptores apud Delrium notant, cuidam Indo nobili, annorum 340. spatio, quibus vixit, juvaotæ florem ter exaruisse, & ter refloruisse; sique alii repertam testentur Insulam, Bonicam nomine, in qua fons scaturiat, cujus aqua vino pretiosior, pota senium cum juventa commutat; quidni multo magis dæmoni naturalium rerum virtutem scienti hoc concedamus; Neque tamen propterea hominem immortalem facere posset, quia Deus non permittet, ut tales causa naturales samper applicet, aut suum concursum certe ad operationem subtrahet.

XXV. Quær. 9. Quid magia superstitiosa circa animam possit? R. Magia superstitiosa circa animam rationalem corpori conjunctam sequentia

tia potest. 1. Potest auditum & visum ac reliquos sensus decipere, uti infinitis exemplis probatum est. 2. Potest quadruplicem sensus interni functionem decipere turbata phantasia; licet enim non possit directe novam speciem phantasiæ vel intellectui imprimere, ut docet communis sententia Theologorum, potest tamen indirecte tales species causare, objiciendo varia objecta phantastica, vel species ab anima habitas commiscendo, vel concitando varias in corpore affectiones, aut ipsos denique humores perturbando. 3. Potest appetitum sensitivum per varia simulacra, quibus voluptatum memoria excitetur, excitare, & necessitare ad propositum objectum appetendum; uti de facto non semel dæmon in hominibus etiam sanctis facit, in quorum corpore varios nonnumquam motus, licet ipsis involuntarios, efficit. 4. Potest memoriam juvare, adaptando ejus organum, ut facilius recipiat, & firmius species retineat, vel motu locali noxia repellendo, vel juvantia applicando. Eamdem potest modis contrariis plurimum debilitare, immo omnino tollere. 5. Potest intellectum subtiliorem & meliorem efficere, quo ad functiones ingenui judicii per commodiores organi dispositiones, humoribus videlicet densioribus motu locali dispulsis, vel agentium naturalium adhibitis medicamentis, vel spiritibus sensitivis expurgatis, & ad organa attractis, aut sanguinis defæcatione iisdem spiritibus multiplicatis; ab his enim omnibus dispositionibus multum dependet intellectio. 6. Potest artes & scientias docere, non tantum ope dæmonis in visibili forma apparentis & loquentis, sed etiam interna locutione & suggestione intellectum illustrantis. Sic in vita S. Norberti legitur dæmonem idiotam subito scripturæ sacræ peritissimum effecisse. 7. Potest movere voluntatem objecto amabili vel odibili proposito, & excitare in parte sensitiva varias passiones, quæ, quo sunt vehementiores, eo acrius inclinant voluntatem ad consensum, licet necessitate non possint. 8. Potest ecstases sive raptus efficere, ligando scilicet sensus, ut foris nihil sentiant; idque duplici modo fieri potest. Primo, si tramites obstruantur, quibus a cerebro spiritus sensitivi ad exteriores sensus penetrant, uti somniantibus contingit. Secundo, quando eosdem spiritus sensitivos ab exterioribus sensibus ad interni sensus organa attrahit, ibique retinet, ne ad externorum sensuum organa descendere queant. Unde si nonnumquam magi aliqui mortuos resuscitasse, aut animam propriam emisisse aut recepisse pro libitu visi sunt, deceptio fuit diaboli, simili modo animæ operationes impedientis. 9. Potest fictitie adducere animas defunctorum; fictitie, inquam, formando scilicet imagines illorum, nam ipsas animas defunctorum probabilius non potest ostendere; quia Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & illi soli obediunt; damnatorum vero neque diabolus educere sine nutu Dei; quod ipsum etiam de purgantibus animabus dicendum est.

XXVI. *Quær.* 10. Quid Magia superstitiosa possit in ipsos magos?

Resp. 1. Magia nihil potest in magos vel cacodæmones, nisi ex pacto; quando ergo dæmones se nonnumquam a magis cogi fingunt, non coguntur, sed sponte faciunt & obtemperant, ut plures irretiant, & retineant irretitos. Ita Delrius l. 2. q. 52. l. 1. Ratio est, quia nihil apparet, ratione cujus magia possit habere potestatem in magos & dæmones; non enim hoc potest ratione naturæ, quia hæc in magis est æqualis, in dæmone vero superior, sed nec ratione alicujus rei corporeæ habentis virtutem cogendi aut pellendi dæmones hoc potest, quia, uti S. Thomas in 4. d. 7. a. vet. docet, nulla res corporalis robur substantiarum spiritualium potest æquare. Nec obstat quod Tob. 6. Angelus Raphael dixerit Tobiæ: Cordis ejus particulam (piscis videlicet) si super carbones ponas, fumum ejus extricat omne genus dæmoniorum; nam suffumigatio illa indirecte tantum dæmonem pellebat (directe enim ab Angelo pulsus est, & in deserto ligatus), & cordi tribuitur illa vis non litteralis, sed prophetico & allegorico sensu; referendum enim hoc ad Christum quem B. Prosper, S. Aug., & Tertullianus piscem appellant, qui super carbones charitatis positus humanum genus a dæmonio liberavit. Quando vero 1. Reg. c. 16. legitur, Davide cytharam feriente, recessisse a Saule spiritum malum, ajunt Interpretes id ideo contigisse, quia sedatis per cytharæ sonum humoribus Saul vexationi dæmonis minus idoneus reddebatur; aut certe alii ad sensum allegoricum confugiunt, ajuntque spiritum malum non virtute cytharæ, sed S. Crucis, cujus figura fuit illa cythara, fuisse pulsum.

XXVII. Ex hac responsione colligitur, 1. Vanam esse jactantiam magorum de potestate dæmonum, & spectrorum ejiciendorum, rectiusque id Sanctis nonnullis concedi, uti de S. Stephano Episcopo Diensi testatur Surius in ejus vita Mense Sept.

Colligitur 2. falsam esse persuasionem eorum, qui putant, posse dæmones a magis ligari in phialis, speculis, annulis &c. semper enim vel superior atque potentior dæmon eos illic cogit adesse; & imperio suo continet, vel ipsi sponte sua, & ex pacto suo adsunt, ibique perseverant, quod præclare indicavit Henricus de Hassia in Genes. dum ait, ipse simulat se captum, ut te capiat; se vinctum, ut te vinciat, se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat; a te inclusum, ut contra te finaliter concludat; fingit se tua arte vel imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad Infernum te perducat. Sanctos tamen viros dæmones inclusisse certis locis, vel astrinxisse, ex historiis variis patet.

XXVIII. *Resp.* 2. Per accidens potest magia dæmones ad varia servitia cogere, si videlicet magus aliquis fortiorem atque potentiorem habeat dæmonem; hinc varia magorum certamina exorta sunt, qualia multa a Delrio l. 2. q. 30. s. 1. narrantur, inter quæ memorabile est, quod ibidem ex Joanne Dubravio de Zytbone Wenceslai Imperatoris mago refert, qui magorum, quos Joannes Principes Pragam secum adduxerat, potentissimum publice ludibria artis exhibentem, ore usque ad aures de-

hi-

hiscente, propius accedens devoravit, solis calceis, utpote lutulentis relictis, indeque secessum petens, ventrem insolita esca gravem in solium aqua plenum exoneravit, præstigiatoremque adhuc madidum spectatoribus restituit adeo derisum, ut cæteri quoque ejus socii a ludo abstinerent.

XXXIX. Quær. 11. Quibus modis potissimum magia hæc ad præstigias suas utatur.

Resp. Triplici potissimum modo utitur magia ad varias deceptiones & præstigias exercendas. Primus fit mutatione objecti, quod variis modis præstat. 1. Ostensarum rerum celeri agitatione, subita occultatione, varia collocatione, separatione, vel conglutinatione latente, ut faciunt circulatores Agyrtæ variis ligaminibus, globulis, scyphulis, &c. 2. Per artem perspectivæ, certa quadam dispositione objecti in ordine ad oculum videntis, v. g. cum lineæ ordine confuso ductæ aspicienti per foramen, vel rotata tabula, speciem exhibent artificiosæ alicujus picturæ. 3. Cum formant subito ex elementis, potissimum aere, objectum, & illud spectatoribus offerunt. 4. Cum apponunt corpus aliquod mixtum, puta minerale, quod in sua naturali fit in causa, ut corpus, cui apponitur, longe aliud appareat.

Secundus modus fit mutatione aeris, quod etiam varie efficere potest magia. 1. enim impedit, ne species ad oculum, vel ad alium sensum deferatur, v. g. quando vi sui totum objectum vel partem occultat. 2. Si medium imbuat qualitate, qua specie per medium transeuntes qualificentur, ut objectum aliter, ac in se est, repræsentent. Sic si de semine asinino & cera fieret candela, quæ sola in convivio luceret, omnes convivæ viderentur Onocephali, ut docet Guliel. Paris. 3. Si medium circa ipsum objectum inspissetur; sic denarius in scutella aqua plena major videtur; & galius gallinaceus festucam trahens, trabem trahere videbitur, si medii vapores condensentur. 4. Si moto aere simul moveat species; hinc fit, ut navigantibus arbores moveri videantur. 5. Si varie conformet vel multiplicet species sensibiles, quod vel contingit ex forma instrumenti, uti patet in vitro sexagono, vel ex collocatione varia instrumentorum, uti fit, si plura specula diversis locis disponantur.

Tertius tandem motus fit organi mutatione, quæ etiam variis modis contingit. 1. Mutato situ organi; sic enim res alio loco vel gemina videbitur. 2. Si humores agitentur, vel perturbentur; hinc ebriis omnia gemina apparent; huc etiam revocantur præstigiæ, quibus magi currus fœno onustos cum equis comedisse visi sunt. 3. Si impediatur sensatio crassiore aliquo humore obstructis viis, ne spiritus ad organa perveniant. Hi ergo sunt modi, quibus potissimum magia utitur ad effectus suos, quando per solum motum localem, aut applicationem activorum ad passiva nihil efficere potest; quæ omnia fusius videri possunt apud Authores passim hac de re scribentes.

§. V. *De Maleficio*.

XXX. Quær. 1. Quid sit maleficium? Resp. cum Delrio l. 3. p. 1. q. 1. illud recte sic definiri: Est magiæ species, qua quisque ope dæmonis alteri damnum parat. Et hoc genere magiæ vel maxime delectatur dæmon; Unde recte Sinesius; calamitates inquit, mortalium convivia sunt malorum dæmonum. Porro instrumenta hujus magiæ potissima sunt pulveres quidam minuti in cibum potumve infusi, herbæ, festucæ, & id genus frivola in humum projecta; unguenta varia, halitus & afflatus, verba, & ipsæ quandoque laudes, uti experientia probatum ait Delrio l. c. n. 4. Circa quæ tamen instrumenta duo notanda sunt. Primum est, non hæc instrumenta per se habere vim talia efficiendi, sed ipsum dæmonem a signo determinatum talia facere. Secundum, signa hæc & instrumenta non cuilibet nocere, sed iis tantum, quibus ipsi malefici volunt nocere.

XXXI. Quær. 2. Quotuplex sit maleficium? Triplex communiter a triplice fine assignari. Somnificum scilicet, Amatorium, & hostile. Somnificum est, quando aliquem potione, malo carmine, & certis ritibus soporant, ut interea vel venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut necent, vel furto quid subtrahant, vel stupro, adulteriove contaminent; ut plurimum tamen solent sagæ ad hunc finem certis luminibus uti, interdum etiam accendunt pedes, aut manus mortuorum oleo a dæmone prius accepto. Amatorium maleficium est, quando aliquis per philtrum aliquod ad amorem concitatur, quod fit vel rebus in cibo potuve datis; vel per mixturas varias herbarum, metallorum, plumarum, aut aliarum partium ex animalibus desumptarum; quæ tamen omnia non possunt cogere hominem ad illicitum amorem, sed ad summum possunt turbare humores, aut calefacere corpus, aut ope dæmonis phantasiam ita implere speciebus rerum impudicarum, ut denique voluntas vincatur. Hostile tandem maleficium est, per quod damnum corpori vel animo infertur, quod fit variis modis. 1. Fascinatione, quæ nihil aliud est, quam perniciosa qualitas dæmonum arte illata ob tacitum vel expressum pactum hominis cum dæmone. 2. Fit variis venenis, quomodo narrat Villamontius apud Delrium, veneficum quemdam apud Delrium fuisse, qui damnatorum ad triremes animas emebat, promittens liberationem a tetra illa servitute pœnæ, & numerans decem aureos pro illorum anima, quam chirographo proprio sanguine notato dæmoni vendebat, quos tamen ille, ne pactum retractare possent, mox veneno necabat. 3. Fit confectione imaginum, quas malefici acubus pingunt, vel igne liquant, vel confingunt; & sic certum iis, quos tales imagines designabant, interitum tabe vel alio mortis genere adferunt. Quo etiam pertinent sagittæ sagittariorum, quæ certis ritibus superstitiosis consecratæ etiam absentes tangunt, faciuntque ut intra breve tempus moriantur. 4. Ingestione, vel egestione rerum solidarum & magnarum in corpus, qualia sunt clavi ferrei prælongi, ossa, lapides, carbones &c. 5. Devotione, per quam nonnumquam dæmones (ex permissione Dei) in corpus hominis magicis pactis, & artibus immittuntur. 6. Ligamine, per quod homo im-

impotens ad actum conjugii redditur. 7. Incendiario maleficio, quo integras nonnunquam domos comburunt, immo & oppida.

XXXII. Quær. 3. Cur diabolus velit opera maleficorum uti, cum per se talia damna inferre possit? Resp. Delrio l. 3. p. 1. q. 8. duas ob causas id fieri. Quia credit, hoc pacto se majorem Deo injuriam inferre, si creaturis ratione præditis, & baptismo ablutis abutatur ad Conditoris vilipendium & irritationem. Præterea vero etiam sic pluribus nocet, cum homo hominem minus aversetur. 2. Quia quædam non potest, vel certe non tam commode per se efficere, qualia sunt v. g. si rebus sacris abutendum, &c.

XXXIII. Quær. 4. Quid sit vana observantia? Resp. cum Delrio l. 3. part. 2. quæst. 1. est magia superstitiosa, qua commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eo pertinet, neque naturaliter id præstare potest.

XXXIV. Quær. 5. Unde dignosci queat, quid sit vana observantia? Resp. ex variis signis posse dignosci, v. g. si ad productionem affectus requiratur fides in hominem fanaturum. Si effectus attribuatur magicis imaginibus, figuris, sigillis, characteribus, ipsis verbis vel rythmo, vel contactui. Si quis utitur variis orationibus aut sententiis sacris ad Dei honorem nec directe, nec indirecte pertinentibus. Si omnia ex rebus occurrentibus petantur. Si sacra Evangelia, & similia cum variis circumstantiis circumferantur, v. g. ut sint tali modo, in tali forma, tali materia scripta, talibus crucibus insignita. Si herbæ, flores & similia certis hebdomadæ diebus colligantur. Si pro fugandis morbis offeratur sancto alicui cera vel alia materia variis materiis v. g. crinibus ægri commixta &c. Similes vanæ observantiæ sunt, si per desponsationis annulum mejant, ut a maleficio curentur. Si ad capitis dolores arcendos collum ad porcorum lintrem applicetur. Si stramen bipenni dividatur, ut manuum vel digitorum tumores sanentur. Si tempore Missæ dentes tangantur, ut dolor illorum cesset, & plura similia, quæ videri possunt apud Delrium l. c. q. 4. s. 9.

XXXV. Quær. 6. Quid sit divinatio? Resp. Delrius l. 4. c. 2. q. 1. eam nihili aliud esse, quam significationem occultorum ex pactis conventis cum dæmone. Dicta autem est divinatio, quasi divinitatis imitatio; nam dæmon quantum potest divinitatem æmulatur, unde magi ad divinationem hanc frequenter sacrificio, vestibus sacerdotalibus, thure accenso utuntur. Quia vero ex hac definitione satis patet, divinationem hanc non posse ulterius progredi, quam cognitio dæmonis pertingat; ideo

XXXVI. Quær. 7. Quid, vel quantum dæmon vel magi prædicere possit?

Resp. 1. Dæmonem non posse certo prædicere ea, quæ sunt omnino libere futura, qualia sunt, quæ dependent a voluntate Dei, vel arbitrio hominum, vel quæ nullam adhuc habent determinatam causam.

Resp. 2. Ex istis, quæ certo non novit, posse dæmonem multa probabiliter tantum, & conjecturam faciendo prædicere, tum propter experientiam diuturnam, tum propter ingenii acumentum, propter cognitionem naturalium facultatum & temperamentorum humanorum.

Resp. 3. Posse dæmonem certo prædicere, quæ a causis necessariis pendent, ut sunt motus cælorum, eclypses, &c. pluvias tamen & tempestates, & similes eventus probabiliter tantum potest prædicere, quia a causis naturalibus impediri possunt.

Resp. 4. Posse dæmonem etiam certo prædicere, quæ vel ex revelatione accepit (sic olim multa de Christi ortu, & miraculis prædixit) vel quæ ipse ex aliena relatione intellexit, vel præsens vidit.

Resp. 5. Non posse dæmonem ullas cogitationes occultas, & nullo signo exteriori proditas certo prædicere; licet sæpe probabiliter id queat, quando scilicet phantasmatibus immissis ita turbavit hominis mentem, ut non potuerit facile aliud cogitare. In his tamen prædictionibus, ut recte notat Delrius l. c. sæpe utitur fraudibus & æquivocis verbis, uti usus est, cum Cræso quærenti, num Cyrum victurus esset, respondit: Perdet Cræsus, Halyn transgressurus maxima regna.

Resp. 6. Dæmonem, qua pollet celeritate, quæ in remotis regionibus geruntur tam celeriter prædicere, ut diu ante prædicta ab ignaris putentur. Sic S. Apollonius, cum Ephesi esset, exclamavit interfici Domitianum, ut præsens spectaculo.

XXXVII. Quær. 8. Quotuplex sit divinatio? Resp. Duplicem communiter assignari; unam, quæ pacto explicito dæmonis nititur, alteram, quæ implicito pacto fundatur; quod fit, quando quis quærit cognitionem soli Deo reservatam aliunde, quam ex Deo, idque medus indebitis. Prior subdividitur potissimum in oraculum seu dæmonomantiam, per quam dæmon prophetiam conatus imitari varia oracula dedit ex antris, statuis & hominibus, potissimum vero mulieribus: unde ortæ Gallicenæ, Pythæ, Fatidicæ, Pythonissæ, &c. Et Manganiam, cujus plurimi sunt modi: Potiores autem isti. 1. Est Necromantia, per quam manes ab inferis certis ritibus eiici putantur. 2. Hydromantia, qua futura ex aquis divinantur. 3. Lecanomantiam, Gastromantiam, Catoptromantiam, per quam responsa ea pelvibus, ventricosis phialis aqua plenis, & inspectante puro puero, vel prægnante muliere, vel denique etiam ex speculis politis petuntur. 4. Est Dactylomantia, quæ divinat annulis ad certam cæli posituram constructis vel incantatis, & super tripodem ad certa verba motis. 5. Ariolatio, qua Arioli circa aras Idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, iisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt. Qui modus divinationis plurimas alias species pro diversitate rerum, quas ad divinandum hi sacerdotes adhibebant, continent. 6. Est Sortilegium per quod ex sortibus futura indagantur. 7. Est Conjectatio, quæ ex astris, elementis, manuum, & vultus lineamentis, somniis & similibus futura indagat; quæ tamen Conjectatio eatenus tantum est illicita, quatenus cancellos Philosophiæ naturalis egreditur; alioqui enim licita est, & de facto practicatur, unde

regu-

regulæ rusticorum de pluviis, tempestatibus &c. sunt exortæ. Plura de postremis his magiæ illicitæ speciebus apud Delrium l. c. & alii videri possunt.

TITULUS XC.

MANSUETUDO.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

De vir. & vit. divis. I. MANSUETUDO est virtus, qua iram adversus eos, quia nos injuria afficere videntur, comprimimus, & moderamur. Seu, ut Aristoteles definit, est virtus animosæ partis, qua præditi ægre moventur ad iram. Hinc S. Ambrosius, qui sunt mansueti, ait, nisi quos nullus stimulus dissensionis exagitat, non ira perturbat, non sævitia exasperat, non rabies crudelitatis inflammat? *In Ps. 36.* Differt a clementia, quia hæc est virtus inclinans ad lenitatem in pœna exigenda.

Divisio.

Bellarm. in c. 1. sest. Omn. SS. Ps. 36. v. 9. II. Dividi potest in eam, quam *erga Deum* exercemus, quatenus ejus judicia benigoo animo sustinemus, juxta illud Psalmistæ: Sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram: Et eam, quam *erga homines* tenemus, dum vel taciturnitate, vel placida responsione, vel malorum illatorum humili tolerantia, eorum improbitatem superare contendimus.

Actus.

III. Actus præcipui sunt.

1. Ubi ab alio ad iram concitati sumus, silentium tenere.
2. Iram interius cohibere, & aptis mediis frænare.
3. Cor nostrum ad serenitatem & tranquillitatem inducere, & tandem ipsum inter injurias pacare.
4. Injuria nos afficientibus, blandis verbis & molli sermone respondere.
5. Injuriantibus beneficia rependere, parcere, & pro illis orare, sicque vincere in bono malum.
6. Injuriam oblivisci.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Gal. 6. v. 1. I. FRatres: si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Tit. 3. v. 2. II. Admone illos, noo litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad homines.

2. Tim. 2. v. 24. III. Servum Domini oon oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.

Eph. 4. v. 1. IV. Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.

V. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam: & redde debitum tuum, & responde illi pacifice in mansuetudine. *Eccl. 4. v. 8.*

Utilitas.

VI. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth. 5. v. 4.*

VII. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. *Pr. 15. v. 1.*

VIII. Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam. *Pr. 3. v. 34.*

IX. Melius est humiliari cum mitibus, quam spolia dividere cum superbis. *Pr. 16. v. 19.*

X. Humilium & maosuetorum semper tibi placuit deprecatio. *Judith. 9. v. 16.*

XI. Propter veritatem & maosuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. *Ps. 44. v. 5.*

XII. Suscipiet mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram. *Ps. 146. v. 6.*

XIII. Sapientia & disciplina timor Domini, & quod beneplacitum est illi, fides & mansuetudo. *Eccl. 1. v. 34.*

Dignitas.

XIV. Beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltavit mansuetos in salutem. *Ps. 149. v. 4.*

XV. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. *Eccl. 10. v. 7.*

XVI. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. *Eccl. 3. v. 19.*

Jucunditas.

XVII. Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris. *Matt. 11. v. 29.*

XVIII. Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. *Ps. 36. v. 11.*

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. MEI semper sit in ore; per ora mittamus nihil, nisi mellitum, nihil asperum, nihil amarum, sed omnia cæli digna. *S. Chrys.*

II. Regat disciplinæ rigor mansuetudioem, & mansuetudo ornet rigorem: & sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. *S. Greg. 20. mor.*

III. Ne dixeris: est improbus, nec ferre possum; tunc enim maxime attendenda est mansuetudo, cum res nobis est cum sævis & agrestibus hominibus; quando cum his, qui sunt ab humanitate & mansuetudine longe alienissimi, tunc ejus virtus ostenditur. *S. Chrys. super Ps. 118.*

IV. Convitiis (homo mansuetus) lacerabitur, vioce, convitia non regerendo; Persecutiooibus affligetur? sustinebit; Maledictis proscindetur? exhortabitur; Calumniis agitabitur? orabit; Probris impelletur; Christi societate honorabitur; Percutietur in dexteram maxillam; præbebit & alteram, imo tertiam, si habebit. *S. Greg. Nazianz. or. 1. Max.*

V. Malum hominem tacendo, & locum dando, melius vincis, quam respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. *S. Chrys. ho. 18. in Matt.*

F. in. sup. Cant. VI. Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur, nec agitur, nisi pro eorum arbitrio, patebit autem, quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio.

Hieron. in gloss. sup. Mat. c. 5. VII. Mitis est, quem nec rancor, nec ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet, non irritat, non nocet, non nocere cogitat.

Greg. in P. 3. VIII. Multi mansuete patientes injuriam postea mansuetudinem in malitiam convertunt.

Necessitas.

Lactant. Firm. c. 7. l. 3. de off. IX. Jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat, necesse est, si nocebit: non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre.

S. Franc. Seraph. op. t. 6. 34. X. Multi sunt, qui perfectionem & sanctitatem in actibus mortificationis corporalis constituunt, non intelligentes quanto majus sit lucrum in tolerantia injuriarum: Multi sunt, qui orationibus & officiis insistentes, multas abstinentias, & afflictiones in suis corporibus faciunt, sed de solo uno verbo, quod viderint injuriam esse, scandalizantur, statim & conturbantur. Hi non sunt vere pauperes spiritu, quia qui vere pauper est spiritu, se ipsum odit, & alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam.

S. Chrys. t. 5. f. 46. XI. Multæ sunt virtutes, inquit ille, quæ Christianum virum bene decent, maxime autem omnium mansuetudo; nam eos solos, qui hac conspicui sunt, Dei imitatores Christus nominat; proinde congruum est, ut quando quis contumelia nos afficit, sustineamus mansuete, considerantes, quod Dei imitatores mititas facit.

S. Greg. ho. 39. in Evang. XII. Dum foris invicti esse cupimus, intus graviter ferimur; & dum parva foris defendimus, intus amittimus maxima, quia dum rem diligimus temporalem, veram amittimus dilectionem.

S. Hieron. sup. epist. ad Tim. XIII. Nihil est fœdius Præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex diverso torvo vultu, rugata fronte, trementibus labiis, effrænatis superciliis, facie inter pallorem & ruborem variata, clamorem perstrepitat, & errantes non tam a bono retrahi, quam ad malum sua sævitia præcipitat.

Utilitas.

S. Leo f. 5. in Epiph. XIV. Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus.

S. Amb. in Ps. 41. XV. Ideo Sauli in millibus, David in decem millibus (intellige, sit gratulatio) quia durus in paucis, mansuetus in pluribus.

S. Chrys. l. 4. XVI. Quid est, quod posteaquam terribilis Deus mitissimi Pastoris elegit officium, Pastoris personam induit? ut ferocientes Reges ad ovium duceret ac redderet lenitatem.

S. Ambr. ad Vercel. Epist. XVII. Mansuetus homo, cordis est medicus.

Ibid. XVIII. Beatus qui severitatem & mansuetudinem tenet, ut altero disciplina servetur, altero innocentia non opprimatur.

S. Chrys. ... de mansuet. XIX. Mitis reverendus pater pueris, & observandus dominus est servis. Nihil enim ita conciliat Domino familiares, ut quod illum vident tranquillum se offerre, & mansuetudine jucundum: nam & talem majoris faciunt, habentque pro patre, & non pro domino, gratus & amabilis est videntibus, gratus item & his, quibus tantum nomine notus est. Neque facile ullum invenies, qui audiens laudari hominem mansuetum, illum videre & osculari non desideret, & non habeat in aliqua lucri parte, ejus amicitia diu posse frui.

XX. Non habet in eo locum pruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum charitatis custodit affectum. *S. Valer. ap. Mansi tract. 36. disc. 3.*

XXI. Qui & contumeliis, & injuria altior est, is & hic ab omnibus immortalibus coronabitur encomiis, quod non modo hostem, sed animos, iramque suam superaverit, & in altera vita ideo maxima obtinebit præmia. *S. Isid. Pelus. l. 3. ps. 106.*

XXII. Dæmones, ubi viderint quempiam vel contumelia effectum, vel ignominia notatum, vel damno aliquo mulctatum, vel quodcumque aliud damnum perpessum non affligi, quod aliquid mali sustinuerit, se quod illud ipsum generose & fortiter pertulerit, hujus vim & conatum magnopere pertimescunt. *S. Clim. gr. 9.*

XXIII. Mansuetudine furor vincitur. *Chrys. sup. Act. Apost. ho. 31.*

XXIV. Mansuetus sibi & aliis utilis. *Id. ibid. hom. 4.*

Dignitas.

XXV. Qualis quisque apud se lateat, contumelia illata probat. *S. Greg. l. 2. ideal. c. 3.*

XXVI. Infinita virtus est, odia vicisse beneficiis: nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. *S. Valer. h. de bono pacis.*

XXVII. Felix ille, qui quotidie Dei causa convitiis agitatus & contemptus, violenter seipsum per patientiam vincit; Nam ille cum martyribus tripudiabit, & inter Angelos liber, ut Angelus. *S. Clim. gr. 4. n. 32.*

XXVIII. Quale spectaculum, quam grave & admirandum, ac sane nonnihil etiam ipsam humanam naturam exuperans, hominem multis convictis jactatum, & qui etiam vulnus in facie accepit, quippe alia sexcenta perpessus est, quæ & verbis & re ipsa ad extremam infamiam tendunt, non ira incendi, nec ultionem parare, sed mansuetum pro eo, qui sibi injurias intulit, preces fundere. *S. Basil. or. 9. de ira.*

XXIX. Quid Divinæ tranquillitati tam proximum quam illatis contumeliis non nocere, nullo supplicio, nullave persecutione terreri, unam mentis & in prosperis, & in adversis habere constantiam, inimicum, & amicum eodem oculo intueri. *B. Elred. in sp. car. c. 7.*

XXX. Mirabile promissum Salvatoris, quo gratiam mansuetis promisit; an iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimonia, qui eleemosynis, qui virtutibus aliis suo conditori se commendarint? imo vero dabit, sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos principatus auferent in præmium. *S. Chrys. sup. Prov. 1.*

XXXI. Rex David quam mitis, quam blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio, ferre magis promptus, quam referre injurias, ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum invitus pe-

peteretur, & resistens cogeretur: senex, ne prælio interesset, a suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus; itaque parentes eum filiis, filii parentibus præferebant.

S. Chrys. super Ps. 116. XXXII. Suscipiens mansuetos Dominus: non dixit, opem ferens mansuetis, sed quod est longe majus, *suscipiens*. Quod autem est suscipiens? recreans, fovens, bajulans, & velut mater in ulnis gestans: hoc audiant mansueti, & lætentur.

S. Chrys. h. de David & Saul. XXXIII. Non perinde miror Moysen, quod a saxo prærupto fontes eliciat aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis (Saulis) fontes eduxerit lacrymarum (puta mansuetudine sua.

S. Chrys. hom. 11. XXXIV. Tantum est mansuetudinis robur, ut sola hæc virtus sufficiat, se colentem diligenter ineffabilibus laudibus efferre, imo omni hominum genere præferre.

S. Basil. in Ps. 11. XXXV. Maxima omnium virtutum mansuetudo, eoque in beatitudinum numerum relata est.

S. Chrys. in gen. h. 14. XXXVI. Hæc omni claritudine & gloria conducibilior. Quid enim beatius, quam intestino liberari bello? Sicut neque mirabilius est aliquid civitate, quæ licet præsidiis & muris bene sit munita, intus tamen cives foveat proditores.

Isidorus in soliloq. XXXVII. Magna est virtus, si non lædas a quo læsus es, magna est fortitudo, si etiam læsus remittas, magna est gloria si cui potuisti nocere parcas.

Jucunditas.

Jansen. XXXVIII. Mansuetudo homini totus mundus patria est, totque locis habet fundum, quot locis reperit amantes.

S. Chrys. h. 34. in Gen. XXXIX. Nihil animum ita in tranquillitate & quiete esse facit, ut mansuetudo & modestia. Illa animam nostram quasi in portu constituit, & omnis quietis ac recreationis nobis occasio est.

S. Ephr. de vit. & virt. XL. Beatus ac vere felicissimus vir ille est, qui mansuetus est.

S. Amb. in Ps. 18. XLI. Merito terram possident, in quibus Deus ipse requiescit, sicut divino per Isaiam resultavit oraculo dicens: Supra quem requiescam, nisi supra humilem, & quietum, & trementem verba mea?

S. Chrys. ap. Mansi hom. 56. disc. n. 1. XLII. Qui pepercit, & æquo animo tulerit, lætabitur post hæc, & deliciis perfruetur, præmia injuriarum oblivionis a Deo sperans.

Id. h. 85. in Matt. XLIII. Vellem posse ostendere, qualis sit, qui vituperat, & qualis, qui philosophatur, & nudum utriusque animum in medium ducere. Videres alterum pelago fluctibus exagitato similem esse, alterum vero tranquillo portui & quiescenti.

S. Valer. ho. cit. XLIV. Beatos illos judico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt, & memores cælestium mandatorum, alienæ vocis contumeliam non requirunt; cessant enim odia ubi non reputatur injuria, nec habet ullam virtutem iracundia si desit unius in contentione persona; ita duplex patientiam manet victoria, hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse motus alienos.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. HOmo pacificus magis prodest, quam doctus. Bonus pacificus homo omni ad bonum convertit. Qui bene est in pace, de nullo suspicatur. *Lib. 2. c. 3. §. 1.*

II. Non est magnum cum bonis & mansuetis conversari, hoc enim omnibus naturaliter placet, unusquisque libenter pacem habet, & secum sentientes magis diligit, sed cum duris, & perversis, aut indisciplinatis, aut nobis contrariantibus pacifice posse vivere, magna gratia est, & laudabile nimis virileque factum. *Ib. §. 2.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

I. CHristus adhuc puerulus adeo mitis erat & suavis, ut a Judæis suavitas appellaretur, & ideo illi ad se mutuo dicerent: Eamus ad suavitatem, ut hilares simus. Postea grandior factus, cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste. Et tamquam agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Hinc merito se in exemplum hujus virtutis proposuit dicens: discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Sed & S. Bernardus de eo dixit: Dulcis est Jesus in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, & dulcis in opere. *Barrius in folio Hag. ser. 106.* *1. Petr. 2. v. 23.*

II. De B. Virgine S. Bonaventura scribit: Maria mansuetissima fuit per patientissimam lenitatem: gladius quidem cor ejus pertransiit, sed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit. Hinc S. Bernardus, revolve, inquit, scripturæ seriem, & si quid in Maria asperum repereris, de cætero eam suspectam habeas. Et Ecclesia canit: Virgo singularis, inter omnes mitis. Imo Christus ipse S. Birgittæ revelavit, inter causas, ob quas Mater sua per omnes Angelorum choros exaltata est, fuisse ejus umilitatem. *In speculo c. 3.*

III. De Moyse testatur ipse Deus in Sacra Scriptura, quod fuerit mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc eumdem propter hanc virtutem, Dei apparitione & alloquio dignum effectum, S. Dionysius Areopagita testatur. *Num. 12. v. 3.*

IV. David adeo mansuetus erat, ut hanc potissimum pro motivo ad exaudiendas preces allegaret: Memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus. *Ps. 131. v. 1.*

V. S. Martinum nemo unquam iratum, nemo mœrentem vidit, sed unus idemque semper cælestem quodammodo lætitiam præseferens vultu, extra naturam hominis videbatur. *Sulpicius in vita.*

VI. Florentinus Carduensis Episcopus adeo mansuetus erat, ut de eo S. Paulinus dixerit: Proculdubio per mansuetudinem ovis, & agni innocentiam, pastor esse meruisti. *S. Paulin. in ep. 23.*

VII. De Teophilo Alexandrino dicebat S. Hieronymus: blandiris ut pater, erudis ut magister, instituis ut Pontifex. *S. Hieron. ep. 62.*

Cassiod. l. 3. var. VIII. Theobaldus Rex de se dicebat: Mutavimus cum dignitate propositum, & si antea districte defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.

Ruffinus l. 3. n. 12. IX. Duo Monachi, cum vir quidam sanctus eos explorare volens, baculo omnia olera confregisset, nihil dixerunt, nec tristem vultum ostenderunt, sed cellulam ingressi vespertinas orationes compleverunt, & dixerunt: Si præcipis, Domine, ibimus, ut eum, qui remansit, caulem coquentes gustemus, quia jam hora est ut cibum sumamus.

Jo. an. Ev. gelg. in Dom. 20. post Pent. X. Joanna Portugalliæ Princeps, postquam religionem intravit, in eo corio, quo colus obligatur, inscribi fecit hæc verba: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde.

S. Hieron. epist. 27. ad Eust. XI. S. Paula, si quando procacior fuisset inimicus, & usque ad verborum jurgia prosilisset, illud Psalterii decantabat: Cum consisteret peccator adversum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.

Peirh. in lat. Omn. VS. the. 4. XII. Ladislaus Ungariæ Rex victoria potitus de hoste, dum militem adhuc sævire in victos videret, receptui cecinit, & exclamavit: Parcite, milites, humano sanguini, capite potius fugientem multitudinem, & Dei populum multiplicate.

Vit. PP. & Cassian. XIII. Sanctus quidam Senex exagitatus ab Alexandrinis, cum rogaretur ab illis, quænam miracula Christus fecisset? respondit: hoc maxime, quod ego convitiis & injuriis vestris lacessitus ad indignationem non movear.

Spaur. 29. c. 23. XIV. Otho Magnus Imperator, cum tota prope in ejus perniciem Europa, & inter alios etiam Henricus frater ejus conspirasset, sed plurimis tandem prælus victus, comitantibus aliquot Episcopis ad genua procidens, veniam peteret, respondit: Equidem venia dignus non es, attamen non quid tua mereantur facta, sed quid fratrem, & Regem deceat, spectabo, sicque eundem amplexus, Lotharingiæ primum aliquot civitatibus præfecit, postea vero omnino Ducem Bavariæ creavit.

Raynald. an. 1352. num. 22. Mansi tv. 26. dis. 3. v. 2. XV. In Annalibus Ecclesiasticis in laudem Clementis VI. quia sicut nomine, ita & re clemens fuit, scribitur, quod die quadam strenue contra semetipsum pugnans se vicerit, efficiendo, ut non irascendo injuriantibus, virtus ejus tanto magis elucesceret: priusquam vero factum Annales recenseant, hoc de illo encomium præmittunt: non invenitur contra aliquem, quantumcumque inimicus sibi aut contrarius extiterit, aliquam ultionem exercuisse, aut expetiisse vindictam; id quod magis perspicua ex facti Historia elucescet, quod tale fuit. Dum enim in statu privato degeret, pessimis a certo quodam homine in propria persona affectus fuerat injuriis; postquam vero jam longo tempore ad sublimem Papatus dignitatem evectus fuisset, injuriator credens Clementem nimia arduorum negotiorum mole obrutum, vel injuriarum factarum non posse recordari, vel illum minime agniturum esse, quamdam ei porrexit supplicam, in qua pro semetipso eximium quemdam poscebat favorem. Clemens libellum supplicem magna quidem cum benevolentia, quoad exteriorem apparentiam, in manus proprias acceptavit, veruntamen interius se ad præcedentium injuriarum vindictam per petitionis repulsam sumendam stimulari sensit, & tamen semetipsum gloriose superavit: En tibi ipsissima Historiæ verba: qui licet supplicationem hujusmodi benigne in manu propria recepit, tamen in suo secreto existens, dum eam perlegisset, super vindicta de ipso assumenda per petitionis denegationem, aut alias quodammodo tentatus, ipsam projecit ad terram pedibusque conculcavit; quam demum jam sumit, & serio primo simillime fecit, & ea postremo reassumpta, sibi ipsi loquendo audientibus tamen aliquibus suis circulariis ibi astantibus, dixit: Vade diabole, quia hodie facere non poteris, quod me vindicem de quocumque; & hoc dicto supplicationem prædictam illico, ut petebatur signavit. Hinc non immerito Petrarcha de eo cecinit:

Nulli major inest clementia, nomen ab ipsis
Dignum rebus habet.

XVI. De Sanctæ Lyduvinæ virginis admirabili in tolerandis injuriis lætitia & exultatione, historia vitæ ejus ita loquitur: Venit aliquando ad Lyduvinam, magnæ sanctitatis virginem, mulier quædam tremens & furens, innumeris eam injuriis, contumeliis, & convitiis proscindens, ut posset ejus commovere animum; sed cum hac ratione nihil proficeret, in faciem mitissimæ virginis fœdissime expuit. At vero nec sic eam quidquam promoveri sentiens, clamoribus & maledictis, tanquam vim passa, vicinos concitare cœpit: Sed sancta Virgo in patientia animam possidens, adeo mansit immota, ut mirarentur universi. Maleficium vero beneficio compensare volens, clam ei munusculum transmisit, dicebatque suis: Illis ego debere me fateor, quia viam mandatorum Dei, quorum plenitudo dilectio est, me currere impellunt. *Vita c. 2.*

XVII. S. Comes Elzearius a conjuge sua aliquando interrogatus, qualiter omnes sibi factas injurias, easque plurimas, pacato semper, serenoque animo supportare posset: mox quærenti sapientissime satisfecit, prout ea sequentibus totius rei gestæ verbis colligitur: sedate vultuque placido & jucundo, admirans tam insignem, tamque invictam in illo patientiam, utque eo certius periculum faceret intra conclave ita ait ad eum: Quid hominis es tu Elzeari, qui numquam erga illos, qui te injuria afficiunt, commoveris? videris esse trunci instar, aut statuæ nihil sentientis, & tamen patibilis: Aut fortasse vel nescis, vel non potes irasci? & quid, obsecro, officeret malis (qui interdum injuste te lædunt), si te quandoque illis iratum ostenderes? ad hæc homo lenissimus respondit: Ecquid vero, Dalphina, prodest irasci? nihil profecto: attamen explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noveris, me interdum *Flores ex. si. 22. §. 4.*

len-

sentire aliquam in anima adversus iosestantes me indignationem, sed illico me converto ad meditandas injurias Christo illatas; eumque imitari cupiens, dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbam tibi convellerent, & colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est. Certumque habeas, me numquam cessare ab injuriis Salvatoris mei commemorandis, donec animus meus plane sit tranquillatus; atque hanc fateor me habere a Deo peculiarem gratiam, ut eos, qui mihi injuriosi sunt, vel æque, ut ante, vel plus etiam amem: & pro eis specialiter orem, agnoscamque, & confitear, me majoribus & atrocioribus iojuriis dignum esse.

Jo. Rho. l. 7. c. 8. ex. 9. XVIII. In Pio V. incredibilis fuit lenissimi animi clementia, qui damnatum majestatis reum, quod in eum probrosum vulgasset libellum, ad se jussit adduci, aperuitque interrogando viam, ut parcere posset. Hæc ut certe non in Pontificem Christi Domini Vicarium, sed in fratrem Michaelem Gislerium dixisti. Ita factum esse annuentem, dimitti jussit; monitum, abstineret exinde lingua, ne maledicendi libidine vitæ compendium faceret.

Ib. ex. 6. XIX. De Alberto Bojariæ Duce sic scribit Joannes Rho: Rarum nunc aliquid, (& cui nihil majus, aut par viderit olim, aut certe prodiderit antiquitas, & in quo magnifice se circumspiciant clementia, & mansuetudo) de Alberto narrabimus, novum nimirum pœnæ genus in homines, nobiles illos quidem, sed majestatis compertos, damnatosque, hos conjurationis reos, habitique apud exteros delectus, ut civili bello omnia turbarent, quum ipse absque tumultu in potestatem redegisset, & occidere posset, satis habuit, annulorum gemmas, quibus conjurationis tabulas obsignaverant, super ineudem frangere, illosque simul comperti sceleris, simul suæ mansuetudinis admonere. Ac, ne aliquid de hujus veniæ laude ultrix olim fama vindice apud posteros memoria decerperet, reorum nomina historiæ vetuit inferri, nam vel in ipsa nomina sævire, pars quædam videtur esse crudelitatis.

Ib. ex. 8. XX. Domestica Philippi II. Hispaniarum Regis mansuetudo, cum incredibili gravitate conjuncta, mores illius reddidit admirabiles. Nihil tam præposterum accidebat, ut excandesceret, infra regium fastigium iram etiam arbitratus. Vigilaverat ad multam noctem, litterasque ad Pontificem de gravissimis Christianæ republicæ negotiis dederat, quam absolutam epistolam aulico ab epistolis dedit, ut complicatam, obsignatamque sigillo inscriberet; ille semisomnis epistolam recentem ab atramento pulveraturus, haud satis attentus atramentarium invertit, totamque corrumpit; exanimaverat hominem casus inopinus, cui serena fronte Philippus, huc, inquit, aliam chartam, iterumque scribere orsus epistolam, de integro composuit. Progressurus in publicum leviores ocreas, pro ætatis more, ut indueret, assederat, quum una induta, alia diutissime fuit quærenda, neque tamen unquam administris iratus est, aut asperiori verbo quemquam læsit. Sexcenta hujusmodi narrantur, regiæ argumenta mansuetudinis, quæ tanto Regibus magis esse debet commendata, quanto ira illis gravior, & subita, atque austera verborum, mortis fulminoa plerisque semper fuerunt. Sed clementia nescio quid grandius spirat. Toleti regio egredientem palatio, equo vectum, supplex fœmina, cujus filium quæsitores rerum capitalium damnaverant, interpellare ausa; clementiæ illius fructum cœpit; subsistit enim Philippus, advocatisque judicibus de causa necis cognovit, ac jure damnatum videri adolescentem pronunciavit. Tum ad proceres, qui in equis stipabant, conversus, quandoquidem nemo est, qui vindictam reposcat, ut me interpellasse matri inutile non sit, illi filium dono, jussitque solvi, ac vivere. In sua inauguratione dum quis pertica multitudinem compescere volens, tres crystallinas lampades coofregisset, ita ut oleum in Regis ac Reginæ vestes defluxisset, nihil aliud dixit, quam sereno vultu hæc verba: hinc se augurium capere, quod sub se unctio pacis & abundantia rerum futura esset. *Henr. Engelgrav. in Do. 20. post Pent.*

Jo. Rho. l. 7. c. 8. ex. 12. XXI. Mansuetissimi virum ingenii suisse tradunt Julianum Cæsarinum Cardinalem, cujusmodi utraque & divina, & humana fingere potuit sapientia. Mulam, qua Cardinalis sublimis vehi solebat, a pueri negligentia amissam nuntiaverant familiares. Julianus accitum hominem de ea re interrogat; & ille contumacius, quam Domino decuit, respondebat. Siluit diu Cardinalis, atque ad amicos conversus, vos vero inquit, nolite, quæso, admirari, me arrogantiam, & contumaciam hominis non castigasse; Verebar enim, ne quid iræ jam acrius se incitanti liceret; itaque dandum spatium rationi fuit, ut integrum in administras perturbationes imperium recuperaret, ne, dum alios castigamus, ipsi aberremus.

Sever. Sulpic. in vit. Martini l. 2. c. 4. XXII. Cum S. Martinus Turonensis Episcopus Diœcesea visitaret in rhedam Fiscalem per agerem publicum venientem militibus refertam incidit. Sed ubi Martinum in veste hispida nigro, & pendulo palliolo circumtectum, contigua de latere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta cessserunt. Deinde funibus implicatis, portentosos illos, quibus misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque ægre expediuntur moram fecere properantibus. Qua permoti injuria militantes præcipitatis in terram saltibus se dederunt; deinde Martinum flagris, ac fustibus urgere cœperunt, cum quidem ille mutus, & incredibili mansuetudine terga præbens cædenribus, majorem insaniam infelicibus commoveret, ex hoc magis furentes, quod ille quasi non sentiens verba illata contemneret. Comites illico eum secuti aliqua enim necessitate remorati fuerunt, fœde cruentum, atque universa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuisset, invenerunt: statimque eum asello suo imposuerunt, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire



properaverunt. Interim illi regressi ad rhedam suam furore satiato, agi, quo ire cœperant jumenta præcipiunt. Quæ cum omnia solo fixa ac si ænea fuissent tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde personantibus, nihil penitus movebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera, consumit gallicas mularum pœna magistias, toto rapitur sylva de proximo, trabibus jumenta traduntur, sed nihil penitus sævæ manus agebant, uno eodemque loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines nesciebant, nec jam ultra dissimulare poterant, quin agnoscerent divino Numine se teneri. Tandem ergo in sese reversi cœperunt quærere quis ille esset, quem in eodem loco paululum ante cœdissent. Cum percunctantes cognoscunt ex viantibus, Martinum a se tam crudeliter verberatum; tum vero omnibus apparuit causa manifesta, nec ignorare jam poterant, quin ob viri illius injuriam tenerentur. Igitur omnes, tum rapidis consequuntur passibus conscii audacis facti, ac merito pudore confusi flentes, & pulvere, quo se ipsi fœdaverant, capita, atque ora conspersi, ante Martini se genua provolvunt, veniam precantes, & ut eos abire fineret postulantes; satis se vel conscientia dedisse pœnarum, satisque intellexisse, quod eosdem ipsos vivos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis, quibus steterant jumenta, vidissent. Orare se, atque obsecrare, ut indulgeret sceleri veniam, & copiam præstaret abeundi. Senserat enim priusquam accurrerent, Vir beatus illos teneri, suisque comitibus id ante jam dixerat. Veniam tamen clementer indulsit, eosdemque abire permisit, animalibus restitutis.

In vita ejus apud Sur. to. 5. pag. 797. XVIII. Sanctus Joannes Canonicus Regularis in Anglia, & cœnobii sui Prior, cum a quodam monasterii sui fratre verbis valde contumeliosis diu impetitus nihil moveretur, unus ex astantibus rogaret, cur ejus petulantiam non reprimeret, cum uno verbo illud facere posset: jubens ut ad cubiculum suum redeat, respondit: Si flamma vorax ædificii tecta lambens in sublime feratur, num tu consulto facturum putabis eum, qui plus etiam materiæ injicere in flammam velit. Frater iste ad præsens magno ardet furoris æstu, cui si ego comminationum faculas admovere velim, furor ejus magis magisque inflammabitur. Sed ubi hæc flamma deferbuerit, tum demum ad opportuna remedia animo placato accedemus. Atque, his dictis, nihil commotus abscessit.

Utilitas.

Ib. et 14. XXIV. Bartholomæum Martinium ordinis Minimorum, libere pro concione quondam loquutum Cabræ Marchioni, qui sua vitia, idque suo in oppido ab homine semipagano denotata indignissime ferebat, ad eum irarum plenus cum addisset, omni contumeliarum genere proscidit, addiditque minas peratroces, illud sæpius ingeminans, numquid me nosti? cui Martinius: Ego vero te nosse, mihi perhonorificum esse duco, virum scilicet nobilissimum. Quidni enim, quum ego agricolæ ex pago Marmegio filius sim? ego mortalium plane ultimus, ac deterrimus; totque addit in eam sententiam, ut mollissima responsione refrigeratus homo periracundus, lacrymis obortis iram omnem extingueret, ac sibi plane reditus, domum reverteret.

XXV. Annales Franciscanorum de fratre Junipero tractantes referunt, qualiter hic multis aliquando impetitus contumeliis, vestimentum extenderit dicens: Amice, projicias huc liberaliter, imple gremium istud lapidibus pretiosis, imple, ne timeas. *Wading. an. 1210. n. 15.*

XXVI. S. Liduina virgo, prout in vita ejus legitur, postquam post triginta octo annos continuam, eamque gravissimam tolerasset infirmitatem, tandem Martyrii desiderio exardescens, in ecstasin rapta fuit, ubi coronam inæstimabilis valoris pretiosam vidit, cujus necdum terminatus erat circulus; cum igitur eam sibi in cælis præparari audiret, facileque causam, cur nondum finita esset, intelligeret, a cælesti sponso suo pœnas passionesque sibi inferri petiit, usque dum dictus perficeretur circulus. Sed quas putatis ejusdem fuisse gemmas? Deus post aliquantulum temporis milites ei immisit, & ab illis per injurias, improperia, aliasque similes insolentias male eam tractari permisit; quibus transactis, Angelus solem splendore suo referens ei apparuit, dicens: Salve charissima soror, ecce nunc absoluta corona quam nuper imperfectam vidisti; ludibria & verbera corpori tuo imposita fuere gemmæ, quas in illa corona adhuc vidisti deesse. *Sur. in vit.*

XXVII. Abbas quidam cum Monachum quemdam juxta moram ad civitatem misisset, ut necessariam Monasterio provisionem compararet, in prosc riptum quemdam hominem incidens, zelo quodam, non tamen secundum scientiam immoderato abreptus, eumdem interrogavit dicens: Quo vadis dæmon? & ille respondit: Tu experieris me esse dæmonem, & extracto gradio occidit eum. Abbas vero, a quo prædictus Monachus missus fuerat, eidem latroni obvius factus amicabiliter eumdem salutavit, quem raptorem iterum Abbas inveniens, dixit ei: Salve frater, & ille respondit: non frater tuus, sed frater dæmonum sum, & secutus Abbatem, factus est Monachus. *Dionys. Carthus. op. Monast. dist. 14. a. 1.*

XXVIII. Rusticus quidam citra causam Abbatem Servium inurbane tractarat, qui, cum improperia non modo patienter toleraret, sed & insuper benigne rustico responderet, non modo impium placavit, sed & in tantum convertit, ut ad pedes Abbatis prostratus veniam petierit, monasticumque statum amplexus fuerit. *Ibid.*

XXIX. Quidam e fratribus Monasterii hujus magno furore commotus, procaciter ingressus in aulam, ubi vir mansuetus Joannes nomine cum quibusdam familiariter conferebat, multa in eum convitia contumeliose jactitabat, minis & clamoribus id se effe- *Ibid. n. 4.*

ctu-

ctorum sperans, ut ira promoveretur. At ille feliis expers ne verbum quidem ei respondit. Id cernens quidam, præ cæteris viro Dei familiarior: cur tam (inquit) atrocia hujus hominis dicta perfers, cum verbo uno edicere possis, ut redeat ad cubiculum suum? vide, quas suis verbis rationes prætexit, utque ex latentis nequitiæ fovea tumens superbia, innocentiæ proculcatrix caput exerat suum? quid ita negligis existimationem tuam, honorisque tui injuriam? cur tantæ nequitiæ administrum non reprimis? Ei beatus vir sic respondit: si flamma vorax ædificii tecta lambens, in sublime feratur, num tu consulte facturum putabis eum qui plus etiam materiæ in flammam injicere velit; frater iste ad præsens magno ardet furoris æstu, cui si ego comminationum faculas admovere velim, furor ejus magis, magisque inflammabitur, atque ita fiet, ut in rectam viam facile & amanter revocari non possit, sed ubi hæc flamma deferbuerit, tunc demum ad opportuna remedia animo deliberato accedemus.

Bell. in fest. Om. SS. them. XXX. Alphonsi Arrogonum Regis celeberrimum erat effatum. Malo multos mansuetudine vincere, quam paucos severitate perdere. Id quod in obsidione Cajetæ urbis ostendit: cum enim obsessi ob commeatus inopiam, imbellem turbam emisissent ex urbe, certaque spes potiundæ urbis affulgeret, si illam turbam repelleret in civitatem, maluit tamen obsidionem solvere, quam consilium hoc arripere dicens: Pluris mihi est hominum incolumitas, quam centum Cajetæ. Unde cives tanta mansuetudine commoti ultro urbem dederunt.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Vita l. 5. I. S. Ignatius inter præcipuas laudes habebat mansuetudinem, qui licet perfervidi esset ingenii, usque adeo seipsum subegit, ut domestici & medici eum phlegmaticæ potius, quam cholericæ naturæ esse crederent.

Vit. l. 6. c. 19. II. S. Franciscus Xaverius tam mitis erat ac comis, ut summos æque ac infimos pelliceret, adeoque cunctorum teneret animos, ut eos, quocumque vellet, impelleret, multique sociorum nulla alia de causa illum viserent, quam ut ejus mansuetudine & cælesti conspectu recreati ad beatæ vitæ studium accenderentur. Meaci ad circumfusam multitudinem verba faciens, licet a pueris & fæce plebis lapidibus appeteretur, nullum tamen commoti animi indicium dedit.

L. 4. c. 7. Vita l. 4. c. 7. III. S. Franciscus Borgias in se semper rigidus & severus, in alios blandus & facilis erat, nihil ut sibi ignosceret, aliis omnia. Nihil aspere imperabat, sed blanditiis delinitos sic appellabat: Fac, quæso, illud Dei causa & amore adductus: Anderesne illo, valetudine salva, proficisci? Valesne ut in missionem Evangelicam pergere queas; commodumne tibi erit Doctoris titulum tueri, hujus vel illius artis? in mentem mihi venit, hoc tibi munus imponere, sed animi tui sententiam explorare prius libuit. Si quis humanitus lapsus impegisset in re levi, nihil acerbius eloqui solitus, hoc tantum dicebat: Ignoscat tibi Deus, sic te sanctum videam, frater: quomodo dictum, factum vel illud abs te? sin gravius deliquisset, ad se accersitum blande compellare nihil tamen impunitum relinquere? parentis optimi simul & medici functus officio, crimen itaque referre, petere, ut pœnitentia ductus resipiscat. Paratum se in pœnæ partem, licet culpæ affinis non esset, venire. Sed & illud identidem usurpabat, facilitate nihil esse homini melius atque clementia. Et omnia prius consilio experiri, quam armis, sapientem oportere. Postea vero si mores ingeniumque mutasset in melius, qui deliquerat, summa præteritorum erratorum oblivio erat.

IV. P. Bernardinus Realinus tam mitis erat ingenii, ut omnes hac virtute in sui amorem alliceret. Dum juxta Societatis morem pœnitentia alicui injungenda erat, nusquam magis illius mansuetudo & charitas eminebat, Nescires sane, quis in hoc genere posset esse cordatior, adeo omnes amoris limites hæc tum excedere visa est. *Vit. c. 24.*

V. P. Franciscus Suarez tantæ erat mansuetudinis, & in omni actione ac motu modestiæ ac moderationis, ut tanquam philtro quodam animos sibi adjungeret audientium, hoc illicio humilitatis, quo uno Ludovicum de Ponte Societati conciliavit. Nulla verborum illi inter disputandum acrimonia, nullus aculeus. Nihil, ut falsum, absurdumve, quod contra se afferebatur, condemnabat. *Biblioth. script. Soc.*

VI. Cum P. Joannem Ogibeum mulier quædam maledictis & opprobriis proscinderet, & inter alia obliquitatem oculorum exprobraret, ipseque nihil ab his commotus, blando & sereno vultu diceret: Domina, Deus tibi tam elagantem formam tuam diu conservet incolumem, illa adeo ab hac mansuetudine emollita est, ut publice mox fassa sit, pœnitere se, quod injuriam ei fecerit. *Vita.*

VII. Leo Henricus Novitius ædem aliquando sacram ingressus cum plenam tumultu & immodestia reperisset, cathedram ascendit, superque his verbis: Domus mea domus orationis vocabitur, acriter intonuit. Movit ea res populum; & unum præcipue, qui cum frustra Leoni silentium mandasset, tandem colaphum etiam concionanti infregit; quo Leo accepto, continuo Deo gratias agens, ad pedes percussoris advolvitur, illosque & dextram, qua eum percusserat, ad osculum exposcit. *Hist. Soc. l. 6. n. 94.*

VIII. Joannes Fernandius cum Amanguzii ad populum verba faceret, Japon quidam salivam in os ejus conjecit; qua tamen ille injuria minime commotus, strophiolo salivam abstersit, & hac sua mansuetudine quemdam ad fidem convertit. *Hist. Soc. lib. 11. n. 194.*

IX. P. Paschasius Broettus cum socio Lutetiæ messores transiens, ab iisdem conviciis cum appeteretur, baculo innixus tamdiu perstitit, donec pudore alii & satietate cessarent; tum illo erigens se, suavissimeque illos intuitus, Deus, ait, benigne vobis faciat, filii, ac benedicat, simulque crucis signo facto illis benedixit. Permoti illi hac viri man- *Hist. Soc. p. 1. l. 6. n. 91.*

 sue-

ſuetudine ad genua accedentes, ſe convitiatores, illum Sanctum prædicabant.

Menolog. 9. Febr. X. P. Mutius Vitelleſcus tam rara erat manſuetudine præditus, ut ob eam ab omnibus non modo ſubditis, ſed exteris etiam unice amaretur; nec quiſquam facile ab ejus alloquio diſcederet, quia non abunde ſibi ab eo ſatisfactum fateretur, raramque de ejus manſuetudine & prudentia æſtimationem concepiſſet.

Ann. Ebor. an. 1606. XI. P. Ferdinandus Rebellus vir doctiſſimus, Theologus excellens, Academiæ Eborenſis Cancellarius, librorum editor, licet ſæpe inter diſputandum aſperis verbis gravius pungeretur, nunquam tamen vel licentius reſpondit, vel ullum irati animi ſignum dedit, ſic ut ab Academicis externis alter Job diceretur, & laudaretur.

1 Ribad. in 3 Vita l. 1. c. 2. XII. Romæ Anno 1546. Religioſus quidam eruditus, ex amico inimicus factus invidia ſtimulante, graviter in Ignatium Lojolam exarſit: Qui etiam jactare cœpit, omnes noſtræ Societatis homines, qui in Hiſpania eſſent, a Perpinniano Hiſpalim uſque igni ſe traditurum, idque Ignatio, qui verbis ſuis renunciaret, miſit. Cui Ignatius per eumdem ſcripto ita reſpondit: Tu quidem quotquot noſtri in Hiſpania ſunt cremandos te curaturum dicis; ego vero id dico, & opto, ut & tu charitate flagres, & amici tui, ac neceſſarii, non ſolum qui in Hiſpania ſunt, ſed in univerſo terrarum orbe Spiritus ſancti igne inflammentur, & ardeant: ut perfectionis culmen adepti divinam gloriam augeant magis & illuſtrent. Quod ſi quid contra me, bone Pater, habes, judices Romæ ſunt, Gubernator & Vicarius, qui nunc Summi Pontificis Imperio res noſtras cognoſcunt, ut ſententiam de illis ferant: Ad illos referas quæſo, antequam ſententiam pronuncieut, ut ego, ſi quid debeo, ſolus exolvam, & corpore meo potius ſatisfaciam (quod mihi quidem erit jucundiſſimum) quam alii, qui in Hiſpania ſunt, ſine *1 Ibidem.* culpa, pœnas indebitas pendant. Lutetiæ contubernalem Ignatii quemdam fuiſſe diximus, qui commiſſa ſibi pecunia Ignatium defraudavit, & in eas anguſtias hominem conjecit, ut magno ſtudiorum ſuorum incommodo quotidie mendicare cogeretur. Huic igitur pecuniæ fraudatori, gratiam hunc in modum Ignatius retulit. In Hiſpaniam ille Lutetia decedens, dum opportunam Rhotomagi navigationem expectat, in morbum periculoſum incidit, ſciens autem Ignatium admodum mitem, ac ſingulari charitate præditum, ad eum de ſua adverſa valetudine amice ſcribit, & quaſi beneficio aliquo a ſe affectus eſſet Ignatius, ejus opem auxiliumque poſtulat. Oblatam occaſionem Ignatii charitas avide arripuit, ut libenter, ſe impenderet, & ſuperimpenderetur ipſe pro anima illius, & carbones ignis non vindictæ, ſed divinæ caritatis in caput ejus congereret. Rhotomagum ergo quærendi juvandique hominis cauſa confeſtim ire ſtatuit, & magna ſpiritus alacritate ac robore animi tridui iter nudis pedibus, atque ita jejunus percurrit, ut ne aquam quidem guſtaret. Sed & Lancizius teſtatur his verbis: Sæpenumero ſine juſta cauſa a ſe data variis criminibus Barcinonæ, Compluti, Salmanticæ, Pariſiis, & Romæ laceratus, tranquillo ac humili animo propter Deum toleravit patienter & libenter omnia. Eos, qui impedire volebant, rogabat ſtrenue, ne impedirent, convitiatoribus gratias agebat, & quibus poterat beneficiis eos cumulabat. *Lancin. t. 2. opuſc. ſ. 68.*

XIII. Robertus Bellarminus Cardinalis, non ſuos tantum inter religione fratres agens mitiſſimo ſemper ingenio uſus eſt, quod ego licet in tanta ingeniorum varietate magnum ſit, non tamen adeo mirabile eſſe arbitror, verum etiam jam Dominus familiam omnem manſuetiſſime continuit, & ſi quid a domeſticis peccaretur in obſequio, aut penitus diſſimulavit, aut verbis leniſſimis emendavit. Capuæ hominem muſici organi ſcientem, ſed contumacius agitantem, mira clementia, ipſaque diſſimulatione caſtigatum, quum ab ea cura dejiciendus videretur, conſervavit, alioſque mores exemplo docuit; ne qui tibias illas tam numeroſe inflabat, ipſe abſonis motibus ſacræ republicæ ordinem turbare vellet. *Ribad. l. 7. c. 9. n. 3.*

XIV. Franciſcus Suarius (ut ſupra hoc §. num. 5. jam inſinuatum qq. fuit) quamvis in diſputando vehementiſſimus eſſet, vim tamen ſapientiæ per clamores indecoros, aut (quæ illis adhuc pejus odit) jurgia, & liberius dicta oſtentare, hominis eſſe putabat illiberalis. Itaque ſi concertator aberraret, manſuetiſſime plerumque dicebat, ſe minime libenter regredi, progredi poſſe, ſi videretur. Altius eſt ſapientiæ ingenium, atque majeſtas, quam ut iræ famulitio ſtipari velit. *Id. ib. n. 6.*

§. VIII. EXEMPLA PROFANA.

I. SOcratem ajunt colapho percuſſum nihil amplius dixiſſe, quam moleſtum eſſe, quod neſcirent homines, quando cum galea prodire deberent. *Senec. l. 3. de ira.*

II. Nota eſt diſcipuli illius hiſtoria, qui per integrum triennium nonnullos juſſu Magiſtri ſui ſtipendiis præmiabat, ut eum injuriis aſſidue onerarent, ut per eaſdem in patientia ſe exercere, virtutemque manſuetudinis ſibi comparare poſſet: Poſt hoc vero tempus quando Athenas venicus, a quodam Philoſopho convitiatus, non ſolum inde non conturbatus fuit, ſed gaudeas & ſubridens eaſdem accepit, cauſam hujus ſui gaudii & riſus interrogatus, reſpondit: Tribus ab hinc annis injuriatorem ſtipendio conduxi, nunc vero me illum ſine meo diſpendio repeririſſe magnopere gaudeo; cui Philoſophus: Ingredere in civitatem, quia dignus es. *Manſ diſ. 10. n. 2.*

§. IX. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut Chirurgus cauterium applicaturus membro putido quam leniſſime poteſt id peragit, ut minorem dolorem mente concipiat, aut corpore æger ſentiat; ita cujuſvis diſciplinæ præfectus omnem aculeum deponat, cum creditum ſibi gregem inſtruit. *Beirlinck in feſt. S. Matth. them. 4.*

II.

Aristot. l. 4. Eth. c. 3. II. Sicut debilis stomachi est, cibum duriorem non posse concoquere; ita pusillanimis est, verbum duriusculum non posse sustinere.

Æquitas.

Mansi dis. 21. n. 3. III. Sicut crucem adoramus e ligno formatam, & e vermibus exesam quæ cæteroquin conjiceretur in ignem, ex eo solum motivo, quia patibulum Redemptoris nostri repræsentat, eodem modo, tametsi contumelia nobis ab impio quodam homine ingeratur, cujus cor plenum est veneno odii, rancoris, & invidiæ adversum nos conceptæ, attamen quia Deus idipsum ordinat & dirigit, ut bonum pro malo reddamus (siquidem nec folium moveri potest sine divina ipsius voluntate) ideo contumeliæ gratiam habere debemus, quia scit Deus contumeliam hanc, si velimus, ad animarum nostrarum cooperaturam esse profectum, ac proinde virtuose & æquanimiter a nobis est toleranda, & dissimulanda.

S. Ambr. in Ps. 118. IV. Sicut bonus Medicus maniacum primo monet, deinde etiamsi gravia ab eo patiatur, tamen ille tanquam ægrum, etsi cædatur, sustinet, etsi maledicatur, non relinquit, & quidquid potest Medicinæ adhibere, non denegat, nec tanquam contumacem deserit, sed tanquam bene de se meritum, omni studio sanare contendit, exercens non solum artis peritiam, sed etiam mentis benignitatem. Ita ergo etiam justus, & dum contemnitur a peccatore, non avertitur, & cum læditur, furoris illud putat esse, non improbitatis, magisque vulneri ejus medicinam afferre desiderat, & compatitur, & dolet.

S. Chrys. ho. 53. in Matth. V. Sicut dæmoniaci plerumque nos verberant, nec solum non movemus, verum etiam eos deflemus. Ita igitur, & tu facito, misereat te contumeliantis; magna enim bellua, ira scilicet: & furore pernicioso, scilicet dæmone detinetur: solve ipsum, qui ab hujusmodi dæmone vexatur.

Id. 16. VI. Sicut cum juste quispiam torquetur, si magno animo patitur, injuste cruciari multis videtur: sic, qui cum injuria vexatur, si non perfert, jure puniri putabitur, ac deridebitur, quasi mancipium ab ira distractus, & animi nobilitatem furori subjiciens.

Necessitas.

S. Basil. ho. 8. de ira. VII. Sicut apes, dum aculeum exerunt, mox intereunt; ita qui mansuetudinis virtutem dimittit, summum sibi exitium causat.

S. Chrys. ho. 58. in Gen. VIII. Sicut non potest ignis igne extingui; repugnat enim hoc naturæ; sic nec furor alio furore demulceri potest.

IX. Sicut in cytharis fides rumpuntur, si nimium tendantur; ita subditos frangi & corrumpi pronum est, si nimium exasperentur, aut inclementer tractentur. Quod idem de ramo etiam cecinit Ovidius, dum dixit:

Lib. 2. de art. ama.
Frangitur obsequio curvatus ab arbore ramus.
Frangas, si vires experiere tuas.

Dad aus in loc. com simil u. mansuet. X. Sicut non fit mare tranquillum, nisi cessaverint venti; nec ignis extinguitur, nisi materiam subtraxeris, aut aquam affuderis; ita nec animus erit mitis & quietus, nisi quæ exsuscitant & inflammant, fuerint subtracta, aut mansuetudo assumpta.

Utilitas.

Fabius in Apoph. Roman. XI. Sicut æqui & canes venatici familiaritate ciboque cicurantur potius, quam catenis & verberibus; ita homines humanitate magis ac beneficiis, quam asperitate & crudelitate conciliantur.

Beirlinck in festo S. Matth. them. 4. XII. Sicut nervi in corpore dispersa & separata membra conjungunt; sic etiam diffidentium animos mansuetudo, quæque eam semper comitatur humilitas unit.

XIII. Sicut fulmen molli thoro illapsum vires amittit; ita mansuetudo omnem iræ impetum frangit.

Hugo Card. XIV. Sicut vitra & fictilia vasa commodissime in stramine, vel gossipio, aliave molli materia asservantur; ita animi duriores aut imbecilliores non melius & efficacius, quam per mansuetum agendi modum curantur.

S. Chrys. ho. 58. in Gen. XV. Sicut rogum, cum valde accenditur, aqua injecta extinguit; ita animum camino magis exardescentem, verbum cum mansuetudine prolatum mitigat.

S. Chrys. in Oziam. XVI. Sicut solis jubar, ut primum appare, fugat tenebras; ita mansuetus & benignus sua præsentia res turbulentas componit, quietasque ac tranquillas reddit.

Id. h. 10. 4. XVII. Sicut in aqua telum non figitur; ita si injuriæ in mansuetum incidunt, virtutem exerere non possunt.

Mansi dis. 14. n. 9. XVIII. Sicut in obstinatioribus urbium inexpugnabilium obsidionibus, obsessi integras bombardarum, aliarumque machinarum militarium tempestates ejaculari solent; sed qualiter hæ omnes ab arte & industria militari reprimuntur ac redduntur inutiles? materia iis objicitur mollis v. g. lana, terra, fasces aut similis alia, quæ omnem impetus illius destruit vigorem; sicut enim gladium ictus materiam lædunt duram, & lapides fortissimos rumpunt; ita e contra per materiam teneram ac mollem penitus enervantur; ita quoque in præsenti; nam responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.

Id. disc. 6. n. 1. XIX. Sicut homo cibi avidus & vorax, ex illis saturatur epulis, quæ majoris sunt substantiæ, magisque palato sapiunt; ita Spiritus S. qui Prophetæ hujus calamum direxit, gaudium exprimere volens, quo homo sanctus perfunditur, dum contumeliis afficitur, eandem adducit hominis golosi similitudinem, inquiens: *Saturabitur opprobriis*, id est, ut Carthusianus exponit, plurima sustinebit, & in ipsis, quasi in epulis, lætus erit. Unde Hugo Cardinalis dicit: Saturabitur, id est, gaudebit opprobriis.

Di-

Dignitas.

Senec. l. 1. de Clem. c. 20. XX. Sicut non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt, ſed ille, qui, quod alteri donat, ſibi detrahit; ita clementem & manſuetum vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum, qui cum ſuis ſtimulis agitetur, non proſilit: qui intelligit, magni animi eſſe, injurias in ſumma potentia pati, nec quidquam eſſe glorioſius Principe illæſo.

Lib. 2. de ira c. 2. XXI. Sicut tela a duro reſiliunt, cum dolore cædentis ſolida feriuntur, ita nulla magnum animum injuria ad ſenſum ſui adducit, fragilior eo, quod petit. Quanto pulchrius, nulli velut penetrabilem telo, omnes injurias contumeliaſque reſpuere? Ultio, doloris confeſſus eſt.

Jucunditas.

S. Chryſ. h. 24. ad popul. Antioch. XXII. Sicut mons Olympus extra omnem tempeſtatis injuriam poſitus, puriſſima ſemper aura circumdatus eſt; ita mens homini manſueti, montis verticis ſimilis eſt, auram quidem habenti tenuem, purum vero radium, pura fontium fluenta, multaſque florum amœnitates.

Drex. in Roſſ. p. 2. ſt. 2. §. 2. XXIII. Sicut cum cælum eſt innube, cum ſol ridet, omnia longe jucundiora ſunt, quam cum fœde ruunt ſupernæ tempeſtates; ſic oris manſueti homo, dictis ſuis factiſque omnibus incredibilem aſpirat gratiam, ſola manſuetudinis ſerenitate.

§. IX. MOTIVA.

In Pſ. 36. I. QUia Deo hæc virtus gratiſſima eſt: nam, ut S. Chryſoſtomus teſtatur, Deus non ita diligit homines propter Virginitatem, jejunium, contemptum divitiarum, hilarem eleemoſynarum largitionem, ut propter mites beneque compoſitos mores. Certe Moyſes, ſi S. Dionyſio credimus, ideo Deo erat familiariſſimus, quia mitiſſimus. Ideo Prophetis omnibus dignior, quia & mitior omnibus: nec unquam prius divinam amicitiam læſit, quam a manſuetudine nonnihil defecit.

S. Chryſ. ſ. 24. in usi. m. 3. II. *Quia nulla fere virtus Chriſtianum magis decet atque exornat*: nam S. Chryſoſtomo teſte, in hoc ſervi Dei eos, qui ignorant veritatem, potiſſimum antecellunt, ſi in manſuetudine converſentur. Servus Chriſti magis a morum mititate, quam nomine, quod ei parentes impoſuerunt, vocandus eſt. Et iterum: multæ quidem ſunt virtutes, quæ hominem Chriſtianum decent, maxime autem manſuetudo, quæ Dei imitatores nos facit. Quoniam cum tantas paſſus ſit Chriſtus & blaſphemias & tormenta, & tanta miranda operatus ſit, manſuetudinem tamen declaravit, quia nullum ex his, qui impie agebant, punivit. Hinc Sanctus Chriſtophorus accepto a Sami Præfecto colapho dixit: Repercuſſiſſem, niſi eſſem Chriſtianus.

Reinſine. in feſt. Omn. SS. hom. 30.

Seneca lib. 1. de Clem. c. 3. Id. ep. 95. III. *Quia naturæ maxime conſentanea eſt*: nam cum nulla, ut recte diſcurrit Seneca, ſit humanior, conſtet, neceſſe eſt, non ſolum inter nos, qui hominem ſociale animal communi bono genitum videri volumus, ſed etiam inter illos, qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad ſolam utilitatem ſpectant. Et iterum alibi: Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eodem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Iſte verſus & in pectore, & in ore ſit: Homo ſum, humani nihil a me alienum puto: habeamus in commune, quod nati ſumus.

IV. *Quia optimum ad alios regendos iſtrumentum eſt*: uti natura in apum rege docuit, qui aculeo caret, uti aliqui volunt, aut eo non utitur, ut alii contendunt, Romanus Philoſophus, exemplar hoc, inquit, magnis regibus ineſt. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior animus eſſe debeat, quanto vehementius nocet.

V. *Quia efficaciſſimum eſt medium ad animos amicorum pariter ac inimicorum conciliandos*; nihil enim, ut S. Chryſoſtomus teſtatur, ita conciliat Domino familiares, quam ſi videant illum tranquillum ſe offerre, & manſuetudine jocundum. Hinc & ipſe Chriſtus cum dixiſſet: diſcite, quia mitis ſum, mox addidit: & invenientis requiem animabus veſtris: non propriis tantum, ſed alienis etiam veſtræ curæ aut charitati commendatis. S. Chryſ. Hom. de manſuet.

VI. *Quia ſingularem orationibus noſtris efficaciam conciliat, ad quævis a Deo impetranda*: nam humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio, inquiebat olim Judith. Judith. 9. v. 16.

VII. *Quia non parum etiam conducit ad tentationes carnales ſuperandas*: nam, ut ſapienter Caſſianus advertit, quantum quiſque in lenitate ac patientia cordis profecerit, tantum in puritate corporis proficiet, quantoque longius iracundiæ propulerit paſſionem, tanto tenacius caſtitatem obtinebit; non enim æſtus corporis declinabit, niſi qui motus animi ante compeſcuerit. Caſſian. Collat. 10. c. 8.

VIII. *Quia plurimum promovet temporalium bonorum augmentum*: juxta promiſſum Chriſti: Beati mites, quoniam poſſidebunt terram. In quæ verba S. Ambroſius, merito, ait: poſſidebunt terram, in quibus Deus ipſe requieſcit, ſicut divino per Iſaiam revelavit oraculo dicens: Super quem requieſcam; niſi ſuper humilem & quietum. Matth. 5. v. 4.

IX. *Quia Chriſto ſimilem facit*: cujus manſuetudo per quatuor animalia exprimitur. Agnum, cujus manſuetudo tum maxime patet cum deberet illam excutere, cum ſcilicet ad mortem petitur: Unde Jeremiæ ore ſic loquitur: *Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*. Columbam, quæ felle caret, nec reſiſtit, ſed lapillo aut a milvo impetita, fugam ſibi conſulit. Ut hunc ſpiritum manſuetudinis in Chriſto monſtraret, apparuit illa ſuper caput ejus. Meſſiam illum eſſe, probare vult Matthæus ex illo vaticiniis ante prænunciato: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam*: Super aſinam, inquit S. Chryſoſtomus; non ſuper equam, ſignum belli, & jactantiæ, ſed ſuper animal manſuetum tranquillitatis & pa- Petr. Fe. reg. conſ. 15. n. 8.

cis

cis amicum, & ad aliena onera portanda paratum. Hinc & nonnulli ad Christum pertinere illud vatis Regis arbitrantur: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Sic aliquis Vir sanctus asinum se inter fratres reputavit, ut hac cogitatione ad mansuete cæterorum levanda onera animaret. Vermem denique se esse dixit Christus: *Ego vermis, & non homo*: qui proterenti non resistit, sed se recolligit, & contrahit. O quanta in his omnibus ad imitandum leges!

S. Aug. in ps. 91. X. *Quia est honestior vincendi modus*, ut S. Augustinus his verbis indicavit: quando vindicari vis, sine dubio vincere vis: vide, ne dum vis hominem vincere, ab ira vincaris. Quia læsit, vis & tu lædere? quia nocuit, vis & tu nocere? quomodo vincis malum in malo? non hoc dixit Apostolus? non hoc audisti: ego nolo vinci a malo: audisti? & forsitan respondebis, hoc & ego volo, sed nemo me vincit, dixit enim Apostolus; *vince in bono malum*, hoc est, qui te læsit sua iracundia, tu illum vince tua patientia. Idem quoque Apostoli consilium: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*, S. Anselmus his verbis considerat: contende non malo, sed bonitate. Ipsa est enim vera contentio, vel certamen salubre, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali. Si tu jam non es malus, obsta malo, ut sis bonus. Si displicet tibi malus, noli fieri malus, nam si repercutis, malo vis vincere malum. In sensibus vel motibus animorum ille dicitur vicisse, qui alterum ad suam traxerit partem: si ergo mali vicissitudinem a te receperit ille, te vicit, & passionis similitudine vitio suo subdidit: Si autem per patientiam tuam cessare eum ab ira, vel injuria feceris, tu vicisti, & de peccato ad salutem lucrando proximum, triumphasti. Porro in oculis hominum mundanorum (qui actionum virtuosarum & Christianarum nequaquam sunt competentes judices) ita quidem videtur, quod is, qui inter opprobria patiens est, nec illis refert vicissitudinem, ignavus sit, & honorati nominis sui oblitus; veruntamen alia debet esse Christi fidelium opinio, qui actiones suas per duelli legem minime regulare debent. Etenim qui lædit, superare læsum videtur, inquit D. Chrysostomus, sed perniciosas sibi victorias sternit. Læsus autem si magno animo perfert injuriam, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci, quam vincere, præstantius est; optimus profecto istæ victoriæ modus est.

Did. Nyss. l. 2. pol. c. 1. XII. *Quia summam continet dignitatem*; quam ingeniose indicavit Didacus Nissenus sic discurrens: plurimi interpretes volunt, quod Jacob ad Esau ajebat, *vidisse faciem ejus quasi vultum Dei*, id dixisse, ut quanta fuerit animi magnitudo fratris sui, quanta & generositas pectoris illius, ea occasione declaratum testatumque daret: illud ergo Jacobi: *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*: tale fuit, ac si dixisset: quod in amplexus meos, mi frater cucurristi; quod collum meum tam amanter invasisti; quod me ambabus, ut ajunt, ulnis tam suaviter strinxisti; quod præreptæ benedictionis injuriam oblitus, tam liberaliter omnem noxam mihi condonasti, id tam heroicum opus, tam illustre facinus est, ut mihi de facie Deum magis ignoscentem sceleribus, quam hominem remittentem injurias, referre visus fueris. Nec miror, quod Jacob talia dixerit, dum cogito, quantam vim sibi inferre homo debeat, ut validissimam illam, & vehementissimam vindictæ cupiditatem, quæ suas in penitissimo corde nostro radices, easque profundas habet, coerceamus, & constringamus. Ita sentit S. Joannes Chrysostomus, qui tom. 3. hom. de decem millib. talent. sic habet: in ira nervosiore industria opus est, violentus enim affectus est, & tyrannicus, & subinde abripit non satis vigilantes, & ad barathrum ipsum perditionis assert: videte ergo, an sit vile opus, an potius præclarissimum facinus, vincere seipsum, condonando injurias, & de se ipso tam gloriosum triumphum reportare, remittendo illata incommoda.

XIII. *Quia summa quoque illis necessitas est*, quam Josephus Mansi hoc discursu ostendit: Salvator noster quondam ficui illi maledixit, eo quod fructus in illa quærens, non invenerit, & tamen S. Marcus inquit: *Non enim erat tempus ficorum*: cur igitur hanc arborem igni destinavit? Origines in sensu mystico respondet: per hanc arborem denotari animam, quæ fructificare debet etiam eo tempore, quod sibi videtur esse intempestivum seu inopportunum; per fructus autem illos agnoscit, de quibus S. Paulus ait: *Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, patientia, mansuetudo &c.* horum fructuum perferendorum fertilis esse debet anima quælibet fidelis, quando minus opportunum est tempus, id est, tunc vel maxime mites & benigni esse debemus, quando vel maxime injuriis oneramur, & indigni habemur, tunc fructus profert ficus in tempore non suo. Sanctus & Saraphicus D. Franciscus dicere solebat, invidere se terræ, quæ, quanto magis ligonibus & aratris proscinditur, tanto magis ad proscindentium commodum fructibus rependit injuriam, & quanto pluribus conspurcatur sordibus, & immunditiebus, tanto abundantiores & sapidiores parturit herbas & fructus; quanto etiam profundius ejus viscera excavantur, tanto pratiosiores ad nos locupletandos aperit argenti & auri mineras. *Mans. c. 1. n.*

§. IX. MEDIA.

I. *Exemplum Christi assiduo ob oculos habere*: quid enim est, inquit Sanctus Gregorius, Dominum mitem se in magisterio atque humilem dicere, nisi relictis exercendæ elationis difficultatibus, plana quædam bene vivendi itinera demonstrare? Idem medium suasit S. Basilius, dum dixit: si stultus & indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ a Judæis in veram sapientiam jactata sunt. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, ut ad ejus imaginationem pervenias. Talia & horum similia tibi succurrant, mentisque tuæ impetum & iram *S. Greg. l. 20. mor. in c. 30. Job. S. Basil. Hom. de ira.*

iram compescant. Similes namque præparationes & animi dispositiones, motus cordis & impulsus facile delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent. Certe si quis Redemptorem nostrum injuriis & improperiis impinguatum fuisse diceret, ut tanto acceptior ejus victima in passionis suæ holocausto fieret, ad æternum Patrem suum placandum, nihil utique a veritate alienum dicturus esset. Quia Sanctus Ambrosius textum illum S. Lucæ, *Occidisti illi vitulum saginatum*, de Christo interpretatur, inquiens: memorare, quia pro te Christus occisus est, qui ante fuit vitulus saginatus, injuriis videlicet, & opprobriis.

Mansi disc. 6. c.

S. Bern. c. 27. de int. dom.

Quod confirmat S. Bernardus, cum sic, inquit, amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, ut negligens & immemor sui, nonnisi Jesum Christum, & ea, quæ sunt Jesu Christi sentiat, tunc demum, ut arbitror, perfecta in eo est charitas. Iste non sentit injurias, ridet opprobia, contemnit damna.

S. Ambr. l. 2. de fid. c. ult.

Sed & Sanctus Ambrosius adstipulans, injurias passus est (Christus) ne tu injuriam tuam doleres: grande remedium, solatium habere de Christo, ille enim pro nobis hæc patientius tulit, & sumus, qui patienter hæc pro illius nomine ferre nequeamus?

1. Petr. 2. 23.

Is. 53. 7.

Unde præclare Petrus de Domino Jesu in epistola sua posuit, qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Ad ejus ergo similitudinem atque imaginem, justus cupiens suæ vitæ institutum formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat lacessitus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut agnus ad victimam ductus sic non aperuit os suum, & cum possit habere quod deferat, magis vult silere, quam dicere.

S. Chrys. hom. 3. de David & Saul.

II. *Exempla Sanctorum animo objicere*: nam ut hi (inquit S. Chrysostomus) qui laborant oculis, colorem aliquem suavem frequenter intuendo, nonnullorum morbi capiunt levamen; sic is, qui hominum mansuetorum imaginem præ oculis habet, si in ea assidue defigat oculos; etiamsi millies obtundat ira mentis oculum perturbans, perfectam sanitatem, puramque Philosophiam ac tranquillitatem animi assequetur.

S. Aug. ap. Mansi disc. 7. n. 4.

Idem medium suasit S. Augustinus sic loquens: tot viri, tot mulieres, clerici, pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flammas & ignes, & bestias æquanimiter pertulerunt, & nos stultorum hominum convicia dicimus tolerare non posse, quæ nobis malorum hominum nequitia inferuntur? si possumus, etiam usque ad mortem illorum, nostras injurias vindicamus; unde nescio qua fronte, vel qua conscientia eum omnibus sanctis in æterna beatitudine partem habere desideramus, quorum exempla sequi in rebus minimis non acquiescimus.

S. Greg. l. 3. mor. c. 31.

S. Bern. s. 1. in ps. Qui habitat.

III. *Propriorum vitiorum & defectuum & peccatorum copiam considerare*; nam considerata infirmitas propria, mala nobis excusat aliena, teste S. Gregorio. Sed & S. Bernardus confirmat, dicens: ex consideratione iniquitatis propriæ, & ex dolore, qui ob culpam in Deum commissam concipitur, oritur non solum mansuetudo, cui draconi flatus non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat.

S. Thom. Vill. ser. in fer. 6. Cin.

Quod medium etiam S. Thomas Villan. suasit, dicens: consideratio valde utilis est ad hoc, inquit: ut consideres, quia licet æmulus tuus injuste te persequatur tamen tu juste pateris propter peccata tua. Quid hominem aspicis? attende divinam Justitiam, cujus est minister ille: non hunc læsisti; sed Deum maxime offendisti. Quis est, qui ad patibulum ob scelera sua juste condemnatus, odio prosequatur lictores & carnificem, qui eum conducunt ad mortem? quot nos per tot peccata mortalia Deo intulimus injurias? igitur Deus per suam justitiam juste disponit, ut illatas ei injurias per injurias a proximis nostris nobis factas libenterque toleratas diluamus: his enim Deus utitur, veluti justissimis furoris sui ministris; cur igitur iram tuam in illos convertis? Attende divinam justitiam; respice demerita tua, quoties enim tu aliis fecisti injurias? quoties contumeliatus es alios? considerandum est insuper, Deum ita disposuisse, ut injurias patienter & pro ejus amore tolerando, immenso satisfaceres debito, quod per tot injurias Deo irrogatas apud eumdem contraxisti. S. Bernard. proinde ait: dum pensamus, quales contra alios fuimus, esse contra nos tales alios minus dolemus, quia aliena justitia in nobis vendicat, quod in se nostra conscientia accusat; & sic indulgere, efficitur delectabile. Quin & cogitatio, quod Deus vilipendia & probra in nostram ordinavit utilitatem, in divinæ justitiæ suæ satisfactionem, in voluntatis suæ adimpletionem, motiva nobis potentissima suggerit, ut opprobria non modo non sentiamus, sed & insuper avide illa optemus, illique obviemus. Hinc D. Chrysostomus ad ictus hujusmodi perferendos ita nos animat. Quod si arduum sit negotium & operosum, cogita, quod ob Deum talia pateris, & plenam percipies consolationem: animamque subterfugientem, reformidantem, erubescentem, pudentem exacue, eique continuo ista accine: quid cessas? quid subterfugis? quid detrectas? non de pecunia, non de illis rebus momentaneis, sed de nostra ipsorum salute agitur. Deus ista facienda præcepit. Deus namque, qui hostium nostrorum perversitate, injuriisque ad nostram utitur salutem, idem quoque ille nobis præcipit, ut injurias remittamus, earumque immemores, bonum pro malo reddamus, adimplentes illud: maledicimur, & benedicimus.

S. Greg. l. 10 mor. c. 9.

Quæ omnia confirmans S. Gregorius, leve, inquit, est, quod injuria percutimur, dum in actione nostra conspicimus, quia pejus est, quod meremur, sicque fiet, ut contumeliis gratia magis, quam ira debeatur, quarum interventu, Deo judice, pœna gravior declinari posse confiditur.

S. Greg. l. 5. mor. c. 31.

IV. *Præcogitatione injuriarum mentem suam munire*: qui enim improvidus ab adversitate de-

deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat: qui vero mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam valentem accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace pœnitentiæ munitus, & quidquid acciderit, providus superet; & quidquid accesserit, lucrum putet.

Cron-mantius. l. 1. de esto beat.

V. *Causam iræ & impatientiæ tollere:* nam sicut ignis non extinguitur, quamdiu materia incendii non tollitur; ita nec animus erit mitis & quietus, quamdiu causæ iracundiæ in mente persliterint.

Drex. in rosis p. 1. c. 2. 3. 4.

VI. *injuriam factam joco eludere*: ita enim jam olim majores nostri suaserunt, dicentes: cum ureris, aut tace, aut jocare. Idem Seneca suasit, dum dixit: alia differenda sunt, alia deridenda, alia donanda. Circumscribenda multis modis ira est. Pleraque in lusum jocumque vertenda sunt.

Sen. l. 3. de ira c. 24.

VII. *Contemnere injurias*; nam, ut bene advertit Seneca, contumelia a contemptu dicta est, quia nemo, nisi quem contempsit, tali injuria notat, nemo majorem melioremque contemnit, etiamsi facit aliquid, quod contemnentes solent. Nam & pueri os parentum feriunt, & crines matris turbavit, laceravitque infans, & sputo aspersit, aut nudavit in conspectu suorum tegenda, & verbis obscœnioribus non pepercit, & nihil horum contumeliam dicimus; quare? quia qui fecit, contemnere non potest.

S. Thom. Vil. in 3. 4. Cin.

VIII. *Vindictam in alios hostes licite convertere:* uti S. Thomas Villan. suasit dicens: ego tibi veros inimicos ostendam quos oderis, quos destruas, dæmones, peccata tua, & vitia; hæc sunt, quæ te perdunt, quæ te destruunt, quæ tibi gehennam parant, contra hos inimicos ora, ut destruat Deus, & tu, quantum vales, destrue illos. Sed & caro ista, quam tu tantum diligis, & foves, in qua nutrienda vitam perdis, maximus inimicus tuus est: hanc castiga, subjice, doma; quid fratrem & proximum tuum odis, & persequeris? O stulte, non est ille inimicus, sed proximus; non te persequitur, homo, quem fecit Deus, sed malitia quam fecit homo. Illa est inimicus tuus, illam oderis, illam persequaris, illam destruito. Tolle malitiam a fratre, non te persequetur, non tibi malefaciet; fac ergo, ut destruas illam.

S. Chrys. ho. 11. in 1. Thess.

IX. *Silere*, uti S. Chrysostomus hortatur, dicens: non vides in ædibus, quando ex adverso, & directe steterint duæ januæ; sitque ventus vehemens, si alteram clauseris, nihil obest ventus, sed magna pars ejus iterum præscinditur; nunc quoque duæ sunt januæ, os tuum, & os ejus, qui te contumeliis afficit, & convitus; si tuam clauseris, extinguis totum spiritum; sin autem aperueris, non potest cohiberi. De hac quoque similitudine prius his verbis dixerat: Os est ostium, claude & obsera, ut & lucem præbeat, & externam repellat irruptionem, ut exempli causa, si te contumelia affecit, os claude; nam si aperueris, ventum excitas, & ventilas.

Mans. d. 33. n. 6.

Idem medium alius quidam vir sapiens suasit. Cum enim mulier quædam apud virum quemdam sapientem & discretum de marito suo conquereretur, quod quasi semper ebrius quotidie cum ipsa contenderet, injuriis illam onerando, quas illa reciprocis injuriis rependens, pacem domus turbabat; vir autem ille huic mulieri de remedio providere volens, ne deinceps major in domo ejus accenderetur ignis, nec ipsa ad reciproca improperia prorumperet, aquam e vicino fonte haustam illam sumere jussit, eamdemque marito domum redeunte, in toto tempore, quo vir ejus injurias evomebat, clauso ore retinere; quod consilium ipsa prompte executa, virtutemque aquæ admirata fuit, utpote cui hanc attribuebat virtutem, quod iram ejus compescuisset, ne referret injurias, non se reflectens, quod easdem per taciturnitatem & silentium superasset: cui historiæ optime & apposite quadrat dictum illud sapientis: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum*; si enim mulier illa aquam expuisset ad reddenda improperia pro improperiis, irreconciliabiles excitasset contentiones, majorisque iræ & furoris ignem in ambobus accendisset. Unde D. Gregorius Magnus ait: aqua dimittitur, cum linguæ fluxus effunditur.

Idem d. 1. n. 6.

X. *Astra cæli imitari:* nam, ut Mansi recte advertit, homo virtuosus a luminaribus cælestibus exemplum capere debet, & ad hoc formari, ut bonum pro malo reddat, neque a benefaciendo se criminantibus desistat. Quædam de luna mentiuntur homines, subdit S. Augustinus, quando vident obscurari; non curat tamen ista verba hominum, quæ in cælo est; sed quid est in cælo in firmamento cæli est. Cujus ergo cor in firmamento Dei est, ita non curat.

Ib. n. 2.

XI. *Injuriantem ut amicum intueri*; uti idem Author suasit, dicens: observandum est nomen, quo Spiritus Sanctus illos appellavit, qui patientissimum Jobum falsis imposturis & calumniis onerarunt: dicit enim sacer Textus: *Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, Sophar Naamathites.* At vero cur calumniatores illi, amici appellantur, cum potius partes inimici sustinuerint? nimirum cum de viro virtuoso & patiente agitur, is talis neminem reputat inimicum, sed omnes indifferenter amicorum loco habet, & amat. Unde S. Gregorius ait: nec mirum, quod qui adversantium formam exprimunt, nominentur amici, cum ipsi quoque traditori dicatur: amice, ad quid venisti? sic exemplo suo docuit, de quo in vitis Patrum legitur, quem, quanto plus aliquis injuriabatur, aut deridebat, tanto plus ille gaudebat, dicens: isti sunt, qui nobis occasionem præbent ad profectum nostrum; qui autem beatificant nos, non conturbant animas nostras.

Vit. PP. l. 3. n. 8.

XII. *Utilitatem mansuetudinis perpendere*; quam

S. Ber-

S. Bern. ep. 210. ad Eug.

S. Bernardus ad oculos posuit, dicens: Ego plagis conscientiæ meæ, nullum judico accomodatius medicamentum, probris, & contumeliis: non est proinde, quod commovear, homuncio sum omni opprobrio dignus & despectione.

Seneca l. 3. de ira c. 26.

XIII. *Lædentem, ut phreneticum considerare:* nam quare fers ægri rabiem; inquit Seneca, & phrenetici verba? Puerorum protervas manus? nempe quia videntur nescire, quid faciant.

S. Chrys. h. 110. in Matth.

Cui assentiens S. Chrysostomus, cogita, inquit, quia non est in se, qui vituperat, sed insanit, & non moleste feres insanias illius.

§. XI. ASCETICA.

I. TRia præcipue de hac virtute ab Asceta bene discenda, aliisque inculcanda sunt. Primum est, ut naturam atque perfectionem illius bene cognoscat. De natura itaque sciat, mansuetudinem non in eo consistere, ut nunquam quis irascatur, sed, ut quemadmodum SS. PP. advertunt, sciat, pro quibus, & quibus, quando, & quo modo irascatur. *Neque enim ferire*, inquit S. Chrys. *absolute atrocitatis est, nec parcere mansuetudinis, sed mitis ille est, qui ferre potest, quæ in seipsum peccata sunt; qui aliis factam injuriam propulsat. Qui autem id non facit, est deses, & somnolentus, & nihilo melius mortuo affectus, non autem mansuetus.* Quare opera danda est, inquit Granatensis, ut illud nobis ante oculos Domini statuamus: Dulcis & rectus Dominus: sicque mansuetudinem justitiæ, & rectitudinem dulcedini jungamus, ut neque rectitudo sit aspera, neque dulcedo remissa.

S. Chrys. h. 32. in Ep. ad ... ; In Silva loc. com. f. 576.

S. Climac. cap. 8. de mansuet.

II. Porro perfectionem hujus virtutis quod attinet, recte hanc S. Climacus explicasse videtur sequentibus verbis: *Initium beatæ tolerantiæ (ac mansuetudinis) est in amaritudine & dolore animæ ignominias suscipere; medium vero eat sine mœrore tolerare: finis autem & consummatio, summam illis laudem tribuere. Vide ego*, inquit ulterius idem Author, *tres viros Religiosos, & ex quibus unus mordebatur quidem injuriis, & perturbabatur, sed tamen in silentio premebat iracundiam. Alius vero gaudebat quidem ex luctu suo, sed ejus, qui se maledictis insectatus fuerat, peccato angebatur. Tertius vero proximi tantum damna secum volvens, vim ardentium lacrymarum profundebat. Eratque suave spectaculum timoris; & mercedis, & charitatis operarios aspicere.*

Hom. 70. in Joan.

III. Alterum est, ut sciat, aptum & efficax medium, ad prædictam perfectionem hujus virtutis obtinendam, quale quidem sapienter S. Chrysostomus assignavit, dum dixit: *Hoc pacto Christi erimus discipuli, si mansueti fuerimus, & mitis ingenii. Unde autem tales fiemus? Si nostra frequenter peccata reputabimus, si lugebimus, si flebimus. Neque enim anima tanti doloris particeps irritari atque irasci patitur. Ubi fletus, ira esse non potest; ubi dolor & contritio, longe abest omnis irritatio. Mens enim dolore perculsa non studet elationi, sed amare ingemiscit.*

IV. Tertium est, ut, cum potissima mansuetudinis exercendæ occasio in regendis & corrigendis aliis reperiatur, ante omnia sciat Asceta, quomodo sua vita cum gubernatione aut correptione aliorum conjungi debeat. Quia quidem in re pro primo principio ponenda est illa S. Laurentii Justiniani sententia: *Frater, mandante Domino, corripiatur blande ac dulciter; nam mollibus potius, quam duris sermonibus compungitur animus delinquentis.* Deinde vero bene cognoscere studeat, in quo asperitas gubernationis aut correctionis consistat; ubi præ reliquis facem præfert P. Claudius Aquaviva Societatis Jesu Generalis, dum sic loquitur: Asper & gravis Superior, cum nimium credulus primis quibusque delationibus tenaciter adhæret, nec ab eis se abduci patitur. Asper est, cum quasi omnes transgressiones æquales sint, easdem minoribus, quas majoribus pœnas decernit. Asper est, cum iis quæ sola munitione corrigi possunt, acriora adhibet medicamenta. Asper est etiam, cum loci & temporis momenta, & opportunitatem expectare nescit: cum errata, quæ secreta correctione emendanda fuerant, ita palam facit, ut subditum confundat: cum in corrigendo iracundia magis agi, quam zelo & charitate duci se ostendit, verbis ac gestibus incompositi, ac perturbati animi signa exhibens: quæ non modo nihil conferunt ad consequendum, quod sibi proposuit, sed etiam maxime nocent. Nam cum duo sint, quæ in subditorum animis, cum castigantur, plurimum valere solent, alterum reverentiæ, qua erga superiorem afficiuntur, ex opinione de illius virtute ac probitate concepta; hæc sane opinio debilitetur necesse est, cum illum vident hominem esse similem aliis, non minus, quam alios, ad passionem impetus expositum: alterum persuasio, qua se diligi credit; hanc certe minui necesse est cum quis viderit, superiorem neque paterne, neque amanter secum agere. Asper denique est, cum omnino non ostendit ex charitate se moveri, & desiderio perfectionis filiorum, cum reprehensionis austeritatem non temperat dulcedine spei, quam de illorum emendatione atque profecto præseferat. Hactenus Claudius, quibus addi possunt alia quæpiam indicia, quæ in industriarum libello consignavit: nempe 1. Si res ipsa, quæ injungitur, gravis sit, & importabilis saltem respectu virium illius, cui injungitur: Si verbis asperioribus, modoque dispotico injungatur: Si urgeatur executio eo tempore, quo subditus non est probe dispositus, nec detur tempus & auxilia, ut se disponat: si tam gravia, quam levia eodem ardore exigantur: si omnes subditi rationes & excusationes, primo statim aspectu tanquam tentationes, eo benigne non audito, rejiciantur: si se suspiciosum ostendat superior, & ita affectum erga aliquem, ut putet subditus, nulla in re se illi posse satisfacere: si malam de subdito opinionem præseferat, & omnia in deteriorem partem interpretetur: si in rebus injungendis non tanquam rationalem & volentem filium, sed tanquam inanime instrumentum movere videatur: si ita loquatur aut jubeat aliquid, ut æquivoce & obscure dicat quid velit, quasi studio nolit intelligi, quo semper liberum ei sit, subditum arguere: si neget fere,

S. Laur. Justin. de perf. mon. conv. c. 4. coll.

Claudius Aquav. in ep. 1. ad Super. fol. 107.

Ind. c. 2. n. 2.

re, quæ petuntur: est enim habenda ratio ei, quæ petitur, ejus, qui petit: ædificationis externorum & nostrorum: denique ejus, qui petit, utilitatis. Deoique huc etiam pertinet doctrina a S. Isidoro Pelusiota tradita, dum ait: *Quemadmodum periti medici in morborum initiis remedia haud temere adhibent, verum aliquantisper expectant, dum morbus de acrimonia nonnihil remittat, ac tum demum ad medendum se conferunt; eodem modo nec vigente mœrore, eum, qui præ ipsius magnitudine velut temulentia quadam laborat, objurgare convenit (nam alioqui sermonem non secus ac collyrium, inutilem imprudentes reddemus) verum postea, quam ad tempus mœroris foctos nos præbuerimus atque hujusmodi affectum nonnihil sedari sciverimus, ita demum ad curationem proficisci.* S. Isidor. l. 2. ep. 278.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matt. 11. v. 29. I. EX occasione sententiæ: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: ostendi potest. 1. Quam præclarus magister Christus fuerit hac in arte, afferendo potiores quosdam mansuetudinis actus ab illo exercitos; quem in finem legi potest Franciscus Arrias de imit. Christi tom. 2. tr. 5. cap. 2. 3. 4. 10. 2. Quale præmium sperare possimus, si hanc virtutem perfecte addiscamus, nimirum duplicem requiem, temporalem in vera animi pace & quiete consistentem, & æternam, quæ tanto utique major erit, quanto major difficultas in exercitio hujus virtutis per subjugationem iræ superanda est.

II. Ex occasione sententiæ: *Beati mites, quoniam possidebunt terram*: declarari potest præmium mansuetudinis secundum quadruplicem acceptionem terræ. Et 1. quidem ostendi, Matth. 5. v. 4. quomodo possideant terram hanc materialem, ut S. Chrysostomus hunc locum interpretatur, quatenus scilicet plerumque bona sua stabilius & majori tranquillitate possident, quam immites, qui multoties animam suam & hæreditatem paternam contentionibus amittunt; & quatenus homini mansuetudo totus mundus patria est, totque locis habet fundum, quot locis reperit amantes Evangelicæ mansuetudinis. 2. Ostendi potest, quomodo terram *corporis* sui, quod SS. Bernardus & Hieronymus nomine terræ intelligunt, possideat, dum nempe anima hominis mansueti super carnis motus regnat, & membris omnibus per mansuetudinem imperat, ut adeo, teste S. Hieronymo, prima eorum hæreditas sit, in carne non carnaliter vivere. 3. Ostendi potest, quomodo terram *animæ* suæ possideat (quo sensu videtur terram Christus in citato themate accepisse) quatenus scilicet pacem & perfectam cum aliis concordiam acquirit. 4. Ostendi potest, quomodo terram cælestem (ut alii interpretantur) possideat mansuetus, quatenus scilicet per tam insignem sui suarumque passionum victoriam, ac tolerantiam injuriarum, singulare apud Deum in altera vita præmium promeretur. De quibus omnibus videri possunt interpretes in hunc locum, maxime Cornelius a Lapide.

III. Ex occasione sententiæ S. Pauli: *Obsecro vos ego vinctus in Domino, ut ambuletis digne vocatione vestra, cum omni humilitate & mansuetudine*: ostendi potest, quantopere deceat mansuetudo Christianum quemvis. Eph. 4. v. 1. 1. Quatenus *homo* est, atque adeo animal sociabile, ad quam societatem conservandam specialiter necessaria est mansuetudo. 2. Quatenus *Christianus* est, atque adeo debet conformari moribus Christi, iis præcipue, in quibus ipse se in magistrum & exemplum proposuit, quales sunt Humilitas & Mansuetudo. 3. Quatenus *Catholicus* est, seu verum Ecclesiæ membrum; ut sic enim sicut habet certiorem spem æternæ beatitudinis ob vocationem suam ad veram fidem, ita studere quoque debet, ut, quemadmodum S. Paulus in textu cit. hortatur, digne ambulet vocatione sua cum omni humilitate & mansuetudine, ne alioqui, si iratum se, & immansuetum verbis aut factis ostendat, audire cogatur illud a Tobia Seniore olim dictum: nolite ita loqui (& agere) quoniam Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam (per impatientiam & immansuetudinem) numquam mutant ab eo. Tob. 2. v. 17. Quæ omnia fusius rationibus & exemplis confirmari possunt.

IV. Ex occasione ejusdem aut alterius similis thematis, afferri possunt triplicis generis exempla, ad persuadendam mansuetudinem, dicique 1. Recte SS. Patres sensisse, nullam esse virtutem, quæ homini adeo connaturalis sit, ac mansuetudo, merito proinde sicut Christus ad eam a se discendam specialiter invitavit, ita Concionatores quoque ad eamdem exercendam frequenter excitare: cum autem longum iter sit per verba, breve & efficax per exempla, se hoc medio potissimum usurum, atque adeo triplicium exemplorum propositione, velut triplici funiculo, auditores in amorem hujus virtutis pertracturum. 2. Itaque incipiat exempla proponere, nimirum primo exemplum Christi, tam secundum Deitatem, quam humanitatem. Dei exempla hominum, tam Sanctorum, quam profanorum. Denique exempla brutorum, qualia passim citantur ab Authoribus, maxime a P. Drexelio in Rosis p. 1. c. 2. §. 2. Concludatur concio ardenti Epilogo, & cum affectu illud S. Aug. dictum repetatur: potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

V. Ex occasione sententiæ: *Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris*: ostendi potest, quod mansuetudo omnibus quidem statibus conveniat, sed tribus præcipue. Eccl. 3. v. 19. 1. *Clericis & Religiosis*, utpote quorum potissimum officium est, Deum laudare & orare, atque adeo mansuetudo vel maxime ab illis requiritur, ut puras, & a nullo sanguine commaculatas manus ad Deum erigant: nam mansuetorum ipsi semper placuit deprecatio. 2. *Superioribus & patribus familias*, quorum officium est regere & corrigere alios, ut suavitatem cum severitate, rigorem cum mansuetudine misceant, temperentque eo fere modo, quo in §. priore ostensum est. 3. *Habitantibus in eadem domo vel civitate*, quia nisi hi

hi unanimes & manſueti ſint, nunquam pacifice & feliciter convivent: id quod olim Abbas Anub fratribus ſuis ſimul cohabitantibus oſtendit, dum aliquot diebus idolum ſaxeum mane lapidavit, noctu vero iterum veniam rogavit, cauſamque facti rogatus, reſpondit, niſi, ut ſtatua iſta, ad injurias & offenſiones immobiles, atque ad veniam concedendam faciles, aut ab omni appetitu vindictæ alieni ſimus, nunquam pacifice cohabitare poterimus.

Pſ. 88. v. 21. VI. Ex occaſione thematis: *Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum:* dici poteſt varias eſſe explicationes, quid per hoc oleum intelligatur; optimam videri, quæ dicit, manſuetudinem per id ſignificari, de qua ipſe David dixit: Memento, Domine, David, & omnis manſuetudinis ejus. Oſtendatur proin, quam recte manſuetudo oleo comparetur. 1. Quia ſicut oleum condit cibos, ita manſuetudo actiones hominis gratas facit: Hinc Salomon dixit: Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. 2. Quia ſicut oleo unguntur Athletæ, & roborantur contra adverſarios; ita manſuetudo reddit invictos contra hoſtes, quemadmodum David exemplo ſuo oſtendit. 3. Quia ſicut oleum mire conducit ad alligenda & curanda vulnera; ita manſuetudine nihil eſt aptius ad peccatorum correctionem, uti dum Samaritanus Chriſtum præfigurans, tum ipſe Chriſtus, tum vero etiam David facto ipſo abunde comprobarunt. Excitentur ergo auditores, ut & ipſi cor ſuum velut lenticulam oleo hoc tam pretioſo impleant, & ad ſimiles effectus utantur.

Cant. 7. v. 8. VII. Ex occaſione ſententiæ: *Aſcendam ad palmam, & apprehendam fructus ejus:* poteſt manſuetudo palmæ huic comparari, utpote quæ ut palma per injurias ſe flecti & ſupprimi non patitur, ſed ſemper generoſe vincit. Deinde poſſunt multiplices ejus fructus explicari, ſed tres præcipue. 1. Fructus *honoris*, (Matth. 5. v. 4.) quem conciliat manſuetudo, innuitque Siracides illis verbis: Et ſuper hominum gloriam diligeris. 2. Fructus *benedictionis* tam in temporalibus, quam æternis bonis, quem Chriſtus (Matt. 11. v. 29.) illis verbis: Beati mites, quoniam poſſidebunt terram, indicavit. 3. Fructus *lætitiæ*, quæ ob pacem & concordiam cum omnibus ſervatam percipitur, quem iterum Chriſtus illis verbis: & invenietis requiem animabus veſtris, ſignificavit; ut S. David, dum dixit: Manſueti (Pſ. 36. v. 11.) hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

VIII. Poſſunt auditores ad ſcholam Chriſti invitari, & oſtendi, quas regulas debeant addiſcere, & obſervare, ut ſcientiam ab ipſo docendam, ſcilicet manſuetudinem acquirant, nimirum ſequentes. 1. Obmutui, & non (Pſ. 38. v. 2.) aperui os meum, cum conſiſteret peccator adverſum me. Id quod ipſe Chriſtus exemplo ſuo docuit, dum conſiſtens coram Pilato, accuſantibus eum Judæis, tacuit. 2. Non eſt (Joan. 15. v. 18.) ſervus major Domino ſuo: ſi mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. 3. Stude patiens eſſe in tolerando alio- (Th. Kem. l. 1. c. 16.) rum defectus, quia & tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. 4. Nemo læditur, niſi a ſeipſo, & ab apprehenſione ſua; nam, (Euch. c. 10.) ut ſapienter advertit Epictetus: Homines perturbantur non rebus, ſed iis, quas de rebus habent opinionibus. Neque enim mors v. g. malum eſt, alioqui enim & Socrati ita viſum eſſet, ſed opinio de morte, quæ malam eam facit. Cum igitur impedimur, aut diſtrahimur, non alios culpemus, ſed nos ipſos, hoc eſt, opiniones noſtras. Quæ omnia fuſius ſupra §. 10. explicata videri poſſunt.

§. XIII. ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

I. INter alia veræ perfectionis documenta, quæ Arnolphus Abbas Monachis ſuis tradidit, hoc fuit: Nos qui ſeptem fratres ſumus, ſi vultis ut maneamus ſimul, efficiamur ſicut ſtatua hæc, quæ contumeliis affecta non turbabitur. (In vit. PP. l. 5. c. 15. n. 11.)

II. Silex quantumcumque durus, ſi fornaci imponatur, in calcem albam & candidam transmutatur, quæ quanto magis madefit, tanto magis bullit, & igneſcit, quantoque magis extinguitur, tanto amplius accenditur. Unde S. Auguſtinus inquit: Jam vero quam mirum eſt quod cum extinguitur, tunc accenditur? ecce vobis expreſſum hominis vera charitate præditi ſymbolum, qui, quanto magis improperiis & injuriis percutitur, tanto magis in amore erga Deum, & dilectione accenditur verſus proximos. (S. Aug. l. 21. de Civ. c. 4.)

III. Pro emblemate aliquando maſſa bituminis accenſa depicta fuit, ſuper quam dum arderet, depluebat aqua; eique Epigraphe adjuncta fuit hujuſmodi: Etiam in flammis; hanc enim proprietatem terra conſervat bituminoſa, ut per aquam magis magiſque accendatur. Ita quoque in præſenti de anima ſancta, injuriarum patiente veraciter dici poteſt: Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Non enim talis vel minimam amoris divini aut charitatis amittit ſcintillam, quantumcumque ingens injuriarum, & contumeliarum inundet torrens; quin immo eo magis magiſque in intenſis amoris actibus exardeſcere incipit, dicente Pſalmiſta: *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper*: Ubi Hugo Card. inquit: Incenditur amore Dei. Qui autem eſt pauper iſte? idem reſpondet inquiens: *pauper ſpiritu, qui eſt humilis*, is, ſi quando impiorum, ſuperborum, malorumque injuriis ſe gravari advertit, non modo non rejicit, retunditque opprobria, ſed potius iis utitur, ut mediantibus illis magis accendatur in amore divino. (Menſt 4. c. n. 5.) (Pſ. 9. 22.)

IV. Dicitur quidem apud Matthæum c. 5. v. 43. *Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum*, ſed qui ſano intellectu Scripturæ divinæ ſenſum agnoſcere cupit, ſententiam iſtam hoc modo intelligat, ut diligat omnem hominem proximum ſuum, odio habeat diabolum inimicum ſuum. Quod etiam in uno homine malo implere poteſt. In ipſo enim uno, qui malus eſt, & proximum habes, (S. Aug. ſ. 168. de temp.)

bes, & inimicum; nam quod homo eſt, proximus tuus eſt; quod malus eſt, non ſolum tuus, ſed etiam ſuus inimicus eſt; Dilige ergo in eo carnem & animam, hoc eſt proximum tuum, quem fecit Deus; & odio habe malitiam, quam, ipſo conſentiente, diabolus intromiſit, & pio animo feceris, vices cæleſtis medici agis, odio habens morbum, & diligens ægrotum.

Manſ. d. 22. n. 7. V. Pater quidam filium ſuum a ſerpente quodam cinctum videns, arcu apprehenſo ſagittam adeo ſagaciter in ſerpentem vibravit, ut illæſo filio ſerpentem transfixerit; idem quoque facere debet quælibet anima juſta, quando injuſte oneratur injuriis, nimirum, concipere debet odium adverſus culpam offendentis, utpote qui eodem tempore Deum offendit, diſplicere illi debet invidia, malignitas, iracundia, quæ in injuratore prædominatur: Ex alia vero parte illum tanquam proximum diligere, eique tanquam fratri benefacere debet, quod ſi etiam fortaſſe arcus te læſerit, noli iraſci contra illum, nec illum minutum confringas, culpa enim fuit brachii, quod illum tetendit, & evibravit: Eodem modo non eſt ſumenda vindicta de proximo, qui te injuria affecit, quemque ex Dei præcepto amare debes, tanquam fratrem, ſed odium tuum dirigendum eſt adverſus malas illius qualitates, adverſus perverſam inimici tui inclinationem, rogando Deum, ut hanc ab illo extirpet, & eradicet. Sic David cum in ſui defenſionem Sauli necem inferre poſſet, utpote qui vitæ ipſius tot modis inſidiatus fuerat, totque improperiis aggravaverat, ſolam tamen illi haſtam ſuſtulit.

S. Chryſ. ap. Manſ. d. 13. n. 1. VI. Etenim in ira, qui valde contumeliatus alium eſt, ſuperaſſe videtur, cum revera ipſe maxime a turpi hac perturbatione victus, non parum ſibi ipſi nocuerit, qui autem magno animo tulit injuriam, hic profecto, & quidem cum laude ſuperavit; ille namque ne ſuam quidem ægritudinem compreſſit, hic etiam alienam extinxit, & ille ſuo morbo ſuperatus eſt, hic etiam alienum curavit, nec ſolum ipſe inflammatus non eſt, verum etiam ingentem alterius flammam extinxit.

Tob. 2. Bibl. PP. n. 10. VII. Agapetus Diaconus in monitis aureis, quæ ſcripſit Imperatori, dixit: Venerandum jure eſt veſtrum imperium, quia hoſtibus quidem ſuæ demonſtrat pietatis aculeos: quam bene dixit Diaconus: Hoſtibus ſuæ demonſtrat aculaos pietatis; non dixit, demonſtraſſe aculeos iræ, odii, vindictæ, ſimultatis, ſed liberalitatis, manſuetudinis, humanitatis. Nam ut inimicum configas, & lancines, id ſolertia commodiore, & aſtu nobiliore fieri non poteſt, quam ſi beneficiis eum ornes, & cumules. Hæc eſt Chriſtiana, & honorificantiſſima vindicta, qua ulciſci poſſumus eum, qui nos perſequitur, & horret.

Utilitas.

Vit. PP. l. 7. cap. 42. n. 2. VIII. Agathon Abbas dicere ſolebat; ſi habitas cum proximo, eſto ſicut columna lapidea, quæ ſi injuriatur, non iraſcitur.

S. Bern. ſ. 42. de mo. ben. viv. IX. S. Bernardus in quodam ſermone ſuorum de modo bene vivendi, modum nos docet vitam agendi tranquillam & imperturbabilem, tametſi foris maledicentiis & contumeliis impetamur; Dicit enim: quamvis te quiſquam irritet, quamvis convitium dicat, quamvis injuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis, tu ſile, tu tace, tu diſſimula, tu contemne, ut non loquaris, tu tene ſilentium, ad injuriam non reſpondeas, convitium non retorqueas. Sed dicetis forſitan hoc ipſum ſignum eſſe hominis ignavi; aſt contra eſt, quia ut idem mox ſubdit: tacendo citius vinces.

X. S. Paulus ad Romanos ſcribens, ſic loquitur: *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ; Scriptum eſt enim: mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.* Rom. 12. 19. ſi de hac lege carnem & ſanguinem conſulas, terribile, durum, intolerabile jugum videtur. Non injuriam paſſum privare jucunditate vindictæ eſt adimere illi voluptatem omnium maximam, quam habere poteſt: Et hominem in eas anguſtias cogere, ut legem, quæ ulciſci hoſtes prohibet, non prætereat, videtur perinde eſſe, ac permoleſtam, ne dicam intolerabilem ei ſarcinam imponere. Reſpondet Paulus huic objectioni: Placet, quod dicis. Et quoniam ais, non poſſe te facere, quin vindictam ſumas, annuo, ut ſumas. Itaque ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus. *Did. Niſſ. pol. 2. l. c. 8.*

XI. Abbas Joannes portam cæli, injuriarum tolerantiam eſſe, aſtruebat inquiens: Porta cæli eſt injuriarum perpeſſio, & patres noſtri per multas injurias in eam gratulantes ingreſſi ſunt. Cujus veritatis tanta eſt infallibilitas, ut unus illorum Patrum, dum magna cum ſollicitudine a ſuperiore ſuo exercitium, per quod de æterna ſalute ſua aſſecuraretur, poſtularet, dicens: Da mihi Pater unam rem, quam cuſtodiam, & per eam ſalver; Hoc a ſuperiore ſuo, viro maxime illuminato, inque materiis ſpiritualibus exercitato acceperit reſponſum: ſi potueris injuriari & affici convitiis, & portare, & tacere: magna eſt hæc res, & ſuper alia mandata; hancque Evangelicam a nobis in principio adductam, ſæpe reiterabat veritatem: *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* *Vit. PP. l. 7. c. 4. n. 121.*

XII. Agriculturæ experientiam habentes juxta roſas alium plantare ſolent, ut acutior & pungens hujus odor eas eſtimulet ad majorem tranſmittendam odoriferam fragrantiam: quo in facto obligatio exprimitur uniuſcujuſque animæ virtuoſæ, & ad perfectionem tendentis, ſcilicet ut ab homine aſpero & injuriante occaſionem accipiant exercendæ virtutis, ſe mortificando, non reſiſtendo; Quin potius bonum pro malo reddendo: quia, ut bene Lact. Firm. docet: Niſi contumeliis fuerit affectus (homo juſtus) quantum habeat fortitudinis in ſe ipſo cohibendo, ignorabitur. Neque minus efficaciter S. Bern. ad ejuſdem virtutis exercitium nos inducere conatur, quando de injuriarum oblivione, & harum ſuperioritate tractans, ſequentia notatu digniſſima pronunciat verba: eſt actus magni & generoſi cordis, injuriæ obliviſci. *Manſ. d. 1. n. 2.*

XIII. Jacob ab Eſau fratre ſuo tamquam im- *Ibid.*

C po-

postor injuria affectus, & ad mortem usque odio habitus, & persecutionem passus, furori illius cedens, & in regionem longinquam & peregrinam fugiens, cælum supra se apertum aspexit; unde ait: *Vere non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*. Considerat idipsum D. Chrysostomus, quando in quadam homilia hæc in verba scribit: Hic discimus, quod quando injuria nobis fit, nosque mansueti & mites, & tolerantes fuerimus, majori & largiori divino auxilio fruemur. Deus olim Laban iratus apparuit, eique præcepit: *Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob*; Eidem quoque Jacob e paradiso exercitum obviam misit Angelorum, dicente scriptura: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei, & ait: castra Dei sunt hæc*; hunc autem favorem Jacob nullo alio merito a Deo comparavit, quam quia sollicitus erat, ne factas sibi injurias vindicaret, dissimularet contumelias, suosque sibi reconciliaret amicos.

Dignitas.

Did. Nyss. 6. 1. in Do. Pal. XIV. Isaias Propheta cum ardenter mundi Salvatorem suspiraret, his æternum Patrem inclamabat, *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ*. *Is. 16. 1.* Uregas, Author modernus, & gravis, in his verbis consideravit, quod non satis apte locutus videatur propheta, cum Patrem rogavit, ut Filium suum, tanquam agnum huc submitteret, ad occupandum orbis imperium, sive, ut ille ait, dominatorem terræ, commodior enim fuisset habitus, gestusque ferocis leonis ad invadendum imperium orbis, quod vates cupiebat. Respondet tamen, cum magno mysterio rogasse prophetam, ut agnus mansuetus mitteretur, non sævus leo, qui futurus dominator terræ; nam ut animos hominum occupes, ut voluntates eorum invadas, tibique obstringas, nullus talis magnes, qualis facilitas morum, suavitas verborum, consuetudinis lenitas.

XV. Transiit arca Testamenti Jordanem, qui vix arcam sensit, quando cursum aquarum suarum sistit, & suspendit: *Mare vidit, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum*. Ps. 113. 3.

Ibid. Quærit S. Cyrillus Hierosolimitanus, quare Arcam fugerit Jordanus, qui non solum non fugit, sed & gaudenter amisit Christum, quando is illius aquis a S. Joanne fuit baptizatus. Respondet Catech. 12. Ante carnis assumptionem mare vidit, & fugit; Jordanis conversus est retrorsum: Assumpsit corpus dominus, ut mare videns sisteret, & Jordanis sine timore illum susciperet. Ante incarnationem plurimam Deus passim præferebat majestatem, graviaque in homines decernebat supplicia: sed postquam hominem induit, suavique humanitate erga omnes uti cœpit, calcari se mare patienter ferebat, nec fugiebat Jordanis, cum ad illum homo Deus venit: mansuetudo enim fecit, ut mare illum non pertimesceret, & Jordanis nihil metuens exciperet; Mitis enim ubique sibi locum parat: & qui facilis est moribus, facile admittitur ab omnibus.

S. Bern. s. 34. in Can. XVI. S. Bernardus super illa Christi verba: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*: quærit, de qua terra hic locutus fuerit Christus? Respondet, de illa hoc dixisse terra, quam habitamus: nemo enim sibi parare dominium, nemo subigere corda, nemo expugnare voluntates sic potest, uti mansuetus.

XVII. Hanc ob rem etiam Spiritus S. cum conciliandorum amicorum præcepta traderet, verborum suavitate ad hanc rem uti ante omnia suadet, dicens Eccl. 6. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat*. Nyss. l. c.

Id vero tantam habet veritatem, ut prope affirmare possimus, majora miracula operari linguam suavem ac lenem, quam virga Moysis fecit. Plurimum celebratur illud prodigium, quo Moyses virga sua e duro saxo elicuit aquam, ad depellendam sitim populi. Relinquamus id hoc in loco, & eamus visum, quid regi David cum Saule evenerit. Persequebatur Saul Davidem crudeliter, & magno cum furore, tanquam si multa & ingentia mala ab eo accepisset, necemque illi machinabatur. Convenerunt ambo in quodam antro, ubi cum David illum trucidare potuisset, noluit, oram clamydis præsecuisse satis arbitratus. Prodit antro Saul, secutusque illum David magnis vocibus appellavit, ad quas cum ille caput obvertisset, submisso ad reverentiam vertice humiliter David aperuit, quam injuste tantam ab eo persecutionem sustineret, quem etiam interimere, cum facile potuisset, noluerit. Denique conclusit, dicens: *Quem persequeris Rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem unum*. 1. Reg. 24. 15. *Audiens hæc Saul, levavit vocem suam, & flevit*.

XVIII. Alius quidam Rex prudens, qui subditorum animos sibi demereri volebat, Psalterium præferebat, cum hac inscriptione: non sceptro, sed plectro. Dicere voluit, eum, qui occupare corda vellet, non debere uti virga, non asperitate, non supercilio, aut arrogante imperio, sed lenitate, & suavium verborum dulci harmonia: hæc enim sunt, quibus se facile submittunt voluntates. Ibid.

XIX. Propheta Regius dicebat, verba sua faciles aures inventura, quod dulcia essent, & suavitate condita, dicens: *Audient verba mea, quoniam potuerunt*: Ps. 140. 7. Obscurus locus ex eo, quod dubium, quonam respiciat illud, quod ait, *potuerunt*; ad verbane spectet, an ad audient. Multi ad verba referunt, ut sit sensus: Audient verba mea, quoniam speciosa fuerunt. Alii: Quoniam dulcuerunt S. Joannes Chrysost. transtulit: Quoniam munita sunt satellitibus. Ubi magno cum misterio mella dulcium verborum vocantur satellites; nec enim aliud est, quod tam facile capiat; nulli satellites, qui tam fortiter invadant, & costringant, quam blanda verborum lenium comitas. Ibid.

XX. Quoniam Christo inerat a mira suavitate efficacitas, idcirco Judæi arbitrabantur convenire, ut ille de medio tolleretur, dicentes: *Ecce mundus totus post eum abit*. Jo. 12. 19. Mansuetudo illius omnia post se rapit; sive in desertis agat, sive ruri, sive in montibus, sive in civitatibus, aut ubi demum versetur, homines attrahit, quos mel ab ipsius labiis distillans ita sibi ipsis adimit, ut immemores cibi ac potus, nullam etiam difficillima-

marum viarum rationem habeant. Tanta est potestas mansuetudinis, tanta efficacitas lenitatis.

XXI. Vocabat sponsam sponsus, utque eam facile obsequentem haberet, his tam suavibus verbis demulcebat: *Surge, propera, amica mea, jam enim hyemes transiit, imber abiit, & recessit*. Cant. 2. 10. 11. quæri hic potest, quamobrem plantæ ita se contrahunt, & abdunt per hyemem, ut vix videri se sinant; verno autem tempore ita effunduntur, & dilatantur, ut revixisse putentur. Respondet Ericius Dom. 14. post Pentecosten: Hyeme interius radicis virtute alitur planta, & mox verni temporis provocata blanditiis, floris sui honore vestitur. Hyems aspera est, & tristis, & horrida, cujus atrocitatem dum plantæ fugiunt, ad suas se radices recipiunt, ac velut demortuæ languent, ac marcent, placido autem vere appetente foras erumpunt, verni temporis provocatæ blanditiis, quod eas sua benignitate in lucem, & vitam reducit, alit, exhilarat, sic, ut quæ inter hyberna frigora velut mortuæ lugebant, nunc per veris lenitatem se ipsas redivivas cum voluptate & spectent, & admirentur. Sic ergo sponsus, ut sponsam ad facile revertendum incitaret inquiebat: Jam hyems transiit asperioris consuetudinis meæ, exui nuperam illam morositatem, posui supercilium, serenavi frontem, maxima est nunc, eritque deinceps conditionis meæ facilitas, appetiitque ver percomis familiaritatis meæ, quod cum dixi, illud nullo jam negotio faciam, ut ad me non venias, sed volites.

Ibid. XXII. Rex & Propheta David dum caneret, qua ratione Filius Dei factus homo totum orbem suavi dominio sibi subjugaturus esset, inquiebat: *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent*. Ps. 71. 8. 9. Mira ammorum conversio! prodigiosa voluntatum immutatio! dulcis tyrannis cordium libertate nativa præditorum! quæ faciet, ut inimici ejus terram lingant, ut, quos infensissimos habuit, ii ad pedes ejus accidant, absolutum ejus dominium agnoscant, terramque millies, idque devotissime, exosculentur, quam tanta majestate Princeps plantarum suarum vestigiis insignitam reddet, sed quo illo armorum apparatu, aut quibus militum copiis, tam indomabiles cervices sub jugum coget? *Descendet sicut pluvia in vellus*, inquit Propheta ib. v. 6. totus mansuetus, & blandus advenit, tamque lenis, quam aqua, quæ tacito lapsu in vellus defluit. Quid mirum ergo, si ad eum modum corda quantumvis dura, ac repugnantia suis fascibus subigit? quem enim non abripiat suavitas? cujus animum non obtineat, expugnetque lenitas, & comitas?

S. Chrys. hom. 2. de David & Saul. XXIII. S. Chrysostomus non satiatur admirando heroicam Davidis in spelunca Odolla exhibitam virtutem, simulque rationem assignat, cur victoria quam de semetipso reportavit, condonando Sauli (quando eidem pro defensione vitæ propriæ, licite poterat eripere vitam) gloriosior fuerit, quam illa, quam de Goliath reportavit victoria; dicit enim: *Hoc gloriosius trophæum*, siquidem illic & funda, & lapidibus, & acie opus habebat, hic vero cuncta prudentia, rationeque peracta sunt, ac sine armis contigit victoria, atque incruentum trophæum evectum est, itaque redit non barbari illius caput gestans, sed animi commotionem mortificatam, sed iram enervatam, neque hæc spolia reposuit Jerosolymæ, sed in cælo: nunc haud quaquam in choris obviam veniebant fœminæ, excipientes illum cum laudibus, sed Angelicus populus e sublimi applaudebat, egressus est e speluoca tanta cum gloria, cum quanta tres pueri egressi sunt e camino ardenti; nam quemadmodum illos non exussit ignis: ita hic non conflagravit iræ incendio.

XXIV. Tullius Cicero pro Marcello ita scribit: Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro aut viribus debilitari, frangique possit; verum animum vincere, iracundiam cohibere, &c. quæ qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.

XXV. Aquila generosa est, atque magnanima, unde & a veteribus in symbolum assumpta fuit hominis constantis, & ad contumelias patientis. Eam itaque depinxere, non oculis minitabundam, non terribilem rostro, non alis horridam, non unguibus fulminantem, sed sedentem efformarunt in quiete, juxtaque illa cornicem collocarunt, quæ identidem pro viribus suis eam mordere, pungere, & irritare non cessat. *Mens. l. 1. n. 4.*

XXVI. De Propheta Regio sacer textus memorat: *Cædit ille Syriam in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus; eoque triumpho fecit sibi nomen*, ut dicitur 2. Reg. 8. 13. Hoc enim validæ dextræ ejus præstantissimum opus, hæc victoriarum illustrissima fuit. *Nyss. l. 2. Pol. c. 2.*

Habent hæc non nihil difficultatis. Nam si anima ad quædam alia illius egregia facinora recurramus, inveniemus in eodem capite & ampliores cædes fecisse, & strages hostibus graviores intulisse. Adarezer enim regem Soba percussit, cœpitque ex parte ejus mille septingentos equites, & viginti millia peditum, & subnervavit omnes jugales curruum. Alibi quoque percussit de Syria viginti duo millia virorum, sic ut ex his omnibus vivus nemo evaderet. Quod cum ita sit, quid est, quod hic non vel æque dicitur sibi fecisse nomen grande, ac in valle Salinarum, ubi non tam multos, quam ibi obtruncavit? nam si ex numero devictorum æstimatur magnitudo victoriæ, ampliorem gloriam sibi videtur David parasse ex superioribus victoriis, ubi hostium copias majores fudit, quam posteriore pugna, ubi oppido pauciores cecidit. Cur ergo hoc ultimo conflictu famam sibi conflasse celebriorem, & nomen grande fecisse narratur?

Prætermitto hic aliorum sententias, Rabbi Salomonis opinio vero affinior videtur, proposito nostro certe commodior est, de qua apud Tostatum in c. 8. lib. 2. Reg. sic habes: Di-

cit Rabbi Salomon, quod David occidit octodecim millia de Idumæis, & fecit illos sepeliri, & ex hoc acquisivit famam magnam, & hoc propter opus misericordiæ, quod excitabat, scilicet quia sepeliebat hostem. Non scitur propheta regius fecisse aliis, quod his octodecim millibus hostibus fecit, quos trucidavit, ac deinde sepulturæ illatos magnificis exequiis, & supremis officiis honorificentissime ornavit, ac deinde inquisivit famam magnam, & nomen sibi immortale paravit. Gloriosiorem enim hic victoriam retulit, eo quod tantam devictis hostibus charitatem exhibuit, quantam intimis amicis deferre potuit, dum pari honore tradi sepulturæ eorum corpora curavit. Tanta namque pietate prosequi hostes, id victoriis ejus splendorem, id triumphis magnificentiam adjecit singularem; propterea quod perdifficile est, condonare injurias, remittere offensas, ob naturæ appetitum, ab hac re valde alienum.

Abulens. qu. 24. in xiii. text. XXVII. Abulensis in l. 1. Reg. c. 13. ait: Dixit hoc admirans, viderat enim oram chlamydis suæ in manu David, ex quo cognoscebatur, quod ipse fuit in manu David, in quo stupebat, de tam gravi periculo, & de clementia David quomodo non occidit eum, ideo admirans dixit: Nunquid hæc est vox tua: quasi dicat, miror, cum hæc sit vox tua, quod mihi vitam reliqueris. Considerabat Saul quam facile sanctus gener illi vitam eripere potuisset, a veste namque ad cutem, & mortem, proximus erat transitus. Ex alia parte reputabat secum benignitatem Davidis, stupensque tam inauditam generositatem ait: Miror vehementer, quod cum tu sis, qui loqueris, me vivum reliqueris. Non possum mihi persuadere Davidem esse, qui mihi loquitur: Nam cum tu homo sis, & proxime ad manum habeas occasionem sumendæ vindictæ de illo, qui te persequitur, incredibile videtur non sumpsisse ultionem; & quamquam vox sit Davidis, magis tamen Dei, quam hominis videntur manus, quæ abstinuerunt a cæde illius, quem obtruncare, aut confodere tam leviter potuerunt. Et quamquam & videam, quod video, & audiam, quod audio, dubito tamen, utrum sit David, qui mihi loquitur; ab hominis enim manu quævis actio, & victoria expectari potest, at parcere inimico, quando incommodare, & referre vices, & inferre vindictam possis, videtur tale esse, quod fieri nequeat.

Ap. Nij. T. l. 6. XXVIII. S. Dorotheus insigne hoc in genere factum sic narrat: Asceta quidam erat illius ætate in eodem monasterio, in quo ille tunc degebat, plurimum addictus studio orationis, & aliorum spiritualium exercitiorum. Hunc audivit quodam die gravibus verborum injuriis onerari, & turpibus probris indigne dehonestari. Videns autem admirandam patientiam, qua hæc omnia longanimiter tolerabat, interrogabat eum, quidnam ea opprobria, & vituperia in animo ipsius efficerent? Cui ille simpliciter & candide respondit: Ego me sic habeo ad has injurias, & sic eas perfero, ut ab hominibus blandi canes, subaudi, perferri solent, si quando vel ignotum allatrant, vel domesticum mollicella lingua ad assentationem lambunt, injuriæ sunt mihi blanditiæ, dedecora solatia, opprobria, adulationes, convitia festivi lepores, aut honorifici plausus. His auditis, inquit B. Dorotheus, demisi aures, meque obsignans, & firmans abii, dicens, hic nihil videre admirabilius, nihil audire majus, aut rarius possum. Quando quis rem insolentem, & inauditam videt, sive audit, nescitque, quomodo illam satis admirari debeat, solet dejicere caput, crucisque cæremoniis suam admirationem, ejusque magnitudinem indicare, quando verbis pro dignitate explicare nequit: Cum ergo S. Dorotheus vidit hominem, qui tam invincibili animo, tanta vultus æquitate ferebat injurias, ut eas blanditiarum loco haberet, & ignominias ut assentationes exciperet, demisit aures, seque obsignans, & firmans abiit, attonitus tam stupendæ rei spectaculo. Ut enim naturæ nostræ peccato vitiatæ inclinatio procliviter fertur ad ultionem injuriarum, perque arduum est eas remittere, sic admirabilium mirissimum, & præclare factorum illustrissimum, & memorabilissimum est, serenis oculis, & animo pacato, eas excipere.

XXIX. Abbas Pimenius, ut refert Ruffinus, interrogatus aliquando, qualiter hoc Christi dictum (*majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*) executioni mandari posset? ita respondit: Si quis audit verbum malum a proximo suo, & cum possit similia respondere, pugnat tamen in corde suo portare laborem, & vim facit, ne respondeat malum, ut contristet illum, talis animam suam ponit pro amico suo.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Ferdinandus Medicæus pro gentilitia tessera Regem apum cum satellitio pinxit adjungens hoc dilemma: *Majestate tantum*. *Engel. in Dom. Psl.*

II. Græcum verbum Ἰησοῦς per anagramma significat: σὺ εἶ ὄϊς tu es ovis: ad Christi mansuetudinem significandam.

III. Recte Seneca dixit: Quidquid exprimitur grave est. *Seneca.*

IV. Ad Eliam venit Deus, primum in commotione, dein in specie auræ lenis, ut doceret, quomodo lenitas in correctione observari debeat. *3. Reg. 19. v. 12.*

V. Archidamidas cuidam Charilaum Regem laudanti, quod erga cunctos fuisset mansuetus: qua fronte, inquiebat, laudetur aliquis, qui erga sceleratos se mitem præbuit? Perspexit vir egregius mansuetudinem cum justitia conjunctam esse oportere; alioqui Principis in facinorosos lenitas, quid aliud est, quam in bonos crudelitas? *Plutarch. in apoph.*

VI. Cleomenes cum e civibus quispiam diceret, bonum Regem erga omnes mitem esse oportere, sed hactenus, inquiebat, ne sit contemptui, significans mansuetudinem nimiam erga improbos esse utilem civitati. *Idem in Lacon. apoph.*

Uti-

Utilitas.

Schiz. Hagioph. fol. 320. VII. Quidam Rex Orientalium fertur ostiles civitates non alio instrumento in potestatem redigisse, quam oleo certorum vermium ad portas affuso; quanto magis si oleum mansuetudinis portis animorum affundatur, illi facile expugnabuntur.

Ib. f. 309. VIII. Templum Salomonis erat ex cedro & laminis auri purissimi ornatum, solæ portæ, per quas ad Sancta Sanctorum introibatur, olivarum ligno constabant, ad significandum, per dulcedinem mansuetudinis aditum ad cælum potissimum reserari.

Engel. in Dom. Pal. IX. In Flandria vir quidam homini agresti occurrens cum videret asinum sacco onustum ab eo, quantumcumque fuste verberaret, promoveri non posse, avenæ manipulum ex proximo agro acceptum baculo alligavit, itaque asinum condescendens ad exiguam distantiam ante nares fasciculum prætensum gestabat, quam avenam dum asinus apprehendere conabatur, gressum alacrius movit. Simili ergo modo homines beneficiis magis, quam suppliciis ad officium impelluntur.

Lips. l. 2. in Polit. X. Cæsar cum audisset Pompejum cæsum, illacrymatus morti illius, dixit: Tentemus, si possimus, omnium voluntates recuperare, & diuturna victoria uti. Hæc nova sit ratio vincendi, sine misericordia nos muniamus.

Apophi. Beirlinck XI. Alexander Severus matri nimiam mansuetudinem objicienti, dicentique; molliorem tibi potestatem Imperii fecisti: respondit, sed securiorem atque diuturniorem. Id quod 3. Reg. 12. Roboam filius Salomonis damno suo expertus est, utpote cujus subditi severitate illius exacerbati usque adeo gravi in eum odio exarserunt, ut & Regem alium sibi quæsierint, & quæstorem illius ad placandos motus cum potestate missum, ne auditum quidem lapidibus obruerint.

Beirl. in Festo S. Matthiæ them. 4. XII. S. Anselmus intelligens, quendam durius egisse cum iis, qui se ejus obedientiæ devoverant, & ob id deteriores evadere: quam bene, inquiebat, nutrimentum expenditis, qui de hominibus bestias nutrivistis. Et mox: Cupitis juventutem optimis ornari moribus? necesse est, ut cum severitate disciplinæ, paternæ lenitatis & mansuetudinis levamen impendatis.

Dignitas.

Plin. l. 9. ep. 22. XIII. Tunc præcipua laus mansuetudinis est, teste Plinio, cum iræ causa justissima.

XIV. Themistius oratione quinta quærens, cur Lycurgus ab Apollinis oraculo Deus vocatus sit? respondit, Id ob facilitatem, justitiam, & pietatem factum, sed præcipue ob humanitatem harum omnium principem, cujus unius beneficio Reges ad Dei similitudinem accedunt.

Engelgr. in Dom. Palm. XV. Seniores in Apocalypsi cum Christus in specie Agni apparuisset, clamarunt: Vicit Leo de tribu Juda, tunc nimirum in eo fortitudinem, & generositatem leonis agnoscentes, cum in eo mansuetudinem agni conspexerunt.

Apo. c. 5. XVI. Philippus Bonus Dux Burgundiæ, Ordinem Equitum aurei velleris instituit, qui certis diebus debebant portare agnum aureæ catenæ annexum cum inscriptione: *Pretium non vile laborum.* Ita Deus ordinem mansuetorum, qui Christum agnum in chorde portent, instituit, ut discant exemplo illius mites esse, & inveniant requiem in cæli patria, ob abundantiam bonorum, per vellus aureum significata.

XVII. Pericles moriturus cum adstantes ipsius merita, & victorias condignis laudibus extollerent, mirari se dixit, quod ea solum referrent, quorum partem sibi fortuna vindicaret, prætereant autem excellentissimum, quod ex omnibus civibus Atheniensibus, quorum Dux erat, nullus illius causa vestem pullam sumpsisset. Beirl. in Do. Pal.

XVIII. De hac mansuetudine non male cecinit Juvenalis: Beirl. in Festo S. Matthiæ them. 4.

---- Separat hæc nos
A grege brutorum: atque adeo venerabile cœli
Sortiri ingenium, divinorumque capaces.

XIX. Nec minus apte Seneca: Seneca in Herc. fur. Act. 1.

---- Quisquis est placide potens,
Dominusque vitæ, servat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,
Animaque parcit, longa permensus diu
Felicis ævi spatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elysii loca,

Jucunditas.

XX. Pius Antoninus in nummis habebat fulmen molli thoro impositum, ut significaret, nihil æque vires frangere furoris ac iræ, quam mansuetudinem. Hinc Hugo Card. ait: Mansuetudo est in lecto conscientiæ hominis culcitra, ubi molliter & suaviter anima requiescit, quæ etiam lapides contumeliarum, detractionum, & injuriarum, quorumcumque sibi inflictarum amplexatur leviter, & sine læsione recipit. Sic in Abigail furor Davidis vim amisit. Engelg. in Dom. Pal. 1. Reg. 25.

DUBIUM ASCETICUM.

An contra Mansuetudinem agatur, si quandoque injuriantibus respondeatur.

I. AD hoc dubium Josephus Mansi sic respondet: notandum nihilominus, non semper laudabile injurias dissimulare, siquidem casus dantur, in quibus debita cum correctione seu reprehensione injuriantium petulantia retundenda est. Ita namque Salvator, quando verbis illis injuriose lacessebatur: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, subito respondit: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.* Causam ne noscis, subjungit Cajetanus? Respondetque non ad contumeliam propriam, qua appellatus est, Samaritanus, sed ad injuriam Dei, qua dictum est: dæmonium habes, respondit. Hæc enim directe tollebat fidem credentium, tollebat veritatem doctrinæ, nocebat populo. Injurias itaque proprias tolleremus, sed Deo illatas, aut Reipublicæ perniciosas nequaquam conniveamus. Ad imitationem Jobi, qui cum ad multa amicorum & conjugis improperia semper patiens fuisset, Mansi d. 6. n. 10.

una tamen vice, quando sibi dici audiit: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere,* mox cum indignatione respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Et nihilominus, incarnata Sapientia protestatur inquiens: *Qui dixerit fratris suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Job autem uxorem suam stultam nominavit, & tamen Deus illum non reprehendit, quin potius sacer textus immediate subjungit: *In his omnibus non peccavit Job labiis suis.* Quia scilicet injuriatum Dei honorem defendere statuit, quando ab uxore exstimulabatur: siquidem in præsenti, benedic, idem est, quod maledic.

Ut igitur quilibet, qualiter se circa punctum hoc gerere debeat, probe intelligat, sequentem S. Basilii accipiat doctrinam, dicentis: Si quis injuria affectus ab aliquo, tenendæ animi sui lenitatis causa, patientiæque, ea de re cum nemine loquatur, atque hoc modo existimet se reddere judicium Deo, numquid hic faciat secundum Deum? respondeo, cum Dominus dixerit modo dimittite, si quid habetis; modo: si peccaverit frater tuus, vade, & corripe; hic lenitatis quidem animi sui fructum in eo ostendere debet, ut preces Deo ex sincero animi affectu pro eo, a quo læsus sit, adhibeat, verbaque illa usurpet: Domine, ne statuas illis hoc peccatum; ne ut iratus fratri suo, reus efficiatur judicio; admonitione vero leni, & castigatione adversus ipsum injuriæ authorem uti, qua videlicet illum quoque ab ira liberet, quæ venit in filios contumaciæ. Si vero in hoc negligens fuerit; & tuendæ videlicet patientiæ suæ causa, id dissimulanter tulerit, dupliciter peccatum incurrit, & quod præcepto illi non paret, castigatione castigabis fratrem tuum, & non fumes propter eum peccatum; & taciturnitate illa peccantis particeps efficitur; quod, quem castigationibus curare potuerat, sicut Dominus præcepit, in malo eum patitur perire. Cui simillimam Doctor Angelicus, quando de hac injuriarum materia diffuse tractat, his verbis tradit doctrinam: quandoque oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet secundum illud Prov. 27. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit, super Ezech. hom. 6. Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis remanentes, bene vivere contemnant.

S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 6. II. S. Antonius de hac materia sic discurrit: Aliquando contumelia est sufferenda, & hoc ratione evitandæ temeritatis, juxta illud Prov. 26. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Tacere quippe, & non respondere contumelianti, quando quis hoc faceret ut sic tacens magis provocaret illum ad iracundiam, peccatum esset. Sed tacere, ne & ipse respondens incurrat contumelias, vel magis illum ad iracundiam accendat, debitum est, & virtuosum; quod idem punctum diu ante S. August. attigerat, quando ita discurrit: Ille injuriam fecit, & injuriam faciendo gravi seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis: tu eum vides perire, vel periisse, & negligis, pejor es tacendo, quam ille convitiando. Quando ergo in nobis aliquis peccat, habemus magnam curam non pro nobis (nam gloriosum est, injuriam oblivisci) sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Si itaque benigno responso venenum iræ & rancoris e corde fraterno extergere possimus, nonne id facere omnino ratio suadebit, & charitas christiana? siquidem responsio mollis frangit iram.

III. Aliam denique occasionem loquendi S. Joannes Climacus assignat dicens: Cum nos ipsi duntaxat contumeliosius tractamur, omnino tacendum est, tunc enim lucri comparandi est tempus: ubi vero contumelias in alterius quoque damnum redundat: tum mutuæ charitatis & pacis indissolubilis vinculum exigit, ut pro altero respondeamus. *I. Climac. gr. 4. in 100.*

§. XV. AXIOMATA.

I. Arcus nimium intensus frangitur.

II. Nullum violentum perpetuum, moderata durant.

III. Immatura medicina, est matura ruina.

§. XVI. AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Rosis selectis p. 1. cap. 2.

II. Paulus Barry in solitudine Hagiophilæ die 6. diss. 1.

III. Joannes Busæus in Viridario. V. Mansuetudo.

IV. Bernardinus Rosignollus lib. 4. de disciplina Christ. perfect. c. 36.

V. Jacobus Alvarez de Paz. tom. 2. lib. 3. p. 2. c. 9. §. 8.

VI. Franciscus Arrias tom. 2. de imit. Chr. tract. 5.

VII. Henricus Engelgrave p. 1. Lucis Ev. In Dom. Palmarum.

VIII. Matth. Fast. in Festo S. Matthiæ c. 5. tot.

IX. Laurentius Beirlinck in festo S. Matthiæ them. 4. & in festo Omnium Sanctorum them. 3.

X. Josephus Mansi Bibl. mor. tr. 36.

TITULUS XCI.

MARTYRIUM.

PROOEMIUM.

NOBILIS est illa Platonis sententia, quod, si corporis oculis virtutis pulchritudo cerneretur, mirabiles sui amores in nobis excitaret. Quod si hoc in singulis virtutibus verum est, multo magis verum erit in virtutibus his, quæ Deum ipsum spectant, & quorum officium est, eum honorare, credere, amare, & ei confidere. Illi enim homines altissimum, & nobilissimum objectum, in quod aspiciunt, habent, qui Deus est rerum omnium Dominus. Ex quibus, quæ primum locum tenent, & maxime Deum colunt, & ita illum glorificant, homines sunt, qui, ut fidem servent, & immensam Majestatem, ut debent, venerantur, non solum vitam pro illa ponere volunt, sed crudelissimis & horribilissimis suppliciis profundere. Quod si quælibet virtus (ut dictum est) tam pulchra est, quanto formosior erit illius virtutis pulchritudo, quæ ad hunc summum gradum pervenisset, quod omnium maximum sacrificium est, quod homines offerre possint, & ultimum, ubi gratia hominem mortalem sublimen efficere possit? Tanta est hæc pulchritudo, ut (quemadmodum inquit Apostolus) non solum hominibus & Angelis, sed etiam ipsi Deo formosissimum, & admirabile spectaculum sit, qui gaudet quidem maxime, cum infirmam, & languidam carnem pugnare, & triumphare de universis totius mundi viribus, atque inferni pro sua fide, & amore cernit. In quo gratiæ vis, atque efficientia Christi redemptionis, per quam hæc gratia datur, profecto cernitur. Operæ pretium visum est, hæc Sanctorum tam fortiter morientium exempla, devoto Lectori, separatim proponere, ut dum eorum generosa certamina intellexerit, ad similem fortitudinem in suis saltem tribulationibus generose ferendis ostendendum excitetur. 2. Porro ut, quanta fuerit hæc Sanctorum Martyrum virtus, clarius cognoscatur, eamdem ex Epistola quadam devotissima Fidelium Lugduni, & Viennæ Galliæ ab Eusebio lib. 5. Eccl. Hist. relata cognoscere licebit, ubi singularis Martyrum benignitas, aut modestia in hæc verba describitur; Isti vero ipsius Christi (qui cum forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed se ipsum exinanivit, formam servi accipiens) tam vere æmuli, & imitatores erant, ut, quamvis in tali gloria, & splendore locarentur, & non semel, & iterum, sed sæpius, ut Martyres decet, pro fidei confessione acerba tormenta perpessi, bestiis objecti, ab iisdem denuo oblati ignito ferro exusti, vibicibus lividi, vulneribus undique inflictis excruciati: non tamen se ipsi Martyres esse prædicarent, neque cuiquam nostram copiam facerent, illos eo nomine appellandi; sed si quisquam nostrum eos, vel per litteras, vel per sermonem, ut Martyres, forte salutavisset, graviter eum reprehenderent. Libenter enim Martyris appellationem Christo, fideli & vero Martyri primogenito mortuorum, duci & auctori vitæ, quæ est ex Deo, concesserant: Martyrum etiam, qui jam ad Christum ex hac corporis custodia migravissent, nos non gravatum in memoriam redigerunt, dixeruntque: Illi jam veri sunt Martyres, quos Christus propter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, & quorum martyrium ipso præclaro vitæ exitu, tamquam sigillo certissimo obsignavit. Nos autem solum & abjecti Christi nominis confessores, atque fratres observabant cum lacrymis, at preces pro illis ardenter & obnixe Deo funderent, quo discessu e vita opus, quod Deus tam benigne incœpisset, cumulate exploretur. Et quamvis non modo libera responsa gentilibus dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidenti animi robore, contra omnes cruciatus, se generosos & strenuos palam ostendendo vim, & virtutem martyrii perspicue declarassent: tamen timore Dei referti Martyrum appellationem, qua frater illos donare voluissent, ab se repellere studebant. Humilitate tanta erant, ut, licet Martyres essent, martyrii tamen nomen renuebant. At cum gentilibus aliter se habebant, quibus animi sui magnitudinem ostendebant, cum illorum tribunal non recusarent, & illorum tormenta penitus negligerent: itaque inter fratres defendere omnes, neminem accusare, omnes e vinculis eripere, colligare neminem conabantur. Pro illis, qui supplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani perfecti Martyris imitati benigne orare solebant dicentes: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Gravissimum autem bellum ab illis propter ingenuam erga fratres charitatem, cum ipso diabolo ideo susceptum erat, quod tantopere nitebantur, ut voracem illius, tamquam malæ bestiæ gulam stringendo eos vivos denuo evomere cogerent, quos prius tamquam mortuos se penitus devorasse putaverat: atque adeo velut matris indulgentis misericordia commoti

multas lacrymas pro eorum salute in conspectu Dei Patris perfundebant, vitam illis flagitabant. Quod quidem factum erat. Non enim ad cœlestem patriam illo felici die soli ire volebant, nec sui martyrii coronam perfectam esse arbitrabantur, cum suorum membrorum partem in captivitate sibi relinquere videbantur, quæ quidem adversarius noster diabolus ex Ecclesiæ septis subripuerat. His breviter prænotatis, in quinque partes hunc Titulum dividam; & in prima quidem virorum. In secunda mulierum. In tertia puerorum & infantium. In quarta Sociorum Jesu martyrium. In quinta SS. Martyrum numerum breviter proponam.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST testimonium veritatis fidei, vel alicujus virtutis per mortis a persequente illatæ vel intentatæ tolerantiam. Dicitur 1. *Testimonium*: hoc enim ipsum nomen Martyr, quod idem sonat ac testis, significat. Dicitur 2. *Veritatis Fidei*, quia plerique Martyres ob defensionem fidei sunt mortui. Dicitur 3. vel *alicujus virtutis*: ut indicetur non requiri, ut semper explicite propter fidem quis moriatur, uti in multis martyribus videre est, licet implicite semper fidei professio concurrat. Dicitur 4. *Mortis*, per quod verbum significatur non necessario requiri, ut mors actu sequatur, sed sufficere causam talem datam v. g. vulnus aut percussionem, ex qua mors naturaliter sequi debuisset, nisi divinitus fuisset impedita, uti in S. Joanne Evangelista, S. Thecla, & pluribus aliis patet, qui ab Ecclesia pro martyribus habentur, etiamsi inter ipsa tormenta non sint mortui. Dicitur 5. *A persequente illatæ*: hanc enim persecutionem communis sensus Doctorum ad verum martyrium requirit, ut a numero martyrum excludant eos, qui ex charitate pestiferis inservientes, aut aliud simile obsequium præstantes obierunt; quos quidem veris martyribus accensendos esse fuse cit. P. Theophilus Raynaudus probare conatur, sed contra communem sensum Doctorum, & fidelium, qui eos, qui per miraculum pestem contractam evaserunt, neutiquam pro martyribus veris in gratia confirmatis agnoscunt, sed pro illis mortuis perinde, ac pro aliis orant, quod tamen facere non deberent, si pro veris martyribus eos agnoscerent; unde & in Martyrologio Romano 28. Febr. dicitur, Alexandrinos Presbyteros, aliosque fideles, qui in obsequio pestiferorum obierunt, religiosam piorum fidem *veluti* Martyres, id est, minus proprie dictos venerari solitos & recte, cum Christus ipse beatos dicat, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, qualem dicti Alexandrini fideles non sunt passi. Dicitur 6. *Vel intentatæ*, ut indicetur, eos, qui quandoque sponte se in ignem, aut aquam conjecerunt, non quidem actu a persecutoribus occisos, sed tamen ob persecutionem præcedentem, quam videbant, evadere se non posse, Spiritus sancti instinctu mortem sibi accelerasse, atque adeo pro veris martyribus habendos esse.

De Martyrio per pest. m 10. 16. p. 4. c. 2. n. 4. & seqq.

Matt. 44.

Divisio.

II. Dividitur martyrium late acceptum communiter in proprie & improprie dictum. Illud est, quod priori numero definitum & explicatum est; hoc in pia quacumque & patienti perpessione consistit: ut Theophylus Raynaudus docet, variisque Sanctorum Patrum testimoniis martyrio æquiparari ostendit, quod quidem horrore mitius est, sed diuturnitate frequenter longius, ut Sanctus Bernardus loquitur. Unde Sanctus Petrus Damianus ait: Quisquis amat martyrium, exhibeat se Martyrio dignum, & martyrii proculdubio consequetur præmium. Non potest sanguinem fundere, potest semetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur ad feriendum cingulus, non deerit remunerator, etiamsi defuerit gladius, deest carnifex, qui cervicem exterius feriat, adest Judex, qui bonæ voluntatis præmium reddat.

Rayn. lib. c 19. p. 2. c. 2.

In ser. de S. Eus.

III. Martyrium proprie dictum iterum subdividitur a Beirlink in materiale, & formale. Materiale est, quod absque ullo actu voluntatis peragitur, quale fuit martyrium SS. Innocentium, quos Origenes flores & primitias martyrum vocat, eo quod testimonium, quod sermonem perhibere non poterunt, passione reddiderint, atque adeo Deus pro formali martyrio acceptarit. Formale martyrium est, quando mors per actum voluntatis acceptatur, ut in adultis fieri solet; ad quod proin requiritur, ut mors propter Christum, & odium Catholicæ Religionis, aut propter opus virtutis alicujus irrogetur. Requiritur præterea ut persecutoribus non resistatur (unde milites in bello occisi, non dicuntur Martyres) ut fide supernaturali credatur veritas, pro qua tuenda mors sustinetur (cujus defectu Hæretici non sunt martyres) & legitima dispositio saltem attritionis afferatur.

V. Martyrium lit. P.

Gradus.

IV. Quatuor gradus martyrii ab eodem Beirlinck assignantur, quorum primus est, quando suprema veritatis restificatio per mortem actu secutam completur. Secundus est, quando causa sufficiens ad mortem naturaliter inferendam data est, sed mors actualis non statim, sed post intervallum sequitur ob vulnus v. g. lethale inflictum. Tertius est, quando mors, quæ naturaliter sequi debeat, divinitus impeditur. Quartus est, quando gravia tormenta pro fide tolerantur, sed non læthalia, quos Tertullianus martyres *designatos* appellat, S. Cyprianus vero Martyres vocat, prout a Confessoribus, qui fidem sine tormentis profitentur, distingui solent.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Matt. c. 5. I. BEati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Matt. c. 10. II. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

Ibidem. III. Qui amat animam suam perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam.

Jo. c. 12. IV. Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, ibi & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit honorificabit eum Pater meus.

1. Jo. c. 3. V. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.

1. Petr. 2. VI. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.

H. b. c. 12. VII. Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis deficientes.

Apoc. c. 3. VIII. Quoniam servasti verbum patientiæ, & ego servabo te in hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum, tentare habitantes in ea.

2. Cor. c. 4. IX. Quod in præsenti momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitare æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

1. Cor. 2. X. Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

S. Chrys. h. 67. ad pop. I. NUllus athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis, & vino redundantem. Hoc non est athletæ, sed delicati. Athleta namque pugnat in pulvere, oleo, solis ardore, sudore longo, tribulatione & angustia. Hoc est certaminis tempus & pugnæ, igitur & vulnerum, doloris & cruoris.

Idem hc. in Ep. ad Eph. II. Nihil est æque præclarum, atque vincula pati propter Deum. Vinctum esse propter Christum præclarius est, quam esse Apostolum, quam esse Doctorem, quam esse Evangelistam. Si quis amat Christum, novit, quod dicitur: Si quis in Deum insanit, & ejus amore utitur, novit vim vinculorum, maluerit esse vinctus propter Christum, quam habitare cælos.

Ibidem. III. Si quis mihi daret totum cælum, aut Pauli catenam, ego illam perferrem. Si quis me apud superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem, & vincula. Nihil est melius, quam mala pati propter Christum. Non tam beatum existimo Paulum, quod raptus sit in tertium cælum, quam eum censeo beatum propter vincula. Mihi est optabilius male pati pro Christo quam honorari pro Christo. Hæc est gloria, quæ omnia exsuperat.

Idem Ser. de Mart. IV. Uade tu delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce. Pactum quod spopondisti: conditionem, qua accessisti: militiam, cui nomen dedisti.

Hugo Car. V. Non respondeas, sed esto tanquam surdus. Colligit enim in sinu patientiæ contumelias (& cruciatus) quasi lapides pretiosos, quibus ornabitur corona sua, de qua S. canit Ecclesia: Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.

S. Ephr. or. in 40. Mart. VI. Nunquid non est mirabile in oculis hominum, quod mentem fragilis hominis ita Deus inflammat, ut præ amoris magnitudine, quo intus erga eum æstuat, etiam propriæ vitæ obliviscatur, in tantum, ut ad gravissimos quoslibet cruciatus velut insensibilis fiat, & sine sui cura libenter omnia pro nomine ejus sustineat?

Clem. Recogn. l. 3. VII. Nihil ad amplificandam, & latins diffundendam Religionem aptius martyrio generose suscepto, propter insignem vim tam ardui operis ad bonum prælucentis. Hinc Tertullianus sanguinem Martyrum vocat semen Christianorum.

S. Ambr. l. de velut. vell. fide. VIII. Morte Martyrum Religio defensa, cumulata fides; Ecclesia roborata est, vicerunt mortui, victi persecutores sunt; Itaque quorum vitam nescimus, horum mortem celebramus. Unde & David prophetice gloriatus in suæ mentis excessu: Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum ejus, mortem maluit præferre, quam vitam. Ipsa mors martyrium præmium vitæ est.

S. Leo in s. de S. Laur. IX. Cum omnium, dilectissimi, summa virtutum, & totius plenitudo justitiæ de illo amore nascatur, quo Deus, proximusque diligitur; in nullis profecto hic amor sublimius excellere, clariusque fulgere, quam in beatissimis Martyribus invenitur, qui Domino nostro Jesu Christo pro omnibus hominibus mortuo tam propinqui sunt imitatione charitatis quam similitudine passionis.

Bern. in Nat Dom. Serm. 1. X. Martyr quisque esse potest sine voluntate, sed non contra voluntatem.

Idem super Cant. Serm. 61. XI. Martyrum fiducia fortitudo & tolerantia ex ulceribus & vulneribus Christi.

XII. Martyrium sine charitate implere impossibile est.

Chrysost. super Ep. ad Hebr. XIII. Sancti Martyres præsentem vitam non despexissent, nisi certiorem animarum istam subsequi scirent.

Hom. 10. Greg. Orang. l. 4. XIV. Martyrum sanguis ad multiplicationem Ecclesiæ proficit.

Aug. super Ps. 20. Greg. in Homil. XV. Mori a persequente, martyrium est in aperto opere: ferre vero contumelias & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione.

Cypr. in quadr. Epist. XVI. Hoc baptisma scilicet martyrium in gratia majus, in pietate sublimius, in honore pretiosius.

Greg. ad Reg. XVII. Martyrem non facit pœna, sed causa.

§. IV. EXEMPLA SACRA.

MEMBRUM I.

De illustribus virorum Martyriis.

I. PRimum hic locum merito Christum obtinet, utpote dux & exemplar omnium Martyrum, de quo proin recte dixit S. Lauren-

rentius Justinianus: *Præcessit Gigas ingens, & passionis subiit certamen, ut cæteri ei militantes similia sustinere non paveant. Verecundum quippe est, ut irrumpente Duce cuneos tribulationum, reliqui imitari dedignentur. Non est abjectum in servo, quod processit in Domino. Dolorem servi dolor lenit Domini. Passio passione vincitur, & cruciatibus cruciatus superatur.*

II. Christum velut Summum Ecclesiæ Pontificem merito secutus est S. Petrus velut Vicarius ejusdem, & S. Paulus, vas electum, qui portabat nomen ejus coram Gentibus, de quorum martyrio sic scribit Ribadeneira: Jamque dies imminebat Apostolorum martyrio destinata: Mœrebat passim Christiana pietas, quod geminis simul oculis hisce sese sentiret orbandam, quod geminas sibi, principesque columnas cerneret auferendas. Quam ob rem vel apprime tam chari capitis periculo solliciti certatim, suis S. Petrum precibus urgere, vellet incolumitatis suæ suorumque consulere; vellet e custodia sese proripere, atque in tutum se recipere. Quid ageret Apostolus? quo se verteret? Hinc incredibili martyrii pro Christo patiendi desiderio utebatur; illinc assiduis piorum precibus ac lacrymis, ut servaret se, vinculisque erumperet urgebatur. Quid multa? vicere piorum preces: cessit Apostolus, quamvis martyrii, sitientissimus suorum lacrymis. Custodia Romaque digressus, latebras quibus occuleretur, circumspexit. Latebras ergo meditanti (quemadmodum Sanctus Ambrosius, Sanctus Gregorius & Hegesippus litteris prodidere) loco (qui Sancta Maria ad passus appellatur, & Sancti Joannis Lateranensis, ac Sancti Sebastiani Basilicas inter insignis est hodieque Sacello) occurrit Christus. Quem simul aspexit, agnovitque: *Domine*, inquit, *quo vadis?* Respondit Dominus: *Venio Romam iterum crucifigi?* Intellexit Apostolus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi? qui semel passione suscepta redivivus carnem mortis exuerat: *Quod enim mortuus est, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo*. Intellexit enim Petrus, quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo: Itaque sponte remeavit, interrogantesque Christianos accepto divinitus oraculo consolatus, custodiam repetiit, mortem pro Christi gloria opperiturus. Lata denique fuit in Apostolos mortis sententia, qua S. Petrus tanquam Judæus ad crucem, S. Paulus tanquam civis Romanus ad gladium damnatus est. Ante tamen, quam ducerentur, uterque more Romanæ virgis cæsus. Quin & in S. Mariæ Transpontinæ (quæ religiosæ Carmelitanorum familiæ addicta est) visuntur, hodieque columnæ, quibus Apostoli alligati vapularunt. Hinc simul custodia producti extra portam Trigeminam (quæ Ostiensis dicitur, quod hinc Ostia eatur) ducti, postquam mutuo sese salutassent amplexu, pacisque osculo invicem valedixissent, divulsi sunt. S. Petrus ductus ad editiora Vaticani montis prærupta (quæ mons aureus hodie appellantur) forta'se, quod Apostolus sit ibi crucifixus, hic suo nudatus amictu, crucifixus est incredibili lætitia gestiens, quod Dominum imitari, eique suam reddere vitam liceret, qui suam sibi prior impertiisset. Indignum porro sese ratus eo, quo divinus Magister, modo, crucifigi, lictores efflictim rogavit ut se pedibus in aera sursum porrectis, versoque deorsum capite in crucem agerent. Tanti fuit Apostolo Christiana submissio, ut hanc etiam moriens modestissimo plane corporis situ, quamvis maximo suo cruciatu voluerit obsignare. Ita Princeps Apostolorum Petrus suæ cursum peregrinationis absolvit, & sua morte Christi mortem, suaque cruce ejusdem crucem gloriosissime imitatus, Christianam religionem plantavit, suoque eandem sanguine irrigavit, ea in urbe, quæ tunc audiebat mundi domina; sed impostersum propter S. Petri Cathedram illic defixam, continuamque successorum illius seriem, erat omnium caput Christianorum futura, quo nempe deinceps, *latius præsideret* (ut S. Leo Papa loquitur) *religione divina, quam dominatione terrena*. Corpus Apostoli Marcellus presbyter pie reverenterque acceptum, magnificeque aromatibus conditum, ad quoddam Vaticani latus, haud procul eo loco quo fuerat crucifixus, humatum est. Fuit S. Petrus statura corporis procera, colore inter album & aquilinum, coma barbaque crispa, densaque, non tamen promissa, nigricantibus oculis, sanguineo rubore suffusis, quod jugibus roraret lacrymis, & quidem tunc uberrime, cum gallicinium, olim negati ab se Christi memor, audiebat. Ciliis fuit omnino ruris, & quodammodo depihs, oblongo, incurvoque naso, quam vel imprimis certam prudentiæ notam metoposcopi existimant. S. Paulus vero deductus est ad supplicium magno strepitu, numerosoque comitatu stipatus. Sub ipsam civitatis portam Romanarum Matronarum nobilissimam, nomine Plautillam, prorsus mœstam forte conspicatus, linteum ab ea poposcit, quo, quemadmodum mos erat iis, qui capitis puniren-tur, faciem obnuberet, pollicitus ei, se restituturum. Illa prompte petenti linteum porrexit. Eodem in itinere tres eorum militum, a quibus stipabatur, ad Christum conversi sunt, quorum uni nomen fuit Longinus, alteri Acestus, tertio Megistus, omnes Martyrii laurea coronati, quorum festam celebrat Ecclesia memoriam prid. Kal. Julii. Locus, in quo S. Paulus obtruncatus, is est, qui hodieque dicitur ad tres fontes, quem paganorum postea immanitas, macellum fecit Christianorum. Hic enim S. Zenno cum decem millibus ducentis tribusque militibus barbara plane laniena mactati. Illud autem fuit admiratu dignissimum, quod Apostoli obtruncati cervices (ut auctor est S. Chrysostomus) non sanguine, sed uberrimo lactis rivo manarint. *Quid autem mirum* (inquit S. Ambrosius) *si abundat lacte nutritor Ecclesiæ; sicut ipse ad Corinth. ait: lac vobis potum dedi, non escam*. Ejusdem caput Apostoli, ut traditione constat, a cervice revulsum, tribus sese saltibus quadam spiritus vi, divinitus agitavit; singuli vero saltus singulos eliquere fontes, ad quos Romæ frequens hodie-

Ribadem. 29. Jun.

dieque Christianorum pietas magna reverentia invisit. Atque his miraculis in Apostoli martyrio patratis, quinque & triginta gentiles (ut auctor est S. Chrysostomus) ad Christum conversi sunt. Idem etiam Apostolus postea apparuit Plautillæ (de qua paulo ante dictum) eique linteolum obnubendi oculis acceptum restituit. Corpus Apostoli illustrissima piissimaque Matronarum Lucina, asportatum suo quodam prædio honorifice, reverenterque humavit. Fuit S. Paulus statura pusillus, dorso nonnihil gibboso, facie subpallida pluresque annos computante, quam revera numeraret; oculis meras charitates spirantibus, ciliis modeste submissis; naso venusto, aquilino, oblongo, barba densa promissaque nonnullis canis, sicut & coma capitis aspersa, vultu venerabili, & pietatem, virtutemque spirante, miroque quasi charactere vas electionis indigitante. Existimat S. Joannes Chrysostomus Apostolum octo de sexaginta vitæ annos explesse; decessisse anno Christiano decimo & sexagesimo, Imperii Neronis tertio decimo, ut auctor est Baronius: gloriosos Ecclesiæ Principes Sanctorum Petrum & Paulum recentiores juxta, veteresque Doctores, tot xantisque laudum præconiis attolunt, ut omnia hoc tantillo compendio stringi nequeant. Sed & quamvis multa dicas, plura reliquas oportet. Sanctus Joannes Chrysostomus in hæc affatur Apostolos hosce verba: *Vos estis lux mundi, qui estis potentiores Regibus, fortiores militibus, ditiores divitibus, sapientiores philosophis, elegantiores oratoribus; qui nihil habetis, & omnia possidetis. Vos estis Martyrum tolerantia: Patriarcharum Orthodoxa sententia: Monachorum exercitatio: Virginum honoratores: conjugum coronatores: raptorum refrænatores: tegumentum Regum: murus Christianorum: habena barbarorum: malleus hæreticorum.*

Idem 6. Maji. III. S. Joannis Apostoli martyrium sic describit idem Ribadeneira. Vespasiano, Titoque Imperatoribus omnino modestissimis, successit in Imperio Domitianus, patris Vespasiani, Titique fratris dissimillimus, qui secundam movit in Christianos persecutionem, qua vel oppido afflixit, vel prorsus e medio sustulis innumeros. Degebat ea tempestate gloriosus Apostolus, & Evangelista Joannes Ephesi, indeque velut ad clavum sedens, cunctis totius Asiæ moderabatur Ecclesiis, quas ille suæ doctrinæ lumine collustrabat, omnesque impertiebat cælesti vita Christianos, e quibus haud aliter, ac homo quidam divinus, Apostolus, discipulusque, quem diligebat Jesus, orbis oraculum mundique lux suscipiebatur, ac venerabatur. Captus occasione persecutionis a Domitiano concitatæ jam grandævus, gravesque in itinere perpessus ærumnas, Romam denique ductus est. Hic, quod obedire Domitiano idololatriam imperanti detrectasset, ad bullientis olei lebetem damnatus est, ut non quocumque, sed prorsus atroci genere supplicii e medio tolleretur. Decreta fuit huic sacrificio dies ad pridie Non. Maji Anno Christiano XCII. Designatus supplicii locus, ante portam Latinam, sic dictam, quod ad Latinos duceret. Confluxit ad hoc illustre adeo spectaculum omnis ætas, ordo, sexus, etiam ipse Senatus, quos tanti fama, dignitas, ætasque Apostoli, & atrocis supplicii novitas exciverat. Itaque solemni fustuario (quod apud Romanos ad mortem damnatis adhibebatur) crudeliter prætulus, suis inde vestibus exutus, in bullientis olei lebetem conjectus est. Non exhorruit bulliente jam oleo spumeum gloriosus Evangelista lebetem, sed rugatam senio frontem lætus exporrexit, memor prædicti sibi, suoque fratri a Christo oraculi illius: *Calicem quidem meum bibetis*: Memor etiam calicem cruciatuum a Christo pro se perpessorum, longe amariorem fuisse suo, avidus denique gratiam reponere pro tanto beneficio sibi collato vicem, & vitam cum sanguine profundere pro gloria illius, qui sua causa, suam prior ipse vitam profuderat, itaque beatitatis æternæ municipium subire. Simul atque S. Joannes Evangelista lebetem subiit, sua igni, oleoque vis adempta, atque in cælestis temperiem roris conversa est. Cæterum ut intelligeret impietas, cuncta creata suo servire Creatori; nosceretur etiam pios inter & impios, Christianos inter & paganos distinctio, mox ut impietatis satellites pyram succendere, fomitemque lebeti subjecere, ignis vindices crudelitatis flammas jaculatus, eorum multos exussit, nec Apostoli vel pilum læsit. Refert Tertullianus (ut inquit S. Hieronymus adversus Jovianum) quod Romæ missus in ferventis olei dolium purior, & vegetior exiverit, quam intraverit; perinde scilicet, ut aurum camino ignis eductum, christianis mira lætitia gestientibus, paganis horrore, metuque attonitis, & horrendum fremente Domitiano, a quo in Pathmos insulam relegatus; infinitis illic cælestibusque a Domino favoribus auctus, scripsit Apocalypsin, *infinita* (ut loquitur S. Hieronymus) *futurorum mysteria continentem*, quæ sunt adeo sublimia, atque divina, ut quamvis hæc eruditissima quæque totius Ecclesiæ ingenia scrutati sint, omnia tamen perscrutari nequierint. Substitit in hac Insula S. Apostolus usque ad obitum Domitiani, atque hoc tempore Insulanos ad Christi fidem convertit, & S. Dionysius Areopagita unas ad eum litteras dedit, quibus ipsum significat, propediem ab exilio revocandum, mutuoque aspectu fruituros. Ita namque sibi a Domino revelatum. Prædictionis veritatem probavit eventus; interfecto namque Domitiano, & actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, ab exilio in Asiam rediit, exceptus omnium plausu Christianorum, tamquam cælo delapsus, tamquam Apostolus, & Apostolus quidem tam Domino dilectus; tamquam Propheta & Martyr, utpote cui voluptate fuerit, quosvis pro Christo cruciatus, ipsamque subire mortem, quamvis hæc secuta non sit, sed divinitus impedita, quo scilicet Evangelium scriberet, & instar aquilæ in cælum subvolaret, fixoque mentis obtutu divinæ contemplaretur Majestatem lucis & æterni generationem Verbi, quod Patre prognatum, in ejusdem sinu conquiescit, ac denique explicaret, quomodo idem Verbum hu-

humanæ mortalitatem carnis indutum pro redimendis hominibus mori dignatum sit. Atque hujus adeo illustris facti memoriam hoc die celebrat Ecclesia.

Nov. Die 30. IV. S. Andreas Apostolus cum varias Provincias Evangelii luce collustrasset, concessit Patras, urbem Provinciæ Achajæ ubi radios Evangelii diffundere, & animos ab orci tyrannide cœpit vindicare. Cognovit id forte Proconsul Ægeas, qui variis technis, tormentis, & mortis generibus persuadere, nitebatur Christianis (quorum jam numerus auxerat) suos ut Deos adorarent. Accessit eum S. Andreas his affatus: *Oportebat te quidem, qui Judex hominum comprobaris, summum illum, & incorruptum vivorum atque mortuorum Judicem agnoscere, & agnitum colere, colendoque animum ab impio & nefario Deorum cultu revocare.* Cui Ægeas; *Tu es*, inquit, *ille Andreas, qui Deorum templa subvertis, & novam religionis superstitionem hominibus persuades, cujus author Jesus vester a Judæis crucis patibulo affixus fuit?* Tum vero sanctus Apostolus Proconsuli ineffabile mysterium nostræ salutis, immensamque declarare cœpit Jesu Christi charitatem, qua nostræ mortalitatem carnis indutus, nostrorum peccatorum causa, fuit actus in crucem. Porro multis ipsam crucem laudum præconiis efferens ostendit hujusce mysterii decorum, miseræ paganorum cæcitati prorsus ignotum. Sed Ægeas, ut hos Apostoli sermones audiit ait: *Ista verba iis inculcato, qui tibi fidem adhibent: mihi autem nisi Deorum sacrificia suadenti obtemperes, in istam, quam tantis laudibus extollis crucem, te fustigatum affigi præcipiam.* Cui S. Andreas: *Ego*, inquit, *unico omnipotenti veroque Deo, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum. Cujus carnes posteaquam credentium populus manducaverit, & sanguinem in ara crucis semel effusum biberit, Agnus qui immolatus est, integer perseverat & vivus.* Denique hic fuit sermonis cum Ægea Proconsule instituti finis, ut S. Andream captum custodiæ manciparit. Quam ob rem populus in seditionem versus, violentas haud dubie Proconsuli manus attulisset, nisi Apostolus vetuisset, cunctos e vinculis hortatus, ne tyranno rebellarent, sed imitarentur mansuetudinem Jesu Christi, qui sibi præcepisset ut ita plus mererentur. Addidit & Proconsulem esse potius honorandum, quod ab eo nil mali, sed boni multum præstolaretur. Itaque eos enixe precatus est, ne quoquo modo suum vellent martyrium impedire; cruciatuum namque brevi fore finem, sed reliquum esse præmium sempiternum. Postera die Proconsul eum vinculis productum sic affatus est: *Existimavi te nocturna cogitatione a mentis tuæ stultitia resipuisse, ut possis nobiscum deinceps hujus vitæ gaudiis secure perfui; stultum enim est, temeraria mente ad supplicium properare, & semetipsum in exitium ante oculos positum præcipitem dare.* Cui Apostolus: *Gaudiis tecum fruar sempiternis, si execrabili Deorum cultu relicto, mecum Christo credas, & animæ tuæ curam geras. Ego enim missus in hanc Provinciam a Christo Salvatore nostro ingentem populi multitudinem ab errore ad fidem, & a morte ad vitam perduxi.* *Et hoc est*, inquit Ægeas, *quod me discruciat, atque adeo te diis sacrificare jubeo, quo scilicet omnes illi, qui tuis sermonibus dementati sunt, tuæ deserant doctrinæ vanitatem, & ad antiquam redeant suorum Deorum cognitionem. Nam ullam jam cernere est Achajæ civitatem, in qua templa, fanaque Deorum tuis sermonibus non sint in solitudinem redacta; cumque tu populum seduxeris, decet, ut seductum reducas. Sin, ego te variis excruciatum suppliciis cruci affigam.* Ad hæc Sanctus Andreas ait: *Audi, fili mortis, & stipula æternis parata incendiis, audi me servum Domini & Apostolum Jesu Christi. Hactenus censura fidei mitius tecum egi, ut rationis capax, & veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, qui in cælis est, adorares, sed quia in imprudentia tua perseveras, me existimas minas tuas formidare posse, age, quidquid tibi in suppliciis majus videtur, cogita. Tanto enim Regi meo ero acceptior, quanto pro ejus nomine in tormentis certavero constantior.* Tum enim vero Proconsul indignatus eum nudatum crudeliter a septem lictoribus, aliis atque aliis invicem ter succedentibus cædi jussit: Irruit adeo effusa in Apostolum verberum grando, ut omnino cruentum nil in eo nisi vulnus appareret. Denique cum vidisset & Ægeas invictam Apostoli constantiam, eum cruci non clavis affixit, sed funibus alligavit, quo nempe prolixius esset martyrium. Porro cum duceretur, populus accurrit, exclamavitque: *Justus homo, & amicus Dei quid fecit, ut ad crucem ducatur?* At Andreas populum oravit, ne vellent sibi auferre tantum bonum. Tum dein totus aspectu crucis, in quam se suspendendum norat, exhilaratus, suique amore Domini, quem gestiebat imitari, succensus, alta voce magnoque fervore spiritus exclamavit. *Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderes Dominus timorem terrenum habuisti; nunc vero amorem cælestem obtinens, pro voto susciperis. Securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te. O bona, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando jam concupiscenti animo præparata. Accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me.* Porro cum sanctus Apostolus morti propius adesset, ipsemet vestes sibi detraxit, easque carnificibus suis donavit, a quibus in altum sublatus est, ad eumque modum, quem jussi sunt, alligarunt cruci, quam circumstabant ad viginti millia hominum, qui undique confluxerant, ut contemplarentur, & venerarentur Apostolum, qui consolabatur omnes, & ad similes cruciatus pro Christo sufferendos exhortabatur. Hæsit biduum in cruce vivus. Quod cum populus admodum ægre ferret, exclamavit: *Virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modestum,*

ra-

rationabilem, non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce, quia jam secunda die in cruce positus veritatem prædicare non cessat. Resciit Ægeas adversus se populum indignari. Quam ob rem seditionem concitandam sedaturus, damnumque, quod timeri poterat, aversurus, Apostolum de cruce deponere decrevit. Cumque ipsemet eodem contendisset, suisque ministris, ut eum cruce deponerent, imperasset, jamque essent ministri mandatis parere parati, non potuerunt Apostoli corpus accedere. Quod si vero etiam brachia ad parandam vim tetendissent, subito exarescebant, & vigorem viresque amittebant; Nam sanctus Apostolus sublata voce dixerat ad Dominum conversus: *Ne me permittas, Domine Jesu Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solvi, & ab Ægea homine corruptibili humiliari, sed suscipe me, tu Magister mi Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre desidero, suscipe Domine Jesu spiritum meum in pace, quia jam tempus est, ut ad te veniam, desiderans te videre. Suscipe me, Domine Jesu Christe, Magister bone, & jube, me de ista cruce non deponi, nisi prius spiritum meum susceperis.* Sic effatum ingens cælo splendor instar radiorum defluens circumfulsit, eumque ab astantium oculis abscondit, qui tantam ferre lucis nequibant claritatem media circiter hora durantem, quæ simul ac evanuit, Apostolus spiritum exhalavit prid. Kalend. Decemb. Anno Christiano LXII. Imperatore Nerone.

Ibid. 25. Jul. V. S. Jacobus Major Apostulus cum fervide peroraret Jerosolymis, & multis sacræ Scripturæ testimoniis Jesum Christum verum esse Messiam, Deique Filium confirmaret, jamque verbis ejus populus moveretur, Abiathar, summus Pontifex ex condicto signum tumultus edidit, mox quidam scribarum Josias Apostolum turbulenter aggressus, ejus collo laqueum injecit; milites autem velut ad sedandum tumultum concurrentes Apostolum comprehensum Herodi obtulere, qui populo gratificaturus, eum jussit obtruncari. Cæterum cum jam duceretur (ut auctor est S. Isidorus) quidam paralyticus ab eo sanitatem poscit, qua protinus Apostolus eum in nomine Domini liberaliter impertivit. Clemens Alexandrinus (ut refert Eusebius Cæsariensis in Ecclesiastica historia) ait, Josiam, qui primus Apostolo violentas manus injecit, ad Christum fuisse conversum, veniamque impietatis suppliciter Apostolum orasse, & Apostolum suavissimis verbis excepturn osculo pacis impertiisse. Non tulit hæc Hebræa impietas, ideoque nullum non lapidem movere, quoad Josias Apostoli prece conversus, etiam ipse neci dederetur.

Ibid. 1. Maji. VI. S. Philippus Apostolus cum Hierapolin Phrygiæ urbem ingressus, Dracooem ingentem ab incolis adorari solitum precibus occidisset, Sacrificuli & Magistratus illum comprehensum, vinctumque & squallentis ergastuli pædore vexatum, flagrisque concisum crucifixere lapidibusque obrutum occidere. Apostolus autem moriens meritas Deo gratias egit, quod se Dominicæ mortis imitatorem facere dignatus esset. Hinc impios Apostoli sanniones idem Deus horribili terræmotu (quo pleraque tecta cum suis inquilinis, ipsisque Apostoli tortoribus in pœnam crudelitatis in innocentiam exercitæ absorpti sunt) terruit. Itaque & idololatræ inopina catastrophe hac erubuere, & Christiani certatim exultavere, Deoque grates egere, qui tot in gratiam Apostoli sui miracula patrasset. Quem Deo colloquentem cum Christiana pietas cruce deponere pararet, ille consummato etiam feliciter agone spiritum reddidit suo Creatori, populusque terræmotus metu liberatus.

Ibid. 1. Maji. VII. S. Jacobus Minor (sic dictus, quia serius quam Jacobus Major ad Apostolatum vocatus fuerat) Apostolus, cum suam de Christo sententiam dicere coram populo jussus, pinnaculum templi conscendisset, & Christum Dei Filium Mundi Redemptorem & Judicem libere prædicasset, sacerdotes Judæi rugentium instar leonum circumspectantes, denique lapides sustulere, Apostolum, nisi populi vim veriti fuissent, lapidaturi. Hinc altum vociferati: audistisne, inquiunt, etiam justum hallucinatum? Nec mora, furore victi virum sanctum violenter correptum, ex alto præcipitem dedere. Hoc casu quamvis totum corpus graviter affectum sensisset, injuriæ tamen omnis oblitus, memorque charitatis illius, qua Dominus in cruce pro suis hostibus æterno Patri supplex fuit, duplices in cælum palmas, ad Deum cor sustulit, & utrumque poplitem submisit, totusque hostium amore succensus his Numen verbis placare studuit: *Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nihil placavit immites animos tanta verborum comitas, quæ vel ipsas feras quamvis efferas cicurare potuisset. Itaque scelere scelus cumulantes plagas plagis addidere, & eorum quidam caput ejus immani vecte sic contudit ut omne cerebrum diffunderet. Adeoque fortissimo consummatus martyrio sanctissimam in Dei manus animam edidit, cum triginta totis annis suam rexisset Ecclesiam, ut memorat S. Hieronymus, Anno Imperii Neronis septimo decessit.

Ibid. 24. Aug. VIII. S. Bartholomæus Apostolus cum S. Matthæi Evangelium a se conversum in Indiam deportasset, & Indis prædicasset, non tulit orcus Christianam religionem, deique gloriam tot incrementis augeri. Quamobrem Sacrificulos idolorum concitavit ad vindictam ex S. Bartholomæo repetendam, utpote qui fana atque altaria eorum destruxisset, Deorum cultum minuisset, eorum familias exhausisset, quæstumque ministeriis eorum debitum prorsus avertisset. Inflammavere Sacrificuli Astyagem Regis Polemonis fratrem, alterius provinciæ dominum, ut in accitum ad se Bartholomæum animadverteret. Qui familiariter aliquamdiu Bartholomæo collocutus, postea & Sacrificulo-

culorum & Apostoli sermonibus, magis etiam, quod Apostolus præcipuum idolum afflatus, in terram dicto dejecisset, contrivissetque, commotus exarsit, moxque ferreis excerptum virgis, excoriatumque jussit obtruncari. Christiana pietas & ipse Rex Polemon sublatum corpus ejus solemniter humarunt; & Rex Astyages, cum suis Sacrificulis Apostolicæ necis auctoribus ab infessore Diabolo dire tortus vitam miserabiliter abrupit, mortemque in orco cœpit sempiternam.

Ibid. 21. Dec. IX. S. Thomas, cum Sagamum Regni Indorum dominum cum multis aliis ad Christianam veritatem amplectendam adduxisset, Brachmanes & idolorum Sacrificuli in eum crudeliter exarserunt, & e medio tollere decreverunt, rati eo vivo, nec se, nec Deos suos pristinam auctoritatem retenturos; unde cum aliquando Apostolus degeret in spelæo quodam, dum ad crucem abalienato a sensibus animo, Deum pro suo solemni, precaretur, telis primum ac lapidibus appetitus, dein ab uno a Brachmanibus lancea transfossus occubuit. Venerandum corpus ejus inde sublatum a discipulis in templo, quod ipsemet ædificarat, conditum est, additumque Martyrii nomine & memoriæ causa, fragmentum hastæ, quæ costis inhæserat, & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes utebatur, & urna fictilis cespite infarto, nempe manantem ex sacris vulneribus cruorem ebiberat.

Ibid. 21. Sep. X. S. Matthæus cum Iphigeniæ unicæ Regis Ægypti filiæ virginitatem persuasisset, Hirtacus Ægyppis successor, qui eam in sponsam assumere volebat, ita exarsit, ut sanctum Apostolum sub ipsa Missa in altari lancea transfodi jusserit. Dein Iphigeniæ suas in nuptias ut concederet persuadere conatus, ut actum se agere, ipsamque virginei propositi tenacissimam durare sensit, jussit monasterium inflammari, sed visus in aere S. Matthæus, qui flammas extinxit, & ne latius incendium serperet, opportune cavit. Porro sacrilegus Hirtacus a Deo lepra tam deformi punitus est, ut vim sibi suis ipse manibus attulerit.

Ibid. 28. Oct. XI. S. Simon Cananæus (sic dictus ut a S. Petro, qui similiter Simon vocatus est, distingueretur) & Judas Thaddæus sive Lebæus (sic dictus, ut a Juda Iscariote distingueretur) cum fidem plurimum propagassent, Babylone digressi, diversis in Provinciis regni Evangelium predicarunt. Ingressi quamdam principalem civitatem, Stamir, repererе Magos illos Zaroe & Arphano, qui Pontifices & Deorum Sacrificulos inflammarunt adversus Apostolos, tamquam fanorum subversores. Tantumque obtrectationes eorum, fraudesque valuerunt, ut ab iis sic inflammatis in vincula dati sint. Ductus est Simon ad fanum Solis, & Thaddæus ad Lunæ, quo scilicet hos adorarent. Illis Deum precantibus idola prorucrunt, & in frusta conciderunt, provolantibus inde dæmonibus Maurorum specie, & horrendum vociferantibus. Ad hæc Sacrificuli adeo exarserunt, ut incredibili furore invasos occiderit. Erat tum prorsus in nube cælum, quod protinus obnubilatum, terribilibusque fulgoribus coruscum, tonitruisque metuendum, cuncta profana falsorum Deorum fana fulminavit, evertitque, & paganorum quam plurimos, atque in his geminos illos magos extinxit, bustaque ipsorum in cineres dissolvit.

XII. S. Mathias, cum Judæam, quæ ei sorte obtigerat, & ex qua copiosos retulit manipulos, peragrasset, & in Æthiopiam venisset, multas gravesque perpessus est ærumnas regionibus prorsus asperis, inviis, inhospitis, plures tamen & atrociores a Judæis, & idololatris toleravit gentibus, a quibus denique lapidibus obrutus, etiam Christi causa obtruncatus, decessit anno Christiano sexagesimo, Imperatore Nerone Augusto. Sacrum S. Mathiæ corpus postea Romam translatum ad S. Mariæ Majoris est conditum, ubi caput ejus hodieque populo spectandum venerandumque proponitur. Ibid. 24. Feb.

XIII. De S. Joannis Baptistæ Martyrio sic scribit S. Matthæus: Hærodes autem tenuit Joannem, & alligavit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Joannes: *Non licet tibi habere eam*. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis saltavit filia in medio, & placuit Herodi. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita a matre sua: da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. Et contristatus est Rex: propter juramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, jussit dari. Misitque & decollavit Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud. Mat. 6. 14.

XIV. De Sancti Stephani martyrio Sanctus Lucas sic scribit: Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant a Cilicia & Asia disputantes cum Stephano: & non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur. Tunc summiserunt viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & in Deum. Commoverunt itaque plebem & Seniores, & Scribas; & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium. Et statuerunt falsos testes, qui dicerent: homo iste non cessat loqui verba adversus locum Sanctum, & legem. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus, tamquam faciem Angeli. Cumque ad eos ulterius dixisset: Dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et oc- Act. 6. & 7.

occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis; qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei, & ait: Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum; & ejicientes eum extra civitatem lapidabant, & testes deposuerunt vestimenta sua, secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum invocantem & dicentem: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum.* Positis autem genibus clamavit voce magna, dicens: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Ribaden. 10. Aug. XV. Singulariter gloriosum fuit Sancti Laurentii Martyrium, quod Ribadeneira sic describit: Secundum hæc ab Imperatore Valeriano ad tribunal Sanctus Levita duci jussus, quod ut ab Hyppolito jam Christiano fuit ei significatum, vir sanctus totus hilaris ei respondit: *Eamus, & mihi enim, & tibi gloria paratur.* Tyrannus, ut in conspectum venit, Martyrem & sacros Ecclesiæ thesauros popofcit, cui Laurentius divina sapientia instructus respondit: *Da mihi bidui aut tridui inducias, & proferam tibi thesauros.* Arrisit Valeriano pactum, addiditque individuum ei comitem Hyppolitum. Lætus hisce tridui induciis Laurentius, congregatisque cæcis, claudis, & quoscumque habere potuit, pauperibus, iisque in camelos & currus ab Imperatore submissos (ut Auctor est Metaphrastes) quo thesauros promissos adveheret impositis, accessit ad Imperatorem, dixitque: *Ecce isti sunt thesauri Ecclesiæ.* Nam quemadmodum Sanctus Ambrosius: *Vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est; quorum manibus eleemosyna nostræ cælum penetrant, & nos thesauris potimur æternis.* Incredibile memoratu est, quam Tyrannus exarserit, ut se vidit a Laurentio deceptum, suaque spe frustratum; jussit e vestigio suis Sanctum Levitam vestibus nudatum lancinari. Quin ut & majore Martyrem terrore percelleret, omnia curavit afferri instrumenta, quibus Martyres torquerentur, quo scilicet intelligeret, nisi suis annueret placitis, hæc omnia ipsi experienda. Verum enim vero nihil hoc terribilium tormentorum spectaculo Martyr expavit, utpote cujus totum cor amore divino flagraret adeo, ut omnia pœnarum genera, quæcumque possent infligi, pauciora viderentur & suaviora quam cuperet ipse tolerare. Existimas, o miser, hisce me territare tormentis; sed scias velim, hæc quidem tibi tormenta, mihi delicias videri; sed neque perinde mihi quidquam fuit in votis, quam huic mensæ accumbere, atque hisce deliciis saginari. Hinc vinculis onustus in palatium ductus, a quo cum Tyrannus thesauros exegisset, & idolis eum sacrificare jussisset, & ne thesauris, quos absconditos haberet (utpote quibus a tormentis jam præparatis liberari nequiret) consideret, monuisset, Sanctus Levita sedatim, modesteque respondit: Ego vero confido thesauris cælestibus, divinæ scilicet misericordiæ & bonitati, qua dummodo liberetur anima, corpus licet sua patiatur tormenta. Itaque virgis cæsus in sublime suspensus, & secundum latera ferreis laminis ustulatus, Martyr, partim Tyrannum risit, & cruciatus illatos se sentire negavit; partim meritas Deo grates egit, dixitque: *Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo, quia accusatus non te negavi, interrogatus te Dominum Jesum Christum confessus sum.* Porro quanto majorem patientiam, lætitiamque vultu Martyr exhibuit, tanto crudelius Tyrannus exarsit, divinamque gratiam magicis incantamentis tribuens, eidem dixit: *Scio illudere te tormenta arte magica, sed mihi non illudes. Testor Deos; Diisque aut sacrificabis, aut diversis te pœnis interficiam.* Martyr ad hæc totus impavidus invictusque respondit: *Ego in nomine Domini nostri Jesu Christi non reformido tormenta tua, quæ sunt ad tempus. Fac, quod facis, noli cessare.* Tum vero Tyrannus immani furore percitus, eum tam dire plumbatis cædi jussit, ut velut in mortario contusus videretur. Quam ob rem Laurentius Deum precatus est, ut susciperet spiritum suum dignaretur. Audita de cælo vox hæc: *Adhuc multa certamina tibi debentur:* Quod oraculum & ab omnibus fuit exauditum circumstantibus, & ipso quoque Judice, qui multo etiam efferatior exclamavit: *Viri Romani audistis ut dæmones solentur sacrilegum, qui nec Deos nec Principes vestros timet, nec exquisita tormenta formidat? Extendite eum, & scorpionibus flagellate.* Sed hosce cruciatus Martyr invicta virtute perpessus, Deo gratias egit in hæc verba: *Benedictus es, Domine Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis immerentibus impendisti misericordiam tuam. Et tu, Domine, propter pietatem tuam largire nobis gratiam tuam, ut cognoscant circumstantes, quod tu consoleris servos tuos.* Secundum hæc Angelus cælo demissus, a quo Laurentius suis in tormentis recrearetur, corroboraretur; & sudore, suoque cruore perfusus abstergeretur. Vidit hunc cælestem Ephebum adeo in fovendo Martyre officiosum quidam militum, qui divina luce collustratus petiit a S. Laurentio baptizari. Baptismate ablutus, etiam martyrii laurea potitus est. Tyrannus porro non contentus diris adeo cruciatibus Laurentium afflixisse, sed suam demum rabiem expleturus, eo cruciando solidam rursus noctem exigere decrevit. Quam ob rem jussit ad tribunal omne tormentorum genus, quibus Martyres cruciari solebant, afferri, quo scilicet hæc omnia in sancto Levita, qui totus jam dilaniatus erat, experiretur. Itaque cum dirus Judex tribunal occupasset, interrogavit Laurentium cujus esset? Cui Laurentius: *Quod ad genus*, inquit, *attinet, Hispanus sum; Romæ autem nutritus & eruditus, atque a cunabilis Christianus, doctus omnem legem*

gem sanctam & divinam. Et Judex: *Revera divinam*, inquit, *quia nec Deos cogitas, nec tormenta formidas*. Cui Laurentius: *In nomine Domini nostri Jesu Christi tormenta tua non timeo*. Et Judex: *Sacrifica*, inquit, *Diis, alioquin istbæc tuis suppliciis non expendetur*. Cui Martyr: *Nox mea obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt*. Denique ferreum Tyrannus lectum craticulæ instar formatus, virisque capacem afferri, lentisque ignibus jussit inflammari, quo scilicet paulatim ustularetur, & mors esset eo atrocior, quo prolixior. Nec mora, fuit apparatus a lictoribus hic lectus, deinde subjectis prunis accensus. Hinc sanctus Levita suis furiose vestibus nudatus est, expositumque omnium oculis illud sacrum corpus, totum prioribus cruciatibus lividum, cruentumque, atque in craticulam dejectum crudeliter extendere. Astabat præsens huic spectaculo tyrannus, ardentibus oculis, vultuque irato terribilis rugiebat, & rabidas ore spumas agebat; lictores ignium fomenta craticulæ suggerebant; circumstantes suspensi, attonitique hærebant, cœlites hoc spectaculo gaudebant; Laurentii cor pietatis & amoris affectibus ardebat identidem Domino in hæc verba colloquentis: *Suscipe, Domine, hoc sacrificium in odorem suavitatis*. Et Deus, qui fidelis est, suum militem corroboravit, sicut violentiæ Tyranni divina virtus, & tenera Martyris caro crudeli tormento, & vita morti colluctata, denique contra stygem fide Jesu Christi triumpharet. Non videbatur ferreo Laurentius lecto, sed olorina depositus pluma, deliciis omnibus circumfluere. Nam constanter ad Tyrannum conversus: *Ecce miser*, inquit, *assasti unam partem, versa & manduca*. Cæterum cum jam suprema vitæ meta Martyr proprius adesset, & ad accipiendam cælestis gloriæ coronam sese a Domino mox sentiret evocandum, ad eundem conversus dixit: *Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, quod merui januas tuas ingredi*. Ita dicere, & vivere desiit, victricemque animam digne coronandam emisit in cælum, ubi majore cum gloriæ splendore nunc fulget, quam flammæ, quibus olim sacrum ejus corpus arsit.

Ibidem, Jun. XVI. S. Barnabas Apostolici vir pectoris, postquam plurimas Provincias peragrasset, fidemque Catholicam late propagasset, tandem mortalis vitæ pertæsus, cælestisque desiderio beatitatis accensus, adiit Synagogam, ubi paratum sibi norat editum; cumque validis omnino rationibus convicisset, Christum verissimum esse Messiam, tot vatum oraculis prædictum, omnes Hebræi rabido in illum furore conciti, violentas ei manus attulere, direque cruciatum lapidibus obruere. Ita vir sanctus corporeis nexibus absolutis ad Deum subvolavit, qui sacras ejus exuvias quamvis in ignes ab hebræa impietate conjectas, nec ustulari, nec ullo modo sibi aboleri.

Ibidem, Nov. XVII. S. Clementis Papæ martyrium Ribadeneira sic describit: inter ea valde Christianorum numerus prædicatione augebat. Quod ut Trajanus vulgante fama didicit, exarsit, & eo Præsidem Aufidianum misit, qui magnam Christianorum stragem edidit, variisque cruciatuum generibus e medio sustulit. Sed ut omnes in vera fide constantissimos sensit, magnaque in mortem lætitia ruere certatim vidit; ratus melius se facturum, si multitudini parceret, & caput omnium, magistrumque Clementem tolleret, eum ad se protinus accivit. Quem ut veritatis tenacissimum sensit, nec ullis a Christo modis avelli posse cognovit, jussit eum in altum evectum anchora collo ejus alligata, demergi, ne forte tamquam Deus a Christianis coleretur. Ingens exortus est Christianorum mœror & clamor, simul ut intellexerunt in S. Papam mortis esse sententiam pronunciatam. Ipse namque erat eis Pater, Magister, Frater, fidusque amicus, & in urbe adeo ærumnosa commune omnium præsidium: cum mœrentibus etiam ipse S. Pontifex mærebat, & cum flentibus flebat, eorumque vicem miseram miseratus, quoad licuit amanter, consolatus est. Cumque jam alto demergendus esset, populus qui spectator adstabat in litore, altum vociferatus, *salva*, inquit, *eum Deus Jesu Christi*. Et Sanctus Clemens ait: *Suscipe Pater æterne spiritum meum*. Sic alto demersus martyrii laurea potitus est. Aderant huic spectaculo duo Sancti Clementis discipuli, Cornelius & Phœbus, qui ad populum conversi dixere: omnes oremus unanimes, ut ostendat nobis Dominus Sancti Martyris sui corpus: ita comprecantibus ad tria passuum millia sese mare pandit, ut tuto poterint incedere vestigio, haud aliter, ac si aridam calcarent. Porro progressi (o omnipotens Deus miraculorum patrator, tuorum Sanctorum honorator)! reperere Sacellum manibus Angelorum constructum, in eoque arcam lapideam, qua conditum erat Sancti Clementis corpus, poneque illud anchora deposita, quæ fuerat ejus alligata collo. Neque is annus solus, quo decessit, hoc miraculo fuit insignis, sed quotannis idem quoque miraculum fuit patratum, pelago, quemadmodum diximus, ad tria passuum millia recedente, sic ut diebus omnino septem numeratis ab ejus martyrio Christiani sicco plane vestigio ejus tumultum possent invisere.

XVIII. Sanctus Polycarpus Episcopus Smyrnensis effors, ita jam ætate, cum lictores ad eum comprehendendum jussos domum, in qua latebat, ingressos esse comperisset, licet potuisset eos postico egressus fallere, in eodem tamen vestigio hæsit, mox oculis in cælum defixis cum dixisset; *Domine, fiat voluntas tua*; per scalas descendit, venientibus velut amicis, obviam processit, officioseque exceptos ad lautum convivium invitavit, magnaque vultus hilaritate ac majestate supplex eos oravit, ut horulam, qua se Deo commendaret, indulgerent. Illi alacres oblato accubuere convivio, nec Sanctus præsul interim sibi defuit; sed etiam ipse divino Eucharistiæ epulo ad imminentem luctam sese roboravit. Mire lictores affecit ea, quæ splendebat in venerando Polycarpi vultu serenitas, mire cœpit eos non verborum tantummodo comitas, & beneficiorum, quæ percipiebant ab eo, liberalitas, eoque suæ missionis pertæsi invicem dixere: ergone ad hunc optimum se- *Ibidem, Jan.*

nem

nem tam nivea venerabilem canitie capiendum nos missi? Itane pileo dignissimus duplici vetulus hic ad necem depolcitur? Siccine hujus militi Nestoris vitæ, tot, tamque anxiæ tenduntur insidiæ? At tamen quod Imperatorum jussus urgeret, arreptum Sanctum Præsulem, jementoque impositum in urbem deduxere. Ubi cum post blanditias varias adhibitas, cum Proconsul varias minas, & specialiter ignis tormentum intentaret, respondit: Equidem nihil hoc igne, quo corpus terretur, terreor, quia momento finit. Ille me terret ignis, qui sola definitur æternitate; illas ego solas horresco flammas, quas perpetua in iis viventium, gementiumque mors pascit. Denique quid quæris? tuas ego minas flocci pendo; accerse bestias, accende flammas, ecce me; præsto sum, vel his pabulum, vel illis præda non invita. Nullius ambige; experire me vel Androdum, vel Scævolam, hoc fortiorem, illo feliciorem. Ista Sanctus Præsul ita comiter, ita graviter dixit, ut Proconsul, quamvis gravissime commotus, tamen in eo miram frontis serenitatem, temperatamque comitati gravitatem mire suspexerit. Verum enim vero, ne quid Christianæ religioni detulisse videretur, jussit illic in theatro præconem stentorea ad populum voce proclamare, Polycarpum esse Christianum. Tum vero populus insanis succlamare vocibus: Tolle, tolle de medio hostem deorum, magistrum magorum; ardeat ignibus infamis veneficus. Mox undique ligatum dilapsi suis humeris, vel plaustris fraxinos, pinus, ornos ac robora convectavere. Ad hæc Sanctus Præsul, nihil gelida tardatus senecta, sed totus impiger ad martyrium se comparare, cingulum solvere, tunicam diffibulare, amictumque sibi diripere, & ad flammas, perinde ut ad epulas, anhelare. Interim lictorum sex Martyrem circumdare, catenas, ac nexus expedire, certatim in innocuam hostiam fremere, eamque ferratis velle clavis ad postem depangere, ne videlicet in incendio sese commoveret, ac subduceret. Quod ut Martyr advertit: Quæso vos, inquit, ne me vel nervis adstringite, vel clavis affigite; nec enim flammas timeo, quin imo mediis in ignibus quavis statua immobiliorem me fore cum Deo spondeo. Dictum, factum. Conjectus in ignem Sanctus Præsul holocaustum sese Deo consecravit, in hæc eum verba præcatus: *Suscipe æterne Pater in holocaustum, victimamque hanc vitam, quam dedisti libens, volens reddo. Tu Dominus Totius universi; tu Pater Domini nostri Jesu Christi, quo Doctore mysteria tua didicimus, quo Magistro te nosse cœpimus, qui se tibi fecit in ara crucis. Hujus ego memor sacrificii me quoti die tibi victimo in confessione veræ fidei. Cadat hæc victima ad majorem tuam, tuique Filii gloriam. Equidem immortales tibi debeo gratias, quod me tuorum Martyrum albo adscribere dignatus es, eoque te, Pater, laudo, te prædico, te veneror, te cernuus adoro per Jesum Christum Filium tuum, Pontificem optimum maximum, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, qui tecum & sancto Spiritu vivit & regnat in secula seculorum.* Dixit, moxque pyram lictor subjectis ignibus inflammavit. Cæterum ut intelligeret circumstantium impietas omnia creata divino parere nutui, ingens incendium Martyrem præstitit illæsum. Quin, & cum flamma nautici instar veli secundis Favoniis inflata ventilata circumluderet, visi sunt Martyris artus (ut alias amant ejusmodi busta) nec olere, nec gravi nidore auram corrumpere, sed, ut in ardenti camino aurum, miro splendore radiare, odoresque Arabicos spirare. Obstupuit miraculo circumstantium impietas, immeritoque indignata, quem necare nequiverat incendio, tollere gladio decrevit. Propius ergo lictor accessit, ferroque Sancti Martyris latus hausit. Luculenta plaga tantum sanguinis fudit, ut eo protinus incendium restingueretur. Mox reserato corporis ergastulo victor in cælum spiritus evolavit.

XIX. Sanctus Vincentius Oscæ in Hispania Ib. vid.
natus a prima ætate studiis deditus, sacras 22. Jan.
litteras a Valerio Cæsaraguſtano Episcopo didicit; cujus etiam partes suscepit prædicandi Evangelium, quod Episcopus, propter linguæ impedimentum prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum, provinciæ a Diocletiano & Maximiano præpositum, delata, Vincentius Cæsar Augustæ comprehenditur, & vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur. Ubi verberibus & equuleo tortus, multis præsentibus, cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum a proposito deterreri posset; in craticula impositus, prunis ardentibus suppositis ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibus laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratus testacies fragmentis, ut ejus nudum corpus, somno oppressum, a subjectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verum illo in tenebricosa incluso custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustravit, quæ lux cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset, res a custode carceris ad Dacianum defertur. Qui eductum in molli culcitra collocat: & quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus, Jesu Christi fide speque munitus vicit omnia, & ignis, ferri, tortorum immanitate superata, victor ad cælestem martyrii coronam advolavit undecimo Kalendas Februarii. Cujus corpus cum projectum esset inhumatum, corvus & a volucribus & a lugo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Quare re cognita Dacianus illud in altum mare demergi jubet; sed inde etiam divinitus ejectum ad littus, Christiani sepeliunt.

XX. Sancti Joannes & Paulus fratres Ro- Ibid. 26.
mani, cum facultatibus a Constantia Con- Jun.
stantini filia, cui pie fideliterque servierant, sibi relictis, Christi pauperes alerent, a Juliano Apostata in numerum familiarium suorum invitati, libere negaverunt, se apud eum esse velle, qui a Jesu Christo defecisset.

Quibus ille ad liberandum decem dies præfinit, ut nisi ad eam diem ei adhærere, & Jovi sacrificare constituerint, sibi moriendum esse certo sciant. Illi intra hoc tempus bona sua distribuerunt pauperibus, quo expeditiores ad Dominum migrare possent, & plures juvarent, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. Die decima Terentianus prætoriæ cohortis Præfectus, ad eos missus, cum allata Jovis effigie, ut eam venerarentur, Imperatoris mandatum eis exponit; ut nisi Jovi cultum exhibeant, moriantur. Qui, ut erant orantes, responderunt, se pro Christi fide, quem Deum mente & ore venerabantur, non dubitantur mortem subituros. At Terentianus veritus, ne, si publice interficerentur, populus commoveretur, domi, ubi tunc erant, abscissis eorum capitibus sexto Kalendas Julii secreto eos sepeliendos curavit: rumoremque sparsit, Joannem & Paulum in exilium ejectos esse. Verum eorum mors a spiritibus immundis, qui multorum corpora vexabant, pervulgata est: In quibus Terentiani filius & ipse oppressus a dæmone, ad sepulchrum Martyrum perductus, liberatus & is in Christum crediderit; & ejus pater Terentianus, a quo etiam horum beatorum Martyrum vita scripta esse dicitur.

Ibid. 27. Sept. XXI. SS. Cosmas & Damianus Fratres, Arabes, in Ægea urbe nati, nobiles Medici, Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, non magis medicinæ scientia, quam Christi virtute, morbis etiam insanabilibus medebantur. Quorum religionem cum Lysias Præfectus cognovisset, adduci eos ad se jubet: ac de vivendi instituto, & de fidei professione interrogatos, cum se & Christianos esse, & Christianam fidem esse ad salutem necessariam, libere prædicarent, deos venerari imperat, &, si id recusent, minatur cruciatus, & necem acerbissimam. Verum ut se frustra hæc illis proponere intelligit: Colligate, inquit, manus & pedes istorum, eosque exquisitis torquete suppliciis. Quibus jussa exsequentibus, nihilominus Cosmas & Damianus in sententia persistebant. Quare ut erant vincti, in profundum mare jaciuntur: Unde cum salvi & soluti essent egressi, magicis artibus Præfectus factum assignans, in carcerem tradit, ac postridie eductos, in ardentem rogum injici jubet; ubi cum ab ipsis flamma refugeret, varie & crudeliter tortos securi percuti voluit. Itaque in Jesu Christi confessione martyrii palmam acceperunt.

Ibid. 19. Jun. XXII. SS. Gervasius & Protasius, Vitalis & Valeriæ filii, quorum pater Ravennæ, mater Mediolani, pro Christi Domini fide martyrium subierunt, destributo pauperibus patrimonio domesticos servos libertate donarunt. Quo facto Gentilium Sacerdotes immanem illos conceptum odium habebant. Quare cum Astasius Comes in bellum proficisci vellet, hanc occasionem perdendi pios fratres se nactos esse putaverunt. Itaque Astasio persuadent, se a diis admonitos esse nullo modo eum victorem futurum, nisi Gervasio & Protasio coactis Christum negare, eosdem ad sacra diis facienda compelleret. Quod cum illi detestarentur, Astasius imperavit, Gervasium tamdiu cædi, dum inter verbera expiraret: Protasium fustibus contusum securi percuti jubet. Quorum corpora Philippus Christi servus clam sustulit, & in suis ædibus sepelivit; quæ postea S. Ambrosius Dei monitu inventa, in loco sacro & insigni collocanda curavit. Passi sunt Mediolani decimo tertio Kalendas Julii.

XXIII. S. Hermenegildus Rex Leovigildi filius, cum pater Arianus ipsum ad eandem hæresim, qua blanditiis, qua minis perducere conatus fuisset, constantissime respondit: numquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnovisset: iratus pater eum privavit regno, rebusque expoliavit omnibus. Cumque nec sic virtutem mentis illius emollire valuisset; in arcta illum custodia concludens, collum, manusque illius ferro ligavit. Cœpit itaque Hermenegildus Rex juvenis terrenum regnum despicere, & forti desiderio cæleste quærens, in ciliciis vinculatus jacens, omnipotenti Deo, ad confortandum se preces effundere; tantoque sublimius gloriam transeuntis mundi despicere, quanto & religatus agnoverat nihil fuisse, quod potuerit auferri. Superveniente autem Paschalis festivitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum Episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Episcopo venienti exprobravit, ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reverso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos apparitores misit, qui constantissimum Confessorem Dei illic, ubi jacebat, occiderent: quod & factum est. Nam mox, ut ingressi sunt, securim cerebro ejus infligentes, vitam corporis abstulerunt. *Ibid. 13. April.*

XXIV. S. Thomas Cantuariensis Episcopus cum Henrici octavi Regis Angliæ impiis decretis tam fortiter resisteret, ut propterea sæpius conquereretur Rex, se in suo regno cum uno Sacerdote pacem habere non posse, ex ea Regis voce nefarii satellites sperantes gratum se Regi facturos, si Thomam e medio tollerent, clam convenientes Cantuariam, Episcopum in templo vespertinis horis operam dantem aggrediuntur. Qui Clericis templi aditus præcludere conantibus accurrens, ostium aperuit, illis usus verbis ad suos: Non est Dei Ecclesia custodienda more castrorum: & ego pro Ecclesia Dei libenter mortem subibo. Tum ad milites: Vos Dei jussu cavete, ne cuipiam meorum noccatis. Deinde flexis genibus, Deo, beatæ Mariæ, Sancto Dionysio, & reliquis Sanctis ejus Ecclesiæ Patronis, Ecclesiam & se ipsum commendans, sacrum caput eadem constantia, qua iniquissimi Regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit quarto Kalendas Januarii anno Domini millesimo centesimo septuagesimo primo: cujus cerebro respersum est totius templi pavimentum. *Ibid. 29. Dec.*

XXV.

Ibid. 9. Octob. XXV. Sanctus Dionysius Areopagita Atheniensis Ecclesiæ Episcopus, cum a Clemente Pontifice in Galliam prædicandi Evangelii gratia missus fuisset. Quem Lutetiam usque Parisiorum Rusticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus prosecuti sunt, ibi a Fescennio Præfecto, quod multos ad Christianam religionem convertisset, ipse cum sociis virgis cæsus est: cumque in prædicatione Christianæ fidei, constantissime perseveraret, in craticulam subjecto igne injicitur, multisque præterea suppliciis una cum sociis cruciatur. Sed ea tormentorum genera omnibus forti ac libenti animo perferentibus, Dionysius annum agens supra centesimum, cum reliquis securi percutitur septimo Idus Octobris. De quo illud memoriæ proditum est, abscissum suum caput abstulisse, & progressum ad duo millia passuum in manibus gestasse.

Ib. 9. Sept. XXVI. Sanctus Gregorius Nicomediæ natus, Diocletiani Imperatoris cubicularius, Dorotheo collega suo adjutore, reliquos omnes cubiculi ministros ad Christi fidem perduxit. Uterque autem cum vidisset quodam die Martyrem coram Diocletiano acerbissime cruciari, ejus exemplo martyrii amore incensus est. Itaque amborum hæc vox erupit: Quid est, Imperator, quod hujus condemnata sententia, quæ nobis cum eo communis est, unum illum punis? Istius nostra etiam fides est, idem propositum. Eos igitur vinctos Imperator flagellis concidi jubet, ut toto corpore cutis dirumperetur; & in plagas acetum infundi sale permixtum; mox restinctis in craticula subjici imperat vim candentium carbonum; denique varie torti, suspendio necati sunt.

Ib. 2. Jul. XXVII. SS. Processus & Martinianus cum a SS. Apostolis Petro & Paulo conversi & baptizati essent, Paulinus Præfectus militum recognita, Processum & Martinianum a suscepto consilio revocare conatur. Qui cum frustra tempus contereret, ipsorum ora saxo contundi dentesque comminui jubet. Mox ad Jovis statuam adductos, cum eadem constantia veneraturos se idola negarent, imperat equuleo torqueri, candentibus laminis ad eorum corpus admotis, ac cædi fustibus. Quibus in cruciatibus una hæc illorum vox audiebatur: *Sit Nomen Domini benedictum*. Denique conjecti in carcerem, paulo post extra urbem via Aurelia securi feriuntur.

Ibid. 19. Sept. XXVIII. S. Januarius Beneventi Episcopus, Diocletiano & Maximiano in Christianos sævientibus, ad Timotheum Campaniæ Præsidem ob Christianæ fidei professionem Nolam perducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem conjectus, ita illæsus evasit, ut, ne vestimentum, aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Præses accensus iracundia Martyris corpus imperat, usque eo distrahi, quoad nervorum compages artuumque solvantur. Postero die in amphitheatro feris objectus est, quæ naturalis oblitæ feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyrem pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox beato Januario, lumen recepit: quo miraculo hominum millia ferre quinque Christi fidem receperunt. Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantæ multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, Sanctum Episcopum cum sociis gladio percuti jussit.

XXIX. S. Eustachius postquam incredibiles calamitates mira patientia perpessus, & per varios casus jactatus, tandem a Trajano iterum conquisitus, militiæque præfectus fuisset, paulo post, quam civitatem Romam victor omnium gratulatione ingressus fuisset, inanibus diis pro parta victoria sacrificare jussus, constantissime renuit. Cumque variis artibus ad Christi fidem ejurandam frustra tentaretur, una cum uxore & liberis leonibus objicitur: Horum mansuetudine concitatus Imperator, æneum in taurum subjectis flammis candentem eos immitti jubet, ubi divinis in laudibus consummato martyrio duodecimo Kalendas Octobris ad sempiternam felicitatem convolarunt, quorum illæsa corpora religiose fidelibus sepulta, postmodum ad Ecclesiam eorum nomine erectam honorifice translata sunt. *Ibid. 20. Sept.*

XXX. SS. Chrysanthus & Daria conjuges, nobili genere nati, fide etiam clariores, quum Daria mariti opera baptismum susceperat, Romæ innumerabilem hominum multitudinem hæc mulierum, ille virorum ad Christum converterunt. Quare Celerinus Præfectus comprehensos tradidit Claudio Tribuno: qui jussit a militibus Chrysanthum vinctum cruciatibus torqueri: sed vincula omnia resoluta sunt: mox compedes, in quos conjectus fuerat, confracti. Deinde bovis corio inclusum, in ardentissimo sole constituunt; tum pedibus ac manibus catena constrictis, in obscurum carcerem detrudunt: Ubi solutis catenis clarissima lux locum illustravit. Daria vero in lupanar compulsa, leonis tutela, dum in oratione defixa est, a contumelia divinitus defensa est. Denique in arenariam, quæ est via Salaria, uterque ductus, effossa terra, lapidibus obruti, parem martyrii coronam adepti sunt. *Ibid. 25. Octob.*

XXXI. SS. Vitalis, & Agricola ejus dominus, in persecutione Diocletiani & Maximiani Bononiæ ob Jesu Christi prædicationem comprehensi sunt: cumque Vitalis, quo magis precibus & minis tentaretur, ut sententiam mutaret, eo magis se Christi cultorem, ac servum profiteretur, vario tormentorum genere cruciatus, constanter omnia perferens in oratione spiritum Deo reddidit. Agricola vero, cum ejus supplicium dilatum esset, si forte tormentis servi permotus, Christo vellet renunciare, ejus exemplo magis confirmatus est. Itaque cruci affixus, Vitali servo consors & socius fuit nobilis martyrii. *Ibid. Nov.*

XXXII. S. Chysogonus, cum Diocletianus Imperator Romam scripsisset, ut reliquis Christianis, qui vinculis essent, interfectis, Chrysogonus Aquileam ad se mitteretur, eo perductus est. Cui Imperator: *Accersivi*, inquit, *te, Chrysogone, ut honoribus augeam, si mo-* *Ibid. 24. Nov.*

D 2 *do*

do induxeris animum, Deos colere. At ille: *Ego enim, qui vere Deus est, mente & oratione veneror: Deos autem, qui nihil sunt, nisi dæmonum simulacra, odi & execror.* Quo responso excandescens Imperator, ad aquas Gradatas eum securi percuti jubet, octavo Kalendas Decembris: cujus corpus projectum in mare, paulo post in littore inventum, Zoilus Presbyter in suis ædibus sepelivit.

Nadasi in anno cælesti 7. Dec. XXXIII. S. Athenodorus inter duas columnas extensus, facibusque ac uncinis ferreis in nares infixis cruciatus, aliaque tormenta perpessus, cum ad ipsum capite plectendum nemo auderet accedere, eo quod carnifici manus cum gladio excidisset, ac ipse quoque mortuus concidisset, orans animam expiravit.

Id. 3. Jan. XXXIV. S. Daniel Levita inter ferream, & ligneam tabulam, clavis confixus est, cujus corpus ubi lateret, cæcus ostendit, & lumen recepit.

Id. 8. Jan. XXXV. Sanctus Cæterius Presbyter M. divina voce: *Ego tecum ero*, e latebris eductus; excisis novacula pedum ac manuum unguibus; talis ferro trajectis, succensa sartagine, liquato plumbo, ignita galea cruciatus, a Christo & Angelis recreatus; qui e perfosso latere aquam, tum sanguinem, denique animam edidit.

Id. 9. Feb. XXXVI. S. Gemmulus truncatum caput cervici iterum imponens ad Episcopum suum tulit.

Idem 13. Feb. XXXVII. Sancta Thelica M. ungulis discerptus, ac tormentis aliis laniatus; *Deus*, ajebat, *miserere! gratias tibi ago: Domine, da mihi constantiam. Ad Dei gloriam. Gratias ago Deo regnorum. Apparet regnum æternum, regnum incorruptum. Deus sanctissime, Deus altissime. Deus omnipotens, tibi laudes pro nomine tuo agimus. Pro lege Dei morior; in ipsa consumor. Domine Jesu, tibi servimus, a te gratiam & misericordiam sempiternam expectamus.*

Ribaden. p. 2. 21. April. XXXVIII. S. Adelbertus Pragensis Episcopus, cum post alias Provincias fidei lumine illustratas, etiam in Prussiam venisset, vix ibidem appulsus mox allatæ lucis radios undique diffudit, & beatitudinem, vitamque perennem, qua se per Christum aliquando potituros Christiani sperant, eis explicavit. Sed illi noctuarum instar lucis impatientes, Apostolicum sanctumque Evangelii Præconem probris affectum protinus abire jusserunt. Postea cum pœnituisset eos, quod abire scivissent illæsum, secuti profectum violenter eum, comitesque ex itinere retraxerunt; atque instar furum vinctos, & in apicem montis raptos Sanctum Præsulem septem confixum lanceis obtruncarunt.

Nadasi p. 2. 9. Sept. XXXIX. S. Severianus miles cum quadraginta Martyres in carcere frequens visitaret, saxo ad pedes ligato suspensus, flagris laniatus, in tormentis spiritum reddidit. Cujus corpori impositum e floribus sertum aquila abstulit, & eo loco demisit, ubi Deus voluit ipsum sepelliri: cujus corpori cum obviam irent multi, etiam quidam e mortuis resurrexerit, & obviam ivit; ac per quindecim annos deinde superstes ab ipsius sepulchro non decessit.

Idem 1. Sept. XL. S. Ferreolus Tribunus Tyranno ajebat, Deum servis suis per Jesum dare fiduciam moriendi & resurgendi spem; qui fatigatus pluribus cum cædendo tortoribus, postea sponte solutis ferreis vinculis, Rhodanum, succolantibus Angelis, facile tranavit; & iterum capto sibi objectum, ad terrorem incutiendum S. Juliani M. caput, amplexu & osculo honoravit; tandemque capite truncatus, & sepultus multis post annis, una cum illo S. Juliani capite integro, integer est repertus.

XLI. Sanctus Trophimus dirissime verberatus tormenta omnia delicias oculorum, & pro Christo fusum sanguinem divinum quoddam lavacrum esse, ajebat: discerptis deinde ad ipsa viscera lateribus, in ferreis clavatisque calceis incessit; & iterum nervis, sale ac aceto, lampadibus cruciatis, toto corpore unguibus discerptus; eruto candentibus obeliscis utroque oculo, Deo velut sacrificii totius primitias, lætus obtulit oculos, deinde & caput. *Ibid. 19. Sept.*

XLII. Sanctus Chariton nervis cæsus, & mille pro Christo mortes subire paratus, moriens ajebat suis: *Nunc demum tempus adhuc est, operandi; futura illa æterna esse. Sint vobis arma ad bellum, jejunium, oratio, lacrymæ, memoria mortis, & gehennæ, & quod est omnium validissimum, & inimicis maxime terribile, beata humilitas, cautioque ne unquam vos pravæ occupent cogitationes, ac observatio sensuum.* *Ibid. 22. Sept.*

XLIII. S. Colmanus e stirpe Regia, pro Christo peregrinus virgis, igne, forcipibus, ferra cruciatus, suspensus, multisque a Deo prodigiis honoratus est. *Ibid. 13 Octob.*

XLIV. S. Andreas Martyr corde ad Deum aspirante ajebat: *Domine serva! Domine dirige!* & in pericula media irruit mortem quærens: sacras imagines docte & sancte propugnavit; deinde flagellatus, ac boum nervis sæpius cæsus, gratias Deo agens, ligatis pedibus raptatus, pede altero amputato cælum ingressus est, factus postea dæmoniacis, & infirmis refugium sanctum. *Ibid. 17. Octob.*

XLV. S. Varus mille loris cæsus, suorum precibus divinitus firmatus, ungulis discerptus, discisso nodaculis ventre effusis visceribus fortissime obiit. *Ibid. 19. Octob.*

XLVI. S. Artemius Dux Augustalis post magnos militiæ honores, post atrocissimos pro Christo cruciatus, promissa ei a Christo æternitate, ab eodem statim sanatus; antequam gladio percuteretur, orans hæc e cælo, hisque plura audivit: *Audivit Dominus tuas preces, o Artemi; festina consummare cursum: accipe bravium paratum Sanctis omnibus.*

XLVII. S. Maximus martyrium quærens, tentanti se tyranno ajebat: *Animam meam lucrabor: me ipsum offero Sacrificium Deo meo vivo & vero. In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Et post equuleum ac fustes, e sublimi loco præceps dejectus, devota Deo Altissimo victima cecidit. *Ibid.*

XLVIII. S. Theodorus miles tyro, succenso matris Deorum fano, Deos in cinerem redegit; & atrocissime cæsus, ad carcerem famemque perpetuam damnatus est. Sed ibi Christi Jesu & Angelorum frequentia lætus, dul- *Ibid. 1. Nov.*

cissima inter solatia cordi, ac ore lætissimo occultabat; neque oblatum panem atque aquam admittens, se a Christo Jesu sibi aliâ ajebat: qui ab eodem Christo Jesu sibi conspecto audivit: *Confide, Theodore, ego enim tecum sum; erit tibi vita ab interitu aliena, & æterna mecum in cælis*: & postea cum candido Angelorum exercitu psallere auditus est. Tandem ungulis toto corpore laniatus, dum costæ ei nudarentur, lætus canebat: *Benedicam Dominum in omni tempore*: fronteque, oculis, pectore signo crucis munitis, in igne lætum Deo spiritum tradidit.

Ibid. 11. Nov. XLIX. S. Mennas miles diris flagellis, ferreis unguibus dilaceratus ajebat: *Quis separabit nos a charitate Christi?* a Christo se didicisse, non timere eos, qui corpus occidunt, sed Deum qui etiam animam potest mittere in gehennam; postea lampadibus ustus, per ferrecs murices humi tractus, capite plexus est.

Ibid. 23. Nov. L. Sancti Acisculus & Victoria Germani e camino ignis ab Angelo exempti, exiverunt psallentes; in aquam cum saxo dejecti, enatarunt, iterum psallentes, & vocem audiverunt Angelicam: *Non erunt irrita clientum nostrorum vota*; rotas igneas passi, illas orando disjectas in hostes tre viderunt; denique sagittis & gladio Martyres occubuerunt.

Ibid. 24. Dec. LI. Sanctus Gregorius Presbyter contusis maxillis, toto corpore nodus fustibus dilaceratus, quo super craticulam & ignem posito, exortus terræ motus quadringentos quinquaginta ethnicos oppressit & apparens ei postea in carcere Angelus Dei, vinculis ac tenebris dissipatis, pacem ei & constantiam precatus est; ac demum carduis ferreis in utroque genu percussus, & lampadibus totus exustus, ac decollatus, etiam post mortem feris venerationi fuit.

Ibid. 25. Nov. LII. S. Mercurius miles custodientis ipsum Angeli visione monitus, de Persis victor, in carcere visitatus a Christo dicente: *Mercuri, quiesce, cursum consummasti, fidem servasti; accipe coronam tuæ decertationis*. Postea pro Christo decollatus; etiam post mortem cruentam Juliani Apostatæ, per eum extincti, sanguine bastam habere visus est illi, qui coram Mariæ Deiparæ, ejusque imagine contra infelicem Julianum oravit.

Ibid. 26. Marc. LIII. S. Papa Martyr verberibus, ungulis ferreis, clavatis calceis cruciatus; deinde arbori alligatus, illam e sterili fructuosam moriendo fecit.

Ibid. 9. Martii. LIV. S. Jonas flagris, glacie, præcisis digitis cruciatus, & capitis cute abrasa, lingua evulsa, in picem ardentem detrusus, nec læsus; in cochlea totis ossibus confractus, per medium sectus Martyr.

Ibidem. LV. S. Barachisius frater, ardentibus glebis igneis, plumbo liquefacto in palpebras, & nares infuso, spinis, arundinibus laniatus, cochlea confractus, os bulliente pice repletus, fratrem ad gloriam subsecutus.

Ibidem. LVI. S. Cyrillus Diaconus Martyr, cujus jecur gustantes gentiles, dentibus amissis, putrefactis, & effluentibus linguis, ac oculis perierunt.

Ibid. 5. April. LVII. S. Amphianus pro Christo dilaniatus, ac pedibus lino in oleum intincto, & incenso obvolutis cruciatus, & in mare demersus.

LVIII. SS. Terentius, Africanus, Pompejus & Maximus Martyres, in idola insufflaverunt, & ea, signo crucis edito, confregerunt, ac in pulverem redegerunt: quos fame & tormentis in carcere cruciatos Angelus invisit, & dixit: *Servi Dei Altissimi, consurgite, & corpora vestra curate, quiescite, & cibum capite, quem vobis Christus misit*: & cadente Angeli opera ferro, liberi mensæ bene divinitus instructæ, assederunt, refecti, atque a custodibus in splendore miro gaudentes inventi. Postridie vero ungulis cruciati, tormenta nil senserunt; postea nec a feris, in eos incitatis, læsi, conspecto e custodibus Angelo illas arcente, tandem gladio plexi fuerunt. Ibid. 10. April.

LIX. S. Eleutherius Episcopus æneì, & copioso igne candentis grabati tormentum nil sensit, divina voluptate perfusus: oleo deinde ferventi infuso, & in sartagine pice ac adipe bulliente coctus, & semper integer, in carcere a columba pastus, etiam e feris honoratus, conversis hostium pluribus, una cum exultante Anthia, matre sua, jugulatus est. Ibid. 18. April.

LX. S. Anthimus Episcopus, plurimis ad Christum conversis, lapidibus percussus, ferreis, & igne candentibus fibulis, talos transfixus, super acutas testulas volutatus, virgis cæsus cælesti voce invitabatur ad præmia æternitatis. Tum rotæ alligatus, versatus, ignitis lampadibus sensim exustus, post supplicia plura, & miracula, pluresque conversos, capite tandem plexus est exultans. Ibid. 27. April.

LXI. S. Anderlus spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo, capite in quatuor partes, in modum crucis conscisso, martyrium consummavit. Ibid. 1. Maji.

LXII. Sanctus Acatius centurio verberatus, & maxillis contusis, pro constantia Deum orans, vocem e cælo audivit: *Acati, esto constans!* qui conversis plurimis, a splendide ornatis Angelis postea visitatus, solutus, sanatus, pastus est. Tandem contritis dentibus, a decem hominibus, virgis quernis flagellatus, cum Jesum inclamaret, iterum vocem, qua felix ei promittebatur æternitas, audivit. Accepta vero mortis sententia exultans exclamavit: *Quam multis te linguis, Christe, dux vitæ, laudare vellem, qui me tali sorte dignatus fuisti*. Ac denique, dato capite, promissam æternitatem ingressus est. Ibid. 8. Maji.

LXIII. S. Victor in digitis excruciatus, a fornace ardente, in qua triduo jacuit & a veneno, quod bis bibit, illæsus: per triduum, prono in terram capite, suspensus, excæcatus, cute exutus, a S. Stephana, quæ duos e cælo coronas ei, & sibi ferri videbat, animatus; tandem illa duabus arboribus alligata, & discerpta, ipse securi percussus: geminus illis coronis coronati sunt. Ibid. 14. Maji.

LXIV. S. Hospitius in altæ turris carcere, ferro & scaturientibus e corpore vermibus plenus, orabat semper, rigidam, & obtruncaturi se barbari, dexteram signo crucis sanavit, pluresque ad Christum adduxit; cui morituro vermes illi fuere solatio, & stimulo ad amo- Ibid. 21. Maji.

amorem Dei. Simul vero ut anima corpus deseruit, simul evanuere etiam vermes.

Ibid. 2. Jan. LXV. Sanctus Diaconus, quis, cuias, qualis esset? rogatus, nonnisi *Christianus sum*, respondit, & licet cruentatus totus, laminisque ignitis totus corpore tortus, pulchrior tamen apparuit, & cum S. Mauro neophyto, in ferreis, ignitisque cathedris frixus, una cum illo, caput pro Christo securi subjecit.

Ibid. 3. Jan. LXVI. Sancti Pergentinus & Laurentius semet invicem, ne præsentia, sed æterna tormenta timerent, hortatis. Post jejunium triduanum, in carcere, pane Angelico, in cælesti luce ab Angelis refecti, aperto, licet divinitus carcere, fugere noluerunt; & post prunas ignitas illæso pede calcatas, plurimis ad Christum adductis, suavissimis e cælo vocibus, quibus ad mortem felicem invitabantur, auditis, illam læti gladio subierunt.

Ib. 1. Jun. LXVII. S. Bonifacius Martyr post turpes cum Aglaide domina sua, divite ac nobili, amores ab eadem caste ac religiose sapere didicit, & ab eadem, ad colligendas Martyrum reliquias, missus, illorum exemplis accensus, ideoque tentus, cum de nomine interrogaretur, respondit: *Primum mihi nomen, & quo maxime vocari gaudeo, est, Christianus*. Dum præceps suspensus, carne ad ossa usque lacerata, defixis sub ungues arundinibus, cruciatus, oculos defigebat in cælum. Deinde fervente plumbo in os infuso, in bullientis picis lebete ab Angelo conservatus illæsus, aliis, qui adstabant, effuso divinitus inde igne correptis, capite truncatus fudit sanguinem lacte mixtum. Cujus corpori, cum reportaretur, obviavit cum Clero Aglais, jam antea monita ab Angelo, sic loquente: *Suscipe eum, qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem est frater noster & comminister, ac tuus Dominus, & eum pie honora, ut sit tuæ servator animæ & custos vitæ*.

Ib. 9. Jun. LXVIII. S. Primus fustibus, equuleo, lampadibus, tortus, cantabat lætus: *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*; & Deo Jesu benedicens, ajebat, se nil tormentorum sentire; bulliens plumbum illæsus hausit, & una cum Feliciano, a leonibus ac ursis nil læsus, conversis plurimis gladio cæsus est.

Ibid. 20. Jun. LXIX. S. Alexander S. Antoninam Virginem, ex infami loco, ut liberaret, sua illam in veste dimisit, ejus loco ipse mansit; postea una cum illa, præcisis manuum ac pedum extremis, per horrenda supplicia, glorioso martyrio perfunctus.

LXX. SS. Marcus & Marcellianus fratres ad stipitem alligati, ac in pedibus clavis confixi, cum Christum cantando laudare non cessarent, ac numquam se tam jucunde epulatos, ac in amore Christi fixos dicerent, lanceis per latera transfixi sunt.

Ib. 30. Jul. LXXI. S. Athenogenes M. decem discipulis suis martyribus sibi præmissis, cum pro nobis suum, suorumque discipulorum nomina imploraturis, oraret, hanc e cælo vocem audivit: *Gaude, mi Athleta Athenogenes, mi electe, ecce dedi tibi tuas petitiones: Quicumque me invocaverit, per nomen tuum, liberabitur ab omni afflictione & necessitate, & ejus peccatorum inducam oblivionem*.

LXXII. Sanct. Secundianus per sancta cum Sancto Marcelliano colloquia, & per Martyrum exempla conversus, accedente ad id quærendum, quod æternum est, Veriano amico, omnes tres baptizati, fustibus cæsi, contrito divina vi dolo, in equuleum sublati, ungulis rasi, flammis tosti, carnifice uno morte repentina occidente, aliis a dæmone correptis, eosque sanctos clamantibus, capite cæsi sunt. Ib. 9. Aug.

LXXIII. S. Hyppolitus pedibus ad colla indomitorum equorum alligatus, per spineta, tribulos tractus, e lacerrimo corpore animam integram exhalavit. Ibid. 22. Aug.

LXXIV. Sanctus Quinctinus Romanus Ordinis Senatorii, pro flagellis gratias Deo teneras agens, ab Angelo confirmatus, conversis multis, testeis ferreis cæsus, oleo, pice, adipe fervénti persusus, facibus cruciatus est, & amara omnia sibi dulcia esse dixit. Denique sudibus ferreis transfixus, decem clavis in decem digitorum ungues adactis, invictus, orans, capite cæsus est, & anima sua columbæ instar e collo suo exire, ad cælum penetrare visa est, voxque simul cælestis insonuit: *Quinctine, famule meus, veni & coronam accipe, quam tibi pro tuis meritis præparavi*. Ibid. 31. Octob.

LXXV. Sanctus Cæsarius, ad cujus preces templum idolorum corruit, una cum S. Juliano sacco inclusus, mari est mersus, & Luxurius Proconsul eo die a colubro (ita ut ipse prædixerat) ad cor usque penetrante corrosus, dum animam ageret, vidit suum ac Juliani corpus a psallentibus Angelis e mari efferri. Ib. 1. Nov

LXXVI. SS. Galation & Epistemis conjuges Virgines, ad videnda cælestia abducti, repositas capitibus duas coronas, viderunt, quas postea, conciso virgis corpore, fixis sub unge spinis, lingua, pedibus, manibus, capite, pro Christo truncati acceperunt. S. Galation, cujus matri se parituræ apparuit crucifixus. Sancta Epistemis per quietem fœminas pennis insignes, & igne undique plenas vidit. Ib. 5. Nov.

LXXVII. S. Jacobus intercisus, optimàium primus in Regis Persæ gratiam a Christo defecit, & matris ac uxoris sanctis oculis, artubusque ad Christum reversus, crimen lacrymis & sanguine diluit, quando pro Christo juncturis, & articulis quibusque membratim resectis, ejusdem Regis jussu capite obtruncatus est. Ibid. 27. Nov.

LXXVIII. S. Mennas vir dignitate præcipuus Hermogenis jussu excoriatis pedum plantis, præcisa lingua; convulsis oculis, retrusus in carcerem, illic resplendente a cælesti luce carcere, Christi & Angelorum præsentia fanatus Hermogenem convertit, & una cum illo capite plexus, ab Angelis Bizantium navi devectus est. Ibid. 10. Dec.

LXXIX. SS. Victorico & Fusciavo nares, & aures sudibus ferreis cruciatæ, clavis ardentibus transfixa tempora, evulsi oculi, & tandem jaculis expositi, amputato capite Martyres una cum Gentiano suo hospite facti sunt. Ibid.

LXXX.

Ibid. 13. Dec. LXXX. S. Eustratius amplo officio posito repente Christianus, in aerem sublatus funibus, pectus igne, corpus reliquum virgis, flagrisque, aceto, acutis restis laniatus, repente sanus, & miro quodam decore perfusus apparuit; deinde crepidis acutarum fibularum plenis indutus, & tractus, doctissime e Philosophis, philosophatus, exemplo & verbo multos, & primæ notæ viros convertit, & condito sancto de amplissimis opibus testamento, æternitatis viatico munitus, fornacem ardentem psallens ingressus, ibi in igne ne a pilo quidem læsus, orans occubuit.

Ibidem. LXXXI. S. Mardaris sanctæ simplicitatis vir, ab Eustratio instructus, trajectis per terebratos pedum suorum calcaneos funibus in rota suspensus, nil aliud loquebatur, quam, *Christianus sum, sum Christi servus;* & candentibus fibulis ad mortem usque cruciatus est.

Ibid. 14. Dec. LXXXII. SS. Justus & Abundius, ad quos in ignem conjectos, & illæsos, gladioque cædendos vox venit: Venite ad regnum cælorum: Ascendite, & accipite coronas. *Ecce aperti sunt vobis cæli. Introite servi Dei, in habitaculum Patris vestri. Relinquite corpora super terram*, Et capite cæsi sunt.

Baron. t. 2. Ann. Eccl. sub Ad Dom. pag. 7. 8. LXXXIII. Sanctus Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus Trajani persecutione ad bestias damnatus cum Roma vinctus mitteretur, & jam Smyrnam pervenisset, ad Romanos, qui fidem receperant, scribens, ait: De Syria usque Romam pugno cum bestiis in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt; quibus cum benefeceris pejores fiunt, iniquitas autem eorum mea doctrina est: sed non idcirco justificatus sum. Utinam fruar bestiis, quæ mihi sunt paratæ quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad commedendum me, ne sicut aliorum, non audeant, corpus meum attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram ut devorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus nihil de iis quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tormenta diaboli in me veniant; tantum Christo fruar. Cumque jam ductus esset ad bestias, & rugientes audiret leones ait: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar. Profecto non fuisset illi tam fervens pro Christo patiendi affectus, si quicquam dulcius esse potuisset quam frui Christo.

Idem to. 10. Annal. Eccl. sub Ann. 42. LXXXIV. S. Eadmundus Angliæ Rex cum se ab hostibus undique vallatum cognosceret, de consilio Humberti Helmhalmensis Episcopi confugit ad Ecclesiam, ut se membrum Christi ostenderet, & armis temporalibus projectis cælestia induit humiliter, Patrem & Filium cum Spiritu Sancto deprecans, ut sibi in passione constantiam largiretur. Igitur a ministris iniquitatis clementissimus Rex Eadmundus ab Ecclesia truculenter extrahitur, loris dirissimis coarctatus: & sicut Christus ante Pilatum præsidem, ita ducitur Eadmundus ante iniquum Ducem, cupiens ejus sequi vestigia, qui pro nobis immolatus est hostia. Quo jubente, ad arborem quandam, quæ non multum aberat, ligatus dirissime flagellatur, modisque omnibus illuditur: sed invictus athleta Christi Eadmundus inter flagella semper Christum invocando flebilibus vocibus tortores suos compulit in furorem & ad ipsum tunc arcubus, quasi ad signum ludendo totum corpus ejus telis confodiunt & sagittis: Nec erat locus in corpore Martyris vacuus, cui novum posset imprimi vulnus. Nam sicut Erycius in cute densis armatur spinis, ita corpus invicti Regis spiculis configitur sagittarum. Cum nec sic Hinguar carnifex truculentus sanctum Martyrem Eadmundum a fide Christi & confessione Trinitatis potuisset separare, ut suis iniquis persuasionibus præberet assensum: protinus lictori mandat, ut ense cruento martyris caput præcidat. At lictor sanctum de stipite truculenter avvulsum inter verba orationis & confessionis Christi nominis, unico ictu ipsum decapitando 12. Kal. Decembris gratissimum Deo holocaustum igne passionis examinatum cum palma victoriæ, & corona justitiæ transmisit ad cælum.

LXXXV. Anno 1576. captus est a Malavaribus Indis cis Gangem in ora Gommorinensi puer annorum duodecim cui nomen Joanni, natione Hispanus: patria Medina campi, cumque formosa ac liberali specie foret, dono datus est cuidam Regulo, qui eximia pueri indole delectatus nihil non egit ut a Christi cultu illum deduceret: inter cætera est pollicitus, se illi in matrimonio collocaturum, filiam, quam pulcherrime ornatam jussit in medium procedere, ut ejus aspectu blanditiisque delineretur. Ubi vero post multa tentata se nihil proficere vidit, furore succensus attrocissimum supplicium mandat apparari. Nihil eo consternatus impubes, petito temporis spatio, quoque supplicaret Deo, intrepidus ad extremum se nihili facere omnia est professus, itaque summos primo digitos, deinde manus in plura frusta paulatim secuerant, idemque brachiis ambobus fecere, mox ad pedes & crura venerunt minutatimque illa conscederunt, cumque sæpius ab ipso immanissimi tortores carnificesque exigerent, ut Christo nuntium remitteret, invictus hilarisque respondebat se nunquam id facturum, & ad adstantes conversus, in quibus multi erant captivi Christiani, ad eadem perferenda hortabatur; affirmans se nunquam tantum lætitiæ cepisse nunquam gustasse tantum suavitatis, quibus verbis animo ardentissimo vitam finiit. *Th. Bosius de Sig. Eccl. l. 15. c. 1. 6.*

MEMBRUM II.

De illustribus mulierum martyriis.

LXXXVI. Etiam horum martyriorum cognitio non parum conducet ad gratiæ divinæ virtutem & efficaciam demonstrandam; quanto enim debilior est hic sexus, tanto majorem necesse est esse virtutem, quæ eundem ad tanta tormenta tam generoso & infracto animo toleranda roboravit. *Breviar. Rom. 5. Febr.*

LXXXVII. De S. Agathæ illustri martyrio sic loquitur Breviarium : Agatha Virgo Sicilia nobilibus parentibus nata, quam Panormitani & Catanenses civem suam esse dicunt, in persecutione Decii Imperatoris Catanæ gloriosi martyrii coronam consecuta est. Nam cum pari pulchritudinis & castitatis laude commendaretur, Quintianus Siciliæ Prætor, ejus amore captus est. Sed cum tentata modis omnibus ejus pudicitia, Agatham in suam sententiam perducere non posset, Christianæ superstitionis nomine comprehensam, Aphrodisiæ consuetudine cum de constantia colendæ Christianæ fidei, & servandæ Virginitatis, removeri non posset; nunciat illa Quintiano, se in Agatha operam perdere. Quare ille ad se virginem adduci jubet: Et nonne, inquit, te pudet nobili genere natam, humilem & servilem Christianorum vitam agere? Cui Agatha: Multo præstantior est Christiana humilitas & servitus, regum opibus ac superbia. Quam ob rem iratus Prætor hanc ei optionem dat, velitne potius venerari Deos, an vim tormentorum subire. At illa constans in fide, primum colaphis cæsa mittitur in carcerem: Unde postridie educta, cum in sententia permaneret, admotis candentibus laminis in equuleo torquetur: tum ei mammilla abscinditur. Quo in vulnere Quintianum appellans Virgo: Crudelis, inquit, Tyranne, non te pudet amputare in fœmina, quod ipse in matre suxisti? Mox conjecta in vincula, sequenti nocte a sene quodam, qui se Christi Apostolum esse dicebat, sanata est. Rursum evocata a Prætore, & in Christi confessione perseverans, in acutis testulis, & candentibus carbonibus ei subjectis volutatur. Quo tempore ingenti terræ motu urbs tota contremuit, ac duo parietes corruentes, Silvinum & Falconium intimos Prætoris familiares oppresserunt. Quare vehementer commota civitate, veritus populi tumultum Quintianus, Agatham semi mortuam clam reduci imperat in carcerem. Quæ sic Deum precata? *Domine, qui me custodisti ab infantia, qui abstulisti a me amorem sæculi, qui me carnificum tormentis superiorem præstitisti, accipe animam meam.* Ea in oratione migravit in cælum nonis Februarii, cujus corpus a Christianis sepelitur.

Ibid. 6. Febr. LXXXVIII. S. Dorothea Virgo ex Cæsarea Cappadociæ, propter Christi confessionem ab Apricio Præside comprehensa, Crystæ & Callistæ sororibus, quæ a fide defecerant tradita est, ut eam a proposito removerent. Sed contra factum est: Nam eas Dorothea ad cultum Christianæ religionis reduxit, propter quam etiam martyrium susceperunt. Quare Virgo equuleo diu torta, & palmis cæsa, ad extremum capitis damnata, duplicatam virginitatis & martyrii palmam accepit.

Ibid. 9. Febr. LXXXIX. S. Apollonia Virgo Alexandrina, sub Decio Imperatore, cum ingravescente jam ætate, ad idola sisteratur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis, Jesum Christum verum Deum colendum esse prædicabat. Quam ob rem ei omnes contusi sunt & evulsi dentes: ac nisi Christum detestata, deos coleret, accenso rogo combusturos vivam minati sunt impii carnifices. Quibus illa se potius mortem pro Jesu Christi fide subituram respondit. Itaque comprehensa, ut combureretur, cum paulisper, quasi deliberans, quid agendum esset, stetisset, ex illorum manibus elapsa alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritus Sancti flamma intus accensa, se injecit. Unde brevi consumpto corpore, purissimus spiritus in cælum, ad sempiternam martyrii coronam evolavit.

XC. Rufina & Secunda sorores, Virgines Ibid. 10.
Romanæ, rejecto connubio Armentarii & Ve- Jul.
rini, quibus a parentibus desponsæ fuerant, quod Jesu Christo virginitatem vovissent, Valeriano & Gallieno Imperatoribus comprehenduntur. Quas cum nec promissis, nec terrore Junius Præfectus a proposito posset abducere, Rufinam primum virgis cædis jubet: in cujus verberibus Secunda Judicem sic interpellat: *Quid est, quod sororem meam honore, me afficis ignominia? jube ambas simul cædi, quæ simul Christum Deum confitemur.* Quibus verbis incensus Judex imperat utramque detrudi in tenebricosum & fœtidum carcerem. Quo loco statim clarissima luce, & suavissimo odore completo, in ardente balnei sollo includuntur. Et cum inde etiam integræ evasissent, mox saxo ad collum alligato in Tiberim projectæ sunt: Unde ab Angelo liberatæ, extra urbem via Aurelia, milliario decimo capite plectuntur. Quarum corpora a Plautilla matrona in ejus prædio sepulta, ac postea in urbem translata, in Basilica Constantiniana prope Baptisterium condita sunt.

XCI. S. Cristina virgo a prima pueritia mi- Ribaden.
re Christianis mysteriis affectu, Christoque 24. Jul.
devota voluit ab ejus nomine Christina dici, patre quamvis invito, utpote pagano, & Imperatorum crudelium Christianæ religionis hostium ministro, qui nullum non lapidem movit, ut filiam a vera religione (quam ille superstionem rebatur) dimoveret. Sed frustra. Nam virgineum pectus omne jam Christi charitas occupaverat. Quinimo sancta Virgo sui parentis idola aurea, argenteaque clam subrepta contrivit, & in egenos erogavit. Exarsit ea re Virginis pater adeo, ut ipsemet crudelibus eam verberibus exceperit. Ad hæc vestibus nudatam jussit etiam dire suis a famulis, donec viribus deficerent, vapulare. Sed nec hac crudelitate contentus, patrem exutus, hostemque & ferociam lictoris indutus, postera die ferreis eam jussit ungulis adeo violenter lancinari, ut non tantummodo ubertim rivi sanguinis virgineo a corpore manarent, sed tenerrimæ quoque carnis frusta defluerent, nudaque ossa paterent. Martyr autem hinc admiranda patientia, illinc invicta stupendaque fortitudine armata, sese submisit, suæque carnis frusta humo sustulit, eaque patri carnifici obtulit, hisce verbis: *Accipe, crudelis tyranne, sanguinem tuum, vescere carnibus, quas genuisti.* Pater indignatus, filiam mox in ferream jussit agi rotam, nonnihil a terra elevatam, sub qua prunas oleo aspersas curavit apponi. Non tulit hanc crudelitatem Deus, qui machinam contrivit, & mille paganos spectaculo præsentes impius illis ignibus involu-

lutos, occidit. Hinc in ergastulum conjecta ab Angelis est visitata, & ab omni vulnere curata. Sequenti die pater immane pondus ejus collo jussit appendi, sicque oneratam medio lacu demergi. Sed iidem cælites eam fluctibus eductam prorsus incolumem littori restituere. Tum vero pater tabire, eam reprehensam in ergastulum retrudere, deque novis, exquisitisque suppliciis, quibus Martyrem conficeret, cogitare. Sed postera luce miser extinctus in suo lecto repertus, conceptam animo rabiem in filiam expromere nequivit. Successit huic in officio quidam Dio, non minus inurbanus & ferus, Martyris patre. Hic immanem jussit apparari cunam ferream, oleo, pice, resinaque plenam; in quæ, cum subjectis ignibus bullirent, Christina jussa fuit conjici. Illa tota hilaris ait, se haud aliter ac infantulum baptismo renatam libenter acceptare cunam. Moxque cum signum crucis formasset, ab omni tormento fuit liberata. Hinc capite rasam, nudamque in Apollinis fanum deduxere. Sed huc simul ventum, protinus idolum prodigiose contritum corruit. Hoc spectaculo præfectus Dio tam confusus, & attonitus est, ut e vestigio exanimis conciderit, & tria hominum millia Christo nomen dederint. Successor crudelitatis & officii fuit Julianus, qui virginem jussit in accensam conjici fornacem. Hic totos quinque dies Martyr hæsit, & medios inter flammarum globos illæsa meritas Deo laudes egit. Hinc teterrimam retrusa custodiam, quæ magicis cujusdam præstigiatoribus carminibus aspidum, aliorumque venenatorum serpentium plena videbatur, quos S. Martyr Christi fide vicit suoque imperio subjecit. Fuit ei porro lingua crudeliter exsecta, sine qua nihilominus locuta Deum laudavit. Denique ad truncum ligata, telisque confixa, glorioso martyrio consummata, victricem animam misit in cælum; ubi incredibili plausu cœlitum, qui fortissimi agonis spectatores fuerant, est excepta, cunctis ei gratulantibus, quod tyrannos omnino tres fortiter adeo triumphasset. Decessit IX. Cal. Sextilis, quo die celebrat Ecclesia anniversariam ejus memoriam, anno Christiano CCC. Corpus S. Christinæ conditum est Palmeri in Sicilia, ubi magna populi (tanqoam Patronam hanc Martyrem veoerantur) frequentia, & pietate colitur.

Idem 20. Jul. XCII. S. Margharita Virgo Ædesimi Idolorum Sacerdotis unica filia, a nutrice in fide Catholica instructa plorabat effuse, si quos colloquentes audiebat, dedirıs Martyrum tormentis, deque eorum in his sufferendis fortitudine atque constaotia, qua suam potius vitam, quam Christi fidem prodigebant. Horum fortissimis exemplis ad similiter pro Christo patiendum vehementer accendebatur. Pater virginis, quod & Idololatra esset, & falsorum mysta Deorum, cum Christianis eam facris addictam sensisset, incredibiliter exarsit, eamque pessimis omnino modis habuit. Interea cum S. Virgo in paterna quadam villa degeret, & illac Olibrius Orientis Præses magna pompa, multaque famulorum, comitumque turba septus, forte transiret, venustissimam illius formam miratus, eandem sibi thalami sociam adsciscere decrevit. At, ut intellexit eam Christianis initiatam sacris, a Christo neque blanditiis, neque minis posse divelli, vel ad sua vota flecti, ex blando proco, dirum versus in hostem, vindices ab ea pœnas repetere & crudelibus eam tormentis subjicere constituit. Itaque crudeliter in pavimento distendi, flagrisque adeo concidi jussit, ut a dilaniato discerptoque tenerrimo corpore uberes sanguinis rivi dimanarent, & populus atrocis arbiter spectaculi, pio miserationis affectu motus, ubertim fleret; sed sancta Virguncula fuit adeo cælestis amore sponsi absorpta, ut nullas sentire pœnas videretur. Porro dirus Præses jussit eam ferreis ungulis lancinari, clavisque configi, tamque immaniter torqueri, ut ipsemet cruenti spectaculi pertæsus, oculos sibimet obvelaverit. Hinc abducta in carcerem, qui, cum Virgo preces ad Deum funderet, & enixe fortitudinem, perseverantiamque poiceret, subito motu succussus tremuit, moxque stygius veterator terribilis, horrendique formam draconis indutus apparuit, suisque stridoribus, & intolerandis fœtoribus Martyrem territare conatus, immanemquoque rictum diduxit, quasi devotam Deo victimam devoraturus. Sed virgo simul cum frontem nostræ salutis trophæo signavit, draco crepuit. Nec mora caligantem carcerem clara, divinaque lux implevit auditaque est vox hujusmodi: *Margharita famula Dei gaude, quia hostes tuos vicisti: Tyrannum pudore suffusum, & cacodæmonem pavere confusum reliquisti: Euge: constantiam persevera, ne cede tormentis adbuc sufferendis, quibus momentum durantibus gloria succedet sempiterna.* Jucundissime Martyrem vox cælestis affecit, maxime, ut a vulneribus curatam se sensit; itaque meritas Deo grates egit. Postera luce Judex, ut vinculis exemptam, sibique oblatam, totam sine vulnere, haud aliter ac si nihil passa mali suisset, sanam vidit, vehementerque admiratus, indignatusque eam vestibus nudari, pectusque & latera ejus accensis jussit facibus ustulari. His in tormentis Martyr ad Deum per preces confugit, cujus corroborata præsidio hilariter & patienter omnia pertulit. Hinc ingens allatum vas aquæ plenum, in quod manibus pedibusque vincta fuit dejecta, qno scilicet ita suffocaretur. Sed cum jam lictores eam deficerent, magno fuit terra motu succussa, miraquæ cælo lux. & cum luce columba descendit, capitique Martyris insedit. Nec mora, vinculis sponte solutis illæsa Martyr aquis prodiit, & cum luce columba protinus evanuit. Hoc miraculo multi circumstantium conversi sunt, quos omnes crudelis Præses immaniter jussit, sicut & Margharitam, trucidari. Cui cum lictor caput amputare, jamque stricto gladio adstaret, Sancta Martyr sublatis ad cælum oculis, susisque ad Deum pie precibus oravit, ut, quando sibi tantam tormenta superandi, proque sui Nominis gloria moriendi vim tribuisset (pro qua meritas prolixe gratias egit) misericordia qooque dignaretur omnes, qui quibuscumque ærumnis afflicti suum patrocinium venientibus sæculis essent implora-

raturi. Confirmavit hasce preces novus terræ motus; qui multos præsentes ita succussit, ut in terram conciderint. His interfuit ipse quoque lictor. Hinc Dominus magna cælitium corona cinctus, Martyri apparuit, dixitque se preces ejus audisse, cunctisque annuisse. Quapropter ipsamet lictori propemodum exanimi animos addidit, sicque lethale ferrum fortiter excepit, & a cælesti Sponso duplicem Virginitatis Martyriique lauream recepit.

Idem 23. Sept. XCIII. S. Thecla fuit civitate Ciliciæ Iconio oriunda Virgo venustissima, a matre juveni sponso Tamyro desponsata cum S. Paulus Apostolus Antiochia profectus, Iconiumque appulsus, Onesiphori, viri valde studiosi domo fuit exceptus. Huc cum multi hominum, virtutis & æternæ salutis amantes confluxissent, Apostolus eis utiliter verbum Dei prædicavit. Inter hos fuit etiam S. Thecla, quæ cum audisset cælestem doctrinam ad Apostolo Paulo prædicatam, audissetque vitæ verba, quæ ille faciebat, hausissetque divinum, ferventemque spiritum, quo loquebatur, admutata fuit, ut Christianis initiata sacris, suam Domino Virginitatem consecraverit, omnibusque se corporis illecebris abdicaverit. Intellexit forte mater Theclam, mutato consilio sponsum repudiasse. Quam ob rem sic exarsit, ut non tantummodo Tamyro Virginis sponso quidquid acciderat, indicarit, sed filiam quoque quod esset Christiana, coram Judice accusarit, sponsumque suum repudiasse. Itaque crudelis, impiaque mater Judicem oravit, ut suam filiam vivam flammis exureret, ut ejus exemplo reliquæ mulieres terrerentur. Judex eam mox comprehendi, sibique jussit offerri, cumque vera didicisset esse, quæ mater indicarat, ingentem mandavit accendi fornacem, Theclamque in medias flammas jactari. Sed enim S. Virguncula non expectavit ministros ad exequenda crudelia Judicis imperata paratos, quin imo læta medios in ignes insilit, in iisque securissima, profusque impavida constitit. Cum ecce terribilis coorta tempestas adeo copiosos nubibus imbres expulit, ut incendium extinxerit, spectatores omnes in fugam conjecerit, S. Virgine adeo illæsa divinitus servata, ut ne pilus quidem corporis aut floccus vestimenti fuerit adustus. Secundum hæc S. Virgo totam se dedidit operibus pœnitentiæ, jejuniis vigiliis, & precibus. Unde denuo accusata, & ad Judicem adducta est. Ille Virginem dilaniandam feris objici imperavit; sic in theatrum ducta coram omni populo adversus ipsam vociferante, suis sunt exactæ caveis feræ, quæ non modo sacram prædam non attigere, sed & reverenter ejusdem vestigiis advolutæ, pedes Virginis hæsere. Postero die leonibus & ursis objecta est, qui naturalis feritatis obliti, quasi cicures Virginem obstupuere. Atque hoc miraculum S. Ambrosius in hæc verba describit: *Thecla fugiens copulam nuptialem, & sponsi furore damnati naturam fecit, ut qui impudicos detulerant oculos pudicos referrent.* Non cognovit hoc tanto miraculo admirandam Dei potentiam sic dilectam sibi sponsam propugnantis, sed ferior ipse feris, eam jussit conjici in fossam venenatorum serpentium plenam. Quod dum fieret, ecce ibi nubes ignea cælo delapsa bestias omnes occidit, & virginem salvam incolumemque servavit, tertium jam tormenti genus experta. Inde novæ præparatæ sunt in illam bestiæ. Duobus ferocissimis est alligata tauris, qui discerperent eam, sed ut magis etiam ferocirent, igneis sunt stimulis compuncti. Sed Dominus eam custodivit, defenditque, nihil ut ab eis Martyr acciperet nocumenti. Porro cum vidisset hæc tanta mirabilia populus, & in primis nobilis quædam Matrona Tryphæna, cui Martyr tradita fuerat a Judice custodienda, protinus exclamavit, atque: Deum, quem Thecla adoraret esse potentem, & ab omnibus adorandum. Quam ob rem Proconsul veritus furorem populi, S. Theclam ab omni pœna absolvit. Illa Tryphænæ domum petiit, ipsamque Dominam cum omni sua familia ad Christum convertit. Hinc Seleuciam profecta multos ibidem vixit annos, & admirabile sanctitatis exemplum cunctis præluxit, suarumque splendore virtutum gentes illas illuminavit, viamque quæ ducit ad cælos monstravit. Sicannis affecta meritisque plena post tot pugnas & victorias in cælum subvolavit: ubi nunc perenni virginitatis & martyrii laurea coronatur. Decessit IX. Kal. Octob. Seleuciæ, quo die celebrat anniversariam ejus memoriam Ecclesia.

XCIV. Sancta Cæcilia Virgo cum ab Almachio Præfecto comprehensa & interrogata, ubi Valeriani mariti sui, & Tiburtii fratres ejus divitiæ forent, respondisset: omnes pauperibus distributas esse eo furore ita ille concitatus est, ut eam in ipsius domum reductam, in balneo comburi jusserit. Quo in loco cum diem noctemque ita fuisset, ut ne flamma quidem illam attingeret, eo immissus est carnifex, qui ter securi ictam, cum caput abscindere non potuisset, semivivam reliquit. Illa triduo post, decimo Kalendas Decembris, Alexandro Imperatore, duplici virginitatis & martyrii palma decorata evolavit in cælum. Cujus corpus ab ipso Urbano Papa in Callisti cœmeterio sepultum est, in ejus ædibus Ecclesia ipsius Cæciliæ nomine consecrata. *Brev. 22. Nov.*

XCV. S. Catharina Virgo Alexandrina, cum Maximino suam crudelitatem erga Christianos libere exprobasset, ejus jussu comprehensa, verberibus affecta, plumbatisque contusa, dies undecim sine cibo ac potu in carcere detenta est; quo tempore Maximini uxor, & Porphyrius belli dux, visendæ Virginis causa carcerem ingressi, & ejusdem prædicatione in Jesum Christum credentes, postea martyrio coronati sunt. Interim Catharina educitur e custodia, & rota expeditur crebris & acutis præfixa gladiis, ut virginis corpus crudelissime dilaceraretur. Quæ machina brevi Catharinæ oratione confracta est, eoque miraculo multi Christi fidem susceperunt. Ipse Maximinus in impietate, & crudelitate obstinatior, Catharinam securi percuti imperat. Quæ fortiter dato capite, ad duplicatum Virginitatis, & Martyrii præmium evolavit, septimo Kalendas Decembris. Cujus corpus ab *Ibid. 25. Nov.*

An-

Angelis in Sina Arabiæ monte mirabiliter collocatum est.

Ibid. 2. Decemb. XCVI. S. Bibiana Virgo, cum Prætoris omnem operam & astus elusisset, is ira accensus, a lictoribus eam denudari, vinctisque manibus columnæ alligari, eamque plumbatis cædi jubet, donec efflaret animam. Cujus sacrum corpus objectum canibus biduo jacuit in foro Tauri, illæsum tamen, & divinitus servatum.

Ibid. 13. Decemb. XCVII. S. Lucia Virgo Syracusana cum ad lupanar a Pascasio Præfecto duci jussa, nulla vi a loco dimoveri posset, is circum ipsam pice, resina ac ferventi oleo perfusam, ignem accendi imperavit; sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis tormentis excruciata guttur gladio transfigitur: quo vulnere accepto, Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Diocletiano & Maximiano mortuis, Idibus Decembris, spiritum Deo reddidit. Cujus corpus Syracusis sepultum, deinde Constantinopolin, postremo Venetias translatum est.

Ribaden. 9. Dec. XCVIII. S. Leocadia Virgo fuit orta Toleti civitate, nobili sata sanguine, Deoque admodum devota. Comprehendi eam jussit Diaconus Præses, qui crudelis instar bestiæ non poterat Christianorum sanguine satiari; sibique adductam jussit hinc suam considerare nobilitatem, illinc Christianæ superstitionis (ut loqui solebat) ignominiam & vilitatem: Quin & subinde blanditiis, subinde minis ad deserendam Christi fidem, deosque adorandos sollicitabat. Nihil apud Virginem suis Præses verbis promovit, oleum operamque omnem in suadendo perdidit; quamobrem jussit eam in horribilem, teterrimque carcerem compingi, quo, si nihil profecisset, eam diris cruciatibus tortam denique enecaret. Miris Leocadia gaudiis incessit, ut se sensit ad carcerem raptari quod divinum hoc munus agnosceret, summasque Deo grates agere gestiret. Cæterum, ut respexit, & aliquot flentes vidit sequentes, ad eosdem conversa: *Ne flevertitis*, inquit, *o Christi milites, ob meos cruciatus, quin imo collætamini, & congratulamini mihi, quoniam Deus aliquid pro sui confessione nominis me pati dignatus est*. Ajunt eam crudeliter omnino cæsam, priusquam in carcerem detruderetur, quod ipsum Diaconi sævitia facile persuadet. Attenta fuit in hoc tam tetro carcere dies aliquot, cumque audisset, quanta Diaconus in Christianos immanitate quotidie grassaretur, quamque atrocibus Eulaliam virginem Emeritanam tormentis confecisset, pio miserationis affectu mota, Dominum oravit, ut se, si sic videretur, ad se protinus evocaret, ne suæ Ecclesiæ vastitatem, suæque sanctæ religionis diminutionem cernere cogeretur. Dominus sanctæ Virginis desiderio satisfecit, ejusque preces exaudivit, atque ita ut erat captiva digitis in saxo durissimo formam crucis expressam reliquit, quam cum fuisset magno pietatis affectu exosculata sanctam animam suam suo reddidit Creatori. Corpus ejus haud procul ista cruce prodigiosa extensum in terra repertum fuit a Christianis, qua solemnitate poterant, humatum. Passa est V. Id. Decemb. Anno Christiano CCCV. Imp. Diocletiano & Maximiano.

XCIX. S. Barbara Virgo Nicomediensis ob insignem corporis elegantiam, a Dioscoro patre, nobilissimo viro, in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur, ubi multa secum pie religiosequе meditata, tanto Christianæ religionis & servandæ castitatis amore exarsit; ut non modo nuptias a patre oblatas respueret, verum etiam se Christum colere professa, nefarrum Idolorum cultum magna libertate perstringeret. Dioscorus vero hac filiæ constanti confessione adeo excanduit, ut eam præsidi Marchiano, nisi a proposito desisteret, excruciandam tradiderit. Is illam primum blanditiis, propositis etiam præmiis, & honoribus, ad paternæ superstitionis cultum conatus est adducere. Cum vero a fidei constantia nullis verborum illecebris abduci posset, omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubulis gravissime cæsa, in obscurum carcerem detruditur: ubi, etsi omni humana ope destituta, divinitus tamen curata est. Quod ubi senserunt Christianæ fidei hostes, eo furoris atque dementiæ progressi sunt, ut in eam, & carceris maceratione, & mammillarum præcisione, omnem suam crudelitatem deprompserint. Neque tamen his contentus Dioscorus paternæ charitatis prorsus oblitus, propria manu filiæ caput amputare non dubitavit. Cujus anima in cælum, ad duplicem virginitatis, & martyrii palmam evolavit. *Ibid. 4. Dec.*

C. S. Eulalia Virgo quatuordecim annos nata, martyrii desiderio incensa, divinitusque instincta, suis ædibus egressa clam perrexit ad Daciani tribunal, ubi graviter omnino, sapienterque eum tyrannidis accusavit, crudelitatisque in Christianos exercitæ. Miratus est Præses Virginem adeo teneræ ætatis, adeo raræ venustatis audere adeo libere invehi in se, quem nemo nesciret Imperialibus mandatis satisfacere. Quapropter ex ea scire voluit, quænam esset, & cur adeo exigua prosequeretur reverentia Romanam Majestatem, ministrumque hanc repræsentantem. Tunc enim vero Martyr prorsus impavida respondit, esse se Christianam, famulam Jesu Christi, Regis Regum, & Domini dominantium. Exarsit Judex, itaque victus, eam cædi crudeliter imperavit. Cæsa fuit flagris horrende adeo, ut Virgineum corpusculum nonnisi vulnus esse videretur. Sed enim quanto lictores crudelius cædebant, tanto Martyr constantior durabat, & exclamabat: *Deus me corroborat, & ideo non sentio tormenta vestra*. Quo durum Daciani cor emolliri poterat, ac vero etiam debnerat, eo magis etiam obduruit. Quam ob rem jussit eam in equuleo suspendi, suspensam ungulis ferrei lancinari facibusque accensis ustulari, tormenta tormentis accumulando, novaque excogitando, præcepit eam in viva calce versari. Hinc buliens oleum vertici illius effusum, ligatumque oleo plumbum commistum vulnera ejus aceto lota, acutique testarum fragmentis rasa, cereisque ardentibus oculi exusti. Sed ab his omnibus adeo liberam servavit Deus, ut ejus vice carnifices flammis exurerentur. Quare Dacianus sic nudam, mallis- *Idem p. 1. 2. Febr.*

lisque habitam modis & vulneribus ac vibicibus lividam, per totam duci jussit urbem (quo sic & Martyrem confunderet, & reliquos Christianos terreret) ac denique obtruncari, professus ita, se desperasse victoriam, seque a fœmina superatum. Obtruncata fuit Martyr prid. Id. Februarii, quo die celebrat Ecclesia ejus anniversariam, festamque memoriam. Romanum Martyrologium, & Cardinalis Baronius, ajunt eam crucifixam, animamque ejus instar niveæ columbæ, de virgineo corpusculo evolasse.

Ibid. 16. Febr. CI. S. Juliana octodecim annos nata a Patre Eleusio Præfecto tradita, ut eam pro libitu castigaret. Hic crudeliter eam nervis cædi jussit, verberearn hanc tempestatem cruciatuum, quos esset perpessura, quamdam quasi promulsidem esse, minatus. Cui respondit, illa non ambigere se a Deo corroboratum iri ad quosvis ejus cruciatus sufferendos, certa quodammodo se suis etiam tortoribus fore fortiorem. Quare jussit eam Judex per capillos appendi, & pleramque diei partem sic relinqui, donec sua pelle pilisque exueretur, donec oculorum lumina in caliginem verterentur, & in frontem supercilia adducerentur. Dein jussit eam laminis ardentibus ustulari, vinctamque ferre lancinari, & in carcerem detrudi. Ubi cum S. Virguncula suum corpus omnino confectum plagis sensisset, ad cælestem suum conversa sponsum rogavit, ut se liberare dignaretur. Interea Eleusius pyram succendi, mediisque Virgunculam flammis injici imperavit. Illa mox ad cælestem conversa sponsum, multis irrorata lacrymis oravit, ut sibi suppeditatum venire dignaretur. Quid multa? vix precari desiit cum pyram divina vis extinxit. Ergo commotus tanto miraculo populus certatim conclamavit: Non est Deus, nisi Deus Julianæ, sicque paganorum quingenti divinitus illi strati, Christo statim nomina dedere, quos atrox Præfectus cum centum triginta fœminis itidem ad Christum conversis e vestigio in frusta concidi mandavit. Itaque Præfectus magis etiam efferatus sanctam Virgunculam in bullientis lebetis aquam dejici jussit, sed hæc ei refrigerio fuit & solatio. Quin, & aqua bulliens divinitus lebete prosiliit, lictoresque & circumstantes carnifices aliosque insiliit, ambussit, & occidit. Quod ut Præfectus sensit, quid præterea tentaret ignarus, eam protinus obtruncari præcepit.

Nadasi in anno cæl. 28. Apr. CII. S. Theodora generosa Virgo, quæ mutatis cum Didymo vestibus, ut virgo maneret, e lupanari elapsa, postea una cum illo, martyrio fuit coronata.

Ribad. p. 1. 26. Maji. CIII. S. Dympna Virgo cum in scelestas Patris nuptias consentire nollet; ideoque in remotum locum fugisset, ab eodem tandem post longum tempus mirabiliter inventa fuit, & cum famuli id præstare renuerent, propriis manibus decollata est.

Nadasi 23. Jan. CIV. S. Febronia Virgo Martyr e cœnobio extracta, igne ad viscera ipsa admoto, pectinibus cruciata, & suspensa, fortissimo silentio, vel oratione, mirabilis perstitit. Tum ei septemdecim dentes evulsi, & abscissi de toto pectore carnis loco, admotus ignis; deinde pedes ambo, ac manus, denique caput abscissum est, multis tanto spectaculo ad Christum conversis.

CV. SS. Maxima & Donatilla sorores Virgines aceto, & felle potatæ; virgis, & calce viva cruciatæ: in equuleo & deinde in craticula, ad torrendum, extensæ: quarum plantas lambens ursus ferox eas non momordit, utraque demum gladio cæsa est. *Ibid. 20. Jul.*

CVI. S. Bassa ab Angelis pasta in carcere, ignem, aquas, lapides sustinuit, feras cicuravit, Idola stravit, eam in fluctus abjectam, tres filii Martyres, e cælo hospites, navicula deduxere in portum; tandem vero, fractis cruribus, capite truncata, abiit ad portum, in æternum coronanda. *Ibid. 21. Aug.*

CVII. SS. Menodora, Metrodora & Nymphordora sorores, Virgines, genarum & ossium confractione, lampadum ustione, ferreis vectibus & ungulis cruciatæ Martyres. *Ibid. 10. Sept.*

CVIII. Fausta gloriosissima Virgo decalvata, suspensa, torta est, quam cum secare mediam vellent carnifices, nec possent, Evilasius idolorum sacerdos conversus, ideoque tortus est: illa vero capite terebrata, clavis toto corpore confixa, & ignitæ sartagini imposita, una cum Evilasio, voce de cælo veniente vocata ivit ad beatitatem. *Ibid. 20. Sept.*

CIX. S. Sophiam Virginem Regiam in carcere invisens Christus cum Angelis dixit: *Exurge filia, & confirmare; quia ego tecum una sum, & liberabo te.* Quæ a patre suo tyranno super craticulam imposita igni psallebat, & ignis omnis evanuit; voce postea de cælo audita: *Beata es, Sophia, quæ pro Dei amore decertasti: jam nomen tuum in libro vitæ descriptum est*, e cujus corpore capite detruncato, loco sanguinis lac profluxit: & ægri contactu ejus cadaveris sanabantur. Pater vero flens, eam inter Angelos gloriosam vidit, ac illius hortatu ad Christum conversus est. *Ibid. 20 Sept.*

CX. S. Gudelia Martyr plurimis Christo adjunctis post multa tormenta, cute capitis detracta ligno affixa est. *Ibid. 29. Sept.*

CXI. S. Charitinæ Virgini abrasi crines divinitus sunt restituti, cujus capiti impositæ ardentes prunæ, infusum acetum; ejus pectori obelisci ignei, lateribus lampades admotæ, lapide ad collum alligato in mare projecta, solutis ultro vinculis mari libera obambulavit, pede sicco: ei præparatam rotam igneam disjecit Angelus extincto igne; cujus manuum pedumque ignes omnes evulsi, dentes excussit, tandem orando superior tormentis omnibus, Deo purum spiritum reddidit. *Ibid. 5. Oct.*

CXII. Irene Virgo cum Monacho eam deperienti consentire nollet, ille hanc repulsam in sui contemptum interpretatus, desperato similis, amorem vertit in odium, & vindictæ desiderium, peccatoque peccatum cumulans (quemadmodum facere amant, qui dati sunt in reprobum sensum) a diabolo instinctus modum reperit, quo Virgini potionem præberet, qua venter ejus perinde tumesceret, ac si uterum ferret. Vulgata fuit hæc passim fama cum magno dedecore, sed sine crimine culpaque Irenes, quæ credita est suum virgineum pudorem prostituisse; nam sic hodieque fieri *Ribaden. 20. Oct.*

amat,

amat, ut si quid mali de quocumque homine spargatur, facile eredatur. Quod ut Britaldus intellexit, non rumoris tantum, sed etiam manifesto rumoris testimonio confirmatus, exarsit adeo, ut memor sibi præstiti ab Irene promissi, quo pollicita fuerat; se nullum alium, præter ipsum ammaturam decreverit eam neci dare, quod alium amasium, præter se, sibi delegisset. Quam ob rem euidam suo satellitl, ut eam perimeret, imperavit. Ille imperii exequendi occasionem præstolatus, advertit eam fecundum matutinas preces egressam ad litus Habani fluminis (quod cum Habanciam interluat, nomen ei suum communicat) oratum numen, ut infamia ille sese liberare dignaretur, quando suam probe nosset innocentiam. Ita fervide attenteque orantem sicarius invasit, vitaque exuit eam Britaldi jussu, coi ipsa vitam servarat. Neque vita tantummodo eam exuit, sed etiam vestibus, & quo crimen eelaret, sacrum corpus in flumen abjecit.

Nadasi 5. Febr. CXIII. Sancta Theodula Martyr e capillis suspensa, subulis ignels, clavisque confixa, postea combusta, idolum flatu oris sui disrupit.

Ibid. 12. Mart. CXIV. S. Pelagia ad Martyrium ultro quærendum, pede, una cum geminis filiabus, iter ingressa, ut suum ac filiarum pudorem servaret, in profluentem desilit, & illo hausta est.

Ibid. 27. Mart. CXV. S. Augusta Virgo a Patre principe, ob fidem, evulsis duobus dentibus, inter duas arbores suspendi jussa; sed cum ab igne subjecto illæsa maneret, ad rotam clavis confertam damnata; & Angeli rotam confringentis opere liberata; capite truncata est.

Ibid. 17. Maji. CXVI. S. Restituta Virgo in naviculam, piee & stupa refertam, ut in mari combureretur, imposita, immisso igne, cum in incensores flamma converteretur, ipsa Dei gloriam prædicans, cum Angelo collocuta, inter orandum abiit ad Deum, & corpus suum ad Insulam ab Angelo, navi delatum est.

Ibid. 23. Aug. CXVII. S. Theonilla facie contusa, virgis cæsa, e capillis suspensa, capite novacula raso, deinde rubo cincta campestri, ad quatuor palos extensa, loro proscissa, post ardentes prunas, & alia supplicia Martyr gloriosa effecta est.

Ibid. 1. Nov. CXVIII. S. Wenefrida Virgo ab impurissimo Regis filio, quod virginitatis jacturam facere nollet, decollata: ubi cecidit, ibi fons ægris salutaris erupit; & impurus ille Juvenis repente mortuus corruit, atque totus disparuit, abreptus a dæmone, domino impurorum. Ea vero Beunoi precibus suscitata Magistra Virginum facta, miraculorum ac virtutum plena, Jesum inter orandum vidit, & propediem se e corpore discessuram didicit.

CXIX. S. Anastasia, impii mariti sancta, & patientissima conjux, vivorum, & mortuorum Martyrum obsequiis devotissima, Martyrii avidissima, triduana inedia macerata, manibus & pedibus ad palos alligata, conversis pluribus, in igne martyrio coronata est.

M E M B R U M III.

De illustribus Adolescentum Martyriis.

CXX. Placuit & horum Martyrium seorsim enumerare, ut, sicut olim Deus S. Augustino abstinentiam a carnalibus voluptatibus impossibilem judicanti continentiam a pueris & puellis comitatam, & ista verba: *Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?* quasi exprobatorie proferentem in visione objecit; ita & omnes, qui patientiam, & fortitudinem in tribulationibus perferendis, vires humanas excedere arbitrantur, perfectis teneræ hujus ætatis tam illustribus martyriis, opinionem suam corrigere, & leviores suas cruces ac dolores patienter ac fortiter sustinere discant. *Ibid. 28. Dec.*

CXXI. S. Simon parvulus Tridentinus a serissimis Judæis, forficibus concisus, acobus toto corpusculo punctus, distintus, variis modis excarnificatus, crucifixus, inclinato capite moriens Christi Martyr victima factus est. *Ibid. p. 1. 24. Mart.*

CXXII. S. Vitus admodum puer inscio patre baptizatus est, quod cum ille rescivisset, nihil prætermisit, quo filium a Christiana religione removeret. Qua in voluntate permanentem, Valeriano judici verberibus castigandum tradidit. Sed nihilominus in sententia persistens, patri redditus est. Sed dum eum pater gravius punire cogitat, Vitus Angelis monitu, comitibus Modesto, & Crescentia, ejus educatoribus, migrat in alienas terras: ibique eam sanctitatis laudem adeptus est; ut ejus fama ad Diocletianum perlata, ipsum Imperator accerseret, ut filiam suam a dæmone vexatam liberaret. Qua liberata, cum ei amplissimis præmiis ingratus Imperator, ut Deos coleret, persuadere non potuisset, una cum Modesto, & Crescentia vinculis constrictum mittit in carcerem. Quos ubi constantiores esse comperit, demitti jubet in ingens vas liquato plumbo ferventi resina ac picee plenum: in quo cum trium Hebræorum puerorum more, divinos hymnos canerent, inde erepti leoni objiciuntur: qui prosternens se, eorum pedes lambebat. Quare inflammatus ira Imperator, quod multitudinem videbat miraculo commoveri, eos in catasta sterni jubet, & ita cædi eorum membra, atque ossa divelli. Quo tempore tonitrua, fulgura, magnique terræmotus fuere, quibus templa Deorum corruerunt, & multi oppressi sunt. Eorum reliquias Florentia nobilis fœmina unguentis conditas honorifice sepelivit. *Ribadeo. 15. Jan.*

CXXIII. S. Celsus a matre sua S. Nazario in manus traditus his verbis: filiolus iste meus individuus tibi comes a hærebit, donec una tecum divino conspectui asteratur. Ab eodem baptizatus, Celsusque nominatus, cum eodem a Præside Dinovao comprehensus, atrociterque cæsus, generosissimus doloris omnis victor, balbutiente lingua Judicem in hæc verba suit allocutus: *Deus, cui ego servio, te judicabit.* Tandem ejusdem Præsidis jussu, in mare projectus, & cum in hoc mirabiliter obambularet, tandem cum magistro suo obtruncatus est. *Ibid. 28. Jul.*

CXXIV. Anno Christi 921. cum Rex Abdare- *Ibid. 26. Jul.*

daremenus, collatis in valle Junchera signis Christianos ingenti prælio superasset, præter quos in conflictu cecidit, multos etiam vivos cœpit, atque in his etiam Episcopum Tuy, nomine Ermoigium, qui Cordubam ductus, vinctusque in carcerem detrusus est. Hic pro se redimendo Mauros aliquot, quos habebat, obtulit, quos dum Regi remitteret, obsidis vice, decennem reliquit puerulum, nepotem suum nomine Pelagium. Contentus erat hoc Vadimonio Rex, sicque Episcopo vinculis emancipato, remansit illic obses puerulus Pelagius, in quo venustas & castitas sic eminebant, & invicem certabant, ut dubiam omnino palmam facerent. Porro quoniam hunc adolescentulum sibi Dominus Martyrem delegerat, tantis in carcere favoribus eum cumulavit, ut captivitatis ille squallor & pædor, ei fieret exercitæ virtutis ardor, & velut auro camini flammis excocto splendor. Erat admodum honestus, temperatus, pacatus, & prudens. Fundendis ad Deum precibus vacabat, sacros codices lectitabat, identidem de virtute differtabat, a risu, facetiis ac leporibus sibi temperabat; demque non bullatus puerulus, sed maturus, togatusque jam vir esse videbatur. Ita sanctum puerulum trienni ac semestris mora tenuit, qua se martyrio præparavit. Namque aliquando cum Rex epulo accumberet, & familiares ejus, miram Pelagii pueruli venustatem mire commendarent, ille subito vinculis educi, sibique jussit adduci. Quare vinculis educto, splendideque vestito, cum quasi fortunato, felicique gratulati fuissent, eum Regi obtulerunt. Hic ut erat impudicus, & impius, ut adolescentulum aspexit, statim pulchritudine ejus captus dilexit, eique, & omnibus ejus posteris divitias, delicias, dignitates, si Christum detestatus, Mahumetum coleret, liberalissime spopondit. S. Adolescentulus aliquamdiu meditabundo similis hæsit, postea: *Quidquid*, inquit, *o Rex, quamvis potens, mihi spondes, nihil est. Ego sum Christianus, talis fui, talis porro semper sum futurus, nec unquam semel datam Christo fidem proditurus. Nam quidquid offers, est caducum, fragile, evanidum, sed enim Jesus Christus Deus, & Dominus meus, qui res omnes creavit, suoque subjectas imperio tenet, æternus est, finemque nescit.* Accessit castissimum adolescentulum Rex suaviaturus, incasteque ei blanditurus. Sed Pelagius bullato dissimillimus puero, maturo togatoque simillimus viro: *Procul hinc obsiste canis*, inquit, *impurumque os tuum procul ab ore meo facesse. Quid? An tu me tuis illis effœminatis esse similem reris?* Dixit, moxque splendidam, qua fuerat ab iis opertus, vestem discerpsit & abjecit, quo scilicet expeditior esset ad agonem luctamque mortis pro Christo subeundam. Rex autem Pelagium adeo deperibat, ut nec ejus verba, nec opera curaret, sed amore cæcus suis familiaribus imperaret, suis ut blanditiis ei persuaderent, ut ejurato Christo, suæ cupiditati satisfaceret. Denique Rex ut oleum operamque se ludere sensit (Pelagius enim fortis, & constans in suo proposito durabat) amorem suum vertit in odium, blanditias in rabiem ac furorem prorsus implacabilem. Itaque totus furore præcisus, oculisque flammas evibrantibus ardens, decrevit eum devinctum testibus extendi, & cruciari, donec aut expiraret, aut Christum Deum negaret. Factum crudeliter, quidquid Rex imperat crudelis. Sed adolescentulus ore comi, cœlitumque simili, nullum penitus timorem, nullum animi mœrorem præsetulit, ad atrociores etiam cruciatus ac tormenta paratus. Non latuit ea Martyris fortitudo Regem, qui flagrantioribus etiam furiarum facibus accensus, jussit eum membratim concidi, concisumque in flumen Guadalchivir abjici. Hoc imperio accepto tortores magis efferati, violentas omnino Martyri manus attulere sic, ut hic eum brachiis, ille pedibus, alius aliis membris truncaret, & omnes certatim cruciarent. Interim quamvis illud sacrum corpusculum in suo sanguine nataret, tamen Pelagius, perinde ut si non fuisset ejus, sed alterius cujuspiam artus, animo sereno, paccatoque perstabat, sibique adjutorem invocabat Christum his: *Libera me, Domine, de manibus inimicorum meorum.* Cumque manus in cælum sustulisset, carnifices eas cum capite amputarunt, sicque spiritum Deo reddidit.

CXXV. S. Marinus Senatorius adolescens *Nadasi p. 2. Dec.* equuleo, & ungulis pro Christo servili more cruciatus, in sartaginem deinde conjectus, & igne in rorem converso liberatus, serra lignea secandus gaudebat, & postquam in cratæ super ignem jacuisset, etiam a plumbo liquato nil læsus, mansuctum, divinitus ad pedes, manus, collum, pardum, tigridem, leonem vidit; ad fornacem ardentem inter Angelos abiit; toto quoque illic biduo illæsus mansit; & gladio tandem cæsus est.

CXXVI. S. Cononis filius duodecim anno- *Ibid. p. 1. 21. Maii.* rum puer una cum patre craticulæ suppositis prunis impositus, oleo bulliente perfusus, in accensa fornace, velut in horto, una cum patre inambulavit; & cum eodem subjectis flammis, in equuleo suspensus, contrita ligneis malleis utraque utriusque manu, uterque inter canendum, accinentibus Angelis spiritum emisit.

CXXVII. S. Christophorus parvulus octo an- *Ibid. 24. Mart.* nos natus, flagellatus, spinis coronatus, & omnia Christi tormenta singillatim perpessus, cui, cruci affixo, cum latus dextrum aperire pararet carnifex, dixit: *Si cor quæris, alterum latus mihi effodias, & scruteris.* Et simul teneram animam edidit, corde avulso.

CXXVIII. S. Symphorianus adolescens, *Ibid. p. 2. 22. Aug.* quem inter martyrii cruciatus morientem, animans mater, clamabat: *Nate, nate, memento æterne vitæ; cælum suscipe, & ibi regnantem intuere! tibi enim vita non eripitur, sed mutatur in melius.* His auditis æternitatem illam iniit lætus Martyr.

CXXIX. S. Prisca nobilis Virgo Romana *Breviar. 18. Jan.* tredecim annos nata, Claudio Imperatore, Christianæ fidei accusata, ejusdem jussu ducta ad Apollinis templum, ut idolis immolaret; cum rem detestaretur, colaphis cæsa, in carcerem truditur: atque inde emissa, cum in fidei constantia perseveraret, affecta verberibus, ferventique adipe delibuta rursus in carce-

cerem includitur. Post triduum in amphitheatrum producta, leoni objicitur: qui suæ feritatis oblitus, humiliter se ad ejus pedes abjecit. Quæ postea in ergastulo triduum inedia afflicta, in equuleo suspenditur, & ungulis ferreis excarnificata in rogum injicitur, unde etiam mirabiliter evasit incolumis. Denique extra urbem capite absciffo, virginitatis palmam martyrii corona cumulavit.

Nadaſ p. 2. Sep. CXXX. S. Basilissa Virgo novem tantum annos nata, verbera ignes, bestias, divina virtute superavit, & in oratione purum Deo spiritum reddidit.

CXXXI. S. Sancta duodecim annorum parvula in Tyranni faciem generose spuit; ideoque una cum sororem Pasca interfecta est.

Ribaden. p. 1. 21. Jan. CXXXII. S. Agnes tredecim annos nata Virgo, cum & in lupanari posita incolumis evasisset, & filium Prætoris Symphoriani corrumpere eam volentem, ideoque subitanea morte extinctum, precibus resuscitasset; simul ac hæc duo miracula rumor vulgavit, excitis suis fanis, adytisque Idololatræ Pontifices, Flamines, Arupicesque concurrere, furere, seditiosos in populo motus ciere, Agnetemque inconditis omnino vocibus his ad mortem deposcere: Tollatur e medio venefica Circe, crudelis Medusa, tollatur sacrilega, quæ mentes Magico carmine mutat, & animos alienat. Prætor vocibus hisce turbatus, & quid consilii capesseret incertus, hinc miraculi novitate attonitus, redditque filii beneficio obligatus, Virginem absolvendam; illinc populi tumultum, Flaminumque seditionem veritus, damnandam potius ratus, denique humano sese metu vinci passus, Aspasium pro se vicarium judicio præfecit; vecordes scilicet imitatus arbitros, quos panicus exanimatos metus innocentiam tueri non sinit. Aspasius occupato Prætoris solio, Agnetem ad se subito acciri mandavit. A sævis igitur invasa lupis Agna comprehensa est, & oblata Prætori. Qui adductam accensæ impositam pyræ, jussit exuri. Dictum, factum. Imposita est pyræ, sed enim corpus, quod incendia libidinum superata, remedium mediis in flammis invenit, & quæ ad focos ingressa fuerat, ut arderet, cœpit per sanctam Virginitatem algere, ut disceret Virginitas, sibi flammas & incendia dominari non posse. Nam volitantibus hinc inde flammarum globis, cum proximos quoque Ethnicorum paulo ante in Agnetem blasphemos, ultricia carperent incendia, sola mediis in ignibus Virgo stetit innoxia, quæ cælestibus inundata gaudiis, cælestemque affata Sponsum: *Omnipotens*, inquit, *adorande, colende, tremendæ Pater Domini mei Jesu Christi, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum, evasi vim Tyrannorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transivi. Tuus enim spiritus, & prodigiosus, quem cælo destillas, ros, hujus ardorem flammæ temperat; hujusce vis incendii a me tua virtute discussus, in eis, a quibus struitur, mirabiliter vindex effunditur. Sit benedictum, Domine, nomen tuum; nunc enim quod optaram, video; quod speraram, jam teneo; quod concupieram, amplector. Te mea lingua prædicat. In te mens mea exultat. Ecce, ad te venio, verissime Deus, æterne Deus, fidelissime Deus, qui vivis & regnas cum Filio suo Jesu Christo in sæcula sæculorum.* Dicit, omnisque ignis adeo totus extinctus est, ut ne quidem stipula fumare porro videretur. Tum vero Vicarius Aspasius seditionem populi veritus, guttur ejus gladio transfigi præcepit. Carnifex dum vagina liberaret ensem, & eumdem in cervicem Virginis vibraret, totis artubus quasi ipse addictos fuisset, tremuit, & expalluit alieno periculo, cum puella non timeret suo; namque ad exanguem conversa lictorem: *Quid*, inquit, *percussor moraris? pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo.* Dixit; cervicem inflexit, scintillantis ictum mucronis impavida excepit, tantaque sanguinis copia eo vulnere prorupit, ut futuram cælestis thalami Reginam, insolita virginei cruoris purpura pulcherrime operuerit. Itaque una victima duplex omnino fecit martyrium pudoris videlicet & religionis: Et virgo permansit, & martyrium obtinuit.

M E M B R U M IV.

De multitudine Matyrum.

ETiam hujus multitudinis notitia non parum conducit ad animos heroica fortitudine inflammandos; cum enim juxta commune proverbium in ore duorum vel trium testium sit omnem verbum, immerito profecto, & imprudenter de veritate fidei nostræ Catholicæ dubitare quis convinceretur, si eadem a tot millibus Martyrum inter tot tantosque cruciatus, ipsamque sanguinis profusionem, crudelissimamque mortem, assertam, confirmatamque intellexerit. Etsi vero nonnulli non improbabiliter putent, tantum esse sanctorum Martyrum numerum, ut, si in singulos anni dies distribui deberent, pro quovis die quindecim millia assignari possent; non parum tamen proderit, ad hanc ipsam opinionem probabiliorem reddendam, si quam multi variis temporibus martyrio sint affecti, in specie explicetur, id quod in præsenti paragrapho breviter præstabitur.

CXXXIII. Primum inter hos merito locum obtinent septem fratres Mach. cum matre sua, quorum numerus, etsi per se non adeo magnus sit, ob circumstantias tamen fortitudinis undequaque admirandæ, merito præcipuam commendationem meretur. Horum autem historiam sic narrat Scriptor Libri 2. Mach. Contigit autem & septem fratres una cum matre *Mach. 2. cap. 7.* sua apprehensos compelli a Rege, edere contra fas carnes porcinas, flagris & taureis cruciatos. Unus autem ex illis, qui erat primus, sic ait: *Quid quæris, quia vis discere a nobis? parati sumus mori magis, quam patrias Dei leges prævaricari.* Iratus itaque Rex jussit sartagines, & ollas æneas succendi: quibus statim succensis, jussit ei, qui prior fuerat locutus amputari linguam: & cute capitis abstracta, summas quoque manus & pedes præscindi, cæteris ejus fratribus & matre inspicientibus. Et cum jam per omnia inutilis factus esset, jussit ignem admoveri, & adhuc spirantem torreri in sartagine: in qua

cum

cum diu cruciaretur, cæteri una cum matre invicem se hortabantur mori fortiter, dicentes: *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis*; quemadmodum in protestatione Cantici declaravit Moyses: *& in servis suis consolabitur*. Mortuo itaque illo primo, hoc modo sequentem deducebant ad illudendum, & cute capitis ejus cum capillis abstracta, interrogabant, si manducaret prius, quam toto corpore per membra singula puniretur. At ille respondens patria voce dixit: *Non faciam*. Propter quod & iste sequenti loco, primi tormenta suscepit, & in ultimo spiritu sic ait: *Tu quidem scelestissime, in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ resurrectione suscitabit*. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit; & cum fiducia ait: *E cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipse despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero*. Ita ut Rex, & qui cum ipso erant mirarentur adolescentis animum, quod tanquam nihilum duceret cruciatus. Et hoc ita defuncto, quartum vexabant similiter torquentes. Et cum jam esset ad mortem, sic ait: *Potius est ab hominibus morti datos spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos: Tibi enim resurrectio ad vitam non erit*: Et cum admovisset quintum, vexabat eum. At ille respiciens in eum dixit: *Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis, quod vis; noli autem putare genus nostrum a Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & vide magnam potestatem ipsius, qualiter te & semen tuum torquebit*. Post hunc ducebant sextum, & is mori incipiens sic ait: *Noli frustra errare, nos enim propter nosmetipsos hæc patimur, peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis. Tu autem ne existimes, tibi impune futurum, quod contra Deum pugnare tentaveris*: Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat propter spem, quam in Deum habebat: singulus eorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœmineæ cogitationi masculinum animum inferens, dixit ad eos: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi Creator, hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & spiritum vobis iterum cum misericordia reddet & vitam; sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges ejus*. Antiochus autem contemni se arbitratus, simul & exprobrantis voce despecta, cum adhuc adolescentior superesset, non solum verbis hortabatur, sed & juramento affirmabat, se divitem & beatum facturum, & translatum a patriis legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum. Sed ad hæc cum adolescens nequaquam inclinaretur, vocavit Rex matrem, & suadebat ei, ut adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis eam verbis esset hortatus, promisit suasuram se filio suo. Itaque inclinata ad illum, irridens crudelem Tyrannum, ait patria voce: *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero meo novem mensibus portavi, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi. Peto, nate, ut aspicias ad cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus. Ita fiet, ut non timeas carnificem istum: sed dignus fratribus tuis effectus particeps suscipe mortem, ut in illa miseratione cum fratribus tuis te recipiam*. Cum hæc illa adhuc diceret, ait adolescens: *Quem sustinetis, non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis, quæ data est nobis per Moysen. Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Et si nobis propter increpationem & correptionem Dominus Deus noster modicum iratus est; sed iterum reconciliabitur servis suis. Tu autem, o sceleste, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extollere vanis spebus in servos ejus inflammatus. Nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis judicium effugisti; Nam fratres mei, modico nunc dolore sustentati sub testamenti æternæ vitæ affecti sunt: Tu vero judicio Dei justas superbiæ tuæ pœnas exsolves: Ego autem sicut & fratres mei, animam & corpus meum trado pro patriis legibus: invocans Deum maturius genti nostræ propitium fieri, teque cum tormentis & verberibus confiteri, quid ipse est Deus solus. In me vero, & in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum juste superducta est*. Tunc Rex accensus ira in hunc super omnes crudelius desævit, indigne ferens se derisum. Et hic itaque mundus obiit per omnia in Domino confidens. Septem filiis ita de medio sublatis jussa fuit a Tyranno crudeliter trucidari quoque sanctissima fortissimaque viraginum, omnibusque laudum præconiis, memoriaque perenni dignissima mater, non solum quod ejusmodi filios genuisset, sed quod eosdem in timore Dei educasset, & adeo fortiter pro divinis legibus occumbentes spectasset. Atque hos ad piam mortem libenter subeundam sui ipsamet hortatibus animavit, sicut pluris ipsa divinam legem, quam materni teneritudinem affectus æstimaret, verissimam crederet esse vitam, mortem Dei causa toleratam. Quamobrem sanctissimi gravissimique quique Ecclesiæ Doctores miris hanc sanctam Matronam, filiosque illis laudibus extollunt, neque laudandi fere modum ponunt.

CXXXIV. S. Anastasia cum ducentis viris, *Ribad. n. 25. D.c.*
& septuaginta fœminis Christianis (Usuardus & Ado censent fuisse septingentos) navigio imposita est, ut omnes in altum demergerentur, & fluctibus haurirentur; sed navigium, divino nutu directum in insulam Palmariam devenit, ubi Sancta Anastasia palo alligata, & aliquantulum ab humo suspensa hæsit, sic pendulæ subjectus est ignis, quo corpus ejus combustum, sed anima est defæcata, quæ magis arsit divini amoris tædis, quam corpus ejus exteriori incendii flammis. Reliqui Martyres comites ejus variis cruciati tormentis martyrium pro Christo consummarunt.

CXXXV.

Martyrol. Rom. 25. Dec. CXXXV. Multa millia Christianorum, qui in nocte Natalem Christi præcedente convenientes ad Missam audiendam cum Imperator Diocletianus ante fores templi altare statui, & aut thus Diis immolare eos, aut flammis comburi jussisset, omnes unanimiter magis per flammas sacrificium Deo fieri, quam Diis offerre elegerunt.

CXXXVI. Quadraginta Sebastenorum Martyrum sic describitur in Breviario Romano: Licinio Imperatore, & Agricolao Præside, ad Sebasten Armeniæ urbem, quadraginta militum fides in Jesum Christum, & fortitudo in cruciatibus perferendis enituit. Qui sæpius in horribilem carcerem detrusi, vinculisque constricti, cum ora ipsorum lapidibus contusa fuissent, hyemis tempore frigidissimo nudi sub aperto aere supra stagnum rigens pernoctare jussi sunt, ut frigore congelati necarentur. Una autem erat omnium oratio: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine, corona donemur, ne una quidem huic numero desit. Est in honore hic numerus, quem tu quadraginta dierum jejunio decorasti, per quem divina lex ingressa est in orbem terrarum. Elias quadraginta dierum jejunio Deum quærens ejus visionem consecutus est.* Et hæc quidem illorum erat oratio. Cæteris autem custodibus somno deditis, solus vigilabat janitor, qui & illos orantes, & luce circumfusos, & quosdam e cælo descendentes Angelos tamquam a Rege missos, qui coronas triginta novem militibus distribuerent, intuens, ita secum loquebatur: Quadraginta hi: quadragesimi corona ubi est? Quæ dum cogitaret, unus ex illo numero, cui animus ad frigus ferendum defecerat, in proximum tepefactum balneum desiliens, Sanctos illos summo dolore affecit. Verum Deus illorum preces irritas esse non est passus: Nam rei eventum admiratus janitor, mox custodibus e somno excitatis, detractisque vestibus, ac se Christianum esse, clara voce professus, Martyribus se adjunxit. Dum vero Præsidis satellites janitorem quoque Christianum esse cognovissent, bacillis comminuta omnium eorum crura fregerunt. In eo supplicio mortui sunt omnes, præter Melithonem natu minimum. Quem cum præsens Mater ejus, fractis cruribus adhuc viventem vidisset, sic cohortata est: *Fili paulisper sustine, ecce Christus ad januam stat, adjuvans te:* cum vero reliquorum corpora plaustris imponi cerneret, ut in rogum inferrentur, ac filium suum relinqui, quod speraret impia turba puerum, si vixisset, ad idolorum cultum revocari posse: ipso in humeros sublato, sancta Mater vehicula Martyrum corporibus onusta strenua prosequebatur: in cujus amplexu Melithon spiritum Deo reddidit, ejusque corpus in eumdem illum cæterorum Martyrum rogum pia Mater injecit, ut, qui fide & virtute conjunctissimi fuerant, funeris etiam societate copulati, una in cælum pervenirent. Combustis illis, aorum reliquiæ projectæ in profluentem, cum mirabiliter in unum confluxissent locum, salvæ, & integræ repertæ honorifico sepulchro conditæ sunt.

CXXXVII. SS. Undecim millium Virginum Ursulæ & Sociarum Martyrium sic describunt varia Diœcesana Directoria: Cum Maximus Tyrannus tempore Gratiani Imperatoris Gallias invasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam provinciam, & uberes glebas, Britannicis militibus novæ coloniæ tribuit, ac divisit. Quo vero eorum etiam posteritati consuleret, ex magnæ Britanniæ insula singulis militibus, qui in duabus legionibus ad undecim millia erant, singulæ Virgines, ex gentilibus sunt in matrimonio postulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus post Maximum Dux Connanus, unus ex Britanniæ regulis, cui paris nobilitatis conjux designata est filia Dionoci Regis Cornubiæ, nomine Ursula. Londini itaque cunctis coactis invitæ licet patrium solum, charosque suos relinquentes imponuntur navigiis; dumque regionem Armoricorum cogitant nautæ, mox sæva procella naves impulit in æstuaria Germanica: Ubi dum essent, Megla Pictorum & Gaunus Hunnorum piratæ, qui comparata classe icto fœdere cum Gratiano Imperatore adversus Maximum, ut vel hac arte eum a cœptis deturbarent, cum ad infestandam Britanniam tenderent, in bas ad litus jactatas Virginum naves incidentes sic in Britannas Virgines, ut in hostes grassati sunt, ut vim inferendi illarum pudicitiæ consilium caperent. Illæ vero omnes hortatu Ursulæ mortem durissimam potius oppetere, ac gladiis obtruncari, Christiana constantia decreverunt, quam ignominiosum quid pati. Cumque ea perstiterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutata; cum alio properarent, ne longiore mora detinerentur, singulas crudelissime trucidarunt anno post partum Virginis trecentesimo octogesimo tertio, indeque in Britanniam navigarunt. Posthæc sparsa in finitimis regionibus fama de religiosa Virginum morte, quod vitæ potius, quam pudicitiæ dispendium pati sustinuissent, sacra earum cadavera a vicinorum locorum incolis cum honore sublata, debito sanctis Martyribus cultu celebrata sunt.

CXXXVIII. Ibidem SS. Mauritii & Sociorum gloriosissimus agon in hæc verba narratur. *Ibid. 22. Sept.* Cum Maximianus Imperator, ducto in Galliam exercitu, in finibus Sedunorum sacrificii causa substitisset, Thebæorum legio, ne se impiorum sacrorum societate contaminaret, a reliquis copiis discessit ad octo millia passuum longius, ad locum dictum Agaunum. Maximianus vero ad eorum explorandam voluntatem, nuncium misit, qui eos pariter hortaretur, reverti ad castra, & quod commilitones facerent, idem ipsi præstare non detrectarent. Cui Mauritius Tribunus Legionis, Exuperius Vexillarius, & Candidus ordinis Senatorii vir, nomine omnium responsum prudens, & quidem, ut par erat, dedere; paratos scilicet esse, in omnibus esse subjectos, & ad castra reverti; atque adversus barbaros, quod alias sæpe fecerant, strenue pugnaturos: Verum quod Christianam religionem colerent, se numquam esse immolaturos; ob idque nolle redire. His auditis ira accensus Maximianus decernit in eos publicum milita-

re ſupplicium; nimirum ut decimum quemque eorum gladius feriret, quem ſors funeſta monſtraret. Cum autem legioni innotuiſſet ferale decretum Principis, lætiſſime id accepit, rata nimirum ſibi decerni triumphum, quo milites cælum conſcenderent, martyrio laureati poſt Chriſtum, cum eo perpetuo regnaturi. Porro incenſos omnium martyrii amore animos, Mauritius ad eos habita concione, qua omnes corroboraret in fide, reddidit ſubeundi pro Chriſto mortem deſiderio flagrantiſſimos. Quid plura? decimantur milites: reliqui vero ut redeant Octodurum Principis mandato jubentur. Renuentes illi iterum decimantur; ſed nec ſic, qui remanſerant, illi parent, ut ad exercitum redeant: expectantes ſinguli eandem cum Chriſtianis commilitonibus ſubire optatiſſimam ſibi ſortem. Quorum deſiderium magis, magiſque incenſum eſt, alia proxime habita ad eos ab Exuperio concione. Cum autem illorum immotum animum Imperator, iterum facto periculo, ſatis compertum, exploratumque habuiſſet; deſperans omnino quemquam illorum a Chriſtiana fide poſſe deduci: omnem tandem in eos immittit exercitum, a quo ſinguli trucidentur. Ferociſſimum impetum ſuſtinent illi, protecti ſcuto fidei, gladio ſpiritus, & galea ſalutis armati: ac proinde novo pugnandi genere victores effecti, de proſtrata impietate, ac fide ſervata, glorioſiſſimis martyrii coronis aucti, æterna in cælo beatitudinem ſunt feliciter conſecuti.

Ib. 6. Oct. CXXXIX. Trevirenſium quoque Martyrum tam glorioſus fuit exitus, quam luctuoſus, qui eodem in libro ſic deſcribitur: Poſtquam Rictionarus Thyrſum & ſocios Thebææ legionis Treverim perſecutus, ibidem trucidavit, poſtera luce Palmatium Proconſulem, alioſque Senatores propter Chriſti fidem capite plecti fecit, ſed fuit præ cæteris tertia dies, ut beatis mentibus gratiſſima, ita Trevericis inquilinis læta, & in omnium ſæculorum memoriam piis votis revocanda. Trevirenſes enim, cum inde ab Eucharii adventu præſtantium Epiſcoporum vigiliis curiſque ſubacti, maturis jam frugibus, demum flaveſcerent ad meſſem, ut diuturnum laborem penſarent uberrimo Martyrii fructu, ſe, ſuaque omnia pro Chriſti nomine large, ac munifice profuderunt. Quare Rictionarus videns Religionem Chriſtianam hic radices egiſſe firmiores, quam quæ objecto terrore, vel exemplis, quæ jam ſtatuerat, evelli poſſet, pridie nonas Octobris in omnem ſexum, ætatemque promiſcuam exercere cædem inſtituit. Et quos Chriſtum colere ſuſpicio vel proditio pateſecit, aut quibus ultro profiteri religionem animus erat, hos in unum convocatos, & ad ſacrificandum Diis compulſos, ubi tergiverſari ſenſit, immiſſa percuſſorum manu lacerari ferro ſtrictiſque mucronibus jugulari ceu victimas juſſit. Luctuoſum id Auguſtæ civitatis fuit oculis ſpectaculum: quando ſenes, matronas, pueros, virgines, infantes tyrannicus enſis abſtulit, contecta Martyrum ſtragibus compita ſqualebant, eorumque ſanguine flumen inundabat. At poſtquam acervis oppleri corporum, & Martyribus tumulum unda præbere cœpit, inter congeſtas alte truncatorum moles ægro niſu, ceu pigrior incedens Moſella, & ſummis vadis puniceo colore paulatim niteſcens, ad paſſuum decem millia ſanguinolentus fluxiſſe proditur. Horum ergo egregiam virtutem ac innocentiam pridie nonas Octobris ſub innumerabilium titulo, poſteritatis grata memoria proſequitur.

CXL. Idem certamen pari fortitudine & conſtantia ſubierunt SS. Gereon & Socii; uti ibidem ſequentibus verbis commemoratur: Gereon ſacræ legionis Thebæorum egregius commilito cum aliis ejuſdem legionis militibus a Maximiano Imperatore in auxilium accerſitus ad comprimendos tumultus, qui in Galliis contra Romanum Imperium excreverant, protinus cum ſuis ſequacibus, qui una cum ipſo omnes jam Sacramentis veræ fidei, & ſalutaris baptiſmatis initiati erant, in illam expeditionem ſe contulit. Beati autem Marcellini Romani Pontificis colloquio edoctus, quemadmodum ſub armis Romanæ militiæ, Chriſtianæ religionis conſervanda eſſet innocentia, tantum ad expugnandos publicæ pacis inimicos arma ſuſcipere, contra religionem vero ſuſceptæ fidei Imperatorum mandata prorſus contemnere decrevit. Quam ob rem cum Maximianus Auguſtus ferociſſimus Chriſtiani nominis perſecutor, ſtatuto idolo, univerſum exercitum ad ſacrificia, nefaria convocaſſet, & legionem ſanctam Thebæorum, tantam impietatem deteſtantem, callidis perſuaſionibus flectere non ſufficiens, trucidari juſſiſſet, impii ſatellites plurimis e medio ſublatis tandem Gereonem cum ſociis trecentis decem & octo, pari fidei conſtantia armatis in campis Civitatis Agrippinæ commorantem, & martyrii gloriam cum iiſdem præſtolantem invaſerunt, & gladiis colla pro vera pietate ultro patienter ſubjicientes, interemerunt: Corpora vero ſanctorum Martyrum per campi illius planitiem diſperſa in unum puteum maximum projecerunt, quæ multorum miraculorum gloria a Deo illuſtrata claruerunt. *Ib. 10. Oct.*

CXLI. S. Symphoroſa Tiburtina Getulii Martyriis uxor, ex eo ſeptem filios peperit, Creſcentium, Julianum, Nemeſium, Primitivum, Juſtinum, Stacteum, Eugenium: qui omnes propter Chriſtianæ fidei profeſſione una cum matre, Adriano Imperatore comprehenſi ſunt. Quorum pietas multis variiſque tentata ſuppliciis cum ſtabilis permaneret mater, quæ filiis fidei magiſtra fuerat, dux eiſdem ad martyrium extitit. Nam ſaxo ad collum alligato in profluentem dejicitur: cujus corpus conquiſitum a fratre ejus Eugenio ſepelitur. Poſtridie ejus diei, qui fuit decimo quinto Kalendas Auguſti, ſeptem Fratres ſinguli ad palum alligati, varie ſunt interfecti. Creſcentio guttur ferro transfigitur: Juliano pectus confoditur: Nemeſio cor tranſverberatur: Primitivo trajicitur umbilicus: Juſtinus membratim ſecatur: Stacteus telis configitur: Eugenius a pectore in duas partes dividitur. Ita octo hoſtiæ Deo gratiſſimæ ſunt immolatæ. Corpora in altiſſimam foveam projecta ſunt via Tiburtina, nono ab urbe lapide: quæ poſtea Romam translata, condita ſunt in Eccleſia ſancti Angeli in Piſcina. *Breviar. Rom. 18. Jul.*

CXLII.

Ib. 4. Oct. CXLII. S. Placidus Romæ, Tertullo Patre in primis nobili natus, puer Deo oblatus, & S. Benedicto traditus, tantum ejus disciplina, & monasticæ vitæ institutis profecit, ut inter præcipuos illius discipulos numeraretur. Ab eo in Siciliam missus, Monasterium, & Ecclesiam in honorem Sancti Joannis Baptistæ prope Messanæ portum, construxit, ubi cum Monachis admirabili sanctitate vixit. Ejus visendi causa cum eo venissent Eutychius, & Victorinus illius fratres, & Flavia Virgo soror, eodem tempore illuc appulit immanis quidam pirata, Manucha nomine, qui capto Monasterio, cum Placidum, & cæteros nullo modo adducere potuisset, ut Christum negarent: Ipsum fratresque illius, ac sororem crudeliter necari jussit, cum quibus etiam Donatus, Firmatus Diaconus, Faustus, aliique triginta Monachi, Martyrii agonem feliciter consummarunt tertio nonas Octobris, anno salutis quingentesimo trigesimo nono.

Ibid. 8. Nov. CXLIII. SS. Severus, Severianus, Carpophorus, & Victorinus, Fratres in persecutione Diocletiani deorum cultum libere detestantes, plumbatis cæsi, in verberibus vitam pro Christi nomine profuderunt. Quorum corpora, canibus objecta, cum ab illis intacta diu fuissent, sublata a Christianis, via Luciana tertio ab urbe lapide in arenaria sepeliuntur prope sepulchrum sanctorum Martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Casterii & Simplicii, qui eodem Imperatore passi erant, quod cum essent summi sculptores, nullo modo adduci potuerant, ut idolorum statuas facerent, & ad Solis simulacrum ducti, ut illud venerarentur, numquam commissuros se dixerunt, ut adorarent opera manuum hominum. Quam ob rem in carcerem conjecti, cum ibi multos dies in eodem proposito perstitissent, primum scorpionibus cæsi, dein vivi plumbeis loculis inclusi in flumen dejiciuntur. Extat in urbe Ecclesia sub nomine Sanctorum quatuor Coronatorum, quorum diu ignota nomina, divinitus postea patefacta sunt: Ubi non solum illorum quatuor, sed etiam horum quinque Martyrum corpora honorifice sepulta sunt, & eorum festivitas sexto Idus Novembris celebratur.

Notasi gnm. cælest. 18. Mar. CXLIV. Decimo octavo Martii coluntur decies mille Martyres gladio percussi.

Ibid. 20. Maji. CXLV. SS. Alphius, Philadelphus, & Cyrinus MM. nobiles Vascones, & S. Vitalis, & S. Benedictæ filii, cum Onesimo magistro, Erasamo sororis filio, ac tredecim condiscipulis, comprehensi, e capillis appensi, Romæ postmodum in carcere percussi, uncis excruciati, clavis ignitis calceati, e pedibus suspensi, pice ac plumbo sæpius perfusi, ac per biennium fame, igne, varieque vexati, tandem alius lingua exsecta, alius in craticula super prunas, alius in lebete ferventis plumbi & picis consumpti sunt.

Ib. 8. Jul. CXLVI. Octavo Julii memorantur quinquaginta S. Bonosæ exemplo ad Martyrium animati.

Ibid. 27. Aug. CXLVII. SS. Liberatus, Bonifacius, Servus, Rusticus, Rogatus, Septimus, & Maximus puer, suppliciis inauditis exagitati, super ligna, quibus concremandi erant, clavis affixi, igne divinitus semper extincto, capite ac cerebro comminuto, Martyres.

CXLVIII. SS. Duodecim Fratres, Donatus, Arontius, Honoratus, Fortunatus, Sabinianus, Septiminus, Felices duo, Vitalis, Satyrus, Januarius, & Repositus sancte educati, litteris & virtute, multis patratis miraculis, multis Christo adjunctis, fustibus pro Christo cæsi, a carcere per Angelum liberati, athletæ magni, per varia tormenta, Martyres. *Ib. 1. Sept.*

CXLIX. SS. Septuaginta quinque Martyres exemplo SS. Geminiani & Luciæ conversi. *Ibid. 16. Sept.*

CL. S. Marcus ovium pastor, SS. Zosimus, Alphius & Alexander, illius fratres; SS. Nicon, Neon, Heliodorus, aliique triginta milites, variis tormentis, Martyres. *Ibid. 22. Sept.*

CLI. SS. Marcus & Marcianus fratres, & alii pene innumerabiles utriusque sexus, ac omnis ætatis, per verbera, flammas, mare, gladium, incendia, patibula, Martyres. *Ib. 4. Oct.*

CLII. S. Eulampius una cum Eulampia suo exemplo animata sorore virgine, in bullientis olei lebete illæsus, excisis pupillis, illa e capillis suspensa, non potuit a Christo avelli; Postea in ardente fornace, velut in prato amœne florido, inambulantes, trium Puerorum canticum, *Benedicite*, cecinerunt, una cum ducentis aliis exemplo eorum permotis, Martyres facti. *Ibid. 10. Oct.*

CLIII. S. Felicitas septem filiorum corda cælesti amore adhortando accendit, & ad martyrium prima venit; sed illis præmissis octava pervenit, decollata pro Christo. *Ibid. 23. Nov.*

CLIV. SS. Paramon, & socii trecenti septuaginta quinque Martyres. *Ibid. 29. Nov.*

CLV. SS. Jason & Maurus cum filiis & septuaginta militibus, omnes capitali sententia cæsi, Martyres. *Ibid. 3. Dec.*

CLVI. SS. Theodulus, Saturninus, Euporus, Gelasius, Eunicianus, Zeticus, Cleomenes, Agathopus, Basilides, & Evaristus crudelia passi omnes exclamabant: *Sumus Christiani, Christi hostiæ, Christi victimæ, etiamsi millies mori oporteat, libenter moriemur*: & capite cæsi sunt. *Ibid. 27. Sept.*

CLVII. Callistratus miles inter testas, equuleos, & alia supplicia cecinit Deo lætus, una cum sociis mari mersus, & inde divinitus emergens, apparuit pulcherrime coronatus, voce simul e cælo audita: *Esto bono animo, Callistrate, cum tuo grege; & jam venite in æternis requieturi tabernaculis*. Ita conversis centum triginta quinque militibus, cum suis quadraginta novem membratim concisus est. *Ibid. 27. Sept.*

CLVIII. SS. Saturninus, Nereus & alii, trecenti sexaginta quinque Martyres. *Ib. 20. O.*

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

De illustribus Sociorum Jesu Martyriis.

PROŒMIUM.

HÆC in consodalium meorum solatium placuit referre, ut, dum ea accuratius perlegunt, & contemplantur, illud a Patre Francisco Godojo ad Socios sub ipso Martyrio prolatum excitamentum: Eja Fratres, non degeneremus ab excelsis cogitationibus Filiorum Dei: & isti usu pares, seque ad aspera quævis pro Dei gloria, & animarum salute perpetienda excitare, & confortare studeant. Majoris autem claritatis & ordinis causa hæc Martyria in diversa genera dividam, ità tamen, ut quoniam longum nimis, & fastidiosum foret, singula referre non nisi selectiora sim narraturus.

GENUS I. MARTYRII.

Fune Strangulatorum.

Tannerus in Vitis MM. Soc. Jesu fol. 7. I. P. Edmundus Donatus gloriosum exitum in ipso ingressu adeptus est, & primus ex omnibus veritatem Catholicæ Religionis, sanguinis profusione in Hibernia asseruit. Is Limerici in Hibernia natos, ut vexatos dire Catholicos erigeret, ac solaretur, voluntate Pontificis in patriam suam rediit: Sed ab hostibus fidei omnia sagacissime observantibus, continue deprehensus, ibidem Limerici in arcta custodia diu detentus fuit. Varie subinde tentata est ejus constantia, optima omnia pollicentibus impietatis Ministris, si rejecta fide Romana perfidiæ reformatorum accederet, adversus quæ immobilis cum persisteret Dei confessor, Corcagiam quadragenis passuum millibus distantem ad ulteriorem Hæreticæ crudelitatis quæstionem pertractus est. Raptabatur toto illo itinere, manibus latronis instar revinctis, omnia illa a crudelissimis satellitibus expertus, quæ homicidis & facinorosis Patriæ proditoribus inferri solent. Dooec in eorumdem communem carcerem Corcagiæ retrusus, variis tormentis, & cruciatibus excarnificatus est. Sed cum infracta in his etiam duraret constantia, perduellionis scilicet arcessitus publico damnatur judicio, infamis supplicii a sanguinario Magistratu hisce publicatis causis, quæ invidendam Martyrii sortem ipsi non immerito asseruisse videri possunt: Quod in fidei Catholicæ confessione, sub perduellionis pœna ab Elisabetha ex Britannia proscriptæ, pertinax constaret: Quod ad eamdem concives suos, qua verbo, qua exemplo traducturus, & firmaturus venisset: quod Reginæ, capitis Ecclesiæ Anglicanæ titulum impie abrogaret. Quam nefariam sibi tamen gloriosissimi Triumphi decretoriam sententiam, magna alacritatis, & gaudii significatione excipiens, posteaquam humili capitis inclinatione Judicibus gratias egisset, tamquam reus Majestatis ad communem supplicii locum raptatus est: Hic incerto in laqueum collo, cum aliquaodiu de furca pependisset, vivens adhuc & spirans resecto fune in solum precipitatur, & ex discisso pectore evulsom cor manu carnificis populo ostentatur, mox in igne una cum aliis intestinis concremandum, reliquum corpus in quatuor partes dissectum, totidem palis affixum est, ut diversis locis, donec diffflueret, oculis omnium prostaret, fidelitatem scilicet in Reginam & saniora ab enecto consilia spectaculo suo ingesturum. Passus est vir inclytæ memoriæ, Corcagiæ sub annum Domini 1580.

II. Similem mortem ex causa pari constantia, & fortitudine obiere anno 1581. Edmundus Campianus, & Alexander Briantus Angli, postquam prius aliquoties equuleo crudeliter sunt torti, cujus quidem carnificinæ hic ast modus: Trabes quatuor in quadrum compsginatæ humi extenduntur. Extremis quadrati duobus, quà caput & pedes rei protenduntur, infertum est hinc inde ferreis annulis versatile lignum, complurium funium spiris, & voluminibus implexum, quale attrahendis ponderibus, aut situlis; in vacuo harum quatuor trabium distentus reus, ligandas manus ad lignum superius, & pedes ad alterum inferius porrigit. Ligantur autem vel quatuor funibus manuum pedumque soli pollices infra ultimum articulum, vel distinctis quinque fidiculis singuli pedum manuumque digiti, ita ut jaceat torquendus divaricatis cruribus, & manibus. Interim duo a capite, a pedibus totidem carnifices, lignis illis magna vi, versatis, miserum corpus attractis funibus, seu fidiculis, e pollicibus, aut digitis a terra suspendunt, & omnes in eo laxant ossium commissuras cum immenso dolore, ex continua nervorum convulsione, viscerumque interdum laceratione. Quo fit, ut nonnumquam plus palmo supra nativam ex violentissima attractatione, uti de Campiano factum est, excrescat corpus staturam. In quo tamen tormento Briantus, com tertia vice id experiri cogeretur, nullum dolorem cum magna omnium admiratione sensit. *Ib. f. 12. & 13.*

III. Eadem cum Campiano, & Brianto Patria Thomæ Cottamo, Anglia, & in ea Provincia Lacastrensi, idem vitæ genus, idem exitus fuit Anno 1549. natus, & a Protestantium hæresi opera P. Thomæ Pondi Societatis Jesu ad Catholicam Religionem traductus relicta Anglia, primo Duscum, ac deinde Romam, studio obtinendæ Societatis petiit. Hauserat nimirum primos ad eam ex annuis litteris spiritus, quæ ab India quotannis Romam de conversione Ethnicorum a nostris mittuntur, a quibus tandem in Christi societatem admissus, sic illei In præsenti obedientiam promitto coram Deo, & in foro conscientiæ meæ, omnibus & singulis Præpositis, constitutis, & constituendis : omnibus item regulis legibusve in hac Societate receptis; pro mea virili, & quantum me Deus adjuvet: testis dies iste, testis & hoc Chirographum manus meæ in die Judicii. De corporis valetudine non *Ib. f. 17. & 19.*

non est quod dubitetis, quia jam fere pristinam fortitudinem & robur Deo donante recuperavi, & in dies magis magisque convalesco. De cætero me vestris orationibus commendans, vos in Domino valere jubeo, solicite expectans, quæ sit vestra de me sententia. Factus itaque desideriorum a Societatis Superioribus compos, cum Societati de Votis Religiosis, post tam diram in carcere Tyrocinium legitime adstrinxisset, non multo post judicio iniquissimo læsæ Majestatis reus pronunciatus, vimineæ crati una cum Rudolpho Sceruvino injectus, atque per Londinum extra urbem ad furcam raptatus, sublato jam Campiano & Sceruvino, plaustrum ferale animosus conscendit, ex quo pauculis pro Religione Catholica & innocentia sua prolatis, subtracto inter recitatum Psalmum 50. curru, modicum pependit ac paulo post funere sciffo, uti priores duo, in quatuor partes diffectus & laniatus fuit, sed posteriori Anno 1582. 30. Maji. Duo solum de eo specialiter commendantur. Primum est, quod cum nullam speciem læsæ Majestatis in eo Hæretici invenirent, præcipuam torturæ speciem, filiam Servvingeri dictam, adhibuerint. Est ea primi torturæ equulei prorsus contraria, cum enim illa membra, alligatis, extractisque, in diversa manuum pedumque articulis, ab invicem distrahat: hæc e contra illa violante in unum veluti globum colligat & constipat. Trifariam hic corpus complicatur, cruribus ad femora, femoribus ad ventrem appressis, atque ita arcubus ferreis duobus includitur, quorum extrema dum ad se invicem labore carnificum in circulum coguntur, corpus interim miseri inclusum informi compressione pene eliditur, immane prorsus & dirius equuleo cruciamentum, cujus immanitate corpus totum ita arctatur, ut aliis ex eo sanguis extremis manibus & pedibus exsudet, aliis rupta pectoris crate copiosus e naribus faucibusque sanguis effundatur; prout Cottamo etiam cum hectica misere laboranti evenit, hora integra amplius annulo concluso. Alterum est, quod, dum resciffo fune ad lanienam denudatur, magno omnium stupore cilicium apparuit, intimo corpori oppressum, generosi illius animi index, qui duorum annorum perpetuis carceris ærumnis minime saturatus, saginari adscititiis etiam proprio ingenio injuriis voluit.

ib. f. 10. IV. Quartus fuit P. Joannes Cornelius Hybernus anno 1594. eadem ex causa suspensus, id quod sic ab Authore describitur: Ad locum supplicii, ubi deventum est, sublatis in patibulum primo latrone, quem expiatis sceleribus orthodoxe mori Pater commonefecerat, ac cum fidei causa duobus suis famulis, & Nobili Viro Thoma Bongavio, postremus ipse scalas alacer conscendit, illud Apostoli Andreæ usurpans: O bona crux, diu desiderata, sollicite amata! Sociorum deinde pedes e trabe pendentium & laqueum a carnifice porrectum exosculatus, collo induit, Deoque spiritum commendans e scalis dejectus est 3. Julii anno 1594. Et quia spirans adhuc & vividus resciffo fune excarnificatus est, dum pe-

ctore fisso cor & intestina diriperentur, manum fronti admovere, veluti supremum cruce signaturus notatus est. Partitum quadrifariam corpus, & palis affixum est, capite ex summo patibulo ad publicum terrorem prostante.

V. Quintus P. Robertus Southuvellus Anglus ex comitatu Suffolcia fuit, qui post animæ commendationem, subtracto curru, quod laqueus perperam gulæ applicitus esset, diutius spirans, & oculos in spectatores circumagens palpitabat, crebro interim signo crucis, ut moris erat, se muniens, & pectus tundens, donec carnifex magna vi deorsum, corpus pedibus protrahens, animam expressit, & resciffo fune cadaver diffectum in quatuor frusta partitus est, anno ætatis illius 34. Ad cordis vero exenterato pectore prolationem nemo de more cum carnifice proditorem proclamavit, nemo Vivat Reginæ precatus est, triste in omnibus spectatoribus silentium, & in multis etiam lacrymæ. *ib. f. 11.*

VI. Sextus P. Henricus Walpolus Anglus, in Provincia Norfolcienfi natus, Evoraci 1595. 17. Aprilis idem mortis genus tanta constantia sustinuit, tanto spectantium luctu ac mœrore, ut plura eorum millia lacrymis parentasse notata sint.

VII. Septimus P. Rogerius Filocus Anglus 1601. 27. Februar. cum Patre a S. Marco ordinis Sancti Benedicti in eadem furca, a qua socii crudelem lacerationem spectarat, suspensus mox eamdem quoque carnificinam subiit.

VIII. Octavus P. Franciscus Pagius Anglus 1602. 29. April. de quo illud memorandum narratur, quod, ut disceret, non hæc suis viribus, sed gratuito Dei adscribere beneficio, nec quidquam ex se, sed in Deo & gratia ejus posse, omni repente illo divinorum gustu & quiete interna destitutus cœpit incredibili quodam mœrore, & tristitia percelli, pavore simul & stupore mentis affici, sic, ut corpore obrigescens in eodem perpetuo duraret obtutu Salvatoris nostri supremam in horto agoniam expertus, qua cœpit tædere & pavere ac tristari usque ad mortem, duravitque atrocissima catnis & Spiritus in eo lucta, usque dum prope horam supplicii adesset denunciaturus carnifex, cubiculum ingrederetur; hunc enim vero tamquam boni nuntii Angelum excipiens, eo momento delibutus est cælitus dulcedine & ineffabilis gaudii ubertate, ut non ad supplicii, sed ad nuptiarum & festivitatis locum progredi videretur.

IX. Nonus P. Eduardus Oldcornus Anglus natus in Eboracensi Provincia eadem generosa morte obiit 1606. 17. Aprilis, postquam quinquies per quinque horas atrocissime tortus fuisset, post cujus obitum hoc memorandum accidit, quod cum animam summo Deo, Deiparæ Divisque commendans, corpus carnifici permisisset, qui gradu dejectum, ubi aliquamdiu pependisset vivum spirantemque ferro laceravit usitato in proditorum suppliciis more, anno 1606. occisi innocentiam singulari prodigio ornare potuerit Deus; dilofsa namque humo illius exusta vitalia, ignem vi-

vivum & flammas dies 17. emisere, licet copiose cælum plueret, & satellites affusa multa aqua extinguere illum conarentur.

X. Decimus P. Henricus Garnattus Anglus simili quidem mortis genere, sed non eamdem ob causam (nam propter conspirationem, quam in confessione intellexerat, non detectam damnatus est) nec in consueto Tiburni loco, sed medio in foro Londini super elato pegmate, ubi cum suspensus fuisset, parabat quidem carnifex semivivum de more discerpturus, aliquoties laqueum abrumpere, sed populi clamoribus toties prohibitus est, expectare jubentis, dum animam egisset, qui etiam deinde caput cum corde exenterati proferens neutiquam solemne illud: Vivat Rex, sed mœstissimum retulit silentium censentibus viris gravissimis, plus utilitatis rei Catholicæ morte sua Garnattum attulisse, quam vita per annos 20. quantumvis Apostolice transacta. Certatum deinde magno studio a Catholicis est, ut diriperent aliquid ex iis reliquiis, cujus indusium Marchio a S Germano extra ordinem Regis Catholici Nuncius magno pretio redemit, alii alia, quanti carnifex edixisset. Præcipuum retulit Joannes Willeinsfoous, qui extraordinario pemius nec ullam animo quietem relinquente instinctu, quo ei pro certo spondebatur, fore, ut aliquid videret, in viri innocentiam mire faciens, adactus proxime pegma constitit, ubi dissecto quadratim corpore, dum occasionem aliquid tollendi operitur, ecce sibi spica quædam ex stramento, quo theatrum ad imbibendum lanienæ cruorem constratum erat, Garnatti conspersa sanguine nec opinanti in manus incidit, quæ genuinam Garnatti effigiem, in una cruoris gutta perfectissime expressam referebat, hanc cum summi infimique certatim, etiam ex intima Regis aula magno stupore inspectam mirarentur, & Rex indigne ferret, Divino testimonio prodigiose absolutum videri, quem ipse Majestatis reum damnarat, Inquisitionem Cantuariæ Pseudo-Episcopus instituit, in specie authores, & portenti promulgatores, qui non minus constanter rem naturæ viribus majorem asseruerunt, quam pictores Hæretici, ut miraculi pondus similis in culmo imaginis expressione eluderent, acciti; ingenue pernegarunt humano rem posse perfici artificio.

XI. Undecimus P. Thomas Garnattus Anglus natus Londini, nondum absoluto Tyrocinio in Aogliam a Belgio remissus, & vix regnum ingressus comprehensus, & post paucos dies ad mortem damnatus, antequam currus sub patibulo subduceretur, hæc verba protulit: Avertat ab hoc regno, iram suam Deus, nec a Rege meum sanguinem exigat; Domine ne statuas illis hoc peccatum: Apostata Sacerdos Rovestus me prodidit, Deus illi condonet: Apparitor Crassius comprehendit, Deus illi condonet: Episcopus Londinensis carceri addixit, Deus illi condonet: Ejus Secretarius insensum illum mihi suis susurris reddidit, Deus illi condonet: Wadem mortem meam promovit, Deus illi condonet: Mootagatius & testes falsi multa in me commeoti sunt, Deus illis condonet, detque mihi videre omnes in cælo salvos; orare post hæc ad extremum de genibus cum vellet, Pater, Ave, & Credo, nec brevitate laquei impeditus posset, rogavit Catbolicos, ut eadem secum precarentur: Quibus ipse Hymnum Veni creator Spiritus, superaddens in iis verbis, *sermone ditans guttura*, subducto carro pependit, prohibito per Cæcilium carnifice, ne laqueum prius, quam animam efflavisset, succideret. Id quod factum est die 23. Junii anno 1608. ætatis 34.

XII. Duodecimus P. Joannes Ogilbæus Scotus, post multiplex examen, & ingenua responsa damnatus magna gratulatione sententiam excepit, eamque proferentem complexans, judicibus omnibus, etiam Archiepiscopo dexteram junxit, ex corde se illis ignoscere, sicut a Deo sibi donari peccata optaret, protestatus, quibus ad prandium digressis, a carnifice, cui traditus fuerat, per frequentissimum populum eductus, cum & patibulum amplexatus, atque exosculatus est, procumbens statim ad orandum. Cum autem ioterim prædicans populo venditaret, eum noo religionis, sed perduellionis causa interfici; neque renutu illius, aut capitis agitatione (loqui enim prohibitus arat) a maledicentia compesceretur; tum P. Joannes: Miror, inquit, vestrum agendi modum, me pro mea causa loqui prohibetis, & interim causam meque simul vestris mendaciis apud populum traducidatis. Nihil in Regis præjudicium dixi, aut feci. Tantum asserui Papam habere spiritualem jurisdictionem in Dominiia Regis, & in toto mundo apud Christianos, & posse Regem hæreticum excommunicare. Si quid aliud dixi, populo ostendatur, nam hisce, quæ retuli, subscripsi, & pro iis mori paratus sum. Vos autem falsa de me ad Regem scripsistis, & nunc ea populo etiam persuadere vultis. Interroganti Ministro, an mortem timeret? Non magis, inquit, pro taoi bona causa, quam tu patinas, cum ad cænam accedis. Ligatis post hæc arctissime, ut digiti contremiscerent, manibus, dum inter precationem & B. Virginis, Sanctorumque invocatiooem scalas conscandit, jussus est ab iodignante Vicecomite sæpius e gradu dejici. Quod cum tandem multa compassione retinens carnifex exequeretur, universus populus magno clamore & tumultu crudelitatem detestans, pœoam injustæ mortis in Judices iniquos averti a se postulabat. Cujus etiam intuitu factum est, ut funis pendentis prius, quam animam egisset, resectus non fuerit, neque cadaver, ut mos & sententia ferebat, quadratim sectum, sed loculo inclusum, destinato reis sepeliendis loco sepultum, id quod actum est decima Martii anoo 1515. ætatis 34.

XIII. Decimus tertius P. Edmundus Arousmithæus Anglus Lancastrieosis in viotoea crate raptatus ad furcam, postquam horæ circiter quartam partem Deum sub illa precatus esset, trina genuflexione Deum adjunctis tertio his verbis veneratur: Ultro ac liberaliter tibi dulcissime Jesu vitam hanc meam devoveo, in satisfactionem peccatorum meorum. Ex

ani.

nequicquam importuna Ministrorum & lictorum interpellatione turbatus prosequitur: Jesu vita & gloria mea, tota tibi anima hanc vitam restituo, quam a te accepi, & ni tu dedisses, jam ea nequaquam suppeteret, ut restitui e me posset, semper optavi Deus animæ meæ, tibi & pro te vitam hanc meam dare, & illam exhibebo nunc, & agnosco ejus pro te jacturam lucrum esse, ejus sine te incolumitatem esse detrimentum. Morior pro amore tuo, pro nostra sancta fide, pro tuenda auctoritate cathedræ Vicarii tui in terra Pontificis Romani legitimi successoris Sancti tui Apostoli Petri, veri capitis Ecclesiæ Catholicæ a te institutæ. Mea peccata Domine tuæ causa mortis extitere, sed in hac mea morte, te solum veram vitam expeto, non permitte benignissime Jesu, ut evadam tormenta, quo vitam habeam sine te; neque enim bonum est ibi vitam habere, ubi tu non es. Da mihi, bone Deus, constantiam ad ultimum usque articulum, neque me uno momento vivere sinas absque te, quia tu, cum sis vera vita, male potest hæc in me esse, si tu meo in corde non vixeris. Majorem concipio dolorem, dum recogito me offendisse te, vel posse a quoquam offendi, quam ullus esse possit, quem hac ex mea morte concepero. O vita totius vitæ meæ! quamquam, si aliquando a te alienus fui, sed tibi tamen demum devotus, toto iis corde condono, qui eam mihi student eripere. His dictis, conscensis alacriter patibuli scalis, e summo gradu Catholicos ad Religionem retinendam, Hæreticos autem ad complectendam, sereno explicatoque vultu hortatus est, postque non diuturnam e deprompto libello precationem, restim collo induens, nocturnum capitis integumentum in oculos demisit, de reliquo carnificem suum munus exequi permissurus.

XIV. Decimus quartus P. Rodulphus Corbæus Hibernus in ultimo sacrificio in carcere ante mortem peracto vehementer animo percelli, turbari, & consternari ita visus est, ut toto corpore succussus, nee verba satis proferre interdum posset, quas tamen mentis tristitia obnubilatas tenebras, in eodem adhuc sacrificio imploratum ab eo Numen cum fœnore etiam & auctario solatiorum restituit. In ipso supplicii loco patibulum osculatus conscenso ferali plaustro insertaque laqueo cervice pauca de causa suæ mortis præfatus, indicium Sacerdoti in turba permixto, absolutioni impertiendæ dedit, & subducto curru animam Deo resignavit.

XV. Decimus quintus R. Henricus Morsæus Anglus fuit, qui tertio e Patria proscriptus, demum ad mortem damnatus, ultimam noctem fere insomnis duxit, hora quarta vero recitatis nonnullis pro Angliæ conversione precibus inexplicabili pietatis teneritudine Missam de Sanctissima Trinitate, in gratiarum actionem pro beneficio mortis Christi causa oppetendæ celebravit, postquam persolutis ejus diei canonicis horis, singulorum, qui eodem carcere claudebantur, circuivit ergastula, quos omnes supremum valere jubens ea vultus amœnitate retinere illis visus est, ut tantam animi non caperent magnitudinem. Ac præcipue P. Christophorus Ultanus e Sancti Francisci familia pro Christo vinctus, tanta animi lætitia & martyrii cupiditate ex ejus amplexu perfusum se expertus, ut quoties deinde ejus rei mentio incidisset, lacrymis gaudio manantibus exclamaret: Bone Jesu, qualis ille vultus erat? Adjicere simul solitus, si ad id tempus in Hæresum aut gentilium errorum tenebris hæsisset, uno illo Patris cælesti affectu & hausta ex amplexu mentis serenitate ejus, pro qua moriebatur, fidei veritatem agniturum fuisse. Eductus subinde ad supplicii locum, magno animo plaustrum conscendit, & plura de veritate Catholicæ fidei locutus, tandem postquam agonem suum Deo, Divisque ardentius commendasset, sublatis altius manibus magno animi sensu pronunciavit: in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, percussoque dolentis ritu pectore, simul ab adstante clam Sacerdote, ut convenerat, sacramentaliter absolutus, simul pedibus currus subductus est. Pependit ille quietissimus, nullo incondito motu edito, dum expirasset, in cujus deinde laniati sanguine complura sudaria, Legatorum & Comitis Egmontii rogatu, intincta sunt, & ad venerationem partim servata, partim Catholicis Majestatibus transmissa. Partes dissecti corporis ad quatuor urbis portas, caput ad pontem sublime affixum est, reliqua omnia igni absumpta. Acta sunt hæc Londini, 1. Febr. anno 1645. ætatis ejus 50. Societatis circiter 20.

XVI. Decimus sextus P. Thomas Hollandus Anglus cum aliquot annis in Anglia salutem aliorum sub noctem fere semper, quia ob infirmitatem de die non poterat, procurasset, tandem captus, & sine legitima probatione damnatus ad mortem: cum jamjam perimendus esset, post fidei professionem publice factam, in genua se submittens Angliæ sic precatus est: *Suscipe, o Pater, misericordiarum qualemcumque me vides. Suscipe has indignas perpessiones meas, quas sanctissimæ unigeniti tui, Domini mei consocietas morti, propensissima tibi voluntate repræsento, earum virtute, conjunctionemque, quæ passus est dulcissimus Redemptor meus Jesus, una cum meritis omnium, qui in lege naturæ, in lege Moysis, & gratiæ, Divinæ Majestati tuæ accepti fuerunt, sunt, & erunt; futuras, ut spero, gratiores. Ignosco Judici, ejusque assessoribus; ignosco duodecim viris; ignosco accusatoribus meis, & qui inferendæ necis mihi quoquo modo causa extiterunt.* Tum precatus pro Rege, Regno, ejusque ad fidem Catholicam reductione; *Si tot mihi suppeterent*, ait, *vitæ quot crines in capite, quot in oceano guttæ, quot in cælo stellæ, quot perfectiones & excellentiæ in Deo, illas ego perlibenter omnes eum in finem impenderem.* Quibus cum ingenti approbatione acclamantis populi prolatis, ubi aliquamdiu clausis oculis ad eliciendam contritionem connisus est, mox eos apertos in adstantem carro Sacerdotem defixit; qui eo signo monitus postremam ei peccatorum absolutionem sic impertivit, ut extrema formulæ verba potuerit exaudire. Subducto interim car-

carro, placidiſſimo ipſe vultu, oculis ſemper in cælum intentis pependit, nulla oris contorſione, nulla brachiorum, pedumve indecora jactatione, ſed manibus ante pectus (liberæ enim illi permiſſæ erant) ſurrectis; & orantis in modum conjunctis, perinde quietus, & toto corpore modeſte compoſitus, ac ſi expiraſſet, aut optatiſſimo ſitu vivens conquieſceret.

XVII. Decimus octavus fuit Dominicus Colinus Coadjutor claro apud Hibernos ortu natus; contra ſectarios centurio in Gallia militavit, factus in Hiſpania poſtea Dux claſſiarius per annos octo, ſemper & miles bonus, & vir frugi. In Societatem receptus, ex Hiſpania in Hiberniam proficiſci juſſus, ibi ab hæreticis captus, pro tribunali in veſte Societatis comparuit, nil ſpes minaſque moratus, quibus, ut a fide Catholica deficeret, urgebatur: ac illos etiam execratus, qui ſubmiſſi clam ſuadebant, ut fidem Catholicam tantiſper diſſimulanter obtegeret. Ad ſuſpendium damnandus, in carcere dira ſubiit tormenta, quibus in illum ſævitum eſt, donec 31. Octobris in veſte Societatis, revinctis poſt tergum manibus, laqueo e collo pendente ductus ſub patibulo ſe demiſit in genua, & oravit. E ſcalis Catholicis Author fuit, graviſſime admonens ne ſe ſpe, metu, aliiſque hæreticorum fraudibus interverti, atque a recto ſeduci ſinerent. *Suſcipite*, inquiebat, *in cælum, & priſcam fidem, quam præclari majores veſtri ſunt profeſſi, non degeneres, perſeveranter conſervate; pro qua & ego nunc, ut videtis, mortem oppeto.* Mox deturbatus pependit, & excarnificatus eſt.

GENUS II. MARTYRII.

Capite plexorum.

Tann. in Soc. milit. f. 119. XVIII. P. Nicolaus Boddeus Trajectenſis Rector elatus eſt a quatuor bajulis geſtatoria ſella (nam vi tormentorum fractus ingredi non potuit) in theatrum ingenti totius Urbis ejulatu & comploratione, præſertim ubi viderunt ſupremam ejus petitionem, qua manus vinculis eximi poſtulaverat, crudeliter rejici. Collocatus in medio theatri, prælectam mortie ſententiam multiplici renutu falſitatis coarguit: *ad quid iſta leguntur*, inquiens, *quæ de verbo ad verbum, falſa & commentitia ſunt? ſed quando vobis ſic collibuit, agite porro, ac pergite.* Tum ne prius, quam ea, quæ conſtituerat, ad populum luiſſet effatus, a carnifice cæderetur, eum ante ſe ſtare voluit, ac ſubinde præmiſſa totius populi ſalutatione, innocentem ſe, penituſque conſpirationis ignatum, ſolius religionis cauſa occidi, multis argumentis conteſtatus eſt. Poſt quæ munus ſuum exequi carnificem ſinens, altaque voce in manus Domini ſpiritum commendans, gladio ictus vitam glorioſa morte conſummavit, anno ætatis 42.

Id. f. 391. XIX. Eodem mortis genere PP. Franciſcus Macciadus, & Bernardus Pereira a Mahometanis in Æthiopia Auſciagarellæ anno 1625. obtruncati obierunt.

Id. f. 379. XX. P. Joannes Baptiſta Macciadus natus in Inſula Tertia Omurenſem in carcerem deportatus eſt 29. April. anno 1617. ubi ex conſortio fratris Petri de Aſcenſione Franciſcani, ea cuſtodia jam ante concluſi, ita exhilaratus eſt, ut eam ſortem cum univerſis Orbis imperiis non mutaturum ore & epiſtolis diceret. Pridie mortis jam uterque divinitus imminere ſibi mortem intellexit, atque alteri alter revelationem explicuit. Dynaſta mox per miniſtrum veniſſe denunciat a ſupremo ſenatu necis in utrumque ſententiam, quam eſſent illa ipſa nocte excepturi. Illi æſtu divino inflammati, in lacrymas gaudii teſtes reſoluti ſunt, & Hymnum, *Te Deum laudamus*, una concinuerunt, ac deinceps acri ſe flagellatione exercuerunt ad certamen; & longa de rebus cæleſtibus contemplatione. P. Petrus dicebat, ſe per eos dies ſacrificantem, vel orantem aliud nihil a Deo poſtulaſſe, & quod exauditus eſſet, ſe Domino maximo gratulari. P. Joannes Baptiſta reſpondit: *ſe tribus in vita ſua diebus, præ cæteris maximo gaudio delibutum, quo Societatem ingreſſus eſt; quo nuper erat comprehenſus; & nunc, cum de ſupplicio moneretur.* Ipſe tum extemplo magnitudinem voluptatis ſuæ breviſſime ad ſuperiorem in hæc verba præſcripſit: *Hæc ipſa hora concupitus ad me mortis nuncius advenit. Morior ſolatio plenus, quia pro bono Jeſu morior. Ago illi gratias, quod me, licet indignum, tam inſigni beneficio affecerit.* Inclinata jam die miſſi ſpiculatores jubent Patribus cibos parari; ſed illi nullo ſe jam ad vitam retinendam alimento indigere profeſſi iterato alter alterum de peccatis confitentem excepit, & ſimul Litaniarum ritu Sanctos in auxilium omnes evocarunt. Cuſtodia educti, & uterque manum Chriſti de cruce pendentis ſigillo armati, alter ſuccedens alteri, Neophytos ex itinere multos, qui comitabantur, ad ea, quæ tempori erant, idonea hortabantur: quæ tamen ob immodicum planctum haud ſatis intellecta ſunt. Cum ventum ad locum eſt, breviter alter alterum jam tertio a peccatis expiavit; & rurſus ultimum amplexati, ac ſalutatis elata voce Chriſtianis, nonnihil divulſi ſunt, unde ſe invicem intuiti, cum neſcio quid eſſent collocuti, quod præſentes Neophyti non perceperant, lætiſſime arriſerunt. Jam hora cædis appetebat, cum Damianus quidam Neophytus, qui vinctis magno amore miniſtrarat, geminam protulit ſtoream, ſuper qua procumberent obtruncandi, ne eorum capita in ſolo volutarentur. Verum illi pari uterque ſenſu, tegetem repudiarunt; *corpus e terra factum, & rediturum in terram, nuſquam melius, quam in terra volutari.* Ergo nuda humo provolvuntur in genua, manibus in cælum ſurrectis, atque illico fatalem ictum gladio excipiunt. P. Petrus primo truncatus ictu corruit. At P. Joannes Baptiſta, cum primum vulnus accepiſſet, errante carnifice, nondum truncus aſſurgit, atque iterum in genua ruens Jeſum ac Mariam inclamat; tum altero pectus, ac tertio ictu, tandem obtruncatus eſt.

XXI. Auguſtinus Ota Nangaſachi uxore mortua viduus, operam ſuam Societati addixit, *Nadaſi in anno dier. illuſt. 10. Aug.*

xit, fidelis catechista, & operarius impiger: P. Camilli Constantii comes, in carcere Ikinoscimano Societatem a Præposito Provinciali per litteras impetravit, a Camillo commendatus, atque admissus, & postridie in fidei odium cædendus, vota, de Societatis more concepit. Camillus flammis, Augustinus ac Socii securi cecidere, corpore in mare abjecto.

T.ann. f. 613. XXII. P. Gundisalvus de Tapia Hispanus, dum in sua domuncula Rosarium recitat, adest cum conjuratis Nacabeba, cæterisque ad fores cubiculi silentio relictis, cum duobus ingressus, quasi venerabundus ad osculum manus inclinat se se, dum interim alius exertam, quam veste occultaverat, clavam, valido ictu in caput Patris adegit. Hic sui vix compos, Jesumque inclamans, titubante gressu prosilit e cubiculo templum petiturus: sed qui ad ostium resisterant, illi ad terram afflicto caput & brachium sinistrum securi abscindunt, secumque una cum sacro apparatu auferunt. Tentarunt & brachium dextrum, cujus digitos in crucis formam, utpote ad osculandum, fidemque, pro qua moriebatur, contestandam composuerat, abscindere securi sæpius adacta; sed vibicibus solis relictis, nequiverunt illam, crucis signum decussatis digitis pertinaciter facientem (quæ etiam in mortua cadaveris dextra sic efformata deprehensa est) resecare.

Nadas. 119. XXIII. P. Antonius Capetius, P. Didacus de Morales, P. Franciscus Marquez postquam novem diebus in scrobe pependissent, & aquæ tormentum centies & quinquies perpessi, in Christi tamen confessione constantes perstarent, demum 25. Mart. 1643. capite truncati sunt.

Ib. f. 48. XXIV. P. Jacobus Basile post munus Apostolicum aliquamdiu egregie expletum, ab Ethnicis arctam legis Christianæ semitam exosis, & libertatem quærentibus, eo ipso tempore, quo Christianos pœnitentiæ Sacramento expiabat, obtruncatus, & e crucis brachio in furcæ usus converso suspensus est, licet tum jam mortuus. Hispanis quoque ac Indis Christianis una deletis, inter litandum eo ipso, quo cæsus est, die, sublata in altum ab eo pro more divina hostia, visa est palam cruento circulo circumdari; & super sacrificalem mappulam deposita, illam etiam sanguine cruentavit. Ad hæc plures Indi id a se oculis ipsis conspectum affirmavere, quod e pectore, seu ore morientis P. Basilii pulcherrimus infans, comitibus duobus aliis alatis parvulis, in cælum ferri sit visus, postea in alto ex oculis evanescens.

Ib. f. 21. XXV. Vincentius Alvarus cum Goam pergens ad studia, a Mahometanis piratis captus fuisset, una cum alio de Societate, minati sunt Saraceni sæpius, se lytrum pro duobus his non admissuros; daturos utrumque cervice præsecta in mare præcipites, quod Mahometo, ejusque legi essent adversi, & eam expugnarent. Interea feria sexta, die apud illos Mahometo dedicata, Mahometani senaculo inito diem illum celebri Christiani capitis sacrificio pro piaculari victima cædendo solemnem habere decrevere. Quocirca Vincentius in prora tunc orans, delectus est, cujus Christiano capite religiones Mahometo persolverentur. Cum se occidendum audisset, lætus, quod Christiani nomen sibi in mortis obeundæ causam verteretur, totum Deo in victimam iterum & iterum dedicavit, pulchro iterum gaudio delibutus; & religiose gestiens usque ad mortem, ac *Miserere mei Deus* canens. Sub ipso ictu *Miserere*, ajebat, *animæ meæ*, *Jesu bone*! Aliqui ad ipsam Mahometi aram immolatum fuisse ajunt: sed ille se in fidei odium cædi lætus, Deo se unice consecrabat. Corpus in mare abjectum est.

XXVI. P. Abrahamus Georgius in Æthiopiam missus, ibi proditus, tentus, & id, ad quod istuc ibat, fassus, cum juberetur Christum abjicere, vel saltem id simulare, spe libertatis, mercium, ac dignitatum oblata; id execratus, in carcerem detrusus est. Inde eductus, jussus est vel mori, vel dicere: Alius non est Deus, quam Deus, & Mahometes ejus Apostolus; mori elegit, accepitque mortis sententiam. Ad gloriosum supplicium Societatis cultu prodiit, ut Sacerdos, in Oppido Delec. Primus gladius in illum vibratus fractus est; alter leve illi vulnus inflixit, & fractus est; tertio demum cæsus est felix. Ib. f. 143

XXVII. Philippus Nottin Coadjutor ab Hæreticis in fidei Catholicæ odium cruci ferreæ insidere jussus, manibus, pedibusque per extremos digitos ad tergum revinctis, & manicarum ac pedicarum aculeatarum tormento dire infertis. Collo innexum erat collare ferreum, trifariam aculeis consertum, quorum alii recti eminebant, alii sursum, deorsum alii vergebant; igne quoque, quo ipse lente torreretur, admoto. Ubi usta pellis ibat in bullas, & pustulas, illis ferro apertis acetum cum sale ac pyrio pulvere infudere. Sic per decem horas cruciatus Philippus, capite deinde plexus est, obtentu proditionis, re ipsa odio fidei Orthodoxæ, ut patet e narratione a Bullonio Duce conscripta; & e calumnia ab hæreticis conflata per Lansmannum, cui ob vitæ spem mentito, vitæ promissæ loco mors illata est. Philippus in loco supplicii objecta omnia falsa esse affirmavit, ac dixit, se mori innoxium, & pro Catholica, Apostolica Romana Ecclesia. Ib. f. 306

XXVIII. P. Marcellus Franciscus Mastrillus e Marchionibus Italiæ, cum aquis & igne candentibus, in scrobe quatuor jam dies pependisset, nec mortuus adhuc fuisset; inde extractus, flectens sub gladio bis exclamavit, *Pater mi*, *S. Francisce Xaveri*! bis inflixit illi carnifex ensem innoxium. Tandem tertio ictu, cum Jesum & Mariam pronunciaret, capite truncatus est. Ib. f. 170

GENUS III. MARTYRII.

Igne combustorum.

XXIX. Leonardus Kimura primus e Japonibus a S. Francisco Xaverio baptizatus, dein captus, & ad mortem damnatus, actis gratiis, testes voluit adhiberi, se Evangelii causa damnari. Stipiti alligatus, igne jam in flammas gliscente ac erumpente, nullam doloris signi- Ib. f. 174

fica-

ficationem dedit ; ajebatque sibi nihil doleret suave esse, dulce illud incendium. Ambustis vinculis libera utraque manu prunas collegit, & illis caput velut rosis coronans, cecinit ; *Laudate Dominum omnes gentes* : Christianis interea Iesum & Mariam clamantibus.

Ib. f. 279. XXX. P. Carolus Spinola Marchio Italus cum una cum P. Sebastiano Kimura, & septem aliis sociis quatuor annis in ærumnosissimo carcere innumeras calamitates sustinuisset, ipse & socii demum ad supplicium vocati psalmos una cum dulcissimis lacrymis cecinere. In loco supplicii triginta millia Christianorum, qui affluxerant, sunt censa. Columnis alligati stetere per horam, antequam ignis subderetur, & Carolo incipiente, læti cecinere : *Laudate Dominum omnes gentes*. Scintillæ quædam e rogo in pectus Caroli advolarant, eique adhærescebant. Unde ille primus corruit lento illo igne extinctus secutis reliquis.

Ib. f. 283. XXXI. P. Camillus Constantius Italus capite damnatus, delirus putabatur; quod diceret, se jam votorum suorum summam penitus attigisse. Tabiræ ad Firandum rogo addictus, palo fune ex arundinibus texto alligatus, ad populum de animæ immortalitate, ac felicitate fidei Christianæ dixit egregie. Incendio involutus orabat : & flamma tantisper diducta, seu aperiri visa illum orantem ostendit, canentemque : *Laudate Dominum omnes gentes : Gloria Patri &c.* Tum tertio Japonice pronunciavit voce clare percepta : *O quam bene mihi est*. Jam flammis absumebatur corpus, cum adhuc : *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quinquies cantare auditus est : Dicebant barbari : tantam illam ejus viri fortitudinem supra mortales vires altius quidpiam habuisse.

Tom. f. 309. XXXII. P. Petrus Paulus Navarrus Italus damnatus ad rogum processit post meridiem pallio indutus, nudis pedibus, & Rosario de collo suspenso. Ducebantur una Dionysius, Petrus, & Clemens, qui cum illo fuerant in via comprehensi, duoque priores jam erant in Societatem adlecti. Vultus serenitas cum inusitata quadam modestia conjuncta omnium oculos præcipue in Patrem converterat. Ipse Litanias præcinebat, cæteris respondentibus, Ethnicis vehementer attonitis ad tantam euntium ad ignes tranquillitatem. Ubi ad locum reorum suppliciis infamem deventum est, palos ibi defixos Pater detracto capiti pileo veneratus est, cœpitque tam festinato ingredi, ut ægre possent alii consequi. Ut intra repagula subiit, flexis ante suum stipitem genibus, Deo de beneficio, quod accipiebat, gratias egit. Paulo post cum surrexisset, a quaternis lictoribus columnæ alligatus est. Rosarium & cingulum a lictoribus direpta, Christiani magnis denariis redemerunt. Ubi Tonus advenit, rogo injectus est ignis. Spirabat valide ventus; ideoque correpto mox flammis pallio Patris, semiustulata vestium frusta in sublime ferri visa sunt. Deinde, serpente flamma, spectatus est Pater, qui modo socios ad constantiam hortabatur, admonebatque ut Jesum invocarent, modo lumina tollebat in cælum, quo aspirabat. Denique vinculis igne consumptis, in alterum latus prolapsus est, cum identidem clara voce repeteret ? *Jesus Maria, Jesus Maria* : Pari fortitudine, benedicente ipsis secundo P. Petro Paulo, triumpharunt de igne cæteri, & Petrus eo gloriosius, quo quia longius aberat ab incendio, productius tormentum habuit.

XXXIII. P. Hieronymus de Angelis Siculus damnatus capite, cum ad supplicium una cum aliis duceretur, causa mortis illius descripta, & palam affixa est in hæc verba : *Homines isti tam grandi supplicio mactantur, quia Christiani sunt*. Ita exustus est, post pulcherrimam ad populum allocutionem, humi flectens. Simon Jempo e Bonzii cujusdam discipulo factus ejus socius, & laborum comes, optabat in Societatem admitti, & in odium fidei Christianæ occidi : utrumque est consecutus. Nadal. f. 303.

XXXIV. P. Michael Carvallius Lusitanus ad mortem damnatus, crucem ipse portavit, cum sociis psalmos canens. Primus ipse palo alligatus, & cum illo religiosi alii plures; atque omnes dum arderent, *Jesum & Mariam*, pronunciavere, atque vixere. Ib. f. 299.

XXXV. P. Thomas Tzugi Japon com pro re Orthodoxa præclare apud suos Japone satageret grata dicendi affluentia, ut disertus, ita impiger, ab ipso divino Sacrificio peracto in custodiam detrusus, multifariam a suis blande, severeque tentatus, effusa, quanta maxima poterat, felicis facundiæ copia se ignibus pro Christo devovebat. Cum duobus suis comitibus, ad flammas damnatus, post sudores genti suæ 34. annis laudate impensos, in ignis medio de Christi patientis tormentis, ac de fide Catholica magno verborum pondere peroravit : Mox voce in cantum flexa : *Laudate Dominum omnes gentes* : cantavit ; & inter canendum extinctus est. Illud admirabile, ac Japonibus, & Lusitanis testibus luculentis (qui ipsi adfuere, ac rem accurate oculis lustravere) exploratum est, pectus mortui P. Thomæ ultro apertum dissiluisse ; & ex illo visam egredi rubram flammam, quæ sursum in cælum sublimis volatu igneo splendens abierit, eorumque, qui hæc spectavere Christianorum corda mire accenderit. Ib. f. 299.

XXXVI. P. Antonius Iscida Japon gravem, & ipsa morte acerbiorem carcerem triennio fere sustinuit, crebris pollicitationibus, ac minis frustra sollicitatus a Præfectis, ut deserta Christi religione ad Japonica sacra transiret. Quorum uni aliquando atrocissima supplicia comminanti ; *Frustra mihi*, respondit, *minas & verba, qui pœnas jam dudum, & cruciatus expecto; neque tibi reor proclive fore, satis huic meæ facere cupiditati, Igitur si me diem unum torquere decretum tibi est, meo rogatu ac sententia in denos extende ; si denos decretos habes, profer in centenos ; proroga annum unum in denos, & ipsum porro decennium produc in omnem ætatem. Si decem cogitatæ tibi sunt formæ pœnarum, quibus me exerceas, amabo, centenas cogita : certamen, si placet, utriusque nostrum invicem sit, tibi sæviendo, mihi durando, dum victus alter defatiscat*. Ergo ad ferventes montis Ungeni aquas anno 1631. 4. Decembris varie discruciatus est, carnificibus omnem in eum jussu Gubernatoris imma- Tom. f. 338.

manitatem expertis; Plurimis horribile, & prolixum hoc supplicii inventum finem excussit, qui, cum non reformidarent pro Christo vitam semel abjicere, eam tamen ob iteratos toties cruciatus retinere minime sustinebant. Perfusore enim ad usque ossium adustionem somentis identidem restaurabant, ut ubi convaluissent, iterum ex intervallo atque iterum perfusi, gravius ex renovatis vulneribus torquerentur. Igitur arreptum P. Antonium carnifices ante aquarum tormentum, manus pedesque revinctum valide distendebant, omnes corporis juncturas veluti in equuleo distrahebant, sicque luxatum sublime demum suspendebant; postremo scapulis aquam ferventissimam infusuti; quæ tamen præter omnem consuetudinem, stupentibus ad prodigii novitatem carnificibus, nullam ei cicatricem inurebat. Post 50. dierum tormentum, revocatus in custodiam, ibique ad usque 3. Sep. ann. 1632. omnibus incommodis ærumnose afflictus, demum Gubernatoris edicto vivus lento incendio combustus est Nangasachi cum quatuor aliis, Toscigunsama nuper post parentem suum Sciogunum, & Imperii, & crudelitatis ejusdem petito 63. natus annos, actis 43. in Societate.

Nadasi fol. 227. XXXVII. Thomas Nicosorus Japon sub disciplina Seminarii educatus, multum ante, ac post initam Societatem operæ industriæque attulit ad commoda rei Christianæ apud Japonios; Idcirco exilium, & ærumnas a suis civibus odio fidei illatas sustinuit. Postliminio redux ab exilio Nangasachi flammis addictus, & vivus illustri morte in igne consumptus est.

Ib. f. 215. XXXVIII. P. Sebastianus Viera Lusitanus una cum quinque illis, quos in carcere in Societatem cooptarat Japonibus, toto, quod super genua est, corpore in foveam e pedibus pependit per totum triduum, illis quoque superstes. Etiam antea prædixerat, se tormento fossæ non moriturum. Supposito demum igne cruciatus est, & combustus, cum ei viventi prius viscera fuissent sensim extracta, ut scribit ejus Socius P. Albertus Mecinski.

GENUS IV. MARTYRII.

Sagittis confixorum.

Tann. f. 266. XXXIX. P. Andreas Gualdainus Hispanus dum Mazuam petit, quæ est urbs Insulæ cognominis in Erythræo littore, qua trajectus in Indiam est, in Turcas incidit; quibus ex vestitu proditus, quod Christianus, & Sacerdos esset, una cum Lusitano itineris comite, cum ad ejurandum Christum nulla vi adduci possent, barbarum in morem telis confossus, viam, & vitam felici exitu confecit, anno 1562.

Nadasi f. 401. XL. Petrus Correa cum socio Joanne Sola apud Carigios rem feliciter gerebat, sed quidam furens libidine (quem ille a devoraturorum illum Brasilorum cultro carnario liberarat) qui avulsam a se (e ritu legis Christi) pellicem dolebat, barbaris in eo concitatis effecit, ut mortem illis consciscerent. Ergo Solam primum, deinde Corream, utrumque in genua procumbentem, sagittis interimunt, Christianis eum lugentibus, & unicum veritatis interpretem, omniumque patrem, fratrem, amicum dolenter clamantibus.

XLI. P. Ludovicus Quiros dum Floridanos, qua potest, excolit; & Ludovicum quemdam perfidum Neophytum a perfidia conatur ad Christi sacra reducere; ab eodem bona verba accipit, quippe qui se omnino rediturum promitteret. Ea spe hilaris revertebatur P. Ludovicus; & ecce collecto barbatorum globo Ludovicus Apostata illum per iter aggressus, ejus cor sagitta transfixit. Ib. f. 15.

XLII. P. Bernardus Reuss Hispanus ad immanem in America Meridionali Ciunciorum gentem dum tenderet, eo ipso tempore, quo Religioso Sacerdoti ejus itineris comiti, pro mortis, quam imminentem expectabant, apparatione, ultimum confitebatur, in valle Apollo, sagittis una cum illo, allisque confixus est. Tribus jam sagittis saucius, crucifixum arripuit, & sublatis in cælum oculis expiravit. Corda illius & aliorum extracta, & una cum sagittis combusta sunt. Ajunt, illum jam antea prædixisse, futurum, ut in fidei odium a Ciunciis cæderetur. Et vero idcirco Societati nomen dederat, ut Christum gentibus annuncians mortem cruentam gloriosus oppeteret. Ib. f. 25.

XLIII. P. Julius Pasqualis Italus, & P. Emmanuel Martinez Lusitanus, dum instigant Apostata collectam barbarorum manum, domus, in qua patres habitabant, incenditur: *Prodeamus in aciem*, ajebat, *Emmanuel, & strenue moriendo decertemus, ne mori pro Deo nostro reformidare videamur.* Tum una cum P. Julio acceptis in manus Rosariis præcedit in aream, cui ut prior apparuit, tanto impetu sagitta inflicta est, ut brachium corpori, ceu clavo adacto confixerit. Ut venere in aream Patres, genua uterque humi flectere, oculos in cælum attollere, seque Deo devovere; Barbari ex adverso inconditis clamoribus & opprobriis venenata addensate spicula, ac totos imbres sagittarum immittere. Sic obruti cum toto comitatu, inter Sacra Jesu & Mariæ Nomina felices animas profundere 1. Februar. anno 1632. Tann. f. 492.

XLIV. P. Antonius Daniel Gallus mane divino Sacrificio operatus, cum Hiroquæos ad cædem adventantes audiret, quosdam antea jam dispositos, quos potuit, illico baptizavit; ut æternæ illorum vitæ in periculo illo prospiceret. In templo una omnes Christiani in preces effusi, ab illo certatim pœnitentia expiati; & persancte incitati ad mortem pie oppetendam, cum diceret: *Hodie erimus in Paradiso, fratres*; Hiroquæis Ethnicis barbaris in templum se infundentibus prodiit obvius, & sagittis confossus est, Jesum clamans. Singuli barbari vulnus aliquod, etiam mortuo inflexere, ac templum, igne injecto, una cum cadavere combussere. Nadasi f. 107.

GENUS V. MARTIRII

Sclopis occisorum.

XLV. P. Joannes Bathæus Hibernus in patria una cum germano suo Sacerdote communem hæretici furoris torrentem sensit. Etenim hæretici utrumque hunc esse Catholicum Ib. f. 248.

eum Sacerdotem certiores redditi, & quidem Joannem etiam Jesuitam magna exultatione prædam nobilem in forum abripuere, stipitibus alligavere, ac utrumque plumbeis sclopororum glandibus trajecere; Catholicis Sacerdotes suos in fidei hæreticis exosæ odium sic tractari gementibus.

Id. f. 16. XLVI. P. Jeremias Fischer Bohemus Rector Glogaviensis cum iter in Poloniam intenderet, humi procumbens, & Jesum ac Mariam inclamans, ab hæreticis militibus, *Jesuitas, Jesuitas*, furenter succlamantibus, pergere prohibitus, & globo plumbeo trajectus est, sociis fuga elapsis percussor fere post semestre, globo simili & ipse in duello ictus interiit. Parcebant aliorum vitæ, spoliis contenti hi milites grassatores; at Jesuitas pessime oderant, eo quod dicerent eos Ministris hæreticis esse perinfensos; item Romanam Ecclesiam non progressus tantos habituram fuisse in Germania, & facilius ab hæreticis labefactandam, nisi hoc genus hominum pro illa tam solerter satageret. Auditi sunt iidem exprobare, quod idola Catholica (ita illi Sanctos vocant, atque imagines) suis opitulari non possint; sed Catholicos, ac etiam Jesuitas, prosterni sinant ab hostibus. His nempe imbuti in Sociorum vitas grassati sunt.

Id. f. 294. XLVII. P. Antonius Bellavia Italus in prælio, in quo ille inermis Lusitanis contra hæreticos pugnantibus sacram industriam navabat glande saucius; cum nihilominus Lusitano militi saucio confitenti aures præberet, ab hæreticis in opere, quod ii detestantur, deprehensus, aliquot in capite guttureque acceptis vulneribus, mortem oppetiit.

Id. f. 17. XLVIII. P. Didacus de Alfaro Hispano Indus in urbe Assumptionis Collegii Rector, & S. Inquisitionis Commissarius, postea Reductionum Præses, ac omnibus omnia factus est, insigni animarum lucro. Ad amicum scripsit, se hostili Ethnicorum globo casurum. Id quod barbari cujusdam ex insidiis in eum jaculati manufactum, cum ille (omissa quam capere poterat fuga) Indis Christianis contra Ethnicos furentes, & sacris omnibus perinfensos fidelis adesset, magno solatio animarum. Ad quam ille mortem se perasectica unius mensis exercitia secessu accuratissimo præpararat. Corpus illius in summis caloribus per triginta leucas vectum citra ullius tetri odoris molestiam.

Id. f. 71. XLIX. P. Hervæus Malvesius Gallus Cleracum missus, ibi urbe ab Hæreticis dolo capta, dum Episcopi domesticis peccata confitentibus aures præbet, ab hæreticis agnitus, plumbeo globo in pectore trajectus, ferreo in jugulo vulneratus; tum in vertice (ubi eis corona Sacerdotali odio erat) & alibi, decem facile vulneribus saucius, Jesum & Mariam dixit, & vixit.

Id. f. 279. L. Emmanuel Niger Italus Coadjutor, cum capta a Calvinistis Claudiopoli, militis SS. Sacramentum impie conculcantis insolentiam redarguisset, securi militari in capite vulneratus & globo trajectus, gloriosa morte vitam terminavit.

Id. f. 47. LI. P. Jacobus Salesius, & Gulielmus Saltamochius Coadjutor, uterque in odium fidei Catholicæ ab Hæreticis Albenaci captus, longa fame, ærumnisque vexatus est. Salesio pro fide docte loquenti os luto impletum. Inde pro inimicis orantis humerus sclopo trajectus, & Jacobus Jesum clamans, ferro in pectus adacto confossus est. Amplexus illum Guilielmus Coadjutor, pugionibus trucidatus. Cadavera per sex dies jacuere. Authores necis aliis alia clade puniti divinitus, delirio, tremibus, infamia: quidam etiam corrosi a vermibus interiere. Cæterum Salesius Philosophiam, ac Theologiam Scholasticam primum, deinde moralem docuit, linguarum sacrarum insigne peritus. Asthmate, ac immodico fumis morbo afflictus, laborabat tamen æque ac valens. Ubi ubi esset, unum sibi e Sociis monitorem deligebat fidelem, atque assiduum. Dulce illi fuit silentium; & inde facilior ars orandi usu firmata. Unde tenere ac facile abripiebatur ad Deum ab iis, quæ videbat. Ajebat, debere quemvis impense gratulari Deo cum Sanctis de illa jucunditate, qua ipse infinite gaudet. Cubiculi januam pulsante quopiam, curvatis genibus dicebat: *Intra Deus meus, intra animam meam*. SS. Eucharistiam fere horis singulis adorabat; sæpe etiam visitabat. Dixit superiori se a Deo singulis horis martyrium petiisse; id ipsum petebat quotidie coram SS. Sacramento, recitata quinquies Dominica, & Angelica oratione in honorem Regis Martyrum boni Jesu. Dixit etiam cuipiam annis aliquot ante mortem, optimum genus mortis fore, si sclopo inter orandum concideret: bene quoque illi, qua esset cædendus, manui precabatur. Totus in amore Dei erat, seu ad socios diceret, seu familiari usu colloqueretur. Affectus aliquot hisce versiculis illigavit:

Gusto Deum, capio, zelor, gratusque revolvo,
Offero, depono, atque resigno mortificorque,
Confero, magnifico, admiror, congratulor ipsi.

Anno 1622. 5. Julii Bruxellis dæmon ex energumena dixit, se libello de fide ab eo composito mire uri; cæsum esse illum Albenaci ab iis, quos ipse suos amicos appellabat. Nocte post cædem proxima, in eo, in quo Salesius natus, fuerat cubiculo, per horæ spatium, & amplius, mirus quidam splendor illuxit cujus rei mysterium postea, ejus nunciata mors enucleavit.

LII. P. Joannes Sandæus Belga ad castra Id. f. 181. Cæsarea, ut Catholicos illic opera omni juvaret, missus, inde redux, ab hæreticis, fidei Catholicæ ac Societatis odio, ad Rhenum tribus globis ictus cecidit, Wepstadii honorifice tumulatus.

LIII. P. Petrus Buzelinus Belga captus a Id. f. 19. victoribus Batavis est, cum Catholicos milites saucios confitentes audiret, ac omni ope juvaret. Præerat Sociis Petrus: & de se, ac suis clare testabatur; se non Archiducis, sed Dei stipendiis militare, nec sequi castra ut militem, sed ad animas militum procurandas. At hæc ipsa exacerbavere iras victoris hæretici: quare semel iterumque sclopi glande trajectus occubuit.

LIV.

Id. f. 118. LIV. P. Laurentius Passokius Silesius, cum Tribuni in Lipsiensi pugna vulnerati confessionem exciperet, ab hoste Hæretico victore deprehensus, & quis esset interrogatus, ac Mariam Deiparam execrari jussus, se Sacerdotem Otthodoxum professus, Mariam vero non tantum nolens execrari, sed & summis, quibus poterat, laudibus extollens, ab exacerbato per eam audaciam hoste, gladio percussus: & glande plumbea eodem in loco peremptus est.

GENUS VI. MARTYRII.

Clava occisorum.

Id. f. 183. LV. Franciscus Martinez Sine Scholasticus Macai natus, & liberalibus disciplinis apud nos eruditus, ac Societati adjunctus, post labores fidei causa susceptos ab apostata quodam proditus, & falso accusatus, quod proditor, & magus esset, quodque oculis, se, cum vellet, subduceret, quæstioni subjectus est; in qua ligneis vestibus arcte constrictis pedum calcibus, & verberatis, in atrocissimo tormento tenuit mirum silentium. Socios etiam Christianos innocentes quæstioni subjectos monuit, ut meminissent, mendacium Christiana lege esse vetitum: caverent ergo dum minora timent, majora tormenta sibi accersere. Semel ac iterum dire verberatus, in ipso carceris, in quem reducebatur, vestibulo vi dolorum prostratus, innocentem animam fortiter expiravit, ipsa Christi morientis hora, ut perhibent: & cum ipsis manicis, atque compedibus, ita ut vinctus erat, sepultus est.

Id. f. 168. LVI. P. Ægidius de Abreu Lusitanus in India Orientis, cum in Japoniam proficisceretur, ab hæreticis Batavis tentus, biennio in carcere salutariter instruxit Catholicos ibidem vinctos, & expiavit, atque in fide firmavit; ne illam sub Hæretico jugo spe, aut metu inducti desererent. Ea propter ab hæreticis contumeliis, inedia & vario crudelitatis inhumanæ ingenio cruciatus, cognomentum apud illos habebat fere *diaboli*, & *Papistæ*. Demum plagis quoque adjectis confectus, victor animam edidit.

Id. f. 194. LVII. P. Petrus Martinez Hispanus in Florida inediam perpessus, dum omnes circum terras lustrat, in illas Evangelium illaturus, e scapha extractus a barbaris flexis genibus, elatis in cælum manibus, capite clava confracto, mortem, quam optabat, quamque prædixerat, est adeptus.

Id. f. 250. LVIII. P. Michael de Urrea Hispanus, quia avis versicoloris idolum dejecit, Caciquii ligneis acinacibus illum, alter profunde in capite, alter in facie vulneravit: Unde mors brevi consecuta; illo interea pro iis orante, a quibus fuerat sic concisus.

Id. f. 8. LIX. P. Franciscus Pintus Indus ad barbaros Tapojas missus, per famem, sitim, frigora, per operta securibus ardua, & impedita itinera ad Ibiapanos una cum P. Aloysio Fighera penetravit. Sed cum obstinate pervicaces illas cervices Christi jugo per nullas artes posset subigere, ac illi æterni Evangelii præcepta inviti audirent; hoc die (ut habet Index MM.) ab irruentium globo repetitis ictibus vecte ligneo est interemptus, maxillis confractis, excussis oculis, cranio comminuto, in desertis Ibiapanæ montibus, eo ipso tempore, quo operam dabat horis Divini Officii recitandis.

LX. P. Martinus de Aranda Valdivia Hispanus ad Elicuræ populos cum P. Horatio Vecchio, & Didaco Montalbano missus, tertio die a barbaris neci est datus. Accusabantur, & odio erant Patres, *quod novæ legis seminatores essent; & quod uxores a Christianis e medio barbarorum acceptæ Christiano ritu sint expiatæ*, hisce authoribus. Ergo genibus religiose nixos invasere sicarii, & clavas ligneas ferreis muricibus armatas, atque refertas, illorum capitibus illisere; humi jacentes hastis confixere; cervicibus quoque præcisis. Id. f. 198.

LXI. P. Ferdinandus de Santarem Hispanus ajebat: *quod velle ærumnis carere sit idem, ac velle Christo tergum obvertere atque illum solum sub cruce relinquere*. Finem ærumnarum reperit in morte, quam illi Tepeguani odio fidei, quæ latius se porrigebat, accensi intulere. Cum cæderetur humi abjectus rogabat; eccur occideretur. Respondere barbari: *Satis superque esse causæ ad cædem, quod Sacerdos Christianus esset*. Ita illi clava caput, cerebrumque dispersum est. Id. f. 168.

LXII. P. Rochus Gonzalez a S. Cruce Paraquariensis Hispanus post Sacrum celebratum, ab irruentibus conjuratis bicubitali clava lignea silice armata in P. Rochi caput vibrata peremptus est, ejus cerebrum humi dispersum est, aliis alia vulnera certatim exaggerantibus, & mox barbaro plausu orto. Inde ita ut erat quassatum caput resectum est. Quinquaginta tres barbari testes affirmant auditas cordis e pectore P. Rochi has voces: *Occidistis eum, qui vos diligit; occidistis corpus meum, & ossa mea contrivistis, at non animam, quæ jam inter beatos versatur in cælo. Multæ vobis calamitates evenient ob mortem meam; quia venient filii mei pœnas repetituri, ob violatam Dei Matris imaginem*. At illi: Hen præstigiator ille adhuc loquitur? Mox evulsum illi cor e pectore loqui desit. Cor in ignem una cum teli cuspide injectum, combusto telo, integrum inventum, & anno 1633. Romam perlatum est. Id. f. 148.

LXIII. P. Gaspar Osorius de Valderavano Hispanus, & P. Antonius Italus in Paraquaria uterque fœcundis pro religione sudoribus inclytus prospere laboravit; & in Ciaccorum Provincia ob damnatas avitas gentis superstitiones utriusque caput ligneis clavis contusum est. Ita interfectorum rasos vertices, in odium fidei, & sacri ordinis concerpsere, pectoribus etiam laceratis. Fama fuit, patres hos, jam trucidatis barbaris apparuisse, sacrificali veste, ac multa luce circumdatos, enixeque commonuisse; ut Christo sese addicerent, patribus aliis ad fidei magisterium advocatis: id quod ipsi barbari prodidere. Id. f. 124.

LXIV. P. Petrus Romerus Hispanus missus ad Itatines Indos, ibi ab irruentibus Indis aliis, macana seu clava ignea, in humero valde Id. f. 116.

lide percussus, Jesum clamans, in quo capite demum ictus concidit. Inde illi evulsa præcordia; & præciso jugulo lingua extracta.

GENUS VII. MARTYRII.

Aquis submersorum.

Ib. f. 208. LXV. P. Ignatius Azebedius Lusitanus in pupi navis, qua in Brasiliam vehebatur cum sociis, altare erexit, illique Roma secum advectum S. Mariæ Majoris imaginem imposuit. Ad palmam (quæ una est Canariarum, seu Fortunatarum insularum) Piratæ hæretici in eum & socios irruere. Ignatius arrepta Dei Matris effigie, socios cohortabatur ad vitam optimo Deo consecrandam, conclamavit Soria hæreticus piratarum antesignanus, ad suos piratas, ut Jesuitas occidant: *Hos enim ad proseminanda prava dogmata in Brasiliam proficisci.* Ignatius in B. Virginis imaginis complexu conculcatus, capite fusus, lanceis confossus, Romanæ fidei veritatem contestatus, atque ut pro hac socii fortes occumberent, omnes unice hortatus, una cum illa Deiparæ imagine cecidit. Hanc illi e complexu cum avellere haud satis facile possent, furenter properantes hæretici, eum seminecem in mare abjecere; ubi etiam corpus ab aquis se efferens, Deiparæ imaginem, mortuis quoque brachiis adstringebat.

Ib. f. 202. LXVI. Eamdem sortem obierunt P. Petrus Diaz Lusitanus cum quatuor, & P. Alphonsus Fernandez cum octo sociis omnes in itinere Brasilo aquis ab Hæreticis submersi.

Ib. f. 209. LXVII. P. Raphael Ferrer Hispanus, postquam Cofanes diros populos adiit; & ex iis quadringentos ad sacri fontis Sacramentum pellexit, Oppida tria condidit. Barbarorum nonnulli simulata specie amicitiæ illi per iter obvii, & gratulati illum, ob fidem peregrinam prædicatam, in aquam mense Martio per pontem dedere præcipitem.

Ib. f. 198. LXVIII. P. Martinus Laterna Roxolanus in mari Baltico ab Hæreticis captus, dum Catholicos ad probra eorumdem Hæreticorum fortiter toleranda hortatur, hæreticis innotuit, eum non modo Catholicum, verum & Sacerdotem esse, atque adeo Jesuitam. Jam designabatur ad necem, cum procacior quispiam intruso in os illi pane hortabatur, ut comedat, brevi quod abunde biberet habiturus. Mox exuto, manus dire fauciant, eumque, inflictis prius vulneribus, mari mergunt.

Ib. f. 103. LXIX. P. Amarus seu Maurus Moureira Lusitanus cum ab incensa ab Hæreticis Lusitanorum navi in aquas desiluisset, iique alios adnantes cymbis exciperent, illum e veste Jesuitam, e corona (seu vertice illa die raso) Sacerdotem esse agnovere; ideoque non recepere cum aliis, immo contis truculenter confecere.

GENUS VIII. MARTYRII.

Aquis gelidis cruciatorum.

LXX. P. Didacus Carvallius Lusitanus ultimo anni Japonici die (nobis 18. Febr.) defixo in fossa gelidæ aquæ plena palo alligatus cum novem socus Christianis, ibi sine ulla veste per tres ipsas horas ad pectus usque mersus, jussus est considere. Quo tempore, nunc sancto absorptus silencio, nunc verbis flagrantibus, præclaro fuit sociis ad constantiam hortamento. Crebra illius, & sociorum vox erat, una clamantium: *Jesus Maria, Benedictum sit venerabile Sacramentum, Deo sit semper laus & gloria*; aliis circum interea, ut Christum desereret ipse ac socii, importuna voce hortantibus, at aure surda exceptis, eoque in Didacum, tanquam omnis, ut ajebant, mali authorem, verba multa jactantibus, Didaco interea in sinum gaudente de tam luculentis lucris. Ex aqua educto iterum authores fuere, suos ut socios a Christo averteret, vitæ præmio. Sed ille potius authorem se illis fore dixit ad mortem pro fide per atrocissima omnia obeundam. Tum ignem illis minatus Gubernator in ærumnosam custodiam omnes trudi, ac inde quadragesimo post die educi jubet. Causa eorum, quæ patiebantur, eorum humeris affixa voce; *Christiani*, expressa est: qua tesera notati 22. Febr. educti, palis iterum in stagno gelido alligati post prandium, istic perstitere usque ad noctem ventis, nivibusque perfrigidam. Cum se obrigescere jam sentirent, suavissime se invicem consalutabant pater ac socii, opemque a Matre Virgine unice flagitabant, quam a Filio illa Filii militibus impetrarent, ad cruciatus & mortem fortiter oppetendam; Didaco animos omnibus suggerente: qui demum & ipse postremus omnium ante dimidiam noctem occubuit. Omnium corpora concisa frustatim, & in profluentem abjecta. *Ib. f. 94.*

LXXI. Anonymus Japon Coadjutor variis cruciatus, laniatus, & in aquis gelidis per 70. dies ita mersus est, ut capite tantum emineret, quod ipsum denique etiam eidem abscissum est.

GENUS IX. MARTYRII.

Aquis ferventibus cruciatorum.

LXXII. Michael Nacascima Japon per annos quindecim Patribus serviens multum operæ contulit ad Christianam rem bene gerendam, & ipse quoque Christianos erudivit, adjuvit. Ea propter captus, fustibus non semel vapulavit; & aliquando ex alto in aquis dejectus est. Supinus, aqua in os infusa, & in sursum cum sanguine de corpore arcte compresso expressa cruciatus, soli torrendus expositus, ibi leni aura e cælo aspirante recreatus est. In Urgenio, ad Nangasachum monte præalto, & intus igneo instar Vesuvii; atque bullientes aquas, quæ in stagnum confluunt, effundente, aquis illis perfusus est. Sunt autem *Ib. f. 49.*

aquæ

æquæ illæ ooxiæ, bestiis etiam, avibusque illac forte volantibus. Si vero illis tingantur humana corpora uleeribus, doloribusque misere crueiantur. Hos eructatus expertus est persæpe Michael, etiam per bullientia illa stagna traductus: Atqne inter hæc tormenta, cum Christum ac fidem semper profiteretur, extinctus est.

Tom. f. 118. LXXIII. P. Antonius Iscida Japon, de quo supra dictum est, triginta diebus crudelissimo aquarum ex monte Ungen fluentium tormento cruciatus est.

GENUS X. MARTYRII.

In scrobe pendentium.

Nadasi f. 229. LXXIV. Nicolaus Keyan Fucunanga Japon Scholasticus in Seminario per triennium latina litteratura imbutus, illam plena cælestis cæli facundia nobilitavit. Ea propter a suis civibus in scrobem, deorsum verso, & asserculis duobus incluso eapite, manibus revinctis, e pedibus pendens demissus est primus. At Beatissima Dei Mater, eujus dulcissimo nomini apprime erat devotus, illum istic non semel invisit; ad sedendum & quiescendum, e suspendiario illo supplicio tantisper deposuit, potu frigidæ indulgenter reereavit; cujus etiam cyathus eum aqua, ipso a vineulis absoluto invento, repertus. Interrogatus ecquid ægre sentiret? Respondit; quod Imperatorem, & omnem longe lateque Japoniam non posset, itaut optabat, & laborabat, ad Christi cultum adducere: hoc enim vero impense sibi esse molestum, & luculenta divinæ Matris beneficentia enarrata, quarto posteaquam suspensus fuerat die in scrobe decessit, ea ipse luce, qua S. P. Ignatii dies auguste percolitur.

Id. f. 246. LXXV. P. Emmanuel Borges Lusitanus in Japonia Nangasachi dum ab anno 1612. rem Christianam procuraret, posteaquam sæpe latuit, & eos, a quibus ad mortem quærebatur, barbaros evasit, post anni 1614. exilium redux, 13. Augusti depresso in foveam capite suspensus est; & 16. Augusti demum gloriosum agonem confeeit. Et cum illo etiam Ignatius Xindo Novitius Aryensis ortus in Japonia Adriani gloriosi viri in fidei odium cæsi filius, & Josephus Reomuy, Novitius, Fingensis. Hi duo e Seminarii disciplina socii Patribus, etiam in exilio, & reditione adhæsere; Societarem demum amplexi, & brevi capti, eadem cum P. Emmanuel Japonicæ fossæ, ac suspendii morte affecti sunt.

Id. f. 214. LXXVI. P. Jacobus Giannonius Italus ab Apparitoribus post felices istic ab anno 1609. labores, & cavernas clam habitatas, tentus, vinctus, circumductus, præcone præeunte, probrorum plenus; at lætus 25. Aug. foveæ suspendio addictus, e pedibus pependit, usque dum 28. August. optato agone cursum consummavit.

Ibidem. LXXVII. P. Joannes Quindora seu Ridera Japon cum P. Jacobo Antonio Giannonio longis carceris incommodis maceratus, ferro in manibus, pedibusque onustus, præcone præeunte, asino insidere jussus, & circumvectus, post ludibria in foveam capite prono suspensus, 29. Aug. demum legitime eertandi, ac vivendi finem fecit, fortiter moriendo.

LXXVIII. P. Benedictus Fernandez Lusitanus sublimi equo seu triumpho vectus, ab invitis, at Imperatorem timentibus, ad foveam damnatus est. Depositus de patibulo deinde tamen est; oe tam cito vita decederer. At brevi postea in carcere gloriosum vitæ finem invenit. Eodem die ac eadem de eausa in foveæ patibulo pendens migravit victor. *Id. f. 101.*

LXXIX. P. Paulus Saito, obiit athleta felix, posteaquam septem dies pependit eapite deorsum prono in foveam, sine cibo, sibi tamen præsens, dicensque, se ante P. Benedictum minime moriturum: Et vero eadem hora, & fere momento, uterque decessit. Illud stupendum. Ajebant satellites, se coram istic adfuisset, attentisque auribus accepisse verba duorum illoruoi cadaverum ad rogum deportatorum, cum se invicem Lusitanice ae Japonice salutarent, felicitatemque suam Benedictus Paulo, & hic illi vicissim gratularetur. *Ibidem.*

LXXX. P. Julianus Nacaura Principe Japonicæ stirpe natus, Nangasachi a 18. Octobr. ad 21. usque gloriosæ mortis diem pependit toto eorpore in scrobem inversus. Fuerat hic unus e trium illorum numero, qui Roma inde missi fuere Legati a Rege Bungi ad celebratissimum illum Gregor. XIII. Boncompagnum, Summum Pontificem. Roma redux, in Societatem adscriptus est, in eaque relatus in eensum spiritualium adjutorum. Studiis ac laboribus apprime deditus, totus in Deo erat, in animarum salute quærenda totus. Cum illi aliquando vires ærumnæ variæ exhausissent portari debuit ad succurrendum indigentibus animabus, dum iret damnatus ad mortem, dieebat suis Japonibus; illum se illum Julianum esse, missum olim Romam e Japonia mitiore: pro illa Romana, & vera fide se nunc vitam deponere. *Id. f. 110.*

LXXXI. S. Antonius Rubinus Italus animarum ac martyrii desiderio flagrans, agebat, quid poterat, ut animas lucraretur. Loquebatur, & scribebat insigni expressione suavissimæ teneritatis. Ego, seribit, pro Christo mori, non mereor; sed ipse dignus est, pro quo omnes moriamur. Si me videre, atque alloqui vultis, oculos in crucifixum Christum defigite, ibi me invenietis ad pedes cum Magdalena abjectum, & peccata mea grandia deplorantem. Illis sacratis pedibus me totum contradidi: in illis dormio & vivo, illos complector, & dico: Da mihi, Domine Jesu, ut sequar tua vestigia 21. August. cum soeiis appulit Nangasachum anno 1642. Captus una cum illis, cum omnes interrogarentur; an velit nunciom Christo remittere, & a Rege honorari? Respondit Rubinus interpreti, suo nomine ac suorum; oec se, nec socios, ullo pacto unquam id scelus in animum admissuros: absisteret eum hisce vocibus, atque facesseret: se ac socios ad Christum prædieandum advenisse; quicquid minaretur Japoniæ Imperator. Ergo in carcerem conditi omnes; post mul- *Id. f. 113.*

multa, quæ istic perpessi sunt, per totos septem menses destinatis diebus ingestæ lo os maxima copia, & mox acerbissima cum violentia e corpore expressæ aquæ tormento sæpius excruciati, tandem 17. Martii anni 1643. palam circumvecti sunt cum adscripta causa supplicii: *Quod Christi fidem prædicatum venissent contra edictum Imperatoris*. In scrobem capite demisso, sublatis in altum, alligatisque pedibus pependere suspensi: & 22. Mart. primus P. Rubinus desiit vivere, sociis in dies proximos eadem fortissimæ mortis gloriam prosecutis.

GENUS XI. MARTYRII.

Lapidibus occisorum.

Id. f. 190. LXXXII. In Salfettis ad Goam duo e Societate Patres lapidibus obrupti sunt ab Ethnicis, & interfecti: quorum nomina nobis ignota io libro vitæ sunt, ut speramus: uti & duorum coadjutorum anonymorum io Brasilia in odium fidei peremptorum.

Id. f. 131. LXXXIII. P. Brunus a S. Cruce Italus ab Alexandrinis Schismaticis Romanæ fidei perinsensis magna perpessus, & ad mortem damnatus, ipso, quo in odium Orthodosæ fidei suspendi debebat die, P. Ludovico Caldeiræ ad genua supplex advolutus, enixe petiit funi suo, & sibi benedici: & suspensus, lapidibus est oppetitus.

Id. f. 178. LXXXIV. Apollinaris Almeida Episcopus Nicœnus, P. Hiacynthus Francisci Italus, P. Franciscus Rodriquez inter expiandum Catholicos, a Schismaticis deprehensi, accusati, canum instar tractati, in exilium destinati, e singulis arboribus singuli suspensi, & semivivi lapidati sunt. Cadavera belluis objectæ, sed illæ ea iunoxia dimisere.

GENUS XII. MARTIRII.

Crucifixorum.

Id. f. 97. LXXXV. BB. Paulus Miki, Joannes de Goto Scholastici, & Jacobus Gisai Japones in Societatem recepti, ac Ozacæ brevi, una cum Paulo, custodia circumscripti, cum latam in se crucis sententiam accepissent, læti exclamavere: *Benedictus sit Dominus noster Jesus, qui nos elegit e tot aliis ad commoriendum sibi in sancta Cruce*. Jumentis impositi, & alligati, 27. dierum itinere per summum frigus Nangasachum perducti sunt, & in crucem sublati; Tum coorta Christianorum circum in genua abjectorum comploratione, barbarorum admiratione, Jesus Maria conclamatum est, cum Martyrum latera configerentur hastis, a latere altero per cor ad latus penetrantibus; Japone hinc alio per sinistrum, inde alio in dextrum latus Martyris hastam cum impetu adigente.

Id. f. 14. LXXXVI. P. Alphonsus de Castro Lusitanes in Maurica Regione a Mahometanis nudatus, & navigio crucifixi instar alligatus, postea ad truncum vinctus, verberibus laceratus, subdio cæli injuriis, ac infestis bestiolarum aculeis toto corpore expositus, promissis & crebris & grandinibus ad Mahometi perfidiam invitatus, cum fortissime id negaret, iterum cruciatus, per octo dies inedia miserabili vexatus, atque ad fidem deserendam iterum multifariam per dulcia & acerba invitamenta tentatus, admirabili semper sibi compotis animi æquitate, constantia, hilaritate, capitis sententiam & mortem ipsam ore blando, ac orans accepit. Araldus ait, eum Sanctæ Andreæ instar cruci alligatum, nudum soli, ac muscis expositum. Deinde sub costis securi saucio additi alii duo ictus.

LXXXVII. P. Joannes de Castillo Hispanus, dum divino officio recitando intendit, fustibus verberatus, jaculis confixus, ense tribus vulneribus saucius, nudus per aspera, per aquas fune raptatus, orabat Deum latine; ac vernaculo idiomate ingeminabat identidem: *Turpare*, id est, *sint hac Dei amore*. Espanis deinde in crucem brachiis, arbori alligatus, percussus duobus saxis caput, ab illis interemptus est. Cadaver a tigridibus intactum, flammis abolitum. Id. f. 135.

GENUS XIII. MARTYRII.

Lancea, vel hasta transfixorum.

LXXXVIII. P. Franciscus Paliola Italus, Id. f. 170.
cum Apostatam quemdam sanctæ fidei reddere niteretur, illum ad se sicariorum turba stipatum adventare certior factus, ad supremæ luctationis gloriam in genua sese supplex composuit, & Marianum Rosarium pro moriendi tessera manu arripuit, victimæ in modum suprema expectans. Ita mortem oppetieoti sicarii lato cultro, seu gladiolo, ictum primum in masillam late, atque alte ad eatrema usque colli adegere, Franciscus Jesum & Mariam dixit; & vulnere verso lancea, & aliis truculentæ mortis instrumentis per transversaria vulnera transverberatus, pretiosam animam ita reddidit, ut optarat, Deo.

LXXXIX. P. Gaspar Paes Lusitanus, cum Id. f. 119.
in festo S. Marci Catholicis instrueodis intentus esset, Dynasta quispiam cum 150. lancea-riis irruit; quorum furore Gaspar occubuit, laoceis, hastilibusque confossus. Ipsi hostes obstupuere, idque diserte postea testati sunt; P. Gaspari sanguinem e vulneribus manantem non decidisse in terram; sed in cælum, seu in aerem evanuisse.

XC. S. Vincentius Damianus Italus apud Id. f. 140.
Jubigenses & Bacerenses barbaros heroe digoa gessit pro fide, & passus est, usquedum in crucifixi amplexu (pro quo, & cui animam devovebat) lancea confixus, vitæ finem implevit: & eam, quam ab infantia incorruptam ab omni graviore noxa servarat innocentiam, devota puri sanguinis purpura, cumulatam nobilitavit; religiosorum juxta, & secularium ore dictus *magnus Evangelii vindex*, & ipsa morte assertor.

XCI. P. Ferdinandus de Tovar Indus apud Id. f. 112.
Tepeguanos dum pro re Christiana satageret, contra illum, & socios, ac Religionem denique Christianam, barbaros illos concitavit homo

mo veneficus : cujus verbis efficacitatem addidit aspectabilis palam dæmon, tristitia illis minatus omnia, in venefico illi parerent. Ergo P. Ferdinandus humi profligatus & in pectore laoeea confossus est.

Ib. f. 118. XCII. P. Bernardus de Cisoeros 1605. in novam Hispaniam navigavit; ubi labores, verbera, vulnera plura perpessus est, ob idolum everlum. Indus quidam illum tribus plagis pectori inflictis prostravit: sed Bernardus curatus est; nec authorem prodidit. Postea lancea confixus, extremum in capite vulnus accepit, & obiit.

Ib. f. 44. XCIII. P. Antonius Criminalis Italus Brachmanorum cum Bagodis coorta conspiratione pro restituendis idolorum honoribus, jamque sævientibus in Christianos Ethnicis, nullam (quæ tamen haud una offerebatur) se in tutum recipiendi occasionem arripuit; verum submissis humi genibus, ac oculis manibusque sublatis in cælum, corpus & animum ad mortis expectationem apparationemque composuit. Ita extrema opperientis latus sinistrum Saracenus hasta aperuit. Antonius vero irruentes ad spolia diripienda barbaros, in vestibus detrahendis juvit, usque ad subuculam sanguine adhuc calentem illis haud repugnanter datam. Tum ad ædem sacram se agebat, ut poterat, quo ibi moreretur; cum secundo vulnere hasta inflicto saucius, in genua iterum se dejecit, telum e vulnere eduxit, ad templum iterato se moliens, ut supremum sanguinem illic Deo aris vicinus offerret. At coorta Bagadarum tumultu, obviam se illis vertit Antonius, & adverso pectore hastam tertiam excepit, in genua iterum ac preces effusus. Quartum denique vulnus tulit in humero; quo prostratus, quinto vulneri jugulum, & spiritum Deo dedit, e Societate Jesu prima victima in odium fidei cæsa.

Ib. f. 129. XCIV. P. Joannes Dominicus Aresius Sardus mortem honestissima in causa oppetiit, inter orandum hasta confixus ab Indo, quem reprehenderat, quod se certiorem minime reddidisset, Matrem de vita periclitari, adeoque illam sua seu negligentia, seu malitia sine Sacramentorum ope de vita migrare sivisset.

Ib. f. 141. XCV. P. Franciscus Riberius Lusitanus Goæ ad Societatem aggregatus Muzambico postea ad Cafres in extrema Zona torrida sitos profectus est, missu majorum: & cum Rege non parum profecit pro Christi lege prædicanda, erigenda cruce templis excitandis. Ea res Saracenorum pro lege Mahometi contra Christi legem satagentium odia excitavit: quare illum ad aras Divino Sacrificio intentum, hastis transfixum interemere, hostiam gloriosam.

Ib. f. 412. XCVI. P. Antonius Sociro Lusitanus captus a victoribus barbaris, vivus ad eorum Ducem adductus est. At ille indignatus est, quod eum non trucidassent, qui suorum Pagodum (idolorum) hostis esset tam acerbus, tamque infestus ac noxius. Ego velut signo necis dato, adactis in ejus pectus hastis, cum in genua prolaberetur, atque oraret, perfossus est, & extinctus.

GENUS XIV. MARTYRII.

Ferro necatorum.

XCVII. P. Rudolphus Aquaviva Italus ad Salsettas Insulas superiorum missu, profectus est: ubi a barbaris gladio sub genibus vulneratus cecidit in genua, & collum ad vulnus, mortemque accipiendam explicuit, ac porrexit: quo tempore collum illi gladio transfixum est; alio illi homerum vulnerante; alio sagittam ex arcu expediente in pectus. Moriens: *Ignosce*, ajebat, *illis*, *Deus meus*! *S. Xaveri*, *ora pro me*! Tum ter adjecit: *Jesu*, *suscipe hanc animam meam*. *Ib. f. 216.*

XCVIII. Vincentius Alvarus Lusitaous Scholasticus cum feria sexta apud Saracenos Mahometi consecrata senaculo inito diem illum celebri Christiani capitis sacrificio pro piaculari victima cædendo solemnem habere decrevisset; in prora tunc orans deletus est, cujus Christiano capite religiones Mahometo persolverentur. Cum se occidendum esse audisset, lætus, quod Christiani nomem sibi in mortis obeundæ causam verteretur, Deo se totum, totum Deo in victimam iterum dedicavit, pulchro iterum gladio delibutus, & religiose gestiens usque ad mortem, ac *Miserere mei Deus*, canens. Sub ipso ictus: *Miserere*, ajebat, *animæ meæ*, *Jesu bone*! *Ib. f. 78.*

XCIX. P. Mauritius Sergius Lusitanus dum quempiam in prælio saucium confitentem audit, ex Mauris victoribus unus ipsum conspicatus: *Ecquid tu istis Nazaræe canis impietatis moliris?* per contumeliam indignabundus exclamat: & librato acinace caput illi bipartito dividit. Ipse eodem loci sancto operi immortuus concidit. *Tann. f. 189.*

C. Blasius Schelling Germanus Coadjutor, cum irrumpente milite Suecico, hæreticis S. Sebastiani reliquias, ac thesaurum prodere juberetur, fronte sune contorto constricta arbori alligatus; Jesus Maria, ajebat, thesaurum non scio. Quare funis & caput illi gladio scissum est, cerebrumque dispersum cadaver fimo contectum. *Nadasi f. 171.*

CI. P. Guilielmus Boytonus Hybernus post operam in Civium suorum utilitates impigre impensam, in clade Cassellensi (ubi trecentos Hybernos milites Catholicos septem hæreticorum millia obruere in templo) tunc istic una collectos Catholicos Sacramento Pœnitentiæ expiabat. Ibi Victor hæreticus miles dire in canos senes, in fœminas, in parvulos cædes grassatus est, sanguine late profuso. Maxima sævitiæ pars in Sacerdotes incubuit. Hos inter cecidit felix victima etiam Boytonus, cum Hæretici, Sacerdotes potissimum ad necem deposcerent: si hos dederent, militem omnem impune abire permiserint. *Ib. f. 280.*

CII. P. Franciscus de Mendoza Lusitanus cum in Mindanao Philippiarum Insula Mahometanis ad Christum reducendis insudaret, illorum insidiis interceptus, & per plura vulnera peremptus est: Minatis id antea barbaris, et, qui ad fidem prædicandam istuc venturus dicebatur, se clavas suas in pectus illisuros, & animam elisuros. *Ib. f. 117*

GENUS XV. MARTYRII.

Veneno necatorum.

Ib. f. 1. CIII. P. Joannes Pelletarius Gallus Apamiis ab Hæreticis datus est in vincula; sed a Catholicis exemptus, Tolosamque deductus, ibi demum a gloriosis pro fide susceptis laboribus requievit, veneno (quod ei ab hæreticis clam propinatum affirmant) sensim gliscente in venas, & omnem artis medicæ industriam superante.

Ib. f. 61. CIV. P. Ludovicus Goveanus Lusitanus Cocini, & Coulani diu parvulorum Magister: postea per magna suscepta itinera excelso animo pro Evangelio multa tulit, fecitque, multis Christo adjunctis; eoque Ethnicis odio fuit: propinatoque ab iis veneno, ut multi affirmant, enectus est.

Ib. f. 63. CV. P. Arnoldus Bœcop Belga tentus in itinere ab Hæreticis, & conjectus in carcerem, cum nihil esset, cujus causa plecti posset, porrectum illi venenum est, quod ille hausit ignarus, & illud brevi se prodidit Coloniæ, eumque miris per quinque menses patientiæ documentis illustrem lentæ atque acerbæ morti addixit.

Ib. f. 79. CVI. P. Joannes Lelesni Ungarus Sigismundo Batori Principis Transylvaniæ filio datus est institutor. Pro fide Orthodoxa istic tanta fecit, ut stomachum moverit hæreticis, atque invidiam. Quare hæreticæ cujusdam Jezabelis, fœminæ primariæ, opera inter cœnam venenum illi porrectum est; cujus vim remediorum efficacitas infregit, non sustulit. Inde nervi contracti, & apoplecticus quidam rigor in membris.

Ib. f. 314. CVII. P. Josephus Furlanettus Italus in Insula Gotò laboranti sub Tono Tyranno Ecclesiæ clam succurrir; & veneno a barbaris porrecto quassatus, atroci dolorum vi cruciatus, animæ tandem gloriosum finem suis doloribus atque laboribus inter summa patientiæ documenta imposuit.

Ib. f. 149. CVIII. P. Georgius Carvahal Lusitanus cum Rudolpho Aquaviva, & sociis, cruentis illis fidei Christianæ heroibus, vectus in Indiam post Novitios Goæ laudate institutos, in Scimo Japoniæ Insula, Regnoque Bungensi, postea Firandi, propagandæ operam insigniter navavit. Porrectum illi a barbaris venenum, eum dolore capitis acerbo, deinde febri inflammata, mox vomitu cruento, afflixit, & octavo post die morte oppressit.

Ib. f. 231. CIX. P. Franciscus Carrion Hispanus expectatam in Bungi regno matrem Firandi tandem repetit, ubi post egregias de impietate reportatas victorias, permultis Christo lustratis, odia barbarorum in se concivit, & veneno sibi clam ab iis propinato, per triduum cruciatus, multo rejecto sanguine, Ikizuki in vico ejus Insulæ, vitam immortalem, ut bona spes est, nobilissima obita mortem invenit.

Ib. f. 240. CX. P. Joannes la Gande Gallus in navi Gallicana rem animarum solerter agens, observarat noctu, quod veneficus quispiam navi eadem veheretur. Ergo ne pestis illa rectæ fidei moribus, ac saluti reliquorum officeret, apud Magistratum enixe id egit, perfecitque, ut veneficus pelleretur, quippe e libris, circulis, ac usitatis artis diabolicæ instrumentis deprehensus. At magus vindictæ cupidirate furens, carmen impium, noxiumque in aures Joannis pronunciavit, & e navi excessit. Inde conceptio, quod magus ei afflarat, veneno, Joannes vel nomine lætus occubuit, quod ob exactam e triremibus innisam Deo, noxiam animabus illam pestem in causa tam bona occumberet.

CXI. P. Melchior Consalvius Lusitanus Apostolicorum virorum elogio tam bonus ejus vineæ operarius fuit, ut verbis consequi perdifficile sit. Odere in illo tantum fidei, ac animarum studium timidi juxta & rabidi Idolorum cultores; quare ne porro Christianæ Religionis fines latius, ut continuatis laboribus faciebat, extenderet, veneno propinato mortem illi acceleravere, P. Caspar Barzæus illac iter tunc habens adsuit morienti. Ib. f. 107.

GENUS XVI. MARTYRII.

Carceris ærumnis confectorum.

CXII. Ambrosius Fernandez Coadjutor Lusitanus in carcere Omurano per annum & viginti duos dies tolerato, tandem frigore, fame, paralysi, aliisque ærumnis consumptum mors hodie occupavit. P. Carolus Spinola ærumnarum socius, ac laudator, de illius capillis decerptum quidpiam lipsanothecæ suæ ad privatam venerationem inclusit: & omnes qui una cum eo in carcere luculentæ in igne mortis gloriam opperiebantur, de socio in cælestem libertatem sicca morte asserto læti, & collachrymantes, præeunte religioso quopiam viro, *Laudate Dominum omnes gentes*, pro gratiarum actione cecinere. Ib. f. 7.

CXIII. Cubertus Priscotius Anglus Coadjutor captus ab Anglis, cum Sacerdos non esset, ad furcam damnatus non est; sed in carcerem perpetuum Londini conditus; eo quod e solemni formula illud jusjurandum fidelitatis (ut vocant Hæretici) præstare nollet, quod integra Sedis Apostolicæ ac fidei Catholicæ authoritate Catholicus nemo potest. In carcere in omnes beneficus, eoque charus omnibus fuit, donec annorum plurium, quibus ibi attinebatur, ærumnæ illum sensim attrivere, ac morte optata consumpsere. Ib. f. 64.

CXIV. P. Martinus Guttierus Hispanus captus ab hæreticis, percussus, illusus, & in carcere ærumnis confectus est, etiam sacris reliquiis, & sacra supellectile ab hæreticis indigne tractata, quod dicerent, *Hispanum Regem, & inquisitionem in sectariorum necem semper esse intentos*, idque habuit, quod olim petenti B. Virgo annuerat, ut sine ullo humano solatio moreretur. Adfuit eo mortuo Matrona spectabilis, quæ cadaver nitide composuit, & videri desiit. S. Teresia datis ad P. Hispaniæ Assistentem Romam litteris affirmavit, sibi illum a Deo in Martyrum choro ostensum. Ib. f. 65.

CXV. Franciscus Martinez Siga Scholasticus fe- Ib. f. 124.

ſemel, iterumque dire verberatus, in ipſo carcereis, in quem reducebatur, veſtibulo vi dolorum proſtratus, innocentem animam fortiter expiravit, ipſa Chriſti morientis hora, ut perhibent, & cum ipſis manicis, atque compedibus, ita ut vinctus erat, ſepultus eſt.

CXVI. P. Joannes Baptiſta Baeza Hiſpanus ſurente Daiſu perſecutione, qua acerrimis per anni ſpatium morbi doloribus, qua paralyſi proſtratus, ciſtæ, ſeu arcæ, includi debuit, & in exilium deportari; cum ne ſic ægroto quidem quies concederetur, Nangaſachi in carcere ærumnis extinſti ejus corpus quæſitum eſt flammis a barbaris abolendum.

Ib. f. 127. CXVII. P. Thomas Methamus Anglus vir ob fidem Orthodoxam aſſertam Eliſabetæ Reginæ inviſus, eoque carceri mancipatus, Londinenſem turrim per quatuor annos incoluit. Inde in alios ex aliis carceres deportatus, demum inter paludes in Viſbicenſi ergaſtulo per annos plures ca paſſus eſt, quæ procaces hæreticorum linguæ, ac immortale in orthodoxum nomen odium ſuggerebat. Ita vitam per annos 17. in carceribus ærumnoſa longa morte clauſit, cruentam ſemper deſiderans, & expectans.

Ib. f. 117. CXVIII. P. Matthæus Grimes Anglus in ſuſpicionem, quod Sacerdos Catholicus eſſet, vocatus, per plures menſes in cuſtodia tentus, ibi ærumnis ac ſitu conſumptus eſt; lætus quidem, quod in cauſa tam nobili, ſed ad cruentam eadem de cauſa mortem deſiderio toto impenſe anhelans.

GENUS XVII. MARTYRII.

Variis, crudelibuſque tormentis enectorum.

Tom. f. 221. CXIX. Crudeliſſimum fuit tormentum, quo Trajectenſes Hæretici aliquot e noſtris excruciarunt, cujus hic fuit modus: Reus ad pudendam uſque mditatem exutus, ſedere cogitur in humili ſcabello. Illud autem ferrea crux decuſſata, inſtar cultri acuta, ſupra quam Patri inſidenti manus pedeſque per digitorum extrema retro poſt tergum colligantur, quibus injiciuntur manicæ compedeſque aculeis ad intra obverſi præarmatæ, ut omni ex parte, ſi ad evitandum dolorem commoveantur, atrociter compungant. Collare præterea triplici acutarum cuſpidum ordine interne rigens e quatuor angulis funibus dependet, quod torquendo collo circumdatum, nulla in parte ſine fœda laceratione caput, aut corpus patitur, ſed erectum ſemper conſidere, ut æquabili undique uſtulatione torreatur, adigit. Nam luculentus ignis circum accenſus, ita corpus univerſum uſtulat, ut flammarum vi tumefacta pellis, primum in puſtulas, mox immani cruciatu in hiatus divellatur, intra quos carnifices acetum ſale, pyrinque mixtum pulvere immittunt. Primus diriſſimum tormentum Philippus Nottin, ſemel per horas denas, iterum deinde quaternas, tanto cruciatu, ut caro paſſim aduſta ad pugni altitudinem ebullierit. In quo nullum omnino verbum prolocutus, nullo ejulatu dolorem teſtatus ad rabiem ſcilicet adverſarios concitavit. Ex quibus Centurio ictum pede tam validum dorſo ejus impegit, ut ſpina dorſi pene confracta, collum undique acculeato circulo fœdum in modum dilacerarit, cum addito: *loquere canis mute*. Secundo loco tortus eſt P. Gerardus Paeſman 27. Martii per horas itidem denas, & poſt biduum per ſenas, cui in tormento præter coſtam unam diruptam, collum undique pertenebratum, mamilla inſuper una fœde aduſta, & coxendicis pars ita laniata eſt, ut exſcindi penitus, ſicut & pars quædam e ſecretioribus membris debuerit. Ultimo reliquis dirius excruciatus eſt P. Boddens tres continenter & viginti horas; & iterum aliquanto poſt per quatuor, nam diutius vita ſuperſtite non potuit. Umbilicus illi vi flammarum elicitus, inteſtinum in ſecretioribus expreſſum, genua diffiſſa, ſiniſtra manus torrefacta, pars ventris inferna ſemipedali plaga dirupta, corpus totum laceratum, fractum, & inutile penitus redditum, ut numquam deinde pedibus conſiſtere poſſet; oſtiduum nequaquam ſupervicturus, niſi gangrænam partes illas jam invadentem, tempeſtivo ſupplicio intra quintam diem prævertiſſent. Cæterum nihil aliud in tam barbara laniena extorqueri ab innocentibus potuit, quam nihil ſe unquam de proditione ejus Urbis habuiſſe conſilii, neque conſcientiæ. Quo non obſtante, producti ſunt tamen in judicium, & ſupplicio capitis, tamquam rei Majeſtatis, damnati. Antecedit reliquos denuo Philippus, qui in ferali pegmate conſtitutus, dum plena falſarum criminationum ſententia mortis prælegeretur, imperterritus toto capitis renutu cauſam inficiatus eſt; *Non eſt*, inquit, *ita*; *iſtud eſt mendacium, illud mihi affictum eſt*; *hæc non dixi*. Conſtanterque ſe unius Catholicæ fidei odio interfici proteſtatus, inter illa verba: *In manus tuas, Domine commendo ſpiritum meum*: Ictum carnificis, & mortem excepit 14. Julii anno 1638. ætatis 39. Caput confixum palo, ſublime in mœnibus expoſitum eſt, corpus ſub patibulo humatum. Sexto poſt die ſecutus hunc eſt 20. Julii P. Gerardus, Weſaliæ ad Rhenum natus, qui prætenſum conjurationis crimen pari ad extremum conſtantia inficiatus, capite uti prior imminutus eſt, annos ætatis 50. Corpus una cum capite Collegio illatum, inque Templo honorifice conditum eſt. Eodem die una poſt priorem hora, elatus eſt a quatuor bajulis geſtatoria ſella (nam vi tormentorum fractus ingredi per ſeſe non potuit) in theatrum P. Rector, ingenti totius Urbis ejulatu & comploratione, præſertim ubi viderunt ſupremam ejus petitionem, qua manus vinculi eximi poſtulaverat, crudeliter rejici. Collocatus in medio theatri prælectam mortis ſententiam multiplici renutu falſitatis coarguit: *Ad quid iſta leguntur*, inquiens, *quæ de verbo ad verbum falſa & commentitia ſunt? ſed quando vobis ſic collibuit agite porro, ac pergite*. Tum ne prius quam ea, quæ conſtituerat, ad populum ſuiſſet effatus, a carnifice cæderetur, eum ante ſe ſtare voluit, ac ſubinde præmiſſa totius populi ſalutatione innocentem ſe, penituſque conſpirationis ignarum, ſolius religionis cauſa occidi, multis ar-

gumentis contestatus est. Post quæ munus suum exequi carnificem finens, altaque voce in manus Domini spiritum commendans, gladio ictus vitam gloriosa morte consummavit, anno ætatis 42.

Ib. f. 126. CXX. P. Isaac Joques Gallus post evulsos ungues, & præmorsos duos digitos, aliaque innumerabilia tormenta (quæ fidem hominum superant) ab Hiroquæis tolerata: primo quidem liber dimissus, sed ubi denuo rediit, ferrata clava cæsus, & capite diminutus est.

Nadas. f. 39. CXXI. P. Joannes de Brebeuf, & Gabriel Lallermant Galli irruentibus in Hurones Christianos Iroquæis, fugam oblatam non admisit, una cum P. Gabriele Lallemant; ne oves suas desererent. Dum inter Christianos ac barbaros Ethnicos arderet prælium, hi duo animas expiabant, alter baptismi alter pœnitentiæ Sacramento: Captis ergo atque nudatis Joanni & Gabrieli evulsi sunt ungues aliquot, & inflicta sudibus verbera per singulas corporis partes, P. Joanne ad Christianos ita dicente: *Filii, dum patimur, sursum in cælum oculos elevemus. Videt hæc remunerator Deus. Moriamur fortes in fide. Gloria erit æterna.* Tum illi præcisæ manus, os contusum lapidibus, lingua adusta. Utrique sub alas, & ad renes, ad igne candentes secures admotæ; ignita e collo appensa collaria, e quibus candentes secures pendebant; adjectum cingulum accensum e pice & resinatis corticibus; Joanne interea fortissimo silentio stante inter flammas immoto, velut in extasi. Tum loqui cælestia, qua poterat, incipienti os obseptum circulo, labra concerpta, truncatus nasus. In baptismi opprobrium, & imitamentum, uterque aqua bulliente perfusus totus, objectantibus barbaris, debere sic eos baptizari, qui ajunt, quod sine baptismo nulla sit salus. Antequam ferali palo alligarentur, palum uterque amplexus est, & osculatus. Mox Joanni detracta superior pellis e vertice capitis, amputati pedes, caro e coxis ad ossa usque avulsa; mandibula securi diffissa, ferro ustæ plagæ utrique dissectum generosum pectus, evulsum cor nobile, atque a barbaris devoratum.

Ib. f. 137. CXXII. P. Antonius Iscida Japon ad sectam Japonicam identidem invitus frustra secum agi ajebat: Christi se esse, ac fore; agerent, cruciarent, occiderent. Ad minas respondebat: se ultra minas supplicia etiam expectare, ac velle se cum illis certare, utra pars prius, illine pœnas irrogando, an ipse irrogatas ferendo deficeret. Alios ex aliis cruciatus in hebdomadas, menses, annos accerserent, & mortem lentam extenderent: hoc se in causa Christi cupere, hoc expectare, ut sentiat se mori. Nec fortius dixit, quam fecit. Anno 1631. 4. Decemb. aquis sulphureis varie cruciatus, suspendebatur, juncturis, undequaque vi dira extensis, & scapulis aqua bulliente perfusis. Quo rerum articulo, cum illum sui cives iterum ad defectionem lacesserent, atque ut imperatoriæ voluntati obedienter annueret, seque vere Japonem esse ostenderet, invitarent; his nihil motus, & (quod omnes stupuere) ab aqua nihil adustus est. Ita per dies triginta, novis & semper variis sævitiæ attibus tortus, iterum carceri redditus, demum hoc die lento igne combustus, victima gloriosa.

CXXIII. P. Stephanus Pangraz Ungarus *Ib. f. 262.* coorto tumultu hostibus obvius e conclavi progressus rostrata clava ferrea (bozogany vulgo dicta) valido ictu in pectore percussus, prostratus est. Mox illi caput fune circumactum, tantaque vi compressum, ut mortuus crederetur. Tota illa nox in cruciatibus diris acta, tenerrimis quibusque corporis partibus intra bombardarum rotas contortis. Cruciatus etiam est singulis digitis, gallo sclopi, ut vocant, subjectis, & pressi, cum aures negaret promittentibus libertatem atque honores, si vel verbulo edito ad Calvini partes transiret. Iterum id, iterumque contentissimo studio cum negaret Stephanus, dixere illi; se vero eum ad id tormentorum vi compulsuros. Mox illi ustulatum latus, usque dum prope esset exanimis.

TITULUS XCII.

MATRIMONIUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST legitima viri, fœminæque conjunctio, ad consuetudinem vitæ individuam inter ipsos conjuges transigendam, divinitus instituta. Dictum est Matrimonium, quasi Matris munium, id est, officium, ut ait S. Thomas, vocaturque a Matre potius, quam Patre, quia Mater principaliter facta est ad generandos & educandos liberos, estque circa illos magis officiosa. Vocatur etiam *Conjugium*, de quo sic S. Ambrosius: Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen ascifcitur; non enim defloratio Virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.

Concil. de Matr. s. 2. — *S. Th. 4. sent. dist. 27. q. 1. art. 1.* — *S. Ambr. l. de inst. Virg. c. 6*

Divisio.

II. Dividitur ab aliquibus in *Civile*, & *Ecclesiasticum* seu *Sacramentale*; illud est, quod per solum contractum civilem perficitur; quale est Ethnicorum & Judæorum Matrimonium; hoc est, quod per contractum habentem rationem Sacramenti contrahitur. Utrumque subdividitur in *ratum* & *consummatum*; prius est, quod valide quidem contractum est, sed nondum per copulam carnalem consummatum; posterius est, quod consensu mutuo per copulam confirmato perfectum est.

Busæus de Ras. Mat. c. 1.

Ca-

Cæremoniæ.

Marchan. in Cand. myst. lect. 6. tr. 8. III. Quatuor sunt genera Cæremoniærum, in Matrimonio adhiberi solitarum. Primum est *Interrogationum prævjarum*: quales juxta Marchanium sunt: An castitatis votum non emiserint? an alteri fidem non dederint? an Parentum consensus adsit? huc etiam trinæ denunciationes publicæ referri possunt, quibus quasi quæruntur præsentes, an nullum impedimentum sciant.

IV. Secundum genus est *Cæremoniarum* in ipso contractu Matrimonii adhiberi solitarum; quales sunt dextrarum contrahentium colligatio cum stola in symbolum fidelitatis & vinculi insolubilis: annuli in sponsæ digitum insertio, ut hoc pignore sacro, mutua dilectione sic corda jungantur, ut nullus amori extraneo accessus desur, nullusque odio locus.

V. Tertium est *Benedictio Sacerdotalis*, quam Sacerdos novis sponsis impertiri solet, Ps. 127. Beati omnes, qui timent Dominum &c. eum in finem recitato.

Athen. lib. 5. VI. Quartum est *Convivium nuptiale*: quod jam olim etiam usitatum fuisse, passim S. Scriptura testatur; & causam illius Athenæus his verbis assignat: Moribus & legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales Deos ut veneremur: ut pro testimonio id sit convivis, quod nuptis placeant suæ nuptiæ.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 19. v. 14. I. DOmus & divitiæ dantur a Parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens.

1. Tim. 5. v. 14. II. Volo Juniores nubere, filios procreare, Matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.

Tob. 6. v. 22. III. Accipiens Virginem cum timore Dei, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem consequaris.

Eph. 5. v. 33. IV. Unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum.

Ib. v. 25. & 22. V. Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres viris subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.

Tob. 6. v. 17. VI. Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.

Necessitas.

1. Cor. 7. v. 2. VII. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat.

Ib. v. 9. VIII. Quod si non continent se, nubant. Melius enim est nubere, quam uri.

Utilitas.

Eph. 5. v. 28. IX. Qui suam uxorum diligit, seipsum diligit. Nemo enim suam carnem odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.

X. Unde scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? *1. Cor. 7. v. 16.*

Insolubilitas.

XI. Propter hoc dimittet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. *Matt. 19. v. 4.*

XII. Omnis, qui dimittit uxorem suam, aut alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam a viro ducit, mœchatur. *Luc. 16. v. 18.*

XIII. Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. *Rom. 7. v. 2.*

XIV. Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit; manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem suam non dimittat. *1. Cor. 7. v. 10.*

Dignitas.

XV. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus esto; fornicatores enim & adulteros judicabit Deus. *Heb. 13. v. 4.*

XVI. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor Proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. *Eccl. 25. v. 1.*

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. MUlti facilius se abstinent, ut non utantur nuptiis, quam temperanter & bene utantur. Ego vero facilius non utar nuptiis, quibus usus est Abraham, quam sic utar nuptiis, quemadmodum usus est Abraham. *S. Aug. de bono con.*

II. Propterea permissum fuit Matrimonium, ne ultra proprios terminos progrederis. Vide enim, quanto dignus eris supplicio; nam Deus tuæ quieti & honori prospexit, ut & naturæ rabiem per uxorem compescere, & hoc absque periculo faceres, & ab omni turpitudine & dedecore liberaveris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit ex redundanti quadam, & exuberanti copia, injuria afficis? *S. Chrys. in Ps. 43.*

III. In nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri. *S. Aug. de bono conj. c. 18.*

IV. Quæ potest capere, capiat: quæ se non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet: quæ aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio: in conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur damnatio non timetur. *Idem de bon. vid. c. 9.*

V. Quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sint nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne per vinculum conjugale cum altera vel altero concum- *Idem l. 9. de Genes.*

batur. In prole, ut amanter fuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educatur. In Sacramento autem, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tamquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.

S. Aug. l. de virg. c. 12. VI. Habeant conjugia bonum ſuum non quia filios procreant, ſed quia honeſte, quia licite, quia pudice, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant quia thori fidem invicem ſervant, quia Sacramentum connubii non violant.

S. Ambr. de Patr. VII. In omni conjugio conjunctio intelligitur ſpiritualis, quam confirmat, & perficit conjunctorum commixtio corporalis.

S. Hier. ap. Marc. tr. 2. cand. loſt. 9. pr. 2. VIII. Sapiens vir debet judicio amare conjugem, non affectu: reget impetus voluptatis, ne feratur præceps ad coitum: nihil fœdius, quam amare uxorem quaſi adulteram. In aliena uxore omnis amor turpis eſt, in ſua nimius.

S. Fulg. ep. 1. de conju. deb. IX. Juſtitia utendi conjugii hæc eſt, ut non explendæ libidinis, ſed ſubſtituendæ prolis affectu, conjuges ſibi miſceantur congruo tempore. In illis namque bonis, quæ fecit Deus invenitur juſta copulatio viri & uxoris, in quibus Dei operibus libido non poteſt reperiri, quæ hominibus non ex dono conditionis, ſed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis acceſſit. Sed quia fine illa in corpore mortis hujus, proles humana non feritur, non eam affectant conjugia caſta, ſed tolerant, eique imponit nuptialis honeſtas modum, ſine qua non poteſt in carne peccati, naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo ex nuptiis quæri debet fructus, ut cohibendus ſit lubricæ voluptatis exceſſus.

Ibid. X. Conjugatus ſi thori fidem non deſerat, ſed in uxore ſua naturali dumtaxat uſu aliquantum excedat, non ſolum generationem quærens, ſed carnis libidini obediens, hoc equidem ſine culpa non facit. Talis autem culpa facilius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipſi conjugi ſervat maritalis charitas fidem, in qua non poteſt maritalis infirmitas cuſtodire temperiem. Et ſi nuptialis in uxore modeſtia non tenetur a nuptiali tamen fide, nulla immoderatione diſceditur.

Ambr. ... ſup. ep. ad Corinth. XI. Nuptiæ invitæ ſolent malus habere eventus.

Greg. in ... XII. Nuptiæ carnales a lætitia incipiunt & in luctu terminantur.

S. Hieron. in ep. ad Ruffin. XIII. Sine culpa ad matrimonium veniunt, ſi nondum meliora devoverunt.

Utilitas.

S. Greg. l. 26. mor. XIV. Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant; melius eſt nubere, quam uri. Sine culpa enim ad conjugium veniunt, ſi tamen meliora necdum devoverunt.

S. Aur. lib. 15. de civ. Dei. XV. Conjugium mihi bonum videtur, non ſolum propter filiorum procreationem, ſed propter ipſam etiam naturalem in diverſo ſexu ſocietatem. Habet etiam id bonum, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamſi vitioſa eſt, ad propagandæ prolis redigitur honeſtatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis.

Dignitas.

XVI. Propemodum non inferioris virtutis eſt, abſtinere conjugio, quo aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta neſcire. *S. Amb. l. de vid.*

XVII. Non eſt impar meritorum continentia in Joanne, qui nullas expertus eſt nuptias, quam in Abraham, qui filios generavit; illius enim cœlibatus, & illius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militarunt. *S. Aug. de bono conju. c. 21.*

XVIII. Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugii non præit obſcœna voluptas, ſed jacto ſecundum leges divinas ſancto fundamento, matrimonium neceſſario ſequi voluptas ipſa concubitus, unamque carnem duos facere deprehenditur. *S. Baſil. de vera virg.*

XIX. Revera magnum myſterium eſt, relicto parente eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam, ea, quæ peperit, quæ miſere & cum labore parturivit, illis videlicet deſertis, qui tanta beneficia præſtiterunt, quibus cum conſuetudo tracta eſt, adhærere virum illi, quæ antea neque viſo ſit, neque aliquid commercii cum illo habuerit, atque hanc etiam omnibus præferre. Magnum revera myſterium, & ineffabilem quamdam ſapientiam habens. *S. Chryſ. h. 21. in ep. ad Eph.*

XX. Cognoſcimus velut præſulem, cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui, & ſi quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam ſolvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium. *S. Amb. lib. 1. de Abrah. c. 7.*

Indiſſolubilitas.

XXI. Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis Parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, cum dicit: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. *Conc. Tr. ſ. 24.*

XXII. Noli uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis Authorem. Etenim ſi alienos, magis uxorios debes tolerare, & emendare mores. *S. Amb. in c. 16. Luc.*

XXIII. Hoc cuſtoditur in Chriſto & Eccleſia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio ſeparetur. Cujus Sacramenti tanta obſervatio eſt in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti quibuſque fidelibus conjugatis, qui ſine dubio ſunt membra Chriſti, ut, cum filiorum procreandorum cauſa vel nubant fœminæ, vel ducantur uxores, nec ſterilem conjugem fas ſit relinquere, ut alia fœcunda ducatur. *S. Aug. lib. 1. de nupt. c. 10.*

Incommoda.

XXIV. Non tantum boni eſt in nuptiis, quod ſperamus, quantum mali, quod accidere poteſt, & timendum eſt. Libido tranſacta ſemper relinquit ſui pœnitudinem, numquam ſatiatur; extincta reaccenditur, uſu creſcit, & deficit, nec rationi patet, quæ impetu ducitur. *S. Hier. adGeront.*

XXV.

Idem contra Jovin.

XXV. Pulchra cito amatur, fœda facile concupiscit; difficile custoditur, quod plures amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minori tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur.

S. Aug. ap. Gratian. f. 729.

XXVI. Nihil est quod virilem animum ita ab arce virtutis dejiciat, atque complexus ille, sine quo uxor haberi non potest.

S. Chrys. l. 3 contr. vitu. mon. vit.

XXVII. Longe plures videas lapsos ex conjugatorum, quam Monachorum ordine: neque enim tam multi ex monasteriis ad matrimonia accedunt, quam ex conjugali thoro ad scorta.

Hieron. contr. Jovin.

XXVIII. Uxorem pauperem alere difficile est divitem ferre tormentum est: Quid prodest diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat, infida enim custos castitatis, est necessitas, & illa vero pudica dicenda est, cui licet peccare sed noluit.

Aug. l. 9. Conf. c. 9.

XXIX. Uxoris lingua, non mariti ira sibi conciliat malum.

Ans. sup. ep. ad Cor.

XXX. Mulieris insolentia viro est opprobrium.

§. IV. EXEMPLA CHRISTIANA.

Qualitas.

Tob. 9. v. 9.

I. Tobias Junior inito cum Sara Matrimonio dixit ad Deum: Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.

Ib. c. 3. v. 16.

II. Sara Tobiæ uxor quoque ad Deum dixit: Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, consensi suscipere.

Marc. tr. 8. candel. lect. 4.

III. S. Cæcilia Valeriano desponsata, tribus ante nuptias diebus jejunabat, cilicium portabat, & orationi continuo vacabat, negotium hoc Deo commendans.

Sophron. in prato spir. cap. 209.

IV. Cum quidam mercator naufragium passus esset, ideoque ob bonorum omnium jacturam carceri a creditoribus inclusus esset, dives quidam ad ipsum in carcerem ingressus, specie uxoris tunc sorte præsentis captus, jussit eam ad se adduci, & satisfactionem pro viro spopondit, si in nefarium scelus consentiret. Verum illa respondit: Domine intellexi Apostolum dicere: Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir. Ibo ergo ad maritum, & quod jusserit, peragam. Cum ergo regressa ad maritum narrasset, quid dives petiisset, ille in hæc verba respondit: Vade soror, dic ei, nos spem figere in Jesum, qui suos non deserit, mortemque nos potius oppetere paratos, quam eum offendere. Dum ergo illa renunciat responsum, deditque ad maritum, latro pariter carcere detentus qui verba hæc audierat, eos ad se vocat, aitque: ego scio, me ad mortem damnatum, audiensque pudicum vestrum consilium compunctus sum: ite ergo ad talem locum, & fodite, nam pecuniam reperietis, qua creditoribus vestris satisfacere possitis, & orate pro me, ut misericordiam inveniam. Post paucos ergo dies latro affectus supplicio est, uxor vero ad nominatum locum pergens, fodiensque pecuniam reperit, eaque paulatim creditoribus satisfecit, ut crederetur, illam mutuo accepisse.

S. Greg. Naz. in or. de S. Gorgon.

V. S. Gorgonia B. Gregorii Nazianzeni soror adeo fatebatur se unam esse cum marito, ut propterea ex parte tantum baptizatam se putaret, quod maritus non esset baptizatus, ideo continuis precibus a Deo petivit, ut sui spiritus eum efficeret participem per baptismum, quod & impetrare meruit.

S. Aug. l. 9. conf. c. 9.

VI. S. Monica mirantibus aliis uxoribus, quomodo ipsa cum marito infideli tam rigido & feroce adeo pacifice vivere posset, respondit: meæ sorores, vos forte maritos ad rixas impellitis morositate ac contumacia vestra, ego marito sæviente taceo, & dissimulo, sicque iracundiam ejus frango: quin animum ejus sic inflexi, ut mecum Christum colere cœperit: ita ergo & vos agite cum maritis, si simili concordia ac pace frui vultis.

Brev. Ro. 4. Jul.

VII. S. Elisabeth filia Petri Regis Aragoniæ, cum Dionysio Rege Portugalliæ luxuriæ deditissimo, tanta cum prudentia & sanctitate conversata est, ut omnes in admirationem raperet, qui maritum noverant. Hoc solum ipsam angebat, quod Deus toties offenderetur. Unde continuis precibus rogabat Deum ut lucem illi infunderet, qua e profunda & cæca abysso tandem emergeret. Ulterius præcipiebat, ut omnes ejus illegitimi filii sibi adducerentur, quos nutricibus tradebat, & commendabat, de omnibus providebat, nutricesque muneribus donabat. Hac tanta charitate, patientia, prudentia, sic mariti animum evicit, ut fidem conjugalem postea servarit.

Vit. PP. l. 6. S. 17.

VIII. Cum S. Macarii animum desiderium subiisset cognoscendi, ad quantam perfectionem pervenisset, hanc e cælo vocem audivit: Nondum, o Macari, attigisti perfectionem duarum mulierum Alexandriæ degentium. Abiens ergo Alexandriam, cum reperisset duas illas mulieres, &, quem vitæ modum tenerent, indagasset, post longas preces tandem ab iis exorsit, quod undecim annis in eadem domo summa cum pace cohabitassent, & sæpius enixe petierint, ut vitam cælibem agere per Maritos liceret; id vero cum impetrare nequirent, Deo puritatem cordis obtulisse. Insuper summo semper studio invigilasse, ne verbo vel opere Deum offenderent. Hoc audiens vir sanctus exclamare cœpit: Vere in quocumque statu puritas cordis Deo placet, ita ut quandoque puritas Conjugatorum puritatem Virginum, & Monachorum excedat.

S. Dam. in vita Barlaam & Jos. c. 14.

IX. Cum quidam filius Patris ditissimi audivisset, Sponsam sibi a Patre ditissimam & pulcherrimam destinatam esse, detestans hoc consilium fuga elapsus est. In qua cum ad domum senis pauperis propter æstum divertisset, filiamque ejus unicam sedulo laborantem, Deumque assidue ob accepta beneficia laudantem vidisset, eam a Patre in uxorem petiit. Quem cum senex in multis tentasset, ipseque

conftanter affereret, malle fe cum filia ejus tam devota pauperem vitam degere, quam cum divite oblata Sponfa inter delicias vivere, tandem optatis nuptiis potitus, a fene in cubiculum introductus eft, ubi ingentes ei divitias oftendens, harum omnium ipfum fe hæredem fcribere dixit, eo quod fpreta fponfa divite, pietatem potius in filia fua, quam alias dotes refpexiffet.

Yv. lat. Suvius F. Arnulp. Epifc. c. 11 apud Sur 9. Aug. X. Non longe ab urbe Sueffionenfi degebat vir Nobilis militiæ deditus, nomine Guido, cujufque uxor Ermegardis pietatis cultrix. Hi filiam genuerunt vultu decoram, quæ cum ad nubiles pertigiffet annos, ab illis militi cuidam natalibus non impari fuerat defponfata. At illa ut fe habet puellaris lafcivia, quendam alium, rebus & genere inferiorem, plus diligens recufabat fponfum a parentibus delectum, crebro jurans, quod feipfam interficeret, nifi cupitis amplexibus potiretur. Ea incommoditate parentes affecti virum Dei Arnulphum Sueffionenfem Epifcopum confulunt, fcire cupientes, quid in ea afflictione ipfis faciendum foret. Ille auditis illorum quærimoniis, opportunum quidem & plane divinum eis refponfum dedit. Canonum, inquit, authoritate cavetur, ne puella, cui non vult, jungatur, ideoque præcipio vobis, ut puellam ei, quem amat, collocetis matrimonio; Ut enim ob veftræ religionis meritum nobis oftenfum eft, paulo poft videbitis eam illum fponfum ardenter expetere, cujus a fe conjugium tam ftudiofe jam conatur amovere. Permittatis filiæ veftræ fua hac in re uti voluntate; & ita fiet, ut res ad veftram cedat honeftatem. Credunt illi verbis Sancti viri, nuptias optatas honefto apparatu celebrant, finuotque filiam dilecti viri frui contubernio. Ille vero, cum in id valde effet intentus, ut poffet miles celebris haberi, numquam voluit abeffe, ubi fieret congreffus cum hofte, & dum avidius fert in arma, ab armatis perimitur: & fic fponfa manens vidua mox priori conjungitur.

Amph. Epifc. in vita S. Bafilii ap. Sur 10. 1. Januar. 1. XI. In vita S. Bafilii Magni habetur quod Protetii Senatoris filia, ab ejus fervo per Magum decepta, & infano amore correpta, inftanter rogat, ut poffit jungi matrimonio cum illo, qui fi confentire noluerit, pro ea reddituruś effet rationem in die judicii. Aut comple defiderium, inquit, aut brevi me extinctam videbis. Pater qui filiam hanc Deo confacrarat, immenfo mœrore abforptus, amicorum confiliis, juffit fieri quod petebat, ne fibi ipfi exitium afferret. Cui pater, vade inquit mifera multum lugebis aliquando, cum facti pœnitebit, nec tamen mederi poteris. Inito igitur conjugio obfervatum eft fervum non ingredi Ecclefiam, nec effe Chriftianum. Quod ubi intellexit puella, humi fe profternit, fuis fe unguibus difcerpit, pectus tundit vociferans: Nemo parentibus non obediens, falvus unquam fuit. Quis patri annunciabit ignominiam meam? Heu me miferam, in quantam me perditionis voraginem demerfi. Cur in lucem edita fum, cur non continuo rapta fum.

Bar. t. 11. Annal. an. 1050. 11. XII. Sueno Danorum Rex cognomento Magnus cum pro libitu fuo tria Regna teneret, mox fuccedentibus profperis, oblitus eft Regis cæleftis, & confanguineam a Suedia duxit uxorem, quod domino Archiepifcopo Hamburgenfi Adalberto valde difplicuit, furentem Regem miffis ad eum Legatis, de fcelere terribiliter increpavit; Poftremo nifi refipuerit, excommunicationis gladio feriendum effe. Tunc ille converfus in furorem minabatur omnem parochiam Hamburgenfem vaftare & excindere. Ad quas minas imperterritus nofter Archiepifcopus arguens & obfecratus, perftitit immobilis, donec tandem flexus tyrannus Danorum per literas Papæ libellum repudii dedit confobrinæ. Nec tamen Rex Sacerdotum admonitionibus aurem præbuit, fed mox ut confobrinam a fe dimifit, alias itemque uxores & confobrinas affumpfit: & fufcitavit ei Dominus inimicos in circuitu multos, ficut Salomonis fecit proprios fervos.

§. V. EXEMPLA PROFANA.

I. THeogena uxor Agathoclis Regis Siciliæ ab ægro Marito nunqnam divelli fe paffa eft, dicere folita: nubendo non folum profperæ fortunæ, fed & adverfæ focietatem inivi, quare nec invita fpiritus mei periculo emptura fum, ut viri fpiritus extremos percipiam. *Sabell. l. 2. Enn. 6.*

II. Artemifia Maufoli Cariæ Regis conjux, tanto amore Maritum profequebatur, ut ad ejus funus viros eloquentiffimos convocaret, qui laudes ejus decantaret. Sepulchrum deinde tam fplendidum ei ædificari juffit, ut inter feptem orbis miracula fuerit numeratum. Nec his contenta officiis, etiam offa in cineres redacta vino mifcuit, ebibitque, ut fic quodammodo eum vitæ redderet. *Val. Max. l. 4. c. 6.*

III. Panthea uxor Abradatæ Regis Suforum audiens Maritum fuum in prælio occubuiffe, in mediam aciem irruit, & Maritum fuum amplexata, ferrum cordi infixit, ficque fimul cum eodem obiit. *Xenop. l. 6.*

IV. Thales roganti Matri, ut Matrimonium iniret, nondum effe tempus dixit: deinde major natu iterum admonitus, non amplius effe tempus affirmavit. Idem rogatus, cur in vigore ætatis liberos non procreaffet? refpondit: Quia nolui fponte negotium vitæ faceffere, & ejus tranquillitatem turbare. *Plut. ap. Lang. in Pol. Stob. fer. 66.*

V. M. Cato Cenfurius uxorem nobiliorem, quam opulentiorem duxit, exiftimans utrafque æque effe elatas & fuperftitiofas, verum turpitudinis rubore obfequentiores viris ad honefta generofas effe. *Plut. in Lacon.*

VI. Indorum Virgines, cum nubiles effe cœperint, in publicum a parentibus producuntur. Accurrente, ut affolet, multitudine, libera illis datur optio, e juvenum turba virum fibi feligendi, quem virtute aliqua infigniter præftantem putent. *Cælius l. 8. c. 31.*

VII. Valeria a quodam rogata, quam ob rem defuncto Marito nulli pofthac nubere vellet? ideo, inquit, quia Servius meus, licet aliis defunctus fit, apud me vivit, vivetque femper. *Erafm. l. 8. apopht.*

VIII. Portia, cum diutius lugeret Maritum, *Idem.*

quæ-

quæsita, quem habitura esset luctus ultimum diem? respondit: quem & vitæ.

Laert. l. 6. c. 1. IX. Antisthenes adolescenti quærenti, qualem uxorem ducere deberet? respondit? Si formosam duxeris, habebis commuoem; si deformem copulaveris, habebis pœnam. Talis ergo ducenda uxor est, quæ nec fastidium viro moveat ob deformitatem, nec ob insignem formam petatur ab adulteris.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plut. in Mor. I. Sicut corpus nihil potest absque animo, nec animus sine corpore; sic inter uxorem & Maritum omnia oportet esse communia.

Marcb. tr. 9 cand. myst. lect. 3. II. Sicut ferrum non cum argento & auro, sed cum alio ferro cohæret, & se commiscet; sic non bene vilis cum nobili, dives cum paupere conjux concordat.

Ibid. III. Sicut, cum navis est magna, & gubernaculum parvum; aut vicissim, navis beoe dirigi non potest; ita nec Maritus bene dirigere potest uxorem, si nimia sit inter utrumque disparitas.

Fab. conc. 4. in Do. 2. post Epiph. n. 4. IV. Sicut pharmaco utimur tamdiu, quamdiu morbus, aut necessitas durat; ita Matrimonialis actio tamdiu solum suscipienda est, quamdiu finis Matrimonii, scilicet generatio prolis, & concupiscentiæ remedium adest.

Ibid. V. Sicut vinum non debet bibi propter voluptatem, sed propter naturæ sustentationem & corroborationem; ita nec cohabitatio conjugalis propter voluptatem, sed propter generationem prolis suscipieoda est.

Id. con. n. 6. VI. Sicuti quis non taotum ex alieno, sed etiam soo vino inebriari potest: si illud immodice bibat: ita non cum aliena dumtaxat; sed etiam propria uxore continentiæ limites excedi possunt.

Insolubilitas.

S. Aug. de bono conj. c. 24. VII. Sicut si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamsi congregatio plebis non sequatur, manet tamen in ordinatis Sacramentum ordinationis; & si ex aliqua culpa quis removeatur ab officio, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente; ita licet conjuges a se quoad thorum separentur, aut prolem suscipere non possint, vinculum tamen adhuc manebit.

Ib. c. 18. VIII. Sicut duobus, pluribusve servire; sic a viro vivo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nuoc licet, nec unquam licebit.

Dignitas.

Idem. IX. Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Joaone, qui passus non est, ita non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit.

Incommoda.

X. Sicut sæpe rectum, mundumque iter pergimus, & tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur; sic licet bonum sit conjugium, mala tamen sunt, quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Dum ergo retinetur, quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque, quod nocet. *S. Greg. ep. Long. in pol.*

XI. Sicut facilius est Rustico carere divitiis, quam iis inopinato repertis, aut oblatis, moderate uti; ita multi facilius omnino abstinent nuptiis, quam ut iis temperate & bene utantur. *S. Franc. Salef. op. Englgr. Dom. 2. post Ep.*

§. VII. MOTIVA.

Ad Matrimonium ineundum.

I. *Honor & gloria Dei*; qui non modice glorificatur, si pareotes liberos multos generent, eosque sic educent, ut tandem æternæ gloriæ facti participes, eumdem Deum in omnem æternitatem perfectissime laudent, & ameat. Quis enim non magnopere sibi gratularetur, si multa templa extruxisset suis sumptibus, in quibus Deus die, noctuque devotissime laudaretur? atqui gratiora sunt templa homines Deum in cælo laudantes.

II. *Augmentum Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ, quam civilis*, quod sane totum pendet a generatione, & educatione Liberorum; quia quales erunt Liberi, tales erunt olim & Ecclesiæ Ministri, & Magistratus politici, ac cives.

III. *Felicitas Liberorum*: cum enim hi, si pie & Christiane educentur, ad regnum cælorum admittantur, quod præstantius est, quam omnia regna Mundi, an non ingentem felicitatem Liberis suis procurasse dicentur Parentes, si cooperentur, ut hujus regoi fiant participes eorum Liberi?

IV. *Solatium Parentum*: quod non potest non esse maximum, si meminerint, hos ipsos, quos modo genuerunt, & pie educant Liberos, fore olim regni cælestis hæredes, idqne actu quondam in cælis sint visuri. Hinc Salomon ait: Filius sapieos lætificat Patrem.

V. *Confusio Dæmonis*: quem cum merito summe odisse debeant Parentes, ob perpetuas insidias ipsorum, & Liberorum saluti structas, non possunt hoc odium magis erga ipsum declarare, quam si & se, & Liberos suos ipsius eripiant potestati, atque in filiorum Dei libertatem asserant.

§. VIII. MEDIA.

Ad Matrimonium fauste contrahendum.

I. *Sincerus Dei cultus*: quia, ut, sapienter notavit Philo, solius Dei cultus, est amoris & benevolentiæ vinculum insolubile; id quod ex ipsorum etiam Philosophorum axiomate colligitur, quo dicuot: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *Philo. de Mon.*

II. *Oratio humilis*: tum quia, teste Salomone, domus & divitiæ dantur a Parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens: tum, quia, cum tribulationem carnis, prædicente Apo- *Prov. 19. v. 14.*

Apostolo, sint habituri, oportet ad has superandas Deo humiliter subjici, ejusque opem assiduo implorare.

III. *Veneratio Sanctorum*: eorum præcipue, qui aliquando Matrimonio juncti cum magna sanctitate & coocordia vixerunt, uti præ aliis fent B. Virgo, & S. Josephus; ab horum enim veneratione duplex emolumentum habebunt conjuges, nempe *Patrocinium petens*, quod tanto promptius exhibebunt quanto magis ipsimet onera, & difficultates matrimonii sunt experti; & *exemplar perfectum*: vitæ secundum leges sancti Matrimonii instituendæ.

IV. *Concordia animorum*: sicut enim si duo boves eidem jugo alligati unanimes sint, leviorem sibi laborem trahendi oneris efficiunt; si vero consentire nolint, inutiliter ac frustra se fatigant, & gravius sentire onus coguntur; ita se res cum conjugibus eidem jugo Matrimonii alligatis habet.

V. *Curiositatis devitatio*: illius præcipue, qua ex zelotypiæ spiritu alterius conjugis mores, & acta curiosius, quam par est, observantor. Quod medium Alphonsus Rex Aragonom indicavit, dum dixit: Tunc felix & tranquillum fore Matrimonium, si vir surdus, & uxor cæca fuerint.

Gal. 6. v. 2. VI. *Patientia in mutuis defectibus supportandis*: juxta monitum S. Pauli dicentis: Alter alterius onera portate. Debent proinde conjugati duobus illis anseribus similes esse, qui a nativitate sic erant dorso colligati, ut, si unus ambolaret, alier erectis ad cælum pedibus portaretur, qui altero defatigato, & ipse pedibus insistere, alterumque portare debebat.

Aug. s. de verb. Dom. VII. *Castitas ante Matrimonium servata*: quod medium Sanctus Augustinus sequentibus verbis præscripsit: Si ducturi estis uxores, quales vultis eas invenire, tales & ipsæ inveniant vos. Quis est, qui non castam velit ducere? intactam quæris? intactus esto; puram? purus esto; non enim illa potest, & tu non potes.

§. IX. ASCETICA.

I. QUinque sunt præcipua capita, quæ Asceta de Matrimonio bene cognoscere, ac ubi occasio dabit, observare debet. Primum est, ut bene cognoscat finem Matrimonii, quem quidem Canisius ex SS. Patribus his verbis assignat: Cujus conjunctionis conjugalis si primarium Authorem quæris, Deus est optimus maximos; qui primos conjuges & humani generis Parentes in ipso Paradiso conjunxit suaque benedictione cohonestavit. Sin finem institutionis spectas, est humani generis ad Dei gloriam propagatio, & conjugom inter se familiaris, fidusque convictus, ac præterea fornicatioois in hac naturæ corruptæ imbecillitate devitatio. *Canis. p. 1. de Sac. §. 2.*

Conc. Flor. ep. Conc. l. 5. 2. II. Alterum est, ut bene cognoscat triplex bonum Matrimonii, quod ex dicto fine consurgit, de quo Concilium Florentinum sic loquitur? Assignatur triplex bonum Matrimonii. Primum, proles suscipienda ad cultum Dei, & educanda. Secundus est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem coojunctionem Christi & Ecclesiæ.

III. Tettium est, ut cognoscat bene impedimenta tum dirimentia, tum impedientia contractum, quæ quidem passim apud Casistas & Summulistas reperiuntur; id interea fixum, ratumque habeat, ejusmodi impedimenta gravissimas ob causas ab Ecclesia constituta, atque adeo diligenter observanda esse, uti clare indicat Concilium Trid. dum ait: Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis aut affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema sit. *Sess. 24. c. 3.*

IV. Quartum est, ut solidum ac utilem cognoscat modum contrahendi Matrimonium, juxta quem alios instituat, qui quidem in eo fere consistit, ut in Christo, cum Christo, & propter Christum Matrimonium suscipiatur. 1. *in Christo* tunc suscipitur, quando Doctrina S. Pauli observatur, qua dixit: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. Et: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Christo. 2. *Cum Christo* contrahitur Matrimonium, si diligenter prius invocetur in electione, usurpando illa verba Apostolorum: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem (aut quam) elegeris. Dein si in ipsa contractione prius SS. Eucharistia sumatur. Et tandem si ante consummationem pariter exemplo Tobiæ junioris invocetur. 3. *Propter Christum* suscipitur Matrimonium, si vocatio ad illud diligenter inquiratur, & ideo status hic assumatur, quia Deo ad eumdem nos vocare placuit. *Act. 1. v. 24.*

V. Quintum est, ut noverit potiores tentationes conjugii, modumque aptum eisdem occurrendi. Quales fere sunt, 1. Asperitas aut morositas alterius conjugis; contra quam vix aliud efficacius est medium, quam patientia & mansuetudo; nam responsio mollis, multo magis omnimoda taciturnitas & dissimulatio frangit iram. 2. Liberorum aut famulorum mores discoli; qui & ipsi mansueta potius quam aspera correctione sanandi, & ubi conatus nihil profecerit, cum patientia supportanda, justitiæque divinæ suo tempore castigaturæ relinquendi sunt. 3. Sollicitudo pro rebus ad se, familiamque sustinendam necessariis: contra quam optimum est medium, ut quærant sollicite prius regnum Dei, & justitiam ejus, magnamque de Dei bonitate & fidelitate fiduciam concipiant. 4. Detestatio sui status, utpote impedimenta ad bene pieque vivendum objicientis, quibus optime occurret illud Sancti Chrysostomi in memoriam revocando: Audiant viri & mulieres, & discant justi virtutem: nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat, nam idcirco divina scriptura semel & iterum id significavit, dicens: Genuit Mathusalem, & tunc placuit, ac repetit dicens, & postquam placuit, genuit, ne quis arbitraretur, obstaculum virtutis esse conjugium. Et iterum *S. Chrys. ho. 21. in Gen.*

ali-

alibi: Adjutrix tibi data est, non insidiatrix. An non habebat uxorem Propheta? neque tamen spiritui gratiæ obstat conjugium. Moyses nonne uxorem habuit? & tamen is petram disrupit, aerem immutavit, cum Deo loquebatur, iram divinam cohibuit. Abraham nonne habebat uxorem? & tamen Pater factus est Gentium & Ecclesiæ. Demum omnes Prophetæ & uxores habebant, & domos, ut Isaias, Ezechiel, & magnus Moyses, & inde nihil ad virtutem lædebantur.

Idem ho. 4. in If.

§. X. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Eph. 5. v. 32. I. Ex occasione thematis: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia*; potest ostendi præstantia hujus Sacramenti, & quam vere *magnum* dicatur 1. ab *Institutore*, qui est ipse Deus, & Christus. 2. *Significatione*: quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. 3. *Duratione*: quia durat ejus vinculum usque ad vitæ finem. 4. *Obligatione*: tum ad debitum reddendum: tum ad cohabitandum, mutuumque auxilium ferendum: tum ad liberos alendos & educandos. 5. *Fructificatione*: tum ob collationem gratiæ habitualis & Sacramentalis: tum ob fructum multiplicem ex bona educatione liberorum in Deum, Ecclesiam, Rempublicam, & liberos ipsos redundantem. Unde merito magna etiam consideratione, præparatione, ac devotione suscipiendum est.

Gen. 2. v. 18. II. Ex occasione thematis: *Faciamus ei adjutorium simile sibi*: possunt explicari officia conjugum. Et 1. dici, quod illo verbo *simile* explicetur, quid Maritus erga uxorem observare debeat, nempe quod simile habere debeat in *victu*, *vestitu*, & aliis necessariis; in *bonore* (juxta illud S. Petri: Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ, hine etiam ex latere Adami creata est) & *in supportatione*; nam cum inter omnes amicos culpæ facile condonari soleant, multo magis id fieri convenit inter conjuges, inter quos, uti summa conjunctio, ita summa quoque amicitia intercedere debet. 2. Dici potest uxoris officium per verbum *adjutorium* explicari; hoc enim indicatur, eam marito strenue cooperari debere in generandis, educandis, & alendis liberis, & tamquam principali agenti omnem reverentiam, obedientiam, & amorem (per hunc enim maxime conjungitur) exhibere debere. Quæ omnia facile fusius explicari possunt, maxime si legatur conc. 3. & 4. Mathiæ Fabri in Dom. 2. post Epiph. ubi omnia hæc & plura alia officia late deducit.

1. Petr. 3. v. 7.

Jo. 2. v. 11. III. Ex occasione thematis: *Hoc fecit initium signorum Jesus*: vel: *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ*; potest dici tunc quidem Christum prima vice fecisse hoc miraculum, sed modo frequenter id renovare, dum sex hydrias tribulationum, quæ in statu matrimoniali reperiuntur, in vinum lætitiæ convertit. Enumerentur ergo singulæ hæ tribulationes per ordinem, nempe orbitas, Liberi immorigeri, paupertas vel certe sollicitudo de filiis & domesticis alendis, defectus mutui, afflictiones consortis, separatio in morte; & de singulis ostendatur, quomodo Christus per suam gratiam leves faciat, sicque in vinum quasi convertat. Qua de materia videri potest Faber conc. 2. in Dom. 2. post Epiph. & P. Forerus in 1. p. vitæ Christi de hoc Evang.

Tob. 6. v. 22. IV. Ex occasione thematis: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris*: potest multiplex benedictio explicari, quam conjuges ex matrimonio legitime & pie suscepto sperare possunt. Quem in finem servire potest totus Psalmus 127. Beati omnes, qui timent Dominum &c. in illo enim pulchre triplex benedictio indicatur, nempe 1. *In temporibus bonis*, per illa verba: Labores manuum tuarum quia manducabis: 2. *In uxoris fertilitate*: uti illa verba indicant. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 3. *B. In filiorum educatione*: quæ innuitur per versum: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Marchantium tract. 8. Cand. Myst. lect. 5. prop. 3.

Gen. 38. v. 25. V. Ex occasione thematis: *Cognosce cujus sit annulus*: potest amor conjugalis explicari, quem sibi conjuges mutuo debent. Dicatur ergo annulum, quem Sponsus Sponsæ offerre debet, & ipse concionator nunc porrigit, aureum esse, & loco gemmæ effigiem sponsi inclusam habere, ut omnes amori conjugalis partes explicentur. Nam 1. sicut aurum omnibus aliis metallis præcellit; ita conjuges se in amore & æstimatione omnibus præferre debent. 2. Sicut aurum per ignem probatur, & purius efficitur; ita amor conjugalis per tribulationes cognoscitur, & perfectior redditur. 3. Sicut annulus rotundus est, & finem non habet; ita amor conjugalis durare debet usque ad mortem. 4. Sicut in annulo effigies, præ aliis partibus annuli, utpote suprema conspicitur; ita conjuges sibi semper in oculis versari debent, illudque Abimelechi dictum sibi applicare: Quocumque perrexeris, memento te deprehensam. Videatur pluribus de annulo nuptiali discurrens Faber exhort. nupt. 26.

Matt. 11. VI. Ex occasione thematis: *Tollite jugum meum super vos*: narrari potest ex Tacito, olim apud antiquos Germanos morem fuisse, ut novis nuptis par boum offerretur, quo significare volebant, perinde ut bobus suum jugum, ita conjugibus jugum Matrimonii esse portandum. Et 1. quidem conandum, ut pares sint; alioqui enim debiliori totum onus incumbet. Hinc & Deus olim præcepit: Non arabis in bove simul & asino. 2. Ut sint arctissime juncti jugo, sicut boves, de quibus Plinius ait: araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic enim minus colla contundunt. Hoc autem in conjugibus per amoris efficitur vinculum. 3. Ut simul pergant, & onus trahant; hoc enim, teste S. Chrysostomo, vere est conjugium, quoniam non solum in prosperitate, sed in periculis simul obambulant. Hoc germanæ

Deut. 22. v. 10.

Plin. l. 18. c. 19.

Chry. ho. 12.

cha-

charitatis indicium est. Hoc signo certissime internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum Regem præclarum ornat, quam obedientia illa, quæ consilio justi paruit (loquitur autem de Sara Abrahæ uxore) beatam, & illustrem & claram demonstravit. Ut in casu alter alteri cedat, & condescendat, sicut boves uno procumbente se inclinant, & cum ipso occubant; ita enim S. Paulus monet dicens: Alter alterius onera portate. Quod si autem invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris, ut recte argumentatur S. Chrysostomus. Videatur Faber exort. 10. nupt. pluribus de hac materia discurrens.

Gal. 6. v. 2. — S. Chry. h. 6. in 1.

VII. Ex occasione thematis: *Vocatus est autem & Jesus & discipuli ejus ad nuptias*: dici potest, ideo Christum voluisse nuptiis his interesse, ut simul, quam honorabiles essent, ostenderet, & qua ratione sancte celebrari deberent, doceret, nempe ipso præsente & adjuvante, & impellente; quod clarius postea S. Paulus expressit, dum dixit: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si obdormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, *tantum in Domino*. Ostendatur ergo, quid sit in Domino nubere, nempe 1. *Cum bona intentione*: spectando solam Dei gloriam, & propriam ac prolis salutem, non ad opes aut voluptates respiciendo; ob hoc enim Deus ex *dormientis* ..dæ latere Evam creavit, ut non ad speciem ejus aut aliud respiceret Adam. Hinc & S. Basilius, quid est, ait, in Domino nubere? Non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum protrahi, sed judicio & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. 2. *In gratia*: quo sensu dicitur in Apocalypsi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Hinc a Concilio Tridentino jubentur conjuges saltem triduo ante consummationem sua peccata confiteri, & S. Eucharistiam sumere. 3. *In eadem fide*: Catholica scilicet; id enim, ut S. Ambrosius & alii Patres testantur, & Paulus ad litteram per illa verba *in Domino*, expetiit; quomodo enim potest congruere fides, si charitas discrepet? inquit recte Sanctus Ambrosius. Hinc & Plutarchus ait; Cum sit primus & maximus Deus, quem vir censet esse colendum, solum eum agnoscere uxorem decet: curiosæ religiones & peregrinæ superstitiones a vestibulo domus arcendæ sunt. 4. *Cum adjutorio Dei*: quo maxime indigent, tum ad onera Matrimonii sustinenda, tum ad liberos generandos. Unde Deus vivente Sara aliquoties apparuit Abrahamo, eumque solatus est, non autem ea mortua, quia tunc robore illo non amplius indigebat, uti Rupertus discurrit. Vide Fabrum exhort. 7. nuptiali hæc omnia fusius explicantem.

Ev. Joan. 2. v. 2. — 1. Cor. 7. v. 39. — S. Basil. hom. 19. ... — Apoc. 14. v. 13. — S. Amb. ep. 10. de Abrah. — Plut. op. Mor. ... — Ru... in Gen. 6.

VIII. Ex occasione thematis: *Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo?* potest necessitas & utilitas concordiæ conjugalis ostendi, simulque media ad eamdem obtinendam proponi. 1. Ergo ostendatur, quid sit concordia conjugalis, scilicet ut idem velint & nolint. 2. Ostendatur, quam necessaria sit hæc concordia, ex eo, quod de domo æque dici queat, ac de regno, quod Christus dixit: Omne regnum in se divisum desolabitur, certe discordi conjugio cum veritate convenit illa Oseæ sententia: Divisum est cor eorum, nunc interibunt: ad instar Thyræi lapidis, qui, cum integer est, natat: mergitur vero, cum divisus est. 3. Utilitas quoque concordiæ ex communi proverbio demonstretur, quo dicitur: concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur, & merito, cum enim Deo singulariter placeat, teste Siracide, si vir & mulier sint bene consentientes, recte colligitur, quod illis etiam suam benedictionem large sit impertiturus. 4. Denique unum alterumve medium offeratur ad hanc concordiam obtinendam, qualia sunt si maritus honestis petitionibus uxoris facile annuat, & uxor dispositionibus Mariti facile cedat: si bona inter se communia habeant, & *meum* ac *tuum*, quæ omnis discordiæ radix sunt penitus eliminent. Quæ omnia breviter complexus est Sanctus Chrysostomus, dum dixit: Præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentient sit, nam ubi hoc fit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum, conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? necessario profecto omnia reliqua in pace sunt. Principibus namque pacatis, quis jam pacem dividere possit ac discindere? Quemadmodum e contra his invicem dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque nutabit familia. Videatur Fab. exhort. 16. & 17. nuptiali.

4. Reg. 10. v. 15. — Luc. 11. v. 17. Ose. 10. v. 2. — S. Chr. h. 4. in 2. ad Tit.

IX. Ex occasione thematis: *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam*: potest ostendi, quomodo Maritus ad imitationem Christi Uxorem suam diligere debeat, scilicet sicut Christus dilexit Ecclesiam, ita ut 1. Sicut Christus Ecclesiam qua verbis, qua exemplis exhibuit sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta & immaculata; ita & ipse verbis & exemplis ad morum vitæque integritatem excitare laboret. 2. Ut sicut Christus Ecclesiam tam fortiter protegit, ut etiam portæ Inferi prævalere adversus eam non possint; ita & ipse uxorem ab omnibus adversitatibus pro viribus protegat. 3. Ut sicut Christus seipsum tradidit pro Ecclesia; ita & ipse se vitamque suam pro salute conjugis exponere non cesset. 4. Sicut Christus nutrit & fovet Ecclesiam; ita & hoc respectu Ecclesiæ faciat. E contrario vero & uxor Ecclesiam imitetur; & sicut hæc reveretur, diligit, & subjecta est Christo in omnibus, ita & ipsa hæc tria respectu Mariti observet. Qua de re videatur Fab. exhort. 9. nuptiali.

Eph. 5. v. 25.

X. Ex occasione thematis: *dotavit me Dominus dote bona*: potest ostendi, quæ sit optima dos conjugum, videlicet virtus, & quidem ob tres causas. 1. Quia hæc dos est præstantior omni auro, argento, & gemmis; solæ enim veræ opes sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt, teste S. Bernardo. 2. Quia dos hæc est utilissima Marito & uxori; cum pietas & virtus sit ad omnia utilis, & omnia necessaria adjiciantur regnum Dei & justitiam ejus, id est, virtutem quærentibus. 3. Quia

Gen. 30. v. 20.

dos

dos hæc est inauferibilis, nisi sponte quis illam velit abjicere, aut dimittere. In quorum confirmationem narrari potest historia supra §. 4. n. 9. recensita de filio sponsam divitem fugiente, & virtuosam filiam hominis pauperis eligente, cum qua innumeræ ei divitiæ obvenerunt.

§. XI. MISCELLANEA.

Qualitas.

Hugo de S.Vict. in l. ad Soc. I. MArci Catonis filia quæsita, cur post amissum virum non denuo nuberet? respondit, se non invenire virum, qui se magis vellet, quam sua.

Val. Max. in ep. ad Rufin. II. Metellus Mario, cujus filiam dote felicem, forma nobilem, genere claram, fama celebrem ducere noluit, respondit: Malo esse meus, quam suus. Cumque Marius reponeret: imo ipsa tua erit; dixit iterum Metellus: imo virum oportet uxoris esse; Logicum enim est, talia esse prædicata, qualia subjecta esse permiserint.

Plut. in Lacon. III. Lycurgus, cum certum tempus præscripsisset, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent, interrogatus, cur id statuisset? respondit, ut soboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida & vegeta sit; nam coitu præpropero non solum læduntur corpora gignentium, verum etiam proles nascitur imbecilla.

Erasmus l. 8. ap. IV. Alphonsus Rex Aragonum dicere solebat, tunc Matrimonium tranquille exigi posse, si Maritus surdus, uxor cæca fiat, innuens, fœminas zelotypiæ obnoxias esse, & maritis uxorum garrulitatem molestam esse, qua molestia carebunt, si surdi fiant: sicut & uxores vitio zelotypiæ, si cæcæ efficiantur.

Beyl. in apoph. Christ. V. Quidam, cui cum multæ Virgines opulentæ in uxorem offerrentur, uxorem sine dote elegit dicens: ne dotem fræno constrictus uxori meæ nupsisse videar, & contra Apostoli doctrina viri caput mulier efficiatur, malo dote omnino carere.

Hier. Xa. in lit. an. 1598. VI. Novi conjuges in regno Mogor instante nuptiarum die prius sepulchra obeunt, & reserata sedulo contemplantur, quo nimirum vitæ suæ finem expendant, antequam liberis creandis initium dent.

Sulpit. in vit. Dial. VII. S. Martinus, cum aliquando pratum transisset, cujus partem depaverant boves, partem porci suffoderant, partem denique illæsam, floribusque vernantem reliquerant; ad sublimiora erigens animum, dicebat a prima parte conjuges, a secunda fornicarios, a tertia Virgines denotari, ut quæ præ reliquis illibatum castitatis florem retineant.

Plut. in vit. Phoc. VIII. Uxor Phocionis civis Atheniensis cum aliæ mulieres ei mundum muliebrem ostenderent, dixit ad eas: Mihi vero mundus muliebris est Phocion.

Fab. cub. 72. nupt. IX. Non male Xystus Philosophus dixit: Adulter est in suam uxorem, omnis impudicus amator ardentior.

Aelian. l. 12. c. 38. X. Apud Sacas si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: & si illa superior sit, captivum abducit, atque imperium in illum obtinet, sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria.

Insolubilitas.

XI. Olim apud Romanos, cum Sponsa domum duceretur, non licebat illi transcendere limen domus, sed sublata e pronubis portabatur, ut intelligeret, se a Sponsi thoro, nisi mortuam separatum non iri. *Plut in qq. Rom. q. 29.*

XII. Apud eosdem Sponsæ ignis & aqua præferebatur, ut meminisset, se adhærere Marito debere, etsi solum igne & aquæ frui liceret. *Ib. q. 1.*

Incommoda.

XIII. Theodectes dicere solebat, senectutem & nuptias similes esse; eo quod utramque consequi desideremus: postquam vero consecuti sumus, tristemur. *Fab. cub. nupt. 19.*

XIV. Phoconcus Argivorum Rex eo die, quo decessit, Leontio fratri dixit: nihil mihi defuisset ad felicitatem, etiamsi uxor defuisset. *Ib. cub. 12.*

XV. Romanus quidam nobilis reprehensus ab amicis, quod uxorem formosam, castam, & divitem repudiasset, pedem extendit, dixitque: hic calceus videtur quidem vobis novus & elegans, sed nemo scit, ubi me premat, præter me. *S. Hier. contr. Jovin. l. 1.*

XVI. Cum quidam Diogeni diceret cum gaudio, se novam uxorem duxisse, dixit ille: Parvum solatium, & magnam sollicitudinem lucratus es. *Lang. in Pol.*

XVII. Recte dixit Petrarcha: anceps uxoris electio: deformis facile fastiditur; formosa difficile custoditur, ea lege, qua inter formam corporis & animi castitatem lis perpetua est. *Pet. Dial. 43.*

XVIII. S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem, liliis, conjugatus ob tribulationem carnis, spinis simillimos esse dixit. *V. Hist. de Lauzin.*

XIX. Socrates ab Adolescente quodam interrogatus, an uxorem ducendam suaderet? an vero cœlibem vitam ducendam? respondit, utrum eorum fecisset, acturum pœnitentiam. Hinc te solitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet; illinc perpetua sollicitudo contextus puerularum, dotis exprobratio, affinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni Matrimonii, incertus liberorum eventus. *Val. Max. in mem. d. ff.*

XX. Hipocrates dicebat, duos dies cum uxore jucundos esse, illum scilicet, quo ducitur, & alterum, quo mortua effertur. *Stob. f. 62.*

XXI. Jam olim dicebatur, eum, qui navem sibi comparat, & qui uxorem ducit, grande sibi negotium comparare, quia cum mulier nunquam sibi satis ornata videatur, perpetuum facessit Marito negotium. *Tympius in mensa Theol. de conjug. c. 12. n. 39.*

§. XII. AXIOMATA.

I. NEc fœmina, nec pannus ad candelam emendus est.

II. Qui capit uxorem, litem capit atque dolorem.

Vel

Vel

Qui capit uxorem, capit absque quiete laborem.

Matth. 19. v. 6.

III. Quod Deus conjunxit, homo non separet.

§. XIII. AUTHORES.

I. Mathias Faber in Exhortat. nuptialibus. Item Dom. 2. post Epiph. conc. 1. 2. 3. 4. 8.

II. Jacobus Marchantius in Candelabro Mystico tract. 8.

III. Ludovicus Granatensis in loc. comm. f. 726.

IV. Joannes Busæus de statibus homiuum lit. M. de statu Matrim.

V. Petrus Canisius part. 2. de Matrim. Sacramento.

VI. Henricus Engelg. in Luce Evang. p. 2. embl. 7.

VII. Laurentius Beirlinck in theatro vit. hum. V. eodem.

VIII. Josephus Langius in Polyanth. V. eod. & V. Conjugium.

IX. Antonius Dauroltius in Cath. histor. c. 5. tit. de Matrimonio.

TITULUS XCIII.

MENDACIUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Aug. l. de mend.

I. EST voluntaria locutio contra mentem, seu, ut Sanctus Augustinus loquitur, est falsa vocis significatio cum intentione falleodi. Unde aliqui discrimen faciunt, inter mentiri, & mendacium dicere; & *mentiri* quidem volunt idem esse, ac contra mentem dicere: *mendacium dicere* vero esse falsum dicere, sed quod verum esse credat. Hinc juxta Nigidium vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.

S. Th. 2. 2. q. 110. a. 1.

S. Thomas Etymologiam mendacii in hæc tradit verba: *Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur*: cui non absimilis est descriptio illa, quam Albertus Magnus, Doctoris Angelici præceptor, his diu ante insinuaverat verbis: *Mentitur*, hoc est, *vadit contra mentem*; quæ ideo mens dicitur a metiendo, quia res commensurari debet, & hoc non fit, & ideo mentitur, & fallit. S. vero Anselmus D. Augustini innixus authoritati, mendacium ita definit: Augustinus dicit *esse mendacium, quando aliquid dicitur aliter quam animo sentitur*; unde homo mendax dicitur habere duplex cor. Duplex autem cor dicitur mentientis esse, id est, duplex cogitatio: una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans; ex quo fit, ut possit dicere falsum, non mentiens, si putat ita esse, ut dicit, quamvis non ita sit; & ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enunciat; ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens aut non mentiens judicandus est. Idem Doctor tres conditiones requirit, quæ mendacii malitiam constituunt: Quod falsum sit id, quod enunciatur; & quod adsit voluntas falsum enunciandi, & iterum intentio fallendi; tunc est falsitas materialiter, quando falsum dicitur; & formaliter, propter voluntatem, falsum dicendi, & effective, propter voluntatem, falsitatem imprimendi. Quin & modernus quidam scriptor mendacii circumstantias paucis hisce insinuat verbis: Ad mendacium requiruntur voluntas dicendi falsum, locutio ipsa, & significatio mentis judicio contraria; ex quibus consequitur alterius deceptio.

S. Alberť. Mag. in c. 8. Jo.

S. Ans. in c. 9. Mat.

ib.

S. Aug. l. de mend. c. 3.

S. Th. l. c.

Divisio.

S. Aug. in lib. de Mend.

II. Dividitur a S. Augustino & aliis in *Jocosum*, quod fit sola mentiendi libidine, vel cupiditate placendi aliis. *Officiosum*, quod nulli obest, sed tamen alicui prodest ad vitam vel aliud bonum servandum, vel malum arcendum. *Perniciosum*, quod nulli prodest, & alicui obest, vel contra fidem aut bonos mores esse deprehenditur. S. Dorotheus alia tria genera his verbis assignat: Tria sunt mendacii genera. Primum est, cum quis animo. Secundum, cum verbo mentitur. Tertium, cum in vitam suam quis mendax est. Qui mentitur animo, is est, qui facile quascumque suspiciones admittit, utpote, cum viderit fratres colloquentes, ne de se loquantur. Sermone autem quis mendax est, cum v. g. aliquis torpescens ad nocturnas vigilias surgere, febrem, inquit, passus sum, & vertiginem, caput dolebam, stomachi tormina patiebar. Et decies mentitur ne unicam pœnitentiam agat, & humilietur. Mentitur autem in vitam suam, cum turpis & luxuriosus continentiam simulat, avarus & tenax de eleemosyna loquitur.

S. Doroth. doctr. 9.

S. Th. l. c. ar. 2.

Consonat cum S. Augustino S. Thomas, quando scribit: Tria sunt genera mendaciorum: quædam sunt pro salute & commodo alicujus; & hæc vocantur mendacia officiosa: est etiam aliud genus mendacii, quod fit joco, & hoc jocosum mendacium dicitur. Tertium mendacii genus est, quod fit ex malignitate, & hoc perniciosum mendacium appellatur, hocque ultimum magis & minus grave est juxta proportionem damni, quod operatur. Aggravat culpam mendacii, inquit S. Thomas, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum: diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, & sic est mendacium jocosum; vel utile, & sic est mendacium officiosum, quo intenditur juvamentum alterius, & remotio nocumenti. S. Bonaventura tres assignat mendacii modos. Primo quidem dicendo falsum ex certa scientia. Secundo veritatem quidem astruendo, ast interius in conscientia sua contrarium existimando. Tertio loco (verba sunt ejusdem Seraphici) potest homo dicere falsum, non mentiendo, nec pecca-

S. Bonav. p. 1. centi-loq. f. 24.

cando, ut quando fallitur, adhibita tamen debita diligentia. *Id. in c. 6. Joan.* Alibi vero reflectens sed ad varios modos, quibus mendacia committi possunt, sic loquitur: Est mendacium falsæ meditationis, juxta illa Psalmistæ verba: *Nec lingua mea meditabitur mendacium.* Id quod Sancti Gregorii confirmat authoritate, dicentis: Nonnumquam pejus est mendacium meditari, quam loqui, quia illud aliquando est præcipitationis, illud studiosæ gravitatis. Idem est mendacium (prosequitur Seraphicus) perversæ locutionis, juxta illum Jeremiæ textum: *Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii.* Idem est mendacium prævaricatæ actionis, quando scilicet actio non est talis, qualis ostenditur, dicente Jeremia: *Mendacium operatus est stylus mendax.* Subjungitque Seraphicus Doctor: Majus est mendacium operis, quam locutionis. Ait Anselmus: Idem est mendacium vitæ, vel conversationis, quando vita se fingit esse talem, qualis non est: De qua mendacii specie quoddam Sanctus Ambrosius assertum in hæc citat verba: Mendacium est hypocrisis; plus enim gestus hominum alloquuntur animum, quam verba.

Actus.

Job. 13. v. 4. III. Primus est, *mendacium excogitare, &* primo ex ore suo depromere; quos S. Job fabricatores mendacii appellat.

IV. Secundus est, *mendacio ab aliis confícto* *2. Reg. 13. v. 30.* *aliquid adjicere*, quo facilius credatur; uti fecerunt illi, qui Davidi nuntiabant, omnes filios ejus esse occisos, cum solus Amnon fuerit occisus.

Num. 13. V. Tertius est, *mendacia spargendo alios decipere, & turbare*: uti fecerunt exploratores terræ promissæ, quando terram illam inexpugnabilem mentiti, populum ab ulteriori progressu absterruerunt.

VI. Quartus est, *libenter & facile nimis mendacia suscipere aliisque narrare:* contra *Exod. 23. v. 1.* quos monet Dominus: Non suscipies vocem mendacii: seu, ut Vatablus vertit, ne assumas rumorem vanum aut falsum.

VII. Quintus est, *alios mendacii temere ar-* *Fab. conc. 6. in Do. 8. post Pent.* *guere*: qui, teste Fabro, non minus peccant, quam mendaces, quia errorem graviori errore corrigere conantur.

VIII. Drexelius alios tres actus, velut tres *Drex. in Phaeth. c. 21.* filias assignat mendacio, scilicet linguam fraudulentam, fallacem, fucatam, quas inter se ex eo distinctas dicit, quod fucata sui tantum purgationem, & comptum attendat; fallax hoc unum agat, ut alios fallat; fraudulenta non tam videri velit formosa, quam arguta, & peracuta.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Prov. 10. v. 4. I. QUi initiitur mendaciis, pascit ventos.
II. Malus obedit linguæ iniquæ & fallax *Prov. 17. v. 12.* obtemperat linguis mendacibus.

III. Opprobrium nequam in hominem mendacium, *Eccl. 20. v. 26.* & in ore disciplinatorum assidue erit.

IV. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum inundaverunt. *Osee 4. v. 1. & 2.*

V. Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: & cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus. *Jo. 4. v. 44.*

VI. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. *Is. 28. v. 15.*

VII. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Ps. 4. v. 3.*

VIII. Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant. *Ps. 61.*

IX. Veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent. *Jer. 9. 5.*

X. Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax. *Ps. 115.*

XI. Cum loquitur (Dæmon) mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus. *Joa. c. 8. 44.*

XII. A Propheta usque ad Sacerdotes cuncti faciunt mendacium. *Jer. c. 8.*

Damnum.

XIII. Væ duplici corde & labiis scelestis, & manibus male facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis. *Eccl. c. 14.*

XIV. Non est in ore eorum veritas. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant. *Ps. 5.*

XV. Incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno, ardente igne, & sulphure: quod est mors secunda. *Apoc. 21. c. v. 8.*

XVI. Non intrabit in illam (cælestem Jerusalem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. *Ib. v. ult.*

XVII. Diminutæ sunt veritates a filiis hominum: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde, & corde locuti sunt: disperdat Dominus universa labia dolosa. *Ps. 12.*

XVIII. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Ps. 5. v. 7.*

XIX. Sex sunt, quæ odit Dominus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem. *Prov. 6. v. 17.*

XX. Os, quod mentitur, occidit animam. *Sap. 1. v. 11.*

XXI. Abominatio est Domino labia mendacia. *Pr. 12. v. 22.*

XXII. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *Eccl. 20. v. 27.*

XXIII. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt. *Jer. 9. v. 3.*

XXIV.

Prov. 20. v. 17. XXIV. Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo.

Fuga.

Prov. 30. v. 8. XXV. Vanitatem & verba mendacia longe fac a me.

Eccl. 7. v. 14. XXVI. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.

Eph. 4. v. 25. XXVII. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.

Eccl. 4. v. 26. XXVIII. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.

Col. 3. v. 9. XXIX. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.

Ap. c. 14. v. 4. XXX. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno: & in ore eorum non est inventum mendacium, sine macula enim sunt.

Eph. c. 4. XXXI. Propter quod deponentes mendacium, loquimini unusquisque veritatem cum proximo suo.

Eccl. 25. v. 4. XXXII. Tres species odivit animam mea, & aggravor valde animæ illorum. Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum & insensatum.

Prov. c. 7. XXXIII. Non decent stultum verba composita: nec Principem labium mentiens.

Job. c. 27. XXXIV. Non loquuntur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium.

Ap. 22. 15. XXXV. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Th. l. c. a. 2. I. INterest, quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit, nisi rea mens.

S. Bern. 3. n. s. l. 2. d. Mend. a. 6. c. 3. II. Quisquis aliquod genus mendacii putaverit non esse peccatum, decipit turpiter semetipsum, cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur.

S. Aug. l. enc. c. 3. III. Nullum est mendacium, quod non sit contrarium veritati: nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, justitia & injustitia, peccatum & recte factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors; ita inter se sunt veritas, mendaciumque contraria; unde quanto amamus istam, tanto illud odisse debemus.

Id. de doct. Christ. IV. Omnis qui mentitur, iniquitatem facit, & si cuiquam videtur, utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem: Nemo enim mentiens in eo quod mentitur, servat fidem: Nam hoc utique vult, ut, cui mentitur, fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat; omnis autem fidei violator iniquus est. Aut igitur iniquitas utilis est aliquando, quod fieri non potest, aut mendacium semper inutile est.

V. Nemo potest convincere, aliquando esse mentiendum, nisi qui potuerit ostendere, æternum aliquod bonum obtineri posse mendacio; sed cum tanto quisque ab æternitate discedat, quantum a veritate discrepat, isque qui mentitur, a veritate discordat, absurdissimum est dicere, discedendo inde posse ad boni aliquid aliquem pervenire; aut si est aliquod bonum æternum, quod non complectatur veritas, non erit verum, & ideo nec bonum erit, quia falsum erit. *Idem de mend. c. 7.*

VI. Hujus mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usu a juvenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in aliis mirantur: quia ab eis hæc eadem duplicitas, iniquitatis nomine palliata diligitur, dum mentis perversitas, urbanitas vocatur. *S. Greg. l. mor. c. 16.*

VII. Rerum omnium potentissimum est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium. *S. Bas. l. de Spir. S. in proœm.*

VIII. Nemo mihi cordatorum virorum existimet, mendacium esse leve peccatum; nam contra nullum vitium tam atrocem & tremendam sententiam sanctissimus Spiritus pronunciavit; *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, ut David Deum allocutus attestatur, quid fiet iis, qui perjuriis mendacium confirmant? Notavi, nonnullos de mendacio etiam sibi placere, & applaudere, qui dum per scurrilitatem & vaniloquentiam risum captarunt, sensum pie lugentium dum illos audirent, miserabiliter extinxerunt. *S. Climac. grad. 22.*

IX. Non est veritas in mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo. Quidquid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est; Docuerunt enim linguas suas loqui mendacium; in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, adulare, mentiri, exaltare parva, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes; hæc civilitas, hæc affabilitas est; & inurbanus est, quisquis fallere & mentiri non novit. *S. Thom. Vill. conc. 3. de adv.*

X. Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibus libet significationibus enunciat; unde etiam duplex cor esse dicitur mentientis, id est, duplex cogitatio. Una rei ejus, quam veram esse scit, vel putat, & non profert: altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. *S. Aug. in l. de mendac.*

XI. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo; possumus enim & furando alicui prodesse, si pauper, cui datur, palam sentit commodum; nec ideo tale furium quisquam dixerit non esse peccatum. *Idem in Enchir. ad Laur.*

XII. Si humilitatis causa mentiris, si non eras peccator ante quam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaras. *S. Aug. l. c.*

XIII. Omne mendacium iniquitas est; quia profecto ab æquitate discordat, quidquid a veritate discordat. *S. Greg. l. 18. mor. c. 4.*

XIV. Qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, uterque reus est, ille, quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. *Ans. sup. Epist. ad Corint.*

XV.

Greg. 8. mor. XV. Nonnumquam pejus eſt mendacium meditari, quam loqui, nam loqui præcipitationis eſt, meditari vero ſtudioſæ pravitatis.

Aug. Ep. ad Gal. XVI. Quicquid figurate dicitur, aut fit, non eſt mendacium.

Bern. ſup. Can. ſer. 18. XVII. Mendacium dubie proferens, non mentitur, ſed qui veritatem, quam neſcit, affirmat.

Greg. l. 12. Mor. XVIII. Mendacium ſermonibus, ſicut ædificium lapidibus fabricatur.

Aug. in Ench. XIX. Multum intereſt quo animo, & de quibus rebus quiſque mentiatur.

Fuga.

S. Aug. in ſ. de Abraham. XX. Cavete, fratres, mendacium; quia omnes qui amant mendacium, filii ſunt diaboli; Non ſolum autem in falſis verbis, ſed & in ſimulatis operibus eſt mendacium; mendacium namque eſt, ſe Chriſtianum dicere, & opera Chriſti non facere.

S. Aug. l. 14. de mendac. c. 21. XXI. Elucet itaque, diſcuſſis omnibus, nihil aliud teſtimonia illa Scripturarum monere, niſi numquam omnino eſſe mentiendum. Non enim cujuſquam commoditas aut ſalus temporalis perficiendæ fidei prætereunda eſt. Quiſquis autem aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit, ſeipſum turpiter decipiet, cum honeſtum eſt, ſe deceptorem arbitratur aliorum.

S. Iſid. ap. Dren. c. 32. Ph. XXII. Omne mendacii genus ſummopere fuge, & nec caſu, nec ſtudio loquaris falſum; cave mendacium in omnibus.

S. Remig. ap. Manſ. tr. 47. d. 8. n. 3. XXIII. In eo, quod non ſumus mendaces, non homines ſumus, ſed Dii.

S. Clim. gr. 12. XXIV. Quiſquis aliud lingua promptum, aliud corde clauſum habet per malitiam, hujus tota pietas & ſervitium divinum eſt inane, nec te huic tali unquam ſociaveris, ne impuro illius veneno inficiaris.

Damnum.

S. Bern. Sen. t. 1. ſer. 31. a. 2. c. 7. XXV. Conſtat, quod tota communicatio hominum inſtrumentaliter conſiſtit in actu ſignificationis; nullus enim poteſt alter communicare aliquid ſui cordis, niſi per aliquod intermedium ſignum, in quibus ſignis vox obtinet principatum; ergo corruptio ſignificationis, quæ ex mendaci lingua procedit, eſt corruptio totius communicationis humanæ. Unde videmus ex hoc ſequi, quod ex multitudine mendaciorum, & hominum, qui ſunt mendaces, nullus quaſi alteri credit; ſine mutua autem credulitate nulla eſt fidei ſocietas, nulla in aliquo fides, nulla ſpes & confidentia firma, nulla amicitia vera, nulla pietas, nullum fœdus vel pactum, nulla concordia, nulla pax, nulla denique in aliquo bono firmitas eſſe poteſt. Ergo mendacium cauſa eſt innumerabilium ſcelerum & malorum.

Simon de Caſſia L. 11. c. 10. XXVI. Timor ergo & tremor veniant ſuper omnes, inquit, Simon de Caſſia, magis vero cautela, cum peccatum patratum ejus jugo ſervitutis colla ſubjiciat, & ſæva perfidia patrem habeat diabolum, mendacem mendacii patrem, qui ſuos filios ſic erudivit, ut ſimiles habeat in culpa, ut tandem conſortes habere poſſit in pœna.

S. Bern. Senenſ. de mend. t. 3. XXVII. O mendacium perniciosum, & nequam! tu mutuam inter homines credulitatem extinguis, tu quoque innumerabilium ſcelerum, tu radix omnium *garrulitatum* (*id eſt*, legis tranſgreſſionum) tu mater omnium fraudum, tu nutrix omnium duplicitatum, tu fomentum omnium detractionum, tu cauſa omnium proditionum, omnium falſorum Teſtimoniorum, omnium perjuriorum, tu fœdera frangis, hypocriſin nutris, in falſas accuſationes prorumpis. O maledictum mendacium! per te nulla eſt fida ſocietas, nulla in aliquo fides, nullas ſpes, vel confidentia firma. O mendacii peſtiferum virus! o peſſima lepra! Tu diſcordias ſeminas, ſcandala ponis, ſimplices conſcientias turbas; tu rancores, tu jurgia, tu livores & iras, contumelias, ſciſſuras, diviſiones, partialitates, & ſectas ſuſcitare non ceſſas. Quid plura? Tu illius progenies, qui mendax eſt, & pater ejus: per te primos parentes noſtros, & cum eis totum humanum genus ad temporales & æternas miſerias Lucifer ille mendax proſtravit.

S. Aug. in 2. Cor. c. 11. XXVIII. Timeo, ne ſicut antiquus ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ab eodem ſerpente ſenſus veſtri, id eſt, veſtræ mentes; non enim carnis, ſed cordis virginitatem ſerpens ille, id eſt, diabolus, corrumpere quærit: & ſicut adulter homo lætatur nequitia ſua, cum carnem corrumpit; Revera enim corrumpitur mens & fides eorum, qui præponunt mendacium veritati. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt, niſi veritatem? Immittunt diabolum, excludunt Chriſtum: immittunt adulterum, excludunt ſponſum; quando enim mentem falſitas poſſidet, tunc ſerpens eam poſſidet.

S. Aug. in Pſ. 50. XXIX. Quis obſervat vanitatem? qui timendo mori, moritur; Timendo enim mori, mentitur; & moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret: Mentiri vis, ne moriaris; & mentiris, & morieris; & cum vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut prius in anima, poſtea in corpore moriaris.

S. Ephr. t. 3. de virt. & vit. XXX. Qui delectatur mendaciis, hic in verbis ſuis omnem perdet authoritatem; odibilis enim, Deo pariter & hominibus redditur; verſutus, ac verſipellis eſt homo mendax, nullum eſt hoc majus animi vulnus, nullumque eo dedecus gravius; homo enim mendax ab omnibus rejicitur, & ab omnibus irridetur.

Hug. Car. ap. Manſ. d. 6. n. 1. XXXI. Potior eſt fur, ſed eſt minus malus: fur enim poteſt reſtituere quod abſtulit, ſcilicet pecuniam, mendax autem non poteſt reſtituere quod retulit, pacem cordis ſui, & famam proximi.

S. Aug. in Pſ. 139. XXXII. Omnis fictus, mendax; laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate loquerentur: ille enim laborat, qui fingit, quod dicit; nam qui verum vult dicere, non laborat; ipſa enim veritas ſine labore loquitur, mendacium ipſorum, labor eſt labiorum ipſorum. Ecce parturit injuſtitiam, concepit dolorem & peperit iniquitatem: In omni enim opere malo labor eſt, & omne opus malum cogitatum, mendacium ducem habet, quo enim eſt veritas, niſi in opere bono.

XXXIII. Tolle mendacium, & regnabit in Mundo veritas pura, fides clara, firma spes, charitas mutua, simplicitas sancta, societas bona, amicitia vera, concordia certa, & pax atque tranquillitas inconcussa, & inter homines vita immaculata; ex quibus aperte patet, quod mendacium facit de Mundo Dei, Mundum diaboli.

F. Fern. Con. 10. 1. f. 11. n. 2. c. 9. XXXIV. Communiter viri mendaces solent esse desolati, & vilipenduntur, a mundo contemnuntur, pauperes efficiuntur; a Deo dico contemnuntur, quia sicut dicitur Proverb. 12. *abominationes sunt Deo labia mendacia.* A Mundo etiam abominantur, Prov. 14. *verbum mendax justus detestabitur*: Pauperes etiam efficiuntur; unde potest dici de mendace illud Oseæ 12. *Tota die mendacium & vastitatem multiplicat.*

Ferch. ap. Mansi d. 9. n. 3. XXXV. Qui loquitur mendacium, diaboli figuram gerit, & imaginem: hic enim mendax est ab initio. Aliquando ergo auditurus est princeps mendax, qui denarius falsus est, verba illa, Cujus est imago hæc, & superscriptio? & cum responsum fuerit: diaboli, dicetur statim: reddite ergo, quæ sunt diaboli, diabolo.

S. Thom. opusc. de Erud. Pr. XXXVI. Quisquis veritatem Dei occultat, iram Dei super se provocat; quia magis hominem timet, quam Deum.

Idem in Ps. 10. XXXVII. Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.

S. Basil. in proem. l. de Sp. S. XXXVIII. Antiquus sermo est: Mendaces faciunt ut nec vera dicentibus credatur.

S. Hier. ep. 13. Idem in reg. brev. q. 76. XXXIX. Dixit Cain: Numquid ego custos sum fratris mei? & sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias, omne se vendidi ruris sui pretium pertulisse, & mentitus est sibi, qui potuit minus offerre sine fraude. Ideoque præclare ait David: Et mentita est iniquitas sibi, sibi enim ante mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi ipsi innocentiæ eripit suavitatem. Quis enim simplicitate & puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quam is, quem animus bene sibi conscii, & mens innocentis epulatur?

XL. Mendacium bonis insidiatur.

XLI. Mentiri est animam occidere.

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

S. Aug. l. 1. conf. c. 19. I. S. Augustinus de se ipso fatetur: Horum ego morum puer in limine jacebam miser: fallebam innumerabilibus mendaciis & Pædagogum, & Parentes, & Magistros, amore ludendi, studio spectandi nugatoria & imitandi ludicram inquietudinem.

Maffejus l. 12. hist. Ind. f. 241. II. Antonius Paiva interrogatus a Rege Macazarum, quid esset mendacium? potestate obtenta, quidquid vellet, libere loquendi, dixit: Ego nulla comparatione hujus vocabuli vim facilius & clarius demonstraverim, quam ista ipsa, quam vos agitis, vita; cum enim Jesum Christum Dei Filium totius veritatis Auctorem penitus ignoretis; sic fit, ut erroribus infinitis impliciti, a veritate semoti in ipso mendacio volutemini.

III. Fratres Josephi patrem decipere volentes, plura mendacia excogitarunt. Mendacium namque erat, quod vestem invenissent Josephi, siquidem ipsi ea fratrem privarunt, dicente Scriptura: *Tulerunt tunicam ejus.* Asserebant se clamydem reperiisse sanguine madidam; ast ipsimet eam in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, patri imponentes, hunc filii sui sanguinem esse. Insuper vestem obtulere patri veluti dubiam & incertam: vide, utrum tunica filii tui sit, an non? & nihilominus eam ipsissimam Josephi esse, non ignorabant. Subjecerunt dicentes: *Fera pessima comedit eum*, bestia devoravit eum: Et nihilominus nulla eum offenderat, aut dilacerarat fera alia, quam odium & invidia fraterna. *Mansi d. 2. n. 2. Gen. 37.*

IV. Eva, juxta Rupertum, depravavit verba præceptoris Domini tribus mendaciis: appositione, diminutione, tutatione. Apposuit dicendo: *Ne tangeremus illud*: Cum tamen Deus illis præcepisset, ne manducarent, nulla tactus facta mentione: diminuit vero, quia cum certa & affirmativa enunciatione dixerit Deus, *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*; hæc dubium vel frivolum volens esse illud, ne forte, inquit, moriamur: mutatione autem, quia cum dixerit Dominus: Ex omni ligno Paradisi comede, & solummodo interdixit lignum scientiæ boni & mali: de ligno autem, inquit ipsa, quod est in medio Paradisi præcepit nobis; & mentita est, nam & lignum vitæ erat in medio Paradisi, quod Dominus Deus non interdixit. *Rupertus Abb. l. de Trin. c. 2.*

Fuga.

V. Puer erat novennis, qui oblitus patris in re quapiam jussa exequi, cum fleret, ac intellecta causa fletus, domestici ei mendacium obtruderent, quo se irato patri purgaret, utique enim ipsum cæsum iri, si veritatem dicat, respondit: *Præstat cædi, quam mentiri: faciat pater quid volet; sed neque si moriendum sit, mentiar; quid enim auderem B. Virginem quidquam deinceps rogare, si veritatem violarem?* *Jo. Cordi in famil. sancti p. 2. c. §. 22.*

VI. Episcopus Tagastensis, Firmus nomine, firmior voluntate, cum ab eo quæreretur homo, jussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, respondit quærentibus: Nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores Christiani) permansit in sententia: deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipse homini, quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. *S. Aug. l. de mend. c. 13.*

VII. Isidorus Pelusiota de seipso scribit: Libens, volensque veritatem honorans, malim vinci, quam mendax vincere; vera enim narrans, etsi vinci videar, vinco; solo vero malo superamus; tamen si vicisse videar, victus abeo. *Isid. l. 5. epist. 401.*

VIII. S. Job quoque dicebat: Donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. *Job. c. 27.*

IX. De B. Joanne in vitis Patrum refertur, quod cuidam discipulo suo sequens tradiderit mo- *Vit. Patr. l. 1.*

monitum: Noli, fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium; cavendum est namque omni modo mendacium, sive pro malo, sive etiam pro bono proferri videatur, quia omne mendacium non est a Deo, sed sicut Salvator dicit: *a malo est*. At vero si quis pro tuendo inæstimabilis pudicitiæ suæ thesauro mentiretur, futurumne foret Deo gratum ejusmodi mendacium; S. Augustinus ait: Facile responderi potest, nullam esse pudicitiam corporis, nisi ab integritate animi pendeat, qua dirupta, cadeat necesse est, etiamsi invicta videatur. In opusculis S. Francisci legitur, quod, cum duo Religiosorum suorum ex Provincia, quæ Terra Laboris appellatur, ad sanctum Patriarcham visitandum venissent, senior ex illis juniorem in rebus aliquibus scandalizarit: quod, cum vir Seraphicus in spiritu prævidisset, interrogavit hunc, qua ratione comes itineris sui se erga ipsum habuisset in itinere. Quo respondente, utique satis bene subjunxit: Cave, frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, scio, quid actum sit.

S. Aug. l. contra mend. c. 7.

S. Franc. opusc. 1. coll. 30.

Jo. Rho. l. 4. c. 9. Ex. 3.

X. Camillus Lellius domesticis in angustiis, familiæ procuratorem ad Præsulem amicum ire jussit, argentumque eleemosynæ nomine petere: ille satis magnum, & quantum non sperasset Camillus, ab homine acceptum, ad Camillum retulit, qui admirans quæsivit de eo, qui factum id esset? Tum Procurator: Humanissimus vir, ut magnas rei domesticæ angustias esse a me intellexit, hocce argentum dedit; atqui, ait Camillus, necessitas quidem aliqua est, sed non magna, ideoque ne furti rei simus, tu actutum argentum refer, ne quid vel levissimo mendacio contaminatum habeamus. O hominem verissima dignum laude, qui vel levissimæ falsitati magnum argenti pondus posthabuit! Gemma scilicet veritas est, cui nullum argentum, nullum conferri possit aurum.

Ib. n. 6.

XI. Alexander Oliva, Ordinis Eremitarum, Cardinalis jurabat, se ab ea die, qua puer admodum S. Augustini habitum induerat, verbum nullum dixisse, quod vel leviter læsam se veritas doleret. Duo sibi hominum genera odio esse, (quod Republicam ac prudentiam proderent) mendaces, ac secretorum prodigos, quorum primi suam, secundi fidem prodant alienam; quibus sublatis, quæ potest esse hominum in Republica societas?

Ib. n. 8.

XII. S. Carolo Borromæo ad amplissimos honores apud Avunculum Pium viam veritas aperuit: objicientibus enim amicis tardiorem, hebetioremque Caroli indolem videri, quam ut in partem Pontificiarum curarum accerseretur (sic enim adolescentis prodentem jam tum se sanctimoniam, & loquendi parsimoniam, homines parum ad virtutes attenti appellabant) Respondit Pius: Enim vero plus inesse adolescenti prudentiæ, quam pompæ, atque adeo se illum reliquis sororum filiis antelerre, quod alii sæpius, ille vero in mendacio numquam esset deprehensus.

Ib. n. 14.

XIII. Joannes Vincentius Pinellus nec commercii quidquam sibi volebat esse cum mendacibus. Hic enim cum domum familiamque omnem ad virtutis atque honestatis normam exigeret, famulos, quos vel semel mentitos deprehenderat, illico domo sua exigebat, suasque agere jubebat res. Neque solum a rotundis mendaciis alienos volebat esse, sed officiis, falaciisque obstinere, sibique præcipue inter loquendum aut affirmare, aut negare, omnem verborum ambitum, aut mendacii haud dubie suspectum, missum facere. Rectissime ille quidem; quid enim? horologia, si minus veridico stellæ indicio temporis notas edant, ut corrupta damnamus; homines sponte contra animi sui sententiam loquentes probabimus?

Engelgr. in Domin. Pass. §. 4. ex. 2.

XIV. Christus tantopere detestatus est mendacium, ut, cum ex omni genere peccatorum aliquos ad meliorem frugem reduxerit, nullum tamen unquam mendacem convertisse sciatur, quia scilicet, cum ipse sit ipsa veritas, decebat, ut tale erga mendacium odium ostenderet.

Job 27. v. 4.

XV. S. Job de seipso dixit: Donec superest halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

Prov. 30. v. 7.

XVI. Salomon quoque suam a mendacio aversionem ostendit, dum dixit: Duo rogavi te (o Deus) ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem & verba mendacia longe fac a me.

S. Jo. ep. 3. v. 4.

XVII. S. Joannes in ultima sua Epistola dicere ausus est: Majorem horum non habeo gratiam, (vel, ut alii vertunt, majus gaudium) quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.

Engelgr. in Dom. Pass. §. 2.

XVIII. S. Lucianus incitatus ad Christum fidemque Catholicam negandum cum sociis suis constanter dixit: Mentiri non est meum.

Surius 27. Apr.

XIX. S. Anthimus Nicomediensis Episcopus cum satellites se ad necem quærentes hospitio excepisset, illique tanta humanitate permoti promitterent, se dicturos Imperatori, quod ipsum reperire non potuerint, noluit hoc permittere, asserens: fas non esse Christiano pro vita cujusque mentiri, itaque ultro se illis jungens Imperatori stitit.

Engelgr. c. §. 2.

XX. S. Thomas Aquinas cum socius ipsius Religiosus joco dixisset, en boves volantes! & ipsum propterea circumspicientem ob simplicem credulitatem irrisisset, severo eum supercilio correxit dicens: Facilius, o frater, credendum boves volare, quam Religiosum mentiri.

Surius 21. April.

XXI. S. Anselmus de omnibus Christianis hanc opinionem imbiberat; ut, cum quidam monerent, ne aliquibus manifeste imponentibus fidem haberet, responderit: Numquid non Christiani sunt? Quomodo ergo mentiri possunt?

Pad. Chr. p. 1. c. 2. §. 1.

XXII. Falco Constantin. Adolescens qui in honorem S. Angeli Custodis voto non mentiendi se obstrinxerat, & hoc etiam, cum homicidium a se patratum negare potuisset, observaret, quinquies ab Angelo a fatali ictu defensus, & tandem omnino libertati restitutus est.

Joes Mosfeaus 8. 193.

XXIII. S. Chrysostomus ex eo tempore, quo Christianorum ritu ablutus est, numquam ju-

ravit, nec alium jurare compulit: nulli unquam male dixit: oumquam mentitus est.

Ruff. c. 30. ap. Rosw. XXIV. Anachoreta Anuph, dum aliqui morientis lectolum circumstantes doctrinam aliquam pro memoria peterent, hæc pauca verba, sed memoranda dixit: Nihil magnum me fecisse arbitror, sed in eo tamen sollicitus fui, ne ullum dicerem mendacium.

Ibid. XXV. Beno Abbati hoc quoque elogium jure merito a suis concessum est, quod numquam iratus, numquam mentitus sit.

Cæsarius l. 3. mir. c. 37. XXVI. Mercatores duo Colonienses mendaciis ad vendendas merces suas uti soliti; postquam suasu Confessarii ab ejusmodi more abstinera se cœperunt, effecerunt, ut plures ad eos emptores confluerent, quam prius soliti fuerant.

Damnum.

Act. 5. XXVII. Ananias & Sapphira ob mendacium coram S. Petro prolatum, repentina morte, velut fulmine tacti, corruerunt.

Raderus in aula sancta c. 16. XXVIII. Eudoxia Imperatrix, quia pomum ab Imperatore donatum, & ab ipsa Paulino ægro missum comedisse se mentiebatur, Imperatori suspicionem adulterii movit, effecitque, ut Paulinus quidem occidi jussus ab Imperatore, ipsa vero abdicata & relegata sit.

Niceph. ap. Drex. in Phaet. XXIX. Mendici duo, quia convenerant, ut alter mortuum se simularet, alter a S. Epiphanio stipem pro sepultura peteret, sic Deo permittente puniti sunt, ut qui mortuum se simularat, vere mortuus sit repertus.

S. Hier. ep. 41. ad Innocent. XXX. Mulier quædam ab Adolescente adulterii secum commissi insimulata cum suam innocentiam Deo commendasset, septies licet carnificis gladio percussa lædi non potuit (cum tamen Adolescens, qui inter tormenta sibi & illi falso crimen adulterii impegerat, primo statim ictu caput amiserit) ideoque erepta, ac sanitati libertatique restituta est, uti susius apud S. Hieronymum, aliosque videre est.

Ex Annal. Soc. Anni 1596. XXXI. Virgo quædam in civitate Burdegalensi, Ann. Domini 1596. ad mendacium suum firmandum ignem S. Antonii sibi imprecata pejeraverat, statim diro incendio omnia illius uri membra cœpta sunt, facies sacro illo igne incensa fœdabatur. Hæc propere ad nostrum templum abducta confessione expiata, aquæ benedictæ haustu, restincto incendio pristinæ incolumitati restituta est.

Pet. de Natal. l. 3 Cat. Sanctor. XXXII. Julianus & Julius fratres ad Beatum Theodosium Imperatorem Christianum venerunt, petituri ut templa idolorum ubicumque invenirent, destruerent, & templa Christi ædificarent. Quod Imperator libenter concedens scripsit, ut omnes debeant eis obedire, & eos in omnibus sub pœna capitis adjuvare. Cumque Julianus & Julius in loco, qui dicitur Gaudianum, ecclesiam construerent, & coacti transeuntes eos in opere ob Imperatoris mandatum adjuvarent, quidam cum curru euntes dixerunt ad invicem: Quam excusationem prætendere poterimus ot liberi transeamus, & in illo opere non occupemur; Unum igitur ex suis in plaustrum supinum posuerunt, & eum pannis ut mortuum cooperuerunt, qui se mortuum fingebat, & oculis clausis supinus jacebar. Cum ergo ad Julianum & Julium pervenissent, dixerunt eis servi Dei: Filioli, parumper subsistite, & nos in hoc opere juvate. Qui se ibi stare non posse dixerunt, quia hominem mortuum deferebant. Quibus S. Julianus & Julius dixerunt: Quid ita mentimini, filioli mei; Et illi: non mentimur Domini, sed sic est ut loquimur. Tunc S. Julianus dixit: Secundum veritatem dicti vestri, ita vobis contingat; Et illi boves pungentes pertransierunt; Cumque procul progressi essent, accedentes currum, collegam suum ex nomine vocant dicentes: Surge, & boves stimulant ut celerius progrediantur. Qui cum nullatenus moveretur, eum pulsare cœperunt; quid, inquiunt, deliras: Sed cum non responderet, eum discooperiunt, & mortuum inveniunt. Tantus inde timor ipsos & cæteros invasit ut nullus de cætero famulis Dei mentiri auderet.

XXXIII. Exploratores, quos miserat Moyses ad explorandam terram promissionis, reversi terruerunt populum suis mendaciis, ideoque subita morte correpti sunt. *Num. 13. & 14.*

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius tantopere mendacium fugiebat, ut quo longius ab eo recederet, etiam ab exageratione omni, æquivocationeque sollicite abstineret. *Vit. l. 5. c. 2.*

II. Card. Bellarminus, dum illi narrabatur, non constare, Joannem Berchmannum, unquam in vita fuisse mentitum, innocenter subjecit: Nec ego ullius per vitam mendacii mihi conscius sum. *Fonsec. prof. virt. c. 1. n. 11.*

III. Ægidius Coninck ingenue fassus est, se nullius in tota vita mendacii meminisse posse. *In præf. t. de Inc.*

IV. P. Ludovici Medinæ lingua post duodecim annos viva, & incorrupta permansit, omni reliquo corpore corrupto; cujus causa putatur, quod numquam constet, eum prudenter, ac scienter mentitum fuisse. *Hist. Soc. p. 2. l. 8*

V. Idem P. Vincentius Regius, & P. Gaspar Sanctius servarunt, teste P. Joanne Rho. *P. Rho. in virt. ex. fol. 481.*

§. VI. EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

I. PLato dicebat, mendacio, licet re mala, utendum tamen quandoque, ut helleboro, & medicamine: atque adeo & Principes Urbium, & si quibus aliis hoc conceditur, opportere aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro Patria & Civibus. Quæ tamen doctrina nunc passim a Catholicis Doctoribus rejicitur. *Jac. Marc. in horto Past. tr. 4. lect. 16.*

II. Gesta Romanorum narrant, maritum quemdam volentem experiri fidem uxoris, eidem sub sigillo narravisse, sibi post diuturnos ventris dolores, nocte præterita corvum evolasse. Quod illa statim vicinæ detegens, duos corvos fuisse asserit, quæ alteri iterum narrans, tres fuisse asserit, sicque ulterius, donec fama increvit, virum illum integrum in ventre corvorum nidum educasse, & jam decem evolasse. *Faber conc. 3. in Domin. 8. post Pent.*

III.

Fulgos. lib. 4. c. 10. III. Stratocles, superatis pugna navali Athenienfibus, summa celeritate lauro redimitus Athenas quasi triumphabundus ingressus est, & faustum victoriæ nuntium evulgavit, & ubique plausus & lætitia signa decrevit; cum vero biduo post ob contrarium nuntium populus graviter eidem indignaretur, respondit, nihil se mali illis attulisse, cum effecisset, ut saltem biduo læti hilaresque essent.

Fuga.

Sueton. ap. Eug. in Dom. Pass. §. 1. IV. Cleopatra, & Antonio devictis, cum Augustus senem sexaginta annorum, de quo audierat, quod nunquam mentitus esset, reperisset, eum secum in triumpho circumduxit, creari Pontificem, & in Capitolio statuam illi inter Heroas erigi jussit.

Drex. in Phaet. c. 19. §. 3. V. Persæ adeo mendacium abominati sunt, ut turpissimum haberetur, & ære alieno laborare, & mentiri.

Ibid. VI. Romani omne mendacium homine ingenuo ac libero indignum putarunt, servileque vitium esse; nec cadere posse, aut debere in generosum pectus, quod ante viam projiciat, quam illam mendacio commaculet.

Æmil. Probus: VII. Epaminondas tam serius veritatis cultor fuit, ut ne joco quidem unquam sit mentitus.

Drexel. c. 16. §. 4. VIII. Basilius Imperator filium admonens inter alia, dicebat: Maximi pendito, & veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere; ita enim firmus & constans in omnibus factis, & dictis æstimaberis, & veram ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis; si autem in vanitatis ac mendacitatis suspicionem veneris, indigna facere imperatoria majestate convincaris, efficiesque, ut semper formidolosi subditi, rerumque omnium incerti & titubantes vacillent: quantum enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tantum mendacii deprehensa aut etiam suspecta odiosum, qui ea utitur, facit.

Ibid. c. 17. §. 4. IX. Apud veteres Francos & Suevos cogebantur mendaces, impudentiæ symbolum, canem in humeros sublatum circumferre.

Ibid. X. Indi, si quem in mendacio deprehendissent, ignominia notabant, & Magistratu movebant, quod communem hominum societatem mentiendo fraudasset.

Ibid. XI. In Insula Tenedo pone Judicem semper carnifex cum securi adstabat, ut si quis falso quem accusasset, vel testatus esset, aut aliud mendacium dixisset, mox securi feriretur.

Pal. Chr. p. 1. c. 3. §. 7. XII. Trajanus adeo aversabatur mendaces, ut hujus criminis convictos in navem sine velo, & remis detrudi, altoque mari committi jusserit.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Aug. sup. Joan. I. SIcut Deus pater genuit Filium, ita diabolus lapsus genuit mendacium.

Plutarch. II. Sicut araneæ ex seipsis telas texunt; ita quidam ex seipsis comminiscuntur fabulas & mendacia cum nihil subsit veri.

III. Sicut qui putres & ruinam minitantes parietes albo tectorio linunt, non tamen eos possunt erigere; ita & mendaces facile deprehenduntur, & omnis error ita imbecillis est, quamvis extrinsecus callide fulciatur. *S. Chrys. h. 66. de livor.*

IV. Sicut fauces feriorem gustu deprehendunt; ita sagax animus verba mendacia. *Eccl. 36. v. 21.*

V. Sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendaciis. *Epophemes apud Engelgr.*

VI. Sicut horologium aliter sonans, & aliter signans horam vitium internum prodit; ita homo mendax malum statum animæ significat. *in Dom. Pass. Ibid.*

Fuga.

VII. Sicut illi, qui nummos aureos conciduut, aut adulterant monetam, omnibus odiosi sunt, & a Republica exterminantur; ita & qui mendaciis veritatem corrumpunt, merito declinari & exturbari debent. *Fab. in Dom. 7. post Pent. conc. 7.*

VIII. Sicut diabolo nemo prudens credit, quia scit, eum esse mendacii patrem; ita nec mendacibus fidem adhibere oportet, cum sint mendaciorum fabricatores.

Damnum.

IX. Sicut moneta prava ab uno ad alium transit, ac multos decipit; ita mendacium ad varios pervenit, grandiaque sæpe tum Reipublicæ tum privatis personis damna creat. *Fab. l. c.*

X. Sicut lapsus falsæ linguæ quasi in pavimento cadens; sic casus malorum festinanter venient. *Eccl. 20. v. 20.*

XI. Sicut discordiarum seminatores summe Deo exosi sunt, teste Salomone; ita non minus abominabiles sunt illi, qui per mendacia societatem humanam dissolvunt. *Prov. 6. v. 16.*

XII. Sicut, qui diminuta haberet pondera, infamis & latro censeretur; ita qui in conversatione & commercio humano mendaciis utitur, non minus indignus, dolosus & infamis erit, quam latro. *Mansi d. 6. n. 3.*

XIII. Sicut ex ferro, & lapide excutitur ignis; ita ex loquacitate & scurrilitate mendacia nascuntur. *S. Climac. in scala gr. 12.*

§. VIII. MOTIVA.

I. QUia Christo mendacium singulariter exosum est, ut qui de seipso dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*; atque adeo, quidquid veritati contrarium est, summe detestatur. *Mansi d. 6. n. 6.*

II. *Quia fini hominis contrarium est*; nam, teste S. Bernardino, certum est, creaturam intellectualem ad imaginem Creatoris sui esse conditam, ut semper tendat ad primam veritatem, cujus est imago, & ut hanc semper transcribat, interiusque, & exterius in se exprimat: sed mendacium non est aliud, quam macula, infectio, & depravatio. Hinc S. Antiochus ait: Eludunt Dominum, si utque prædones Domini; spiritum enim acceperunt nulla contagione mendacii; nulla depravatione obliquum, hunc si reddiderint interstinctum variis mendaciorum coloribus, utique videri possent contaminasse depositum. Et iterum: Necesse, est, ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritati omnino innitatur, ut spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, in- *S. Bern. Ser. f. 11. a. 3. c. 2.* *S. Antioc. h. 66. de Verit.*

intelligatur in hac carne sibi elegisse domicilium: atque ita demum glorificatur Dominus inhabitans hominem, dum in omni verbo verax est Dominus, nec ullum possit de ipso deprehendi mendacium.

Origenes ap. Manss. d. c. n 2. III. *Quia diabolicum est inventum*, uti Origenes insinuavit dicens: Diabolus mendacium genuit, seductus est a seipso, in hoc deterior, quod alii ab eo falluntur, ipse sibi deceptionis est author; quod utique Christus insinuare voluit, quando ait: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*, est enim mendacium venenum quoddam ab ipso genitum, postquam ex pulcherrimo Angelo in horrendum dæmonem, Dei & humani generis inimicum, degeneravit. Rupertus Abbas accurate notat, quisnam ille fuerit, qui mendacii authorem, & patrem nobis manifestavit, dicit enim: Ecce hoc est mendacium, quod iste diabolus genuit, cujus patrem hunc esse pronunciavit Dominus Jesus Christus, Veritas & Verbum Dei. Simon de Cassia pariter hæc Salvatoris verba ponderat: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*; Subdit enim: Non enim a Deo habuit, ut mentiretur, nec ab alio authore accepit, ut mendacium loqueretur; mendax sibi, mendax omnibus, cum omnes decipere velit, & pater est mendacii, quia ipse primus fabricator est ejus, pater ejus: quia sicut homo prole carnis satagit, ut pater sit; sic diabolus agit, ut ex mendacio possit filios, filiasve generare. Licet ipse illud adeo turpe existimet, ut quemadmodum Robertus Holkot notavit, quando primo mentiri cogitavit, noluerit in effigie hominis, aut ei propinqua apparere, sed serpentis; quasi nobilitati suæ naturæ mendacium displiceret, sed bestiæ talis formam accepit, quæ naturæ hominis adversatur in signum, quod mendacium est venenum humanæ naturæ, juxta illud Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam*.

Rupertus Abb. l. de Trin. Ver. — Robertus Holkot in præam. in L. Sap.

IV. *Quia turpissimum*, ideoque & infame est vitium, uti vel ipsi etiam Ethnici agnoverunt, hinc Themistocles dicere solebat: Mendacium turpissimum est, & liberali homine indignum. Plutarchus etiam in detestationem mendacii ait: Mentiri servile est, dignumque apud omnes homines odio, ac ne mediocribus quidem servis ignoscendum. Hinc Aristoteles interrogatus, quonam emolumento vir mendax ex mendacio gaudeat, respondit: Quod etiam veritatem dicenti nemo credat. Quod ipsum etiam his verbis S. Hieronymus confirmavit: Antiquus sermo est: mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.

Plutarch. de puer. educ. — S. Hieron. l. 1. ep. 2.

V. *Quia laboriosum est vitium*, uti S. Gregorius advertit, dicens: Qui relicta veritate, mentiri deliberat, ut audientium animum fallat. Sed quantus labor est sollicite custodire, ne ipsa ejus fallacia deprehendi queat: & cum magno cogitatu pertractat, quomodo per argumenta falsitatis documenta veritatis exuperet; hinc inde se circumtegit, & contra hoc, ubi deprehendi potuerit, veritati similem responsionem quærit; qui si velit verum dicere, utique sine labore potuisset; Plana quippe est veritatis via, & grave est iter mendacii. In quorum confirmationem citat textum Jeremiæ, c. 9. 5. dicentis: *Veritatem non loquentur; docuerunt enim linguam suam, loqui mendacium: ut inique agerent, laboraverunt*. Optime quidem Author de mendacio agens, inquit: Mendacium non veterascit: non inveteratur mendacium, sed semper quasi juvenescit: Item de mendace Titus Livius inquit: Mendacem memorem esse oportet. Et ecce vobis novum hominis mendacis laborem; extreme namque sollicitus est, ut, quod falsum dixit, viva semper in memoria circumferat, ne aliquando ei contradicat: veritas autem semper eadem, semper eumdem habet vultum. Cogitandum est iterum, iterumque, qualiter, & per quam viam, ut mendacium sustineatur, & defendatur, gradiendum sit, ut falsitas in mentibus radicetur alienis; quodque omnium pessimum est, tandem ad perjuria descenditur. Hinc S. Augustinus ait: Propterea quia omnes laborant in mendacio; veritas quid clamabit? *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*; Eadem quoque veritas, subjungit S. Augustinus, est illa, quæ in alio quodam Psalmo nos reprehendit, inquiens: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Veritas homini naturalis est, sicut e contra mendacium ab eodem est alienum, unde mendaces, filii alieni vocantur. Filii alieni mentiti sunt mihi. Diabolus enim mendacii author est, & instigator; ac proinde majorem utique facilitatem vera loquendo habebimus, quam in proferendis mendaciis.

S. Greg. l. 12. mor. c. 10. — S. Aug.

VI. Quia *diaboli filium* constituit; juxta Christi testimonium: Vos ex patre diabolo estis, non carnis successione ut S. Ambrosius loquitur, sed criminis; nam cum diabolus omnia bona a Deo habeat, mendacium tamen non ab illo accepit, sed per se excogitavit, filiosque suos docuit, ut recte Origenes advertit. Hinc non nemo mendacium diaboli larvam appellavit. Jo. v. 44.

VII. Quia nihil adeo hominem *Christo dissimilem & ingratum facit*, quam mendacium, utpote quod est recta contrarium potissime Christi prærogativæ ac doti, scilicet veritati.

VIII. Quia *plurimorum vitiorum est* [illegible] *tium aut fundamentum*: nam teste S. Basilio, nulla est injuria, cui non mixta sint mendacia: & ut Epænetus dixit, omnium injuriarum causa sunt homines mendaces. Præcipue tamen ad perjuria facilis est a mendacio transitus, uti sapienter Tullius advertit, dum ait: Qui semel a veritate deflexerit, hic non majore religione ad perjurium, quam ad mendacium perduci solet. Quid enim interest inter perjurium & mendacem? Qui mentiri solet, pejerare consuevit. Ap. Drex. in Phaet. c. 16. §. 4. — Cicero l. 3. Offic.

IX. Quia *privat summa voluptate*, quæ ex veritatis studio percipitur; de qua S. Augustinus, amplectere, ait, veritatem, si potes, & fruere illa, & delectare in Domino. Quid petis amplius, quam ut sis beatus? & quid eo beatius, qui fruitur inconcussa, incommutabili & excellentissima veritate? S. Aug. lib. 2. de lib. arb.

X. Quia *facilius est abstinere mendacio, quam illud dicere*, ut idem S. Augustinus sapienter observavit dicens: Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem tota facilitate lo- Idem in Ps. 140.

que-

queretur. Ille enim laborat, qui fingit, quod dicit; nam qui verum vult dicere, non laborat: ipsa enim veritas sine labore loquitur.

XI. Quia vix quidam *Societati humanæ & fraternæ est magis contrarium*, quam mendacium; ut merito Salomon dixerit: Abominatio est Domino labia mendacia; & vetus Jambus. Prov. 12. v. 22.

Nil vanitate mentiendi turpius.
Odere Divi, odere homines mendacium.

§. IX. MEDIA.

I. MEminisse se *Dei esse Filium*, sic enim non parum quis ad mendacium cavendum incitabitur, cum magnos Principes ac Dominos nihil magis contristet ac offendat, quam si advertant, se filios habere parum ingenuos ac mendaces. Certe jam pridem Salomon dixit: Non decet Principem labium mentiens. Hinc Ptolomæus ab Ægypti Rege quæsitus, qua ratione Rex veritatem in omnibus sectari posset? respondit: Si primum statueris, magnum dedecus esse hominibus mentiri, multo magis vero Regis, qui, cum habeant potestatem agendi, quæ velint, cur mentiantur, non habent. Quod bene observans Carolus V. Imperator, dum affirmare quid volens, non aliter, quam sub fide Viri Nobilis affirmavit, sciens nempe, quod juxta S. Bernardum Regi simpliciter dicere, jurare est: & leve mendacium, grave perjurium reputatur. Prov. 17. v. 7. Engelgr. in Dom. Pass. §. 2. Ibid.

II. Meminisse, se *Christianum* esse; hinc enim sicut non parum ad Christum amandum & imitandum, ita ad veritatis quoque, quæ præcipua ipsius virtus & dos est, studium incitabitur. Hinc tot millia Martyrum maluerunt mortem oppetere, quam mendacio animam commaculare: Quia scilicet bene notant, quod, S. Augustino teste, incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quam Helena Græcorum; pro illa enim fortius Martyres nostri, quam pro ista mille Heroes adversus Trojanos concertarunt. S. Aug. ep. 8.

III. Meminisse, se *Hominem* esse, atque adeo sociabile animal; hinc enim iterum non modice impelletur ad omne mendacium detestandum, utpote quod vel maxime aptum est ad convictum & societatem humanam dissolvendam. Hinc S. Paulus ad fugam mendacii persuadendam hoc potissimum argumento est usus dicens: Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Eph. 4. v. 25.

IV. Meminisse, se *ingenuum* ac *liberum* esse, non quacumque sed spirituali & vera libertate a Christo per suam passionem donatum; hinc enim non leve in ipso odium mendacii exurget, utpote quod summe dedecet ingenuos homines, uti jam olim Prisci senserunt, apud quos firmum erat axioma.

Vet. Jamb. Libero cuicumque summum dedecus est mendacium.

Hinc & Germani nostri dicere consueverunt mendacium colapho pensando: *Auffein Euggebort in Maultaschen*. Ut vel ipse rubor colapho elicitus indicet, mendacium non dicere hominem ingenuum, sed erubescentia dignum esse.

V. Meminisse *Famæ suæ*, quam dum sæpe quis maxime servare cupit per mendacium, negando errorem aut crimen a se commissum esse, amittit, nihil enim opertum, quod non reveletur; neque absconditum, quod non sciatur, ut Christus dixit. Hinc & antiqui dicere consuevere: Luc. 12. v. 2.

Diu latere non queunt mendacia.

VI. Meminisse *damni*, quod patimur per mendacium, non tantum apud Deum; (ejus iram in nos provocando juxta illud D. Augustini: Quisquis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis hominem timet, quam Deum; sed etiam apud homines, dum scilicet efficit, ut & vera & seria loquenti fides non habeatur, id quod suo damno quidam, nomine Planus, expertus est, qui, cum sæpe fractionem cruris simulasset, & sic aliorum auxilium obtinuisset, tandem vere fracto crure, cum iterum opem peteret, neminem adjutorium habuit, sed ab omnibus hoc responsum tulit: Tollat te, qui non novit te. S. Aug. ap. Drex. in Phaet. c. 37. §. 4. Ib. c. 16. §. 7.

VII. Meminisse, uti *se commembrum esse aliorum*, S. Paulus sensit dicens: *Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*. Efficacissimum sane execrandi mendacii motivum; omnes namque ejusdem corporis sumus membra, eodem vivificata spiritu, subque eodem capite, quod æterna veritas est: veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum est. Ubi D. Chrysost. talem format discursum: Quod pudorem magis incutit, quia sumus invicem membra. Nemo decipiat proximum, nihil est, quod æque pariat inimicitias, atque decipi & falli; vides, quomodo ubique eis pudorem incutiam per corpus: Ne fallat, inquit, oculus pedem, neque pes oculum, ut si sit fossa profunda. Quid si serpentem viderit oculus, aut feram, num fallit pedem, num statim renunciat? ita nos quoque ne mentiamur, nec fallamus, si sumus alter alterius membra. Sane si oculus deciperet pedem, nec de præcipitio sollicitus esset, inevitabile claudicationis aut mortis damnum, & consequenter ipsius oculi jactura toti inferretur corpori, ita & mendacium non modo mendaci, sed etiam proximo & reipublicæ toti, utpote commercio perniciosum humano, damnum infert; ideoque S. Hieronymus nos admonet, dicens: Nemo circumveniat fratrem, quia unum corpus sumus, & non possunt alterutrum membra se fallere, nec enim manus aut oculos, aut dentes lacerarent membra, nisi forte, ubi spiritus immundus inhabitat. Eph. c. 4. S. Chrys. in loc. c. S. Hier. in l. c.

§. X. ASCETICA.

I. IN *primis nosse debet Asceta discrimen inter deceptionem & mendacium*; quod quidem S. Augustinus his verbis assignavit: Fallitur, qui putat verum esse quod dicit, & quia verum putat, ideo dicit; hoc autem quod dicit, qui fallitur, si verum esse t, non falleretur; si non solum verum esset, sed etiam verum esse sciret, non mentiretur. Fallitur er- S. Aug. in suppl. l. de div. verſ. n. 1.

go, quia falsum est, & verum putat; dicit autem, nonnisi, quia verum putat: Error est in humana infirmitate, sed non est in conscientiæ sanitate; quisquis autem falsum putat esse, & pro vero asserit, ipse mentitur.

Concil. Tolet. II. *Nosse debet, quænam sit diversitas gravitatis in mendaciis:* de qua Concilium Toletanum octavum sic loquitur: Vir sanctissimus Augustinus vestigationis acumine cautus, invenìendi arte præcipuus, asserendi copia profluus, eloquentiæ flores venustus, sapientiæ fructu fœcundus, hæc in suis narrat affatibus: Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut proximis utilitatis causa mentimur: illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum, quia non fallit: novit enim ille, cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam; ideo ipse: non auferat, inquit, veritas misericordiam, non misericordia impediat veritatem; unde patet perniciosum mendacium cæteris gravius esse, atque adeo & studiosius fugiendum.

S. Th. 2. 2. q. 110. a. 3. III. *Nosse debet, cur illicitum sit mendatium;* quod S. Thomas sequentibus verbis indicat, quod est secundum se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant. Bonum enim est ex integra causa, malum vero ex singularibus defectibus, ut Dionysius c. 4. de divin. nominibus ait. Mendacium autem est malum ex genere, est enim actus cadens super indebitam materiam; cui assentiens Gerson, omne mendacium, inquit, est malum & peccatum, quia sit abusus loquelæ, quæ ordinata est ad hoc manifestandum, quod est in corde, & principaliter propter hoc, quia si daretur licentia mentiendi sine peccato, destrueretur tota fiducia societatis, quæ est inter homines, quia nesciretur, quando veritas diceretur, & quando non, ex quo mentiri posset licite in aliquo

Innoc. III. c. sup. eo de Usur. casu. Hinc Innocentius III. dixit: Divini præcepti verbo constanter vetari, ne quis etiam pro alterius vita salvanda mentiatur. Ubi Hugo Victorinus quærens utrum pro alterius vita tutanda mentiri sit licitum, in hæc concludit verba: Nullo modo approbandum est; cujus hanc assignat rationem dicens: Male enim mentiendo vitam servat in alterius corpore, qui per mendacium veritatem extinguit in suo corde. Qua eadem in difficultate sese occu-

S. Basil. in reg. brev. int. 76. pans S. Basilius in brevioribus regulis suis, hanc movet quæstionem: Numquid utilitatis alicujus causa consulto mentiendum sit? Et absolute nequaquam id licitum esse respondet, inquiens: Hoc sententia Domini non permittit, a quo sic præcise dictum est: Mendacium ex diabolo esse, neque mendacii ulla omnino distinctio est adhibita: At vero si quis propter lucrum spirituale mentiretur, offenderetne Deum, suamque coinquinaret conscientiam? Respondeo a Spiritu veritatis, S. Paulo Apostolo dictata lex est, non esse facienda mala, ut eveniant bona: majus autem malum esse offensa Dei, pluris que æstimandam, quam quodvis ingens bonum, quod ex mendacio resultare posset. Ergo diligenter caveat ipse Asceta, aliosque absterreat ab errore, in quem nonnulli, etiam magni Ascetæ inciderunt, dum judicaverunt, mendacium saltem in casu magni boni procurandi, aut magni mali avertendi licitum esse. Quam doctrinam suse refutat S. Augustinus, dum ait: Quo constituto (nempe quod mendacium omne sit peccatum) quis commovebitur illis exemplis, cum dicitur: S. Aug. de mend. c. 6.

Quid si homo ad te confugiat, qui mendacio tuo a morte possit liberari? Illa enim mors, quam stulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet; unde præcepit, ne ipse timeatur. Os autem, quod mentitur, non corpus, sed animam occidit. His enim verbis apertissime scriptum est, os, quod mentitur, occidit animam. Quomodo ergo non perversissime dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? nam & ipsa dilectio proximi ex sua cujusque dilectione terminum accepit: Diliges, inquit, proximum, sicut teipsum. Quomodo ergo quisquis diligit tamquam seipsum, cui ut præstet temporalem vitam, ipse amittit æternam? non est jam diligere seipsum, sed plus, quam seipsum. Certe quam perniciosa sit hæc doctrina, idem Sanctus paulo post sequentibus verbis ostendit: Ita omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso aliunde penetrandi datur locus. Aut enim temporalia commoda vel propria, vel aliena, veritati proponit, quicumque mentitur, quo quid potest esse perversius? Certe injuria Deo illata gravior est omni humano malo. Quæ omnia alio argumento confirmans S. Bernardus, nullum, inquit, justum mendacium: omne mendacium in omnibus est peccatum: omne quod a veritate discordat, iniquitas est. Si mendacium apud omnes damnatur; Si falsitas humano judicio punitur, quanto magis ante Deum, qui est testis verborum & operum? ante quem etiam de verbo otioso unusquisque rationem redditurus est. Ib. c. 2. S. Ber. l. de grat. & libero arbit.

IV. *Nosse debet solvere argumenta eorum, qui mendacium licitum esse, variis exemplis conantur evincere.* Qua in re facem præferens S. Augustinus, quando, inquit, nobis de Scripturis sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt. Unde obstetricibus his, & Rahab meretrici benefecit Deus, non quia mentitæ, sed quia misericordes fuerunt in homines Dei, Deus uno tempore in una causa vidit factum misericordiæ, & factum fallaciæ, bonum remuneravit, & propter hoc bonum, malum illud ignovit. Jacob, quod matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. In figuris enim, quod velut mendacium dicitur, bene intellectum verum invenitur. S. Aug. ib. c. 10.

V. *Nosse debet, quomodo cum veritate dixerit Sanctus David: Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax:* Si namque propter hoc asse- S. Petrus Dam. l. 2. epist. 14.

asserit, ut homo fidem non meretur, utpote mendacium dicens, quandoquidem juxta ejus testimonium: omnis homo mendax, atqui ipse est homo, ergo mendax: cui nimirum responderi potest, (verba sunt Petri Damiani) si omnis, & tu: fallaque jam erit feotentia, quam mendax ipse protulisti: si vero ipse non meodax, vera jam sententia non erit, quia dum tu es verax, non omnis homo cognoscitur esse mendax. Difficultatem itaque ex iis, quæ Psaltes præmiserat, scilicet: Ego dixi in excessu meo; in hæc resolvit verba: Per excessum igitur mentis & semetipsum transiit, dum de qualitate hominis definivit, ac si perspicue dicat: De falsitate omnium hominum inde veram sententiam protuli, unde ego ipse supra hominem fui; in tantum vero & ipse mendax, in quantum homo; in tantum autem omninò non mendax, in quantum per excessum mentis supra hominem ad summa contemplanda conscendi: Idem quoque dubium Sanctus Hieronymus movet, eamdemque illi adhibet ponderationem: Ita enim discurrit: Vel David verum dicit, aut vero mentitur: si verum est, quod omnis homo sit mendax, verumque pariter est quod dicit; ergo & ipse mendacium dicit, quia homo est, si vero mentitur & ipse, ergo subsistere nequit, quod asserit: Verumtamen ad hanc objectionem idem Sanctus Hieronymus aliter respondet, inquiens: Nos autem dicamus, & David vera dixisse, quod omnis homo mendax: quamdiu enim homines sumus, mentimur; quando autem fuerimus Dii, desinimus mentiri; si quis sanctus est, Deus efficitur, & quando factus fuerit Deus, desinit esse homo, & jam non mentitur.

VI. *Nosse debet, quomodo aliqua sanctorum hominum dicta a mendacio excusari queant*, ut cum S. Abraham ad radices montis subsistens dixit servis suis: *Postquam adoraverimus revertemur ad vos*: circa quæ verba idem Origenes quærit, quomodo Abraham dicere potuerit, quod ipse & filius ejus ad servos essent reversuri; quandoquidem filium suum in morte jugulandum esse sciebat? unde subjungit: Dic mihi Abraham, verum dicis, aut fallis? si verum dicis, non facies filium holocaustum; si fallis, tantum Patriarcham non decet fallere. Moxque ex ore Abrahæ in hunc modum respondet: Verum dico, & holocaustum offero puerum, & eum ipso redeo ad vos, credo enim, & fides mea hæc est, quod a mortuis resuscitare eum potens est Deus. Similiter quando idem Patriarcha Saræ conjugi suæ persuasit, ut diceret, se sororem suam esse, non propter hoc mendacium ei persuasit: Nam ut Oleaster ait: vere etiam dixit, quod soror ipsius esset, filia scilicet patris sui; tenentur enim viri sancti de se rationem reddere, maxime quod non sunt mendaces. Unde tametsi verissima sit illa propositio: In multis offendimus omnes; attamen servi Dei mendacii labem specialiter semper abhorruerunt, ac proinde Abraham apud Regem illum idololatram, & in domo ejus, in qua timor Dei non erat, ostendere voluit, se non esse mentitum, neque conjugi suæ persuasisse, ut diceret mendacium, ideoque ait: *Vere soror mea est, filia Patris mei, & non filia matris meæ*. Davidem quoque in tali occasione positum in scriptura invenimus, in qua sibi necessarium esse duxit, ut mendacem se faceret, seu ut melius dicamus, ut talem se esse fingeret, qui non erat, & verum occultaret, quia de vita ejus pariter & salute publica tuenda agebatur, eo quo hæc ex ejus utpote a Samuele in Regem Israel consecrati morte plurimum periclitaretur. In primis igitur, quia David ab aula regia fugitivus erat, eo quod Saul Rex ipsum ad necem inferendam, persequeretur, in itinere famelicus factus sacerdoti dixit: *Rex præcepit mihi sermonem, & dicit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me*; quod tamen a Rege præceptum ei non fuerat; sed notetis velim, quibus verbis David factum hoc circumscripserit, dum Psalmum 33. ab his verbis exorsus fuit; Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech; ubi Theodoretus ita scribit: Quoniam fugitans sacerdoti fugam minime indicavit, sed regium quoddam negotium se perficere dixit: mutasse faciem dicitur, tamquam solita veritate minime usus; quia enim in tam arduo casu veritatem celare & fingere licitum putabat, idipsum faciens, tali rubore vultum suum tinxit, ut faciem alteram habere videretur, unde ad perpetuam hujus facti memoriam, id Ecclesiæ annalibus hæc verba scripta reliquit, Psalmus David, quando mutavit faciem coram Achimelech; larvam enim induit, & se Davidem esse coram aliis videri erubuit, quando in verbis suis veridicus, sincerus, & ingenuus non erat.

Origenes ap. Mans. d. 4. n. 5.

Mans. ib. n. 7.

VII. *Nosse debet, quomodo spiritus bonus & malus quoad hanc materiam discernantur*; id quod Author operis imperfecti sequentibus verbis indicat: Sic discernuntur, quoniam diabolus interdum verum dicit: Sanctus autem spiritus numquam interdum mentitur; concessum est autem diabolo & interdum veritatem dicere, ut mendacium suum rara veritate commendat; si autem numquam diceret verum, nec ad tentationem poterat proficere seductio ejus, cur autem veritatem præmittat, causam Sanctus Isidorus indicat dicens: Sæpe vera præmittit, qui falsa dicturus est, ut cum primum acquisierit fidem, ad reliqua mendacia audientes credulos faciat, plerumque a veritate incipit, qui falsa confingit, latent sæpe venena circumlita melle verborum, & tam diu deceptor veritatem simulat, quousque falleodo decipiat.

Author. op. imp. ho. 19.

S. Isidor. l. 2. sent. c. 30.

VIII. *Nosse debet, quando liceat occultare veritatem*, nam, ut S. Bonaventura ait: Numquam mendacium licet dicere, sed veritatem licet & expedit quandoque tacere: adducitque Samuelis exemplum, qui, cum missus esset, ut Davidem in Regem consecraret, interrogatus, ad quid venisset, respondit, venisse se, ut Domino sacrificium offerret: *Ad immolandum Domino veni*, inquit: ad aliud enim principaliter venerat, & nihilominus hoc facere proponebat. Hugo de S. Victore similiter

S. Bonav. in Bibl. prop.

Hugo Vict. l. 7. de sac. p. 6. p. 12. c. 7.

liter hac de re ita scribit: Potest tamen in hujusmodi aliquando veritas sine culpa celari, quando causa salutis nostræ sive utilitatis alienæ ratio id exposcit; longe enim aliud est, quod verum est, tacere, atque aliud, quod falsum est, afferere. Anastasius Nicænus, quomodo ad veritatem celandam fingere liceat ostensurus, jam citatum adducit Samuelis exemplum, nec non & Moysis, quando Pharaoni dixit, quod populus itinere trium dierum egressurus esset ad offerendum Deo suo sacrificia in solitudine, tametsi populum ab Ægypto in sempiternum migraturum esse sciret. Item exemplum Aod, & Jahel cum Sisara, Judith item cum Holoferoe; hisque exemplis adductis tandem concludit, dicens: Per hos ergo dolos non sunt Sancti appellandi mendaces, sed sapientes quidem ad bonum, sinceri autem
S. Aug. in Ps. 5. ad malum. Aliud ergo, ut recte S. Augustious advertit, est mentiri, aliud verum occultare. Si quidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, ut si quis forte ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam tuam pro corpore alterius. Verum autem occultavit & Dominus, cum disci-
Jo. 16. v. 12. pulis nondum idoneis dixit: Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa.
1. Cor. 3. v. 2. Et Apostolus Paulus cum ait: Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Unde manifestum est, non esse culpandum aliquando verum tacere, falsum autem dicere non invenitur concessum etiam perfectis.

IX. *Nosse debet, cur Religiosis præcipue hoc vitium fugiendum sit*; nimirum ob causam,
S. Alber. M. in cit. text. quam S. Albertus Magnus super illa verba 3. Reg. c. 17. vir Dei es, & verbum Dei in ore tuo verum est; se reflectens, assignat, dicens: Mendacium in ore omnis hominis peccatum
S. Greg. l. 9. mor. est: in ore autem Doctoris veritatis, sacrilegium est. Quam doctrinam etiam S. Gregorius confirmans ait: Mendacii omnes genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita alicujus per illorum fallaciam defendatur ne suæ animæ noceant, dum prodesse nituntur carnis alienæ; quamquam hoc peccati genus facillime credamus relaxari: Nam si qualibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quanto magis hoc facile abstergitur, quod mater bo-
S. Aug. in Ench. ni operis ipsa pietas admittit. Sed & aliam rationem affert S. Augustinus dum ait: Non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi voluntate mentitur; nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in adversum
Idem l. de mend. c. 17. iter mittit, quantum is, qui viam vitæ mendacio fallente depravat: Unde alibi dixit: Perfectorum præceptum est, non mentiri, sed nec velle mentiri.

X. *Nosse debet specialia damna mendacii*;
Mansi d. 1. n. 6. quæ dilucide Josephus Mansi indicavit his verbis: Præterea mendacium in se ipso triplicem ex natura sua continet malitiam, & deformitatem, videlicet abusum loquendi, deceptionem proximi & amicitiæ violationem, qui enim mendacium loquitur, sermone abutitur, quia usus linguæ ad hoc specialiter homini concessus est, ut ad explicandum exterius, quæ interius concepta sunt, distinctam vocem, & sermonem articulare possit; mendacium autem huic affectui opponitur, siquidem interiorem conceptum falsificat.

§. XI. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Nolli velle mentiri omne mendacium*: potest natura men- Eccl. 7. v. 14.
dacii, & varii ejus actus, de quibus supra §. 1. dictum, per comparationem cum iis, qui vitra vendunt, explicari, uti Mathias Faber conc. 6. in Dom. 8. post Pent. facit, dum ait, alios esse, qui vitra ipsi fingunt: alios qui variis coloribus illustrant; alios, qui coempta vendunt: alios, qui mensis apponunt: alios, qui in faciem alterius projiciunt quæ omnia postea ille in sensu morali explicant.

II. Ex occasione thematis: *Opprobrium nequam in homine mendacium*: potest ostendi, Eccl. 20. v. 26.
quantopere dedeceat hominem mendacium. Sive se, ut filium Dei, & hæredem regni cælestis, sive ut Christianum; sive ut hominem ad societatem natum; sive ut ingenuum & liberum; sive ut virum; (juxta commune adagium: *Ein Mann, ein Mann, ein Mort, ein Mort*) sive ut Germanum, cui propria quodammodo & innata videtur veracitas, consideret. Quæ omnia fusius in §. 8. videri explicata queunt.

III. Ex occasione thematis: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: possunt explicari dam- Ps. 5. v. 7.
mna, quæ per mendacium creantur. 1. Ipsi mentienti, tum per reatum peccati & pœnæ correspondentis; tum per infamiam, quam contrahit ex iterati hujus peccati consuetudine. 2. Illis, coram quibus mentitur: dum illis falsas veritates obtrudit; atque ad easdem aliis quoque communicandas occasionem præbet. 3. Reipublicæ & hominum societatis, cujus potissimum vinculum, scilicet fidelitatem, quantum est in se, dissolvere conatur. Quæ omnia vide fusius apud Fabr. conc. 5. in Dom. 7. post Pent.

IV. Ex occasione thematis: *Vanitatem, & verba mendacia longe fac a me*: possunt offerri Prov. 30. v. 8.
remedia pro hoc vitio emendando, qualia sunt: 1. *Horror & detestatio seria* hujus peccati ex consideratione turpitudinis concepta. 2. *Tarda & considerata locutio*: Sic enim longius aberit ab ipso etiam mendacio proferendo. 3. *Radicis sublatio*: Quæ plerumque est nimium hominibus placendi desiderium, quæ proin extirpanda erit, perpendendo, quod Dei favor omnium hominum favore sit potior, & quod sufficiat Dominus solus sustinentibus se in via veritatis & justitiæ. 4. *Seria castigatio*: Si e- Eccl. 20. v. 22.
nim juxta commune proverbium, mendacium colapho pensandum est, ut hac ratione absterreantur homines; quidni etiam castigatio a nobis ipsis suscepta idem efficiat?

V. Ex occasione thematis: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vani-* Ps. 4. v. 3.
tatem & quæritis mendacium? possunt præstari, & refutari excusationes, quibus se defendere solent mendaciorum amatores, videlicet. 1. Quod non videatur ullum placulum, suam aut alterius famam officioso mendacio tueri. 2. Quod etiam honestissimi quique & justitiæ aman-

mantissimi viri interdum mentiti sunt; imo teste Lycosthene, sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendacio. 3. Quod peccatum mendacii, utpote leve dumtaxat, (maxime si jocosum aut officiosum sit) facile deleri possit; non autem tam facile reparari damnum quod per illius omissionem incurritur. 4. Quod cuivis fere a variis varia mendacia obtrudantur, atque adeo licitum sit pari moneta alios solvere. Quæ omnia & plura similia argumenta facile ex iis, quæ hactenus de mendacio dicta sunt, solvi queunt.

§. XII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

Ib. n. 7. I. Lingua, ut Anatomistæ ajunt, per certam quamdam venam cerebro connectitur, & per aliam venam cordi conjungitur; Per hanc vero venarum distributionem natura nos docet, quod instrumentum illud humidum ab intellectu, & ratione ita regulandum sit, ut lingua simul cum corde perfecte consentiat. Mendacium vero est manifesta proximorum deceptio.

Mansi d. 20. n. 9. II. Mendacium Salvatori nostro adeo exosum est, ut ipsum ne quidem in ipsiusmet infernalis inimici ore sufferre possit. Prout ex illis S. Lucæ patet verbis: Exibant dæmonia a multis, clamantia & dicentia: *quia tu es Filius Dei*, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum; ubi merito interrogaverim, cur Dominus a dæmonibus Filius Dei appellari noluerit, numquid enim falsum afferebant? Mysterium ex illo S. Marci eruitur textu: *Scio, quis sit Sanctus Dei*. Ubi Cajetanus inquit: Non sinebat ea loqui, quia dicebant mendacium: quem enim Filium Dei annunciabant, talem esse non credebant.

III. Notanda sunt verba illa Jobi dicentis: *Prius vos ostendens fabricatores mendacii*; etenim dum fabrica aliqua erigenda est, prius formantur ideæ, mensuræ præmittuntur, jaciuntur fundamenta, & hæc quidem omnia data opera fiunt; ac proinde Job mendaces fabricatores mendaciorum appellans, per hoc insinuavit; mendacia eorum ab ipsis non inconsiderate profluxisse, sed cum præmisso studio; cum præhabito consilio & fine certo præfixo fuisse elaborata; unde S. Gregorius ait: Qua in re quo- *S. Greg. l. 11. mor. c. 15.* que oportet intelligi, quod mendacii fabricatores dicuntur; sicut enim ædificium lapidibus, ita & mendacium sermonibus fabricatur. Atque hinc est, quod majorem mereatur pœnam is, qui studiose mentitur, quam qui ex lapsu linguæ mendacium effutit.

Fuga.

IV. Quorundam interpretum opinio est, primus, quos Salvator noster ab infirmitate curavit, leprosus fuisse. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum dicens &c.* At vero cur hic morbus specialiter primo omnium loco sanatur? *S. Chrys. in c. 15. 1. ad Cor.* D. Chrys. super c. 15. 1. ad Cor. scribens: Lepram mendacium præfigurare existimavit; quia lepra carnem, quæ exterius putrida est, interius vero sana, maculat, & variat; ideoque mendacii est symbolum, quod in pronunciatione exteriori malitiam suam habet, quia in mente verum apprehendit, licet per linguam exterius falsum dicat, merito igitur primo omnium loco sanandus fuit leprosus, qui ei, qui progressum vult facere in virtutibus, necessum est, ut prius hanc curet infirmitatem spiritualem: Unde idem Chrys. observat, quod, quando Moyses ex monte tabulas legis detulit, una ex præcipuis industriis hæc fuerit, ut scilicet leprosus separari faceret ab aliis, quia qui divina vult servare præcepta, necessario veritatem sequi, & mendacium fugere debet.

V. Jonas Propheta a Deo in civitatem Ninive missus fuerat, cum expresso præcepto, *Mansi d. c. n. 4.* hanc populo illi ex parte Dei pronunciandi sententiam: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*. Propheta autem cæteroqui Sanctus, in hoc facto se divino præcepto rebellem monstravit, quia abscondit se, & fugit: Glossa interlinearis super illa verba: Filium Amathi, id est, veritatis, hunc Prophetam nomen Patris sui, id est, veritatem in nomine suo præferre dicit, atque ideo mirum non est, quod tanto cum zelo caverit, ne a majorum suorum indole degeneraret; considerabat namque, quod Deus per populi illius pœnitentiam facile placandus esset, prout re ipsa evenit, adeoque se in evidenti positum esse periculo, ne mendax censeretur, si non subsequeretur comminata per ipsum Ninive subversio, ac proinde ignominiam istam, quæ haud dubie in viro virtuoso multo majoris æstimatur, sustinere non valens, in fugam se recepit; unde Theodoretus ait: itaque prædictionem ejus falsam videri, sibi turpe existimavit; seque Prophetam vocari mendacem: Potius igitur in medias tempestates se ingerere, & ab ingenti marino monstro devorari, Deique iræ tantisper subjectus esse maluit, quam famam præseferre viri mendacis.

VI. S. Petrus, cui Christus totius gregis re- *Idem d. c. n. 4.* gimen commisit, ut illum in viam dirigeret salutis æternæ, quam ad hunc finem, ob quem creati, & redempti sumus, consequendum semitam ingredi debeamus: his verbis nos docet: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*: At vero quænam sunt hæc a Salvatore nobis relicta vestigia, quæ sequi & imitari debemus? Nam forte eximia mansuetudinis suæ exempla, siquidem prima petitio, quam in cruce æterno Patri suo proposuit, pro venia crucifixoribus suis impetranda instituta fuit: *Pater, dimitte illis?* aut vero profundissimam ejus non voluit imitari humilitatem? *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis?* vel denique docere nos voluit, ut sectaremur exemplum ardentissimæ suæ charitatis: *In finem dilexit eos?* Nequaquam, inquit S. Petrus; sed vestigia Christi, quæ Christiani sequi, & imitari debent, consistunt in sinceritate, & simplicitate veritatis, sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit; Ut vere culpam expressius specificaret, a qua specialiter alienus fuit, subjungit. Nec inventus est dolus in ore ejus, id est, in ore ejus nullum inventus est mendacium. Unde obser-

servandum est, quod, quotiescomque sibi necessarium fuit, ab hac labe immunem se esse ostendere, summum semper zelum exhibuerit; etenim tametsi omnes injurias sibi illatas æquanimiter tulerit, attamen quando de veritate læsa calumniatus fuit, strenue se defendit; quia cum mendacium, maxime in persona religiosa, summum secum ferat præjudicium, illius calumniam dissimulare nunquam voluit, ac proinde dixit: Etsi judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater; & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est: ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

Ib. n. 7. VII. S. Joannes numerosam quandam in cælo innumerabilium animarum beatarum, Agnum sequentium, vidit processionem; at vero quosnam illos fuisse existimatis, qui præstantioribus meritis hanc fuere consecuti gloriam? Num forte illos, qui in præsenti vita in eremis ab hominum consortio remoti vixerunt? aut vero qui corpus suum flagellis & ciliciis macerarunt? vel denique, qui pro fidei defensione sanguinem suum fundere non dubitarunt? Nulli horum, quia de nullo alio specialior fit mentio, præterquam de iis, in quorum ore non est inventum mendacium; Inde namque consequitur, quod sine macula sunt ante Thronum Dei.

Damnum.

Idem ib. n. 3. VIII. Serpenti, mendacii primo Authori, hæc pœna imposita fuit: Terram comedes, super pectus tuum gradieris; nimirum Deus noluit, ut cælum versus se elevare posset, ut denotaret, quam sint cælo indigni mendaces; perdes omnes, qui loquuntur mendacium; ad hæc, quisnam cibus gravior, insipidior, & perniciosior esse potest, quam terra? suavis est homini panis mendacii, sed postea os ejus implebitur calculo, qui tandem detecto mendacio in mendacem redundat contemptus, ignominia, damnum, imo & mors ipsa. E contra de veritate Lactantius Firmianus ait: Nullus suavior est animæ cibus, quam cognitio veritatis.

Ib. n. 6. IX. Quam aspera vindicta Deus in mendaces homines animadvertat, perspicue videri licebit, si ex una parte consideremus, Danielem non semel, sed bis inter leones famelicos illæsum; ex altera vero parte Prophetam illum a Deo ad Jeroboam missum, & in via a leone invasum, & horrenda morte enecatum contemplemur, non obstante, quod paulo ante tam prodigiosa operatus fuerit miracula, efficiendo, ut brachium regis exaresceret, illudque ipsum suis orationibus pristinæ denuo restitueretur integritati; quodque tam ardentem in vero Dei cultu & religione defendenda exhibuisset zelum: Dic enim sodes, quænam est hæc inter duos hosce Prophetas, quorum unus semper illæsus permansit, alter vero misera morte periit, differentiæ ratio? Divus Chrysostomus respondet: Justus Daniel, & leones agnoverunt Dominum; peccavit Propheta mentitus, & leo in via ioventum morte affecit. At vero siste parum, o Chrysostome, non enim ille mendacium dixit, sed alter Propheta, qui illum seducere conatus fuit; ita quidem est, inquit Divus Chrysostomus, ac proinde os ejus aureum subjungit: Erat mendacii fuligine atractus, & leo eum non cognovit; sed quomodo mendacii fuligine atractus dici potest, si mentitus non fuit? Audite, si placet; Propheta illi falsi illius Prophetæ mendacio aurem præbuit, seque ab illius mendacio circumveniri permisit, ac proinde leo illum tanquam Dei Prophetam non agnovit; si Prophetam vidisset ut Danielem eum honorasset; invenit Pseudoprophetam, & tanquam alienum invasit; Ecce quantopere divina justitia etiam illos, qui mendacio aures & fidem adhibent, in hac vita puniat.

X. Martinus Delrius refert, in Misnia rusticum quemdam omnem suam pecuniam cuidam bursæ ex vesica confectæ habuisse inclusam, domique suæ in scabello quodam expositam, quam dum scropha quædam deglutivisset, ipse nescius modi, quo pecunia sibi erepta fuisset, eadem a conjuge sua sublatam suisse suspicatus est; illa autem idipsum negante, maritus mulierem quamdam veneficam, consilii causa convenit, quæ circulum quemdam faciens, eidem præcepit; ut illum ingrederetur, indeque non recederet, donec ad ipsum rediret, interea vero venefica interiora domus suæ ingrediens, dæmonem, quisnam fur ille fuisset, sciscitata est, qui respondit: Sus comedit domestica, tu tamen dicito, conjugem ejus, ut cum sacerdote amasio eam abliguriret, clam eamdem sustulisse, quod responsum eo, quo a dæmone instructa fuerat, modo, venefica marito retulit, nesciens, ipsum ad illam confectandam e circulo egressum, omnia, quæ a dæmone dicta fuerant, plene percepisse: domum suam itaque reversus, rei seriem conjugi aperuit: interea vero scropham occidens, pecuniam suam omnem reinvenit, mulieremque fatidicam tamquam maleficam, & calumniatricem, apud Magistratum accusavit, quæ Vulcano consecrata, infami morte vitam inter flammas turpiter clausit: Ecce tibi quam verum sit, quod omnis, qui mentitur, ex diaboli persuasione mentitur. *Delr. disq. mag. l. 4. c. 1. q. 7.*

XI. Cum Theodosio Juniori Imperatori pomum quoddam miræ magnitudinis, nec minoris venustatis oblatum fuisset, hic ejus speciem admiratus, illud Eudoxiæ conjugi suæ dono dedit, quæ illud Paulino donavit, qui ob sapientiam, & litteraturam suam domesticus & familiaris ejus erat, licet non sine oborta penes Imperatorem mali suspicione: hic autem Paulinus, id quod Imperatorem inter & conjugem ejus acciderat, ignorans, ut se tanto magis in Theodosii gratiam insinuaret, pomum hoc ab Imperatrice sibi datum Theodosio dono transmisit: Quo recepto is Eudoxiam, quid de pomo sibi dato factum fuisset, interrogavit, quæ se manducasse illud respondit; at vero Imperator fraude illius deprehensa, eamdem tamquam mendacem acriter reprehendit, atque exinde suspicio incrementa sumpsit talia, ut tandem Paulinus donum a se Imperatori transmissum, morte luere debuerit. *Baron. ad ann. 446. n. 25.*

XII.

Mansf. d. c. n. 4. XII. De Isaac Eremita legitur, quod, dum aliquando viatores nonnulli ipsum convenissent laceri, & quasi nudi, eleemosynæ loco vestimenta ab ipso postulantes; sine mora vir Dei sanctus, qui fictionem, & mendacium illorum in spiritu agnoverat, quemdam discipulorum suorum ad se accersivit, eique ad certam sylvam aliquam abiret, præcepit, assecurando eumdem, quod in concavitate cujusdam arboris multas reperturus esset vestes bonas, quas proinde ad se adferret: abivit discipulus, & inventas vestes ad virum Dei attulit, qui easdem inter impostores illos divisit, dicens: Venite, quia nudi estis, & ecce tollite, & vestite vos; hæc illi intuentes recognoverunt, quæ posuerant vestimenta, magnoque pudore consternati sunt, & qui fraudulenter vestimenta quærebant aliena, confusi receperunt sua.

Lib. 3. Reg. c. 22. XIII. Cum Elisæus per aquas Jordannis Naamanum a lepra sanasset, Giezi ab avaritia sua instigatus, ut ab opulenti Principis illius manibus copiosam, & abundantem extorqueret remunerationem, mendacia finxit: at vero quamnam inde pœnam retulit? priusquam illam exponam, audiatis primum ejus temeritatem. Propheta enim interrogante: unde venis? ille respondit: Non ivit servus tuus quoquam: At vero numquid Elisæum prophetiæ spiritu præditum esse non sciebat, cui proinde a Deo revelatum fuerit, non solum id quod fecit, verum etiam, quod per imaginationem cogitavit? Nihil tale impostores a mendaciis cohibet. Idem Giezi ipsum Naaman circumvenit, dicendo: Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim de filiis Prophetarum, da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Propter hæc igitur mendacia juste promeruit, ut lepra, a qua Naaman sanatus fuerat, super ipsum recideret: Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum; & egressus est ab eo leprosus, quasi nix.

Polidorus l. 1. XIV. Polidorus de Goderino scribit, quod cum mendacium quoddam dicere statuisset, prius dixerit, si quod dicturus sum, verum non est, Dei super me vindicta cadat, & bolus panis, quem ore verso, me suffocet; quod protinus ei evenit; nam ab eodem bolo fuit suffocatus.

Niceph. l. 10. hist. c. 40. XV. Narrat Nicephorus, quod, cum duo pauperes Epiphanium Episcopum Cypri, a longe prospexissent, unus illorum in terram procumbens, mortuum se finxerit, alter vero se præ fame mori, nec habere, unde mortum sepulturæ tradere posset, lamentatus fuerit; cumque Episcopo transeunti negligentiam, & exiguam hujus miseriæ compassionem exprobrasset, huic mortuo bene precatus fuit, dicendo *Requiem æternam &c.* alteri vero exigua pro funeralibus erogata eleemosyna dixit: curam hujus fueris habe, & tandem flere desine; nam hic nunc non resurget; mortem autem, quæ communis omnium, & inevitabili quadam necessitate obeunda est, animo te forti ferre oportet. Hæc Epiphanius dixit & abiit: impostor vero dato socio pedis signo, ut eum in pedes erigeret, alter id executurus accessit, eumque quod adeo naturaliter, se mortuum fingere potuisset, laudavit; at vero, dum illum per quamcumque agitationem se ne quidquam movere videret, nec halitus signa in ipso deprehenderet, illum vere mortuum esse cognovit; quapropter post Episcopum velociter currens, socii confessus est mendacium & figmentum, rogando ipsum, ut mortuum in vitam revocare, & ambobus mendacii reatum condonare vellet: cui vir sanctus respondit, quod Deus eam retractatam nollet, fidem facere omnibus volens, ut equidem puto, qui tentare & facere talia in Ministris ejus audeant, illum ipsum Deum, qui videat, & audiat omnia, eos falsum ire, seque adeo ipsos inscios fallere.

XVI. Similem fere casum Petrus de Natalibus refert, videlicet, SS. Julium & Julianum fratres a Theodosio Imperatore petiisse, ut illis facultatem impertiretur idolorum templa in omnibus, quæ transituri essent, locis moliendi, in eorumque locum Ecclesias in honorem veri Dei erigendi, simulque potestatem illis daret, omnes locorum illorum incolas ad ferendam illis ad hoc opus auxiliatricem manum adstringendi. Qua facultate obtenta, cum in certo quodam loco templum erigentibus omnes opem ferrent, nonnulli currus transeuntes inter se dixerunt: Vix ab ope hisce Dei servis ferenda excusare nos poterimus, nisi pacta quadam inter nos conventione illos delludamus; quapropter unum ex suis in plaustrum supinum posuerunt, & eum pannis ut mortuum cooperiunt, qui se mortuum fingebat, & oculis clausis supinus jacebat. At vero Julius & Julianus mendacium, & fictionem illorum intelligentes dixerunt: quid ita mentimini filii mei? & illi: Non mentimur Domini, sed sic est, ut loquimur; Tunc Sanctus Julianus dixit: Secundum veritatem dicti vestri ita vobis contingat: & illi boves pungentes pertransierunt; cumque a viris Dei procul semoti essent, inclamare cœperunt illum, qui se finxerat mortuum, quo non respondente, vere mortuum deprehenderunt; tantusque inde timor ipsos & cæteros invasit, ut nullus de cætero famulis Dei mentiri auderet. *Petrus de natal. l. 7.*

XVII. Ferdinandus II. Aulicum alioqui gratiosum, quod æmulum beneficio a Ferdinando augeri non ferens, ausus fuerat Cancellario mentiri: litteras, quibus alter ditabatur, a Cæsare scenæ datas esse, cæterum nolle vim habere: suo candori (quo longissime a simulatione abesset) injuriam factam dolens Ferdinandus, atque nobilium plenus irarum, jussit aula discedere, neque sibi unquam amplius adesse. *Jo. Rho. h. 4. c. ex. 2.*

XVIII. Pius V. Pontifex Paulum Gislerium affinem suum, quem Reipublicæ admovere constituerat, levioris errati suspectum palam fateri jussit, confesso majorem apud se gratiam fore. Verum abnuentem, mendaciisque jam manifestum, ob hoc ipsum aula submovit, ac beneficiis, quæ jam contulerat, exutum, urbe cedere, atque in exilium abire jussit, haudquaquam Pontificiæ *Ib. ex. 7.*

Aulæ

Aulæ luce dignum judicans, qui ignobiles mendacii tenebras amaret.

§. XIII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Ap. Drex. in Phaet. c. 35. §. 1. I. PLinius docet, linguam duas venas habere, & earum una cum corde, & altera cum cerebro connecti, ut vel hinc doceamur in locutione linguam cum corde, & cerebro consentire debere.

Ibid. II. Veteres picturi hominem mendacem, picam finxere, a fronte albam, & a tergo nigricantem, ut per hoc significarent, mendaces in faciem albam veritatem proponere, nigram vero falsitatem in corde occultatam gerere.

III. Iidem veritatem in quadrato saxo, mendacium in globo statuebant, ut indicarent illam stabilem, hoc vero inconstans & volubile esse, & hac ipsa sua inconstantia & volubilitate periturum; neque enim fraudulentus inveniet lucrum, teste Salomone.

Plin. in Paneg. IV. Plinius mendaces appellat abominandas victimas Reipublicæ tranquillitati consecrandas.

V. Prisci Ægyptiorum Sacerdotes Principi suo Saphirum veritatis Symbolum in collo appendebant, ut eum monerent quantopere veritatem amare, mendacium odisse deberet.

N. o. r. VI. Veteres mendacium depinxere typo serpentis venenum eructantis, Sphæræ incubantis, ferreumque diadema in capite gestantis. Sphera ejus inconstantiam denotat, diadema ferreum ejus tyrannidem in subditos suos, quos vinculis mancipatos tenet.

Id conc. 4. in Dom. 8. post Pent. n. 5. VII. Gallienus Imper. uxore conquerente, quod impostor gemmas vitreas pro veris obtrusisset; velut ultionem sumpturus jussit eum in theatrum produci quasi leonibus objiciendum, & dum miser leones expectat, caprum prosilire. Mirante vero hoc factum populo, proclamare jussit: Imposturam fecit & passus est.

Engelgr. in Dom. Pas. VIII. Concordiam oris & cordis veteres per pomum persicum adumbrabant, hinc illud Poetæ:

Fert folium linguæ: fert poma simillima cordi.

Ibid. IX. Omnis homo mendax, solus Christus verax est; unde Pilato interroganti: Quid est veritas? aptum anagramma respondet: Est vir, qui adest.

Ibid. X. Non male recens quidam Poeta cecinit:

Numquid in octavo mendacia plurima vulgus
Edat, an in quarto, quæris, an in folio,
In decimo sexto mentitos plurima sæclo,
Suspicor Historicos quodlibet in folio.

Damnum.

Drexel. in Phaet. c. 36. §. 1. XI. Hebræi sapientes dicere solebant. Omnis, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est, ut canibus projiciatur.

Fab. conc. 8. in Dom. 9. post Pent. XII. Artaxerses militem quemdam mendacem cum deprehendisset, linguam illius tribus clavis perfodi jussit.

Ibid. XIII. Trajanus Imper. cum filio Regis Thraciæ regnum patri juste oblatum relinquere decrevisset, postquam eum in mendacio deprehendit, mutavit sententiam, dixitque illi: Tamquam mendax indignus es regno, nec decet, Romam matrem veritatis habere filium mendacem.

Laurent. Forer. XIV. Hispanus cum solvere hospiti symbolam deberet; eidem, si sine pretio dimitteret, promisit artem traditurum, qua posset ex eodem dolio tria vini genera educere. Itaque postulans terebrum, accessit ad dolium, ac primo foramine facto, jussit hospitem apposito digito dextræ manus id tantisper obstruere, donec & in altera parte id faciat. Quo facto, jussit & sinistræ manus digitum apponere; Demum in medio quoque cum fecisset foramen, os jussit admovere, quo facto aufugit, & hospitem nimia sua credulitate deceptum reliquit.

Plutarch. in Lacon. XV. Epœnatus dicere solitus est: mendaces omnium scelerum, & injuriarum authores esse.

XVI. Spartiatus refert, Claudium Imperatorem præcepisse, ut corpus Pamphili mortui relinqueretur insepultum, & a canibus devoraretur, nec non omnibus, facultatibus ejus confiscatis, domoque illius in terram demolita, filii & uxor ejus ab urbe Romana exularent, eo quod mendaciis assuetus, verum numquam dixisset.

§. XIV. AXIOMATA.

Vetus Jambus. I. INterpres animi lingua, mentiri nefas.

II. Quisquis timet Deum, abstinet mendacio.

III. Nil vanitate mentiendi turpius.

Odere Divi, odere homines mendacium.

IV. Libro cuique summum dedecus est mendacium.

V. Nec amat Deus, nec adjuvat mendacium.

Idem. VI. Implicatur, explicari dum studet mendacium.

VII. Quanto magis se ornat, tanto deformius est.

VIII. Quanto magis sese occulit, magis patet.

IX. Perlucet omne, si inspicio mendacium.

X. Plurimos lædere, pessum imo dedere mendacia.

XI. Vel timet, vel egenus est, qui utitur mendacio.

XII. Vase in aureo venenum est eloquens mendacium.

XIII. Mendacium malis loco virtutis est.

XIV. Augentur ut nivis globus mendacia.

XV. Mendacem memorem esse oportet.

§. XV. AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.

II. Jeremias Drexel. in Phaet. cap. 35. 36. 37.

III. Jacobus March. in Horto Pastorum tr. 4. lect. 16.

IV. Philippus D' Outreman in Pædagogo Christiano p. 1. c. 5. §. 7.

V. Ma-

V. Mathias Faber conc. in Dom. 7. post Pent. & conc. 6. in Dom. 8. post Peot.

VI. Henricus Engelgrave in p. 1. Lucis Evang. in Dom. Passionis.

VII. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

VIII. Antonius Dauroltius in Floribus Exemplorum c. 4. tit. 126.

IX. Josephus Mansi in Bibl. mor. tract.

TITULUS XCIV.

MINIMORUM CURA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST studium diligens ac providum rerum minimarum, sive declinandarum, cum perfectioni nocent: sive complectendarum, cum prosunt. Ita Julius Nigronus. Dicitur autem hæc cura ad perfectionem maxime pertinere, quia cura maximorum, peccatorum præcipue vitandorum, non tam ad perfectionem, quam ad salutem necessaria est. *Julius Nigronus de cur. min. p. 1.*

Divisio.

II. Dividitur in curam minimorum *declinandorum*, & *quærendorum*; quæ utraque in varias iterum species a Nigrono subdividitur. Et cura quidem minimorum declinandorum sex habet species. 1. Curam minimarum *tentationum*: nam, ut S. Gregorius recte monet, tanto quisque debet initia tentationis fugere, quanto finem ejus intelligit citius solvi non posse. Quod ipsum confirmans Tomas Kempensis, vigilandum est, ait, præcipue circa initium tentationis; quia tunc facilius hostis vincitur, si ostium mentis nullatenus intrare sinitur. 2. Curam *periculorum* minimorum: qui enim amat periculum, in illo peribit, teste Siracide. 3. Curam *passionum* minimarum: nam enim scintilla parva contempta incendium parit. 4. Curam *peccatorum* minimorum: quibus peccatis (ut loquitur Cæsarius Arelatensis) licet occidi animam non credamus, tamen ita eam velut quibusdam postulis, & quasi horrenda scabie repletam, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius cælestis Sponsi aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. Imo, ut S. Augustinus ait, omnia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, necant. 5. Curam *regularum* minimarum: nam nobis inquit S. Bernardus, ad immunditiem minima quælibet inobedientia sufficit; nec jam nævus est, sed grandis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum. 6. Curam *vitiosorum habituum* minimorum; id est, talium, qui a laxatis ordinibus quidem non magni fiunt, sed tamen mores bonos non leviter corrumpunt, & virtutum invicem connexarum concinnitatem deformant. *S. Gregor. l. 12. mor. c. 16.*

III. Cura minimorum quærendorum pariter sex species involvit. 1. Minimorum curam in victu. 2. In vestitu. 3. In habitatione. 4. In officiis. 5. In æstimatione & honore. 6. In favore & amore; quo enim serventius minima in his sex objectis quæruntur, tanto propius ad similitudinem Christi appropinquatur, ut qui in his omnibus minima semper spontanee elegit.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. MInimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies. *Eccl. 29. v. 30*

II. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.

Utilitas.

III. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Matt. 25. v. 21.*

IV. Pro nihilo (id est, minimo opere & industria) salvos facies illos.

V. Id enim, quod in præsenti, est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

VI. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, volnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

Damnum.

VII. In pigritiis humiliabitur condignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. *Eccl. 10. v. 18.*

VIII. Qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccl. 19. v. 1.*

IX. Qui timet Deum, nihil negligit. *Eccl. 7. v. 19.*

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. NEscio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod justum sit, quam illum, qui jusserit: nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. *S. Hier. in ep. ad Celant.*

II. In minimis probandum est conflictibus, quam viriliter in majore certamine stare possimus. *S. Ambr. l. 1. offic. c. 10.*

III. Perfectæ, & sincerissimæ sanctitatis cultores suos volens facere Salvator, jussit ab iis cautissime etiam minima vitari, scilicet, ut quam pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita.

Necessitas.

IV. Non minimum est contemnere minima, quæ non minimam moribus maculam eo turpius neglectu habita ingerunt, quo vitiari facilius cognita potuerunt. *S. Bonav. in prol. Spec. dis.*

V. Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, etiam majora audenter perpetramus. *S. Greg. l. 10. mor. c. 9.*

VI. Discite, justum Judicem Deum, non modo, quid fiat, sed quomodo fiat, considerare, *S. Bern. in ser. de conv. S. Paul.*

re, & cavere deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: levia sunt ista, non euro corrigere; non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis; hæc enim, dilectissimi, impœnitentia est, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis.

Utilitas.

S. Basil. ex. 6 ex Stinc.? VII. Qui diligenter ex unaquaque re fructum decerpunt, iis perinde ac magnis fluminibus multæ ex omni parte accessiones fieri consuevere. Nam modico modicum apponere, non magis in argenti, quam in cujusque alterius scientiæ additione, ad amplitudinem valere existimandum est.

Blosius c. 2. inst. sp. VIII. Qui sensualitati, voluntatique propriæ propter Deum etiam in rebus minimis reluctatur; ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret.

S. Ansel. ep. ... ad Monac. IX. Certissimum est, quod in multis Ecclesiis experimento didicimus, quia in Monasterio, ubi minima districte custodiuntur, ibi rigor Monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter Fratres & in Capitulo proclamationes conquiescunt.

S. Chrys. h. 41. in Genes. X. Mos Dei est, dare magna pro parvis. Dominus noster non, quantum detur, consuevit attendere, sed voluntatis largitatem, & ob hoc etiam parva, magni facit.

S. Basil. const. mon. c. 24. XI. Nihil est minutum, quod Dei causa fiat, sed grande & spirituale, & ejusmodi quod cælum nobis, & cœlestia præmia conciliet.

S. Ep. S de pan. XII. Justi parvis actionibus magis Deum placant, ac flectunt quam nonnulli, qui multa faciunt; Non enim ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis: & non intuetur, quod fit, sed quo quid studio ac propensione peragatur.

S. Chrys. hom. 30. ad pop. XIII. Omnia Deus facit, & satagit, ut ex minimis te coronet.

S. Greg. Nazian. orat. XIV. Præstat exigua portio maximi pretii multis vilibus & periculosis opibus, & parum auri multis plumbi libris.

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA.

Utilitas.

Theodor. hist. c. 4. I. S. Esebius, cum collum catena sic ad zonam ligasset, ut neque cælum, neque campum subjectum aspicere posset, quæsitus, quam inde utilitatem caperet? respondit, Se id facere, ut hostem a majoribus certaminibus ad hæc parva, traduceret, in quibus, etsi vicerit, non magnum adfert detrimentum; sed si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui nec in parvis quidem evadere possit superior.

Rossw. l. 3. n. 91. II. Senex quidam rogatus a Fratribus quomodo posset sustinere voces puerorum pecora pascentium? respondit: In veritate, Fratres, plurimos dies habuit cogitatio mea, volens illis aliquid dicere, sed redargui meipsum reputans mecum, si parum hoc non porto, quomodo si major mihi tentatio advenerit, portabo? & ideo illis nihil dico, ut fiat mihi consuetudo portandi.

III. Quidam Religiosus cum oblitus micas in mensa colligere, eas post mensam collegisset, & ad culpam dicendam Superiori ostendere vellet, eas subito in pretiosas uniones conversas reperit.

IV. S. Teresia res minimas tanti momenti esse sentiebat ad inchoandum in virtutibus profectum, & ut anima pennis & alis carens volare incipiat, ut nemo id credat, nisi qui in se expertus est. *Vita c.13.*

V. S. Maria Magdalenna de Pazzis, Deo revelante, didicerat, inter quinque res petendas pro conservando quovis Ordine in primævo suæ Religionis statu, hanc quoque perpetuo petendam, ut omnes Religiosi perfecte cognoscant, quanti momenti sit observare quamlibet minimam rem sanctæ Regulæ. *Vita p. 4. c. 14.*

VI. B. Aloysius Bertrandus feria sexta in Capitulo cum tanto rigore reprehendebat, & castigabat silentii violationem, somnum paulo longiorem, erratum in choro, & his similia minima, ut dies judicii videretur, eo quod ab hujusmodi minutis disciplinam, & profectum religiosum dependere crederet. *Vita c. 4.*

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius, cum Bobadilla se opponeret Oviedo, domesticam disciplinam ad minutissimarum legum normam exigenti, jussit Oviedum suo munere cum tota libertate fungi; sentiebat enim in his violandis plus plerumque latere periculi, quam in maximis, propterea quod maximorum damnum, si violentur, apparet, facileque in promptu est; at eorum, quæ pro minimis habentur, exitium, nisi progrediente tempore non sentitur. Hinc ipse pro ejusmodi transgressionibus pœnas non leves imponere consueverat. *Hist. Soc. l.12. n.28.*

II. S. Franciscus Xaverius dicere solebat: Nemo se ipsum fallat, non potest quispiam in rebus magnis excellere, qui non prius excellat in parvis; Qui enim parvo oneri ferendo non sit, multo minus magnum est laturus. *L. 1. ep. 2.*

III. Aloysius, ut Author vitæ scribit, persuasissimum sibi habebat, verum ac perfectum Religiosum illum esse, qui adamussim omnes regulas sui Instituti observat, quidem omnem diligentiam adhibet in perfectam exercitationem eorum omnium munerum, & exercitiorum etiam minimorum, quæ omnibus in dies singulos ordo præscribit. *Vita p. 2. c. 2.*

IV. B. Stanislaus legum erat omnium, disciplinæque domesticæ servantissimus, alacritatis ad obtemperandum moderatoribus singularis, ut nihil, quamtumvis minimum videretur, contemnens. *Sacchin. in vita.*

V. P. Petrus Faber dans viro cuipiam docto, qui ad Societatem accesserat, monita, inter reliqua ait: Libentissime audimus, te inter Fratres infima quærere & ultima, atque minima consectari; nam magnitudo humanæ mentis non in eo sita est, ut magna ex suo sensu amet, & amplectatur, magna, inquam, hujusmodi, sed ut ad minima se extendat. Perge itaque exerceri in iis minimis, ut maxima *Vita l. 2. c. 23.*

xima æternæ vitæ promerearis. Non ignoras, apud Arithmeticos notam, quæ Cifra vocatur, nihil per se valere, sed conjunctam numeris, incrementum iis majus afferre, quanto post plures ponatur. Quidni ergo nos omnes gaudeamus, qui novimus te, qui numero nostro accessisti, de vilibus vitæ hujus tuum colligere pretium ac valorem. Ama minimo nomine appellari ab omnibus, si nomen bonum
Ibid. c. 11. velis tibi comparare. Idem dicere solebat, Deum, cujus est totum, quod est optimum majora sæpe homini dona differre, ut, dum comparandis minoribus invigilat, quasi quibusdam gradibus ad majora perveniat.

Vita P. Balth. Alvar. c. 31. VI. De Francisco Ribera scribit Ludovicus de Ponte: Leges & reliquas Superiorum ordinationes exactissime servavit, non solum tempore tyrocinii, sed etiam totius vitæ, ita ut neque studia, neque aliæ occupationes, quas habuit, potuerint ipsum ab exactione impedire, aut ab exacta cujusvis regulæ, etiam minimæ, observatione retardare.

Vita c. 4. §. 2. VII. P. Baltassar Alvarez continuo seipsum persequebatur; sibique negabat, quidquid natura appeteret, non solum in rebus majoribus, sed etiam in minutissimis: dicebat enim substantiam mortificationis in eo consistere, ut in rebus omnibus etiam minimis adhibeatur, ut non solum rectus, & perfectus in suo statu esset, sed etiam in minutiis ejus sponsam æmulando, cujus manus, & digiti usque ad extremitatem pleni erant myrrha probatissima, & qui eo usque pervenerit, ut dicere potuerit;
Ib. §. 1. Consummatum est, quidquid scilicet voluntati divinæ repugnabat: Observaverat, enim diligenter, plurimum placere Deo, quod quis divinam ejus voluntatem plene, etiam in rebus minimis, exequatur, ut nos ad suum conspectum & familiaritatem admittat.

§. VI. EXEMPLA PROFANA.

Curt. l. 4. c. 9. I. ALexander Magnus dicebat ad suos milites, in bello nihil tuto in hoste despici posse, quantumvis minimum, nihilque parvum esse dicendum, ex quo gloriæ magnæ laus queat oriri.

Galen. l. 17. de usu part. c. 1. II. Galenus probaturus, in parvis operibus majorem admirabilitatem inesse, narrat, sculptum a se visum in annuli gemma Phaetontem quatuor equis invectum, quorum frænum, os, dentes anteriores discernebantur, & crura mirabiliter articulata crus pulicis non excedebant.

Plin. l. 7. c. 21. III. Myrmecides quadrigam ex ebore, quam musca alis integeret: & navem, quam apicula pennis absconderet, fabricavit.

Nigr. p. 1. de aur. min. her. tom. 4. IV. Alius quispiam, ut nomen sibi magnum ex re parva compararet, totam Homeri Iliadem charta, quæ in nuce concludi poterat, comprehendit.

§. VII. SIMILITUDINES.

Utilitas.

S. Paulin. ep. 20. ad amandum. I. SIcut granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen ex-

tat in olere; sic minimorum cura in spicas altissimarum virtutum, & altissimos manipulos cælestium gratiarum excrescit.

S. Chrys. in parem. priore. II. Sicut opes corporis accumulantur, cum amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt, sic spirituales divitiæ per minimorum sedulam curam augentur.

Petrus Dam. op. Lyr. opsp. 5. III. Sicut fluvius ex sui fontis origine perexiguus oritur: sed processu longiori deliciis, rivis hinc inde confluentibus dilatatur; sic interior noster homo in sanctæ conversationis itinere tenuis, & velut aridus incipit, paulatim vero per incrementa virtutum quasi rivis undique concurrentibus convalescit.

Eugelge. Dom. Sept. §. 4. IV. Sicut apud Indos testea & vitrea crepundia multo auro, gemmisque permutantur; ita minima opera apud Deum pro incomparabilibus gaudiis cælestibus accipiuntur.

S. 184. l. 2. sell. c. 14. n. 1. V. Sicut paulatim homo a minimis vitiis in maxima prorruit; ita a modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ sunt excelsa, contendit.

Damnum.

Abbas Theodorus apud Cass. collat. 6. c. ult. VI. Sicut domus numquam subitaneo ad ruinam incumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa habitantium desidia, stillicidiis primum parvissimis penetrantibus corrupta fuerint sensim munimenta tectorum; sic neque ruina spiritualis subito contingit, sed primo minutissima stillicidia passionum ad animam penetrant, quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt ligna virtutum, & posthæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali (ut loquitur Salomon) id est, tempore tentationis, ingruente
Prov. 10. juxta 70. impugnatione diaboli, expellitur mens de habitatione virtutum, in qua aliquando circumspectam diligentiam retinens, velut in domus propriæ possessione requieverat.

S. Ans. l. Simil. c. 113. VII. Sicut pisces decurrente aqua vivarii moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac sæpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio Monastici Ordinis funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum, paulatim a fervore suo tepescit, attestante S. Scriptura: Qui modica spernit, paulatim decidet.

S. Bern. f. descript. custod. VIII. Sicut quo nitidiores manus sunt, & gravius quoque minor in eis nævus offendit; & sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpis decolorat; ita ad immunditiam minima quævis inobedientia sufficit, nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum.

S. Chrys. in 1. Gal. IX. Sicut in corporibus, quæ vulnera licet parva neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem denique; ita & in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.

Curt. l. 4. X. Sicut medici in corporibus ægris nihil, quod nociturum est, reliquunt; ita, quidquid obstat imperio (aut apud Religiosos perfectioni) nos pari studio recidamus.

Isai. Abb. orat. 12. XI. Sicut, si qua in dolio rimula existat, defluit vinum, antequam Dominus, sciat, si negligens est; sic quælibet res quamvis exigua, fructum excutit hominis negligentis.

§. VIII. MOTIVA.

S. Chrys. or. de B. Philog. I. *Liberalitas Dei erga nos*: qui, teste S. Chrysostomo, sicut parturiens cupit eniti fœtum, ita effundere misericordiam suam desiderat; &, ut S. Cyprianus loquitur, profluens *S. Cypr. l. 2. ep. 2. ad Donat.* largiter, nullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa spatia metarum frænatur, manat jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantum sileat pectus, & pateat. Quantum ille fidei capacis (& liberalitatis mutuæ per curam minimorum) afferimus, tantum gratiæ haurimus. Et ut sponte sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se *Vita p. 3. §. 2.* Spiritus cælestis infundit. Imo, ut S. Magdalena de Pazzis divinitus didicit, tantopere se desiderat communicare nobis, ut, dum quis vult esse particeps communicationis illius, id ipse reputet, ac si alter magnum aliquid ipsi communicaret.

II. *Utilitas propria*: Sicut enim mercatores ditescere volentes, etiam minima quæque lucra non negligunt: ita neque eos spiritualibus divitiis congregandis intenti minimas lucrandi occasiones negligere debemus; ne alioqui il- *S. Cypr. op. & eleem.* lud S. Cypriani in nos quadret: Qua excusatione nos purgabimus, qui diaboli servis, munera pretiosa & grandia, & nimio ac longo labore quæsita, sumptuosissimo apparatu comparantibus, minores sumus.

III. *Dei*, *Naturæ*, *Artium*, *minima æquali perfectione*, *curaque perficiendum exemplum*: *S. Hieron. ep. 1. ad Julian.* sic enim S. Hieronymus hortatur, dicens: Sicut Creatorem non in Cælo tantum miramur, & terra, & sole, &c. sed in minutis quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis, & ejusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina, eamdemque in cunctis veneramur solertiam; sic mens Christo dedita, æque & in majoribus, & minoribus intenta est, sciens etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem.

Joseph. Anch. Vi. ta l. 3. IV. *Diaboli astutia & fallacia*: qui, ut S. Franciscus dicere solebat, non vult de nobis plus, quam tenuissimum capillum; ex illo enim hamum ingentem, validumque ad nostras constringendas animas, sibique vindicandas conficere solet. Et si vel semel levissimam turpem cogitationem excutere cunctemur, id arripit, & longum agmen fœdiorum specierum consequentium adnectit. Sed & modica deli- *B. Marcus Erem. de leg. spir. §. 36.* cta, ut B. Marcus Eremita advertit, admodum elevat, & extenuat; alioquin enim hominem ad majus malum & vitium adducere *S. Chrys. h. 11. in Matt.* non posset. Id quod S. Chrysostomus exemplo Caini confirmat, cui prius persuasit dæmon deteriora offerre, nullum esse id dicens peccatum; deinde invidiæ veneno succendit, nihil etiam hinc mali secuturum persuadendo. Ita tandem in eum illapsus ad cædem Fratris, & ad negationem sceleris impulit. Et paulo post etiam Judæ exemplum adjiciens, nisi putasset, inquit, parvum esse, pecuniam inopum surripere, in tantam protervitatem non devenisset.

Cassian. l. 7. inst. c. 20. V. *Turpitudo*, quæ oritur ex minimorum neglectu: nam, ut sapienter advertit Cassianus, a potente elidi, licet sit in dejectione dolor, & gemitus in amissione victoriæ, tamen quodammodo de Adversarii robore victis nascitur consolatio; sin vero inimicus exilis, & genus colluctationis infirmum, ultra dejectionis dolorem confusio turpior, & ignominia detrimento gravior infertur.

VI. *Periculum salutis*: nam, ut recte dixit *Sen. ep. 95.* Seneca, ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt. Numquam perniciosa servant modum; quamvis levia initia morborum serpunt, & ægra corpora minima interdum mergit accessio.

§. IX. ASCETICA.

I. Quatuor sunt, quæ de hac materia bene nosse, observare debet Asceta. Primum est, ut certo sibi persuadeat, hanc minimorum curam esse unum ex præcipuis capitibus, a quibus vigor, & progressus religiosæ perfectionis pendet; cum, ut S. Thomas re- *S. Th. in prol. 22.* cte docuit, omnis scientia operativa tanto perfectior sit, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus. Hinc S. Chrysost. ait: *S. Chrys. ho. 1. in Matth.* Nostri magistri non solum opus turpe condemnant, neque tantummodo concupiscentiam prohibere contenti sunt, sed & vultum impudicum, & lasciva verba, visumque ineptum, sed & habitum inordinatum, incessum inconditum atque clamorem, & omnino usque ad humilia præcepta deducunt diligentiam disciplinæ. Et S. Ephrem sapienter monet: Eum *S. Ephr. s. de vita spir.* qui cæteris præest, peritissimum esse convenit, & ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum, utque singulorum observet incessum, gestum, motum, & habitum, adhibita etiam debita earum rerum correctione, quæ minus conveniunt, ut ad optimum ea statum, formamque reducantur. Magistri enim elementorum non solum figuras Discipulis ostendunt, sed etiam minima quæque puncta, distinctionesque proponunt. Hinc Alphonsus Rodriquez *Rodr. p. 1. de perf. tr. 1. c. 10.* de hac materia differens tandem sic concludit, aitque, tanti nos debere facere ea, quæ de hac materia dicuntur, ut servire pro generali regula debeant, scilicet, quamdiu quis æstimabit, magnique faciet res parvas, recte incedet, & Deus sua gratia ipsum provehet ulterius; contra si ipsas negligat, periculose incedet, quia scilicet per istam portam omnia mala in spiritualem Religiosi domum incurrunt.

II. Alterum est, ut sciat, in quibus potissimum minimorum cura occupari debeat; quæ quidem Nigronus in duo capita, scilicet declinanda & quærenda dividit, ut supra vidimus; Lancizius in tria genera distinguit; quo- *Lancic. op. 3. c. 3.* rum primum continet fugienda, nempe peccata & imperfectiones: Secundum observanda comprehendit, nimirum leges, scripturas, viva voce traditas, consuetudines, opera supererogationis, modum hæc omnia exequendi: Tertium mortificanda includit, scilicet externorum sensuum, & internorum affectuum compressionem ac subjugationem.

III. Tertium est, ut specialem affectum & amorem concipiat erga minima in omnibus rebus ad quotidianum usum spectantibus, puta victu, vestitu, officiis, honore, &c. eumque in

in finem privilegia ejusmodi minimis concessa bene apprehendat, nempe 1. Quod Deo magis placeant, utpote in quibus minimum de commodo, & amore proprio reperitur. 2. Quod Christi exemplo & verbis (quibus ad novissimum locum amplectendum hortabatur) magis conformia sint. 3. Quod proximum magis ædificent. 4. Quod majorem profectus nostri promovendi occasionem offerant, cum, qui magis nos ipsos abnegamus, deprimimus, & humiliamus, tanto magis in spiritu proficiamus, & cælestium donorum capaces efficiamur. 5. Quod majorem animo quietem concilient; cum ejusmodi minima semper & ubique inveniantur, facilius obtineantur, securius & sine invidia possideantur, sine labore conserventur & sine dolore amittantur; atque adeo verum sit, quod, qui separat pretiosum a vili, quasi os Dei, id est specialiter dilectus sit.

IV. Quartum est, ut tria illa impedimenta, quæ ab electione & cura minimorum non modice impediunt, fortiter & efficaciter removeat: quorum primum est *falsa opinio*, qua sibi quis persuadet, nihil utilitatis, dignitatis aut jucunditatis inesse minimis; sed si gemmario de gemmarum pretio judicanti, creditur, cur Christo vilissima semper & minima eligenti non perinde credatur? Secundum est *erroneum aliorum Judicium* nihil ejusmodi minima facientium; verum cum sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum; quis non videt, ejusmodi judicia ab Asceta fortiter spernenda, Christique & Sanctorum, perfectorumque judicus postponenda esse? Tertium est *amor proprius* ad optima quæque & splendida secundum carnem appetenda inclinans; sed sic commodiora corpori eligimus, cur non potius ea, quæ animæ meliora sunt, inquirimus? quid autem melius & pretiosius, quam minimorum cura?

§.X. MISCELLANEA.

Qualitas.

Prov. 31. v. 10. I. DE muliere sapiente dicit Salomon: Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Quia videlicet, ut *Dam. op. 31. c. 7.* explicat D. Damianus, hujus vitæ idoneus executor sic se per majora opera ex desiderii fervore dilatat, ut etiam causas, quæ sunt minimæ, non derelinquat. Clarius vero S. Franciscus Salesius: Applica, inquit, tu manum *Apud Engelgr. Dom. Sept. §. 1.* ad fortia, proximo pro necessitate Christiana etiam cum vitæ periculo succurrendo, pro injuriis hostimenti loco gratias hosti referendo, frequenti Sacramentorum usu animas e piacularibus flammis liberando &c. sed & digiti quoque fusum teneant, leves corporis afflictiones, parvas sui abnegationes ac dimissiones, per idem sæpius sectando.

Necessitas.

L. 1. rev. inter. 13. II. Christus Dominus S. Birgittæ dixit: Qui non bene utitur minimis, justum est, ut maximis non glorietur.

Utilitas.

III. S. Cyrillus in illud Christi: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: quid capilli, inquit, & capitis pili, nisi minutissimas actiones significant, quas Deus exacte observat, ac præmiat? *S. Cyrill. ep. Enx. Uo. sept. §. 1.*

IV. S. Libariæ Virginis colus subito frondere, florere, ac amœnissimos flores producere cœpit, testes præmii, quod etiam pro minimis laboribus offert Deus. *Rosweid. 8. oll.*

V. Mimus quidam, cum proximis ludis promisisset se dicturum, quid quisque maxime optaret, condicto die dixit: Omnes vultis vili emere, & caro vendere. Hoc autem per minimorum curam obtinetur. *Leff. l. 1. de summo. bon. c. 2.*

Damnum.

VI. Fr. Ægidius dicere solebat, parvæ negligentia, & exigua culpa posse amitti gratiam, quæ postea reparari vix queat. *Lyræus apoph. 1. l. 1.*

VII. M. Varro, cum suasisset, ne quis rusticana prædia juxta lacunosa, palustriaque loca construeret, quæsitus, qua de causa id suaderet? respondit: Inde animalia minuta crescere, quæ oculis quidem conspici non queant, sed per aera intus in corpus per os, & nares attrahantur, & difficiles morbos creent. Idem contingit, qui prope mundum palustrem habitant, & minuta peccata sine horrore admittunt. *Varro l. 1. de agric. c. 12.*

VIII. Quemadmodum, teste Poeta, *Ovid. l. 2. de remed. amor.*

Parva necat morsu spatiosum vipera Taurum,
A cane non magno sæpe tenetur aper.

Ita non levius damnum a peccatis levibus timendum est.

§.XI. AUTHORES.

I. Julius Nigronus in speciali tract. de cura minimorum.

II. Nicolaus Lancizius opusc. 2. procem. & opusc. 5. c. 9. & 10.

III. Hadrian. Lyræus in apoph. 5. S. Ignatii l. 1.

IV. Henricus Engelgrave part. 1. Lucis Ev. embl. 12. & 13.

V. Paulus Barry in solitudine Hagiophilæ differt. 1. Oct. diei.

V. Alph. Rodriq. de perf. part. 1. tr. 1. c. 9. & 10.

TITULUS XCV.

MISERICORDIA ERGA VIVOS.

§.I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST virtus, qua dolemus, & tristamur de miseria proximi, quam, si commode possumus, a fratre depellimus, & ei per auxilium spirituale, aut temporale subvenimus: Aut, ut S. Greg. Nyssenus definit, est erga eos, qui ob res aliquas tristes, ac mo- *S. Greg. in lib. de beat.* *S. Greg. in mor.*

lectas se discruciant, cum dilectione conjuncta affectio. Dicta est a misero corde, eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, & ei compatiens animus tangitur, ipse cor miserum facit, ut eum a miseria liberet, cui intendit. Differt a miseratione, quia per misericordiam miserentis affectum intelligimus, per miserationem vero ipsam misericordiæ exhibitionem signamus juxta id, quod scriptum est: Misericors & miserator Dominus, superfluum enim esset, utrumque ponere, nisi esset varietas in significatione. Unde Hugo ait: Differunt misericordia, & miseratio, sicut fons & rivulus: misericordia enim est quasi fons affectus, miseratio quasi rivulus affectus.

Idem in Psal. — *Hugo de fructibus carnis, & anim.*

Divisio.

II. Dividitur potissimum in corporalem & spiritualem; illa est, per quam miseria corporalis sublevatur; ista, per quam animæ saluti consulitur.

Actus corporalis misericordiæ.

III. *Esurientes pascere*, juxta illud Christi: Esurivi, & dedistis mihi manducare. *Matt. 25. v. 35.*

IV. *Potare sitientes*; juxta illud Christi: Sitivi, & dedistis mihi bibere. *Ibid.*

V. *Operire nudos*, juxta illud Christi: Nudus & operuistis me. *Ib. v. 36.*

VI. *Captivos redimere*, juxta illud ejusdem: In carcere eram, & venistis ad me. *Ibid.*

VII. *Ægrotos invisere*, juxta illud ejusdem: Infirmus, & visitastis me. *Ib. v. 35.*

VIII. *Hospitio peregrinos suscipere*, juxta illud ejusdem: Hospes eram, & collegistis me. *Matt. 26. v. 10.*

IX. *Mortuos sepelire*, juxta illud ejusdem: Opus bonum operata est in me: mittens enim unguentum hoc in corpus, meum ad sepeliendum me fecit. Et illud S. Raphaelis: Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Cur autem hujus actus mentionem non fecerit Christus, dum reliquos expressit, rationem S. Aug. esse putat, quod esset omnium minima, & obscurissima. S. Chrys. vero censet, id ideo factum, quod sponte sua homines eleemosynam faciant, & in ea per abusum facile excedant, ut, dum pretiosis vestibus induuntur cadavera divitum, quæ rectius pauperibus darentur. Porro hæc septem opera sequenti versu memoriæ causa sunt comprehensa.

Tob. 12. v. 12. — *S. Aug. de cura pro mort. c. 3.* — *S. Chrys. ho. 84. in Joan.*

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Actus spiritualis misericordiæ.

X. *Peccantes corrigere*, juxta illud S. Scripturæ: Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum. *Matt. 18. v. 15.*

XI. *Ignorantes docere*, juxta illud Siracidis: Qui misericordiam habet, docet, & erudit quasi pastor gregem suum. *Eccl. 18. v. 13.*

XII. *Dubitantibus recte consulere*, juxta illud ejusdem Siracidis: Si est tibi intellectus, responde proximo. Id quod etiam S. Hieronymus commendat dicens: Quos non potes opibus, consilio adjuva, solatio fove. Plus enim potes in angustia constituto præstare sapientiæ, quam quilibet maximæ potestatis. Quia, ut S. Ambr. ait, facile pecunia consumitur, consilia exhauriri nesciunt. Hæc usu augentur, pecunia minuitur, & cito deficit. Consilii collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, & in suum fontem recurrit. In se enim refluit ubertas prudentiæ, & quo pluribus fluxerit, eo abundantius fit omne, quod remanet.

Eccl. 5. v. 14. — *S. Hier. in Eccles.* — *S. Ambr. l. 2. de offic. c. 15.*

XIII. *Mæstos & afflictos consolari*: juxta illud Siracidis; Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula, ex his enim in dilectione firmaberis. *Eccl. 7. v. 38.*

XIV. *Condonare injurias*, juxta illud Ecclesiastici: Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur. Et illud: Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ. Quod quidem opus misericordiæ S. Aug. omnibus aliis præfert, dum ait: Multa quidem sunt genera eleemosynarum, quæ, cum fecimus, adjuvamur, ut nobis dimittantur peccata, sed ea nihil est majus, quam cum ex corde dimittimus peccata.

Eccl. 28. v. 2. — *Eccl. 10. v. 6.* — *S. Aug. in Eccl.*

XV. *Patienter ferre injurias*, juxta illud S. Pauli: Suscipite infirmos: Patientes estote ad omnes. Videte, ne quis malum pro malo alicui reddat. *Ad Thess. 1. c. 5. v. 14.*

XVI. *Pro salute proximi Deum orare*; juxta illud S. Jacobi: Orate pro invicem, ut salvemini. Qui omnes actus memoriæ facilioris causa itidem hoc versu sunt comprehensi: *Jac. 5. v. 16.*

Consule, plecte, doce, solare, remitte, fer, ora.

Gradus.

XVII. Primus hujus virtutis gradus est, *voluntatem habere sinceram, & ardens desiderium omnibus miseris succurrendi*: quemadmodum commendavit S. Aug. his verbis: Si potes dare, da: si non potes, affabilem te fac; coronat Deus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat: non habeo: charitas de sacculo non erogatur. *S. Aug. sup. Psal. 103.*

XVIII. Secundus est, *teneram cordis compassionem vultu & lingua demonstrare*: cujus gradus excellentiam more suo praeclare sequentibus verbis declarabit S. Greg. Plus esse dicimus, compati ex corde, quam dare: quia quisquis indigenti perfecte compatitur, minus æstimat omne, quod dat: exteriora largiens, quod est extra seipsum, præbet: qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei etiam aliquid de seipso dedit. Idipsum confirmans S. Greg. Nazianz. ait: Summi muneris loco alacritatem dona: si nihil habes, collacryma: magnum est infortunato remedium miseratio ex animo collata.

S. Greg. in mor. — *S. Greg. Naz. or. de paup. amore.*

XIX. Tertius est, *Ultro dare non petentibus, & egestati occurrere*: non enim satis est, teste S. Aug., perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Festina, o pietas, & occurre: ne tibi vendices, quod Domino debetur. Ita Christus fecit hortans discipulos: Date illis vos manducare. Ita Deus quotidie dona sua etiam non petentibus largitur; unde recte S. Aug. iterum, magnum est opus eleemosyna,

Tom. 10. hom. 10. hom. 49. — *Matt. 14. v. 16.*

inquit, ut homo faciat, quod facit Deus. Felix proinde, qui, ut Claudianus cecinit:

Lib. 2. de ben. c. 1. Nil negat, & sese vel non poscentibus offert. Quia, ut recte Seneca advertit, cum homini probo os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit verbum molestum, onerosum, & demisso vultu dicendum *rogo*: nec res ulla carius constat, quam quæ precibus empta est. Ideo divinanda cujusque voluntas, &, cum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. Sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Illud beneficium jucundum victurumque in animis scias, quod obvium venit.

XX. Quartus gradus est, *etiam necessaria sibi subtrahere, & pauperi dare*: hoc enim maximum incentivum misericordiæ est, inquit S. *S. Ambr. in orat. de funere Fratris.* Ambrosius, ut compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, juvemus, & plus interdum, quam possumus. Sic S. Gregorius Nazianz. de Patre suo testatur, cum etiam necessaria liberali affectu erogasse; matremque suam sæpius dixisse, se libenter seipsam & liberos vendituram, ut in pauperum usus insumerentur. Id quod reipsa *S. Paulin. epist. 21.* S. Paulinus præstitit. Sed & S. Hieronymus testatur, Paulam Romanam etsi opulentissimam eo usque omnia in pauperes erogasse, ut ne quidem nummum filiæ reliquerit. S. Benedictum quoque, cum Provincia, in qua vivebat, fame laboraret, omnia Monasterii sui bona in pauperes erogasse, S. Gregorius scribit, *S. Greg. l. 2. Dialog. c. 28.* qui & ipse, cum quondam nihil aliud, quam scutellam argenteam haberet, hanc ipsam pauperi dari jussit, dicens, malle se nihil habere, quam pauperem sine consolatione dimittere. S. Joannes Eleemosynarius vero etiam lectorum stragulam pauperibus dedit, iisque tantam liberalitatem mirantibus dixit: Fratres, nondum pro vobis sanguinem fudi, sicut mandavit mihi Dominus Jesus Christus. *Jo. Diaconus in vit. c. 20. Leontius in vit.*

XXI. *Omnia sua bona per Religionis ingressum pauperibus relinquere*: juxta Christi consilium: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ *Matt. 19. v. 21.* habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo; & veni, sequere me. Qui gradus merito perfectissimus censetur, quia, teste S. Hilarione, nemo melius erogat, quam qui nihil *In vita.* sibi reservat.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Jac. 1. v. 27. RELIGIO munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est, visitare, pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Osee 12. v. 6. I. Misericordiam & Justitiam custodi, & spera in Domino Deo tuo semper.

Luc. 6. v. 36. II. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.

Eph. 4. v. 32. III. Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis.

Tob. 4. v. 8. IV. Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, libenter impertiri stude.

V. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam fratri egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. *Deut. 15. v. 11.*

VI. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Prov. 24. v. 11.*

VII. Recupera proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas. *Eccl. 29. v. 27.*

VIII. Hæc ait Dominus exercituum dicens: Judicium verum judicate, & misericordiam, & miserationes facite unusquisque cum fratre suo. *Zach. 7. v. 9.*

IX. Nonne ergo oportuit, & te misereri conservi tui, sicut ego tui misertus sum? *Matt. 18. v. 33.*

X. Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare. *Prov. 3. v. 28.*

Necessitas.

XI. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich. 6. v. 8.*

XII. Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. *Jac. 2. v. 13.*

XIII. Qui calumniatur egentem, exprobrat Factori ejus; honorat autem eum, qui miseretur pauperis. *Prov. 14. v. 31.*

XIV. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defecerit, recipiant vos in æterna tabernacula. *Luc. 16. v. 9.*

XV. Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? *1. Joan. 3. v. 17.*

XVI. Propter mandatum assume pauperem, & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum. *Eccl. 29. v. 12.*

XVII. Discedite a me maledicti in ignem æternum: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c. *Matt. 25. v. 41.*

Utilitas.

XVIII. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Ps. 40. v. 1.*

XIX. Misericordia & veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. *Prov. 3. v. 3.*

XX. Benefacit animæ suæ vir misericors. *Prov. 11. v. 17.*

XXI. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. *Tob. 4. v. 11.*

XXII. Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Eccl. 29. v. 15.*

XXIII. Peccata tua eleemosyna redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. Forsitan ignoscet tibi Deus. *Dan. 4. v. 24.*

XXIV. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei. *Prov. 19. v. 17.*

XXV. Benefac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certe a Domino. *Eccl. 12.*

XXVI. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orie- *Is. 58. v. 10.*

orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt, ficut meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus femper, & fplendoribus implebit animam tuam, & offa tua liberabit, & eris quafi hortus irriguus, & fieut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

Matt. 10. v. 42. XXVII. Quieumque potum dederit uni ex minimis iftis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine difcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem fuam.

Prov. 22. v. 9. XXVIII. Qui pronus eft ad miferieordiam, benedicetur; de panibus enim fuis dedit pauperi.

Prov. 28. v. 27. XXIX. Qui dat pauperi, non indigebit; qui defpicit deprecantem, fuftinebit penuriam.

Matth. 5. v. 7. XXX. Beati mifericordes, quoniam mifericordiam confequentur.

2. Cor. 9. v. 6. XXXI. Qui parce feminat, parce & metet: & qui feminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

Luc. 6. v. 38. XXXII. Date, & dabitur vobis. Menfuram bonam, & confertam, & coagitatam, & fuperefluentem dabunt in finum veftrum.

Hebr. 6. v. 10. XXXIII. Non enim injuftus Deus, ut oblivifcatur operis veftri & dilectionis, quam oftendiftis nomine ipfius, qui miniftraftis Sanctis, & miniftratis.

Jac. 2. v. 13. XXXIV. Superexaltat miferieordia judicium: Judicium enim fine miferieordia illi, qui non facit mifericordiam.

Dignitas.

Coloff. 3. v. 12. XXXV. Induite vos ergo fieut electi Dei, vifcera miferieordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, fupportantes invicem, & donantes vobifmetipfis, fi quis adverfus aliquem habet querelam.

Pf. 111. v. 9. XXXVI. Difperfit, dedit pauperibus: juftitia ejus manet in fæculum fæculi.

Eccl. 31. v. 11. XXXVII. Eleemofynas illius enarrabit omnis Ecclefia Sanctorum.

Prov. 2. v. 3. XXXVIII. Facere miferieordiam & judicium, magis placet Domino, quam victimæ.

Eccl. 44. v. 10. XXXIX. Illi viri miferieordiæ funt, quorum pietates non defuerunt; cum femine eorum permanent bona; hæreditas fancta nepotes eorum; & in teftamentis ftetit femen eorum, & filii eorum propter illos ufque in æternum manent: femen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.

If. 58. v. 7. XL. Frange efurienti panem tuum, & egenos vagofque indue in domum tuam: eum videris nudum, operi eum, & earnem tuam ne defpexeris. Tunc erumpet quafi mane lumen tuum, & fanitas tua citius orietur, & antecibit faciem tuam juftitia tua, & gloria Domini colliget te.

Jucunditas.

Pf. 111. v. 5. XLI. Jueundus homo, qui miferetur & commodat: difponet fermones fuos in judicio.

If. 28. v. 12. XLII. Hæc eft requies mea: reficite laffum, hoc eft meum refrigerium.

MISERICORDIA IN SPECIE.

Efurientes pafcens.

XLIII. Frange efurienti panem tuum. Ifaia 58.

XLIV. Efurivi, & dediftis mihi manducare. Matt 25.

XLV. Miferator & miferieors Dominus, efcam dedit timentibus fe. Pf. 110.

Sitientes potans.

XLVI. Sitivi, & dediftis mihi bibere. Matt. 25.

XLVII. Quieumque potum dederit uni ex minimis iftis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem fuam. Matt. 6. 10.

Nudos operiens.

XLVIII. Nudus eram, & coperuiftis me. Matt. 25.

XLIX. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne defpexeris. Ifaia 58.

L. Si defpexi pereuntem, eo quod non haberet indumentum, & abfque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum ealefactus eft. Job. c. 31.

LI. Qui habet duas tunieas, det unam non habenti. Luc. 3. c.

LII. Si frater, & foror nudi fint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis: Ite in pace, ealefacimini, & faturamini, & non dederitis ea, quæ neceffaria funt eorpori, quid proderit? Jac. c. 2.

Captivos liberans.

LIII. In earcere eram, & veniftis ad me. Matt. 25.

LIV. Spiritus Domini fuper me, & mifit me, ut prædiearem eaptivis indulgentiam, & claufis apertionem. Ifaia 61.

LV. Dimitte eos, qui eonfracti funt, liberos. Ib. c. 58.

LVI. Si abftuleris de medio tui catenam, (*in carceratos liberando*) tunc erumpet quafi mane lumen tuum, & gloria Domini colliget te. Ibid.

Infirmos vifitans.

LVII. Infirmus eram, & vifitaftis me. Matt. 25.

LVIII. Non te pigeat vifitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis. Eccl. c. 7.

LIX. Confolamini pufillanimes, fufcipite infirmos, patientes eftote ad omnes. Theff. 1. c. 5.

Hofpites fufcipiens.

LX. Hofpes eram, & eollegiftis me. Matt. c. 25

LXI. Hofpitalitatem nolite oblivifci, per hanc enim placuerunt quidam Angelis hofpitio receptis. Heb. c. 13.

LXII. Egenos vagofque indue in domum tuam. Ifaia 58.

Sepeliens mortuos.

LXIII. Quando mortuos per diem abfeondebas in domo tua, & nocte fepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Tob. c. 12.

LXIV. Benedicti vos a Domino, qui feciftis mifericordiam hanc cum domino veftro Saul, & fepeliftis eum. 2. Reg. 2.

LXV. Mortuo non prohibeas gratiam (*fepulturæ*) non defis plorantibus in confolatione. Eccl. 7.

LXVI.

Tob. 4. 4. LXVI. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Cum autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelies eam circa me.

Ibid. LXVII. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCT.

MISERICORDIA IN COMMUNI.

Qualitas.

S. Chrys. hom. 32. ad popul. I. Eleemosynæ magnitudo non in pecuniarum multitudine indicatur, sed in daotium promptitudine. Et propterea qui calicem aquæ frigidæ dedit, factus est acceptabilis, & quæ duo minuta erogavit, ut discamus, quod Deus ubique mentem requirit. Et Apostolus: Si voluntas prompta est, secundum id, quod habet, accepta est.

Idem. II. Non ad hoc accepisti, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynam erogares.

S. Aug. in Psal. 147. III. Superflua divitl, necessaria sunt pauperi: aliena retinet, qui ista tenet.

Idem in Joan. IV. Tibi superflua sunt, sed Domini pauperes clamant: Nostrum est, quod effunditur. Nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur.

S. Greg. ep. 110. V. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus, & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis, & bene acquisitis impenditur.

Salmeron. to. 5. tr. 24. VI. Duo sunt, quæ continet misericordia: alterum est internus commiserationis in corde sensus: alterum externa mali propulsatio, si fieri queat. Ubi adjutrices manus porrigere non datur, non minus habendi sunt misericordes, quod omnibus competere potest; est enim misericors, qui tantum indolescit fraterna charitate alienis calamitatibus, si non possit re ipsa subvenire. Ideo Clemens Alexandr. l. 4. Stromatum: Misericordes esse vult, non solum qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possint. Quibus adest, ut sponte, & libera voluntate operentur.

S. Thom. in Matt. c. 5. VII. Misericordem esse, est habere miserum cor de miseria aliorum, quando illam reputamus quasi nostram: de nostra autem dolemus, & studemus repellere.

S. Leo f. 5. de collect. VIII. In quo opere etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas; quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate.

August. de Finib. IX. Misericordia est animi condolentis affectus cum additamento beneficii, ut compatiamur de proximo & largiamur de proprio.

Idem de civit. Dei cap. 6. X. Misericordia verum est Sacrificium, si propter Deum fiat.

Greg. 20. Moral. XI. Sic mens per compassionem doleat, ut etiam larga manus affectum doloris ostendat.

Idem 19. Moral. XII. Misereri volens proximo sibi ipsi prius debet misereri.

Necessitas.

S. Leo in f. de operib. XIII. Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ, etsi multæ sint, prodesse non possint. Quamvis enim aliquis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.

S. Chrys. in Matt. 6. XIV. Quæ stultitia est, illic relinquere, unde exiturus es; & illuc non præmittere, quo iturus es? illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes.

S. Chrys. in 12. ad popul. XV. Discamus misericordes esse omnium causa, maxime quoniam & nos multa indigemus misericordia, & neque vivere nos putemus per id temporis, quo non miseremur.

Ibid. XVI. A gehenna vos nemo eruet, nisi a pauperibus auxilium consequamini.

S. Aug. hom. 47. ex. 50. XVII. Crudele est, ut, de quo habes, non des ei, quem scis non habere. Grave est, ut tua substantia non sustentes egeotis inopiam. Unde semper flagellamur in frugibus, quia bene egeotibus non facimus.

Granat. V. miser. fol. 160. XVIII. Anima sine misericordia sterilis est. Hoc illud est, quo Deo similes nos evadere licet, misereri, inquam, & condonare. Hoc nisi habeamus, privati sumus omnibus.

S. Chrys. hom. 32. ad popul. Antioch. XIX. Quid par virginitati; & tamen expellitur, si eleemosynam non habeat. Si vero virgines excluduntur, eo quod hanc congrua non habuerint cum largitate, quis absque ea veniam assequi poterit? Nemo, sed hanc non habentem omnino perire necessarium est.

Ibid. XX. Qui sibi soli vivit, & omnes negligit, superfluus est, & nec homo, nec generis nostri.

S. Leo f. 5. de collect. XXI. Quasi nec alias virtutes dexteri, nec alias offensiones habeaot sinistri: sed illo magno, summoque judicio tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per unum bonum illi introducantur in regnum, & per unum malum isti mittantur in ignem æternum.

Utilitas.

S. Greg. Naz. or. de Paup. mor. XXII. Nulla omnino re, perinde, ut misericordia, Deus conciliatur. Quandoquidem nec aliud quicquam Deo magis proprium est, quippe quem misericordia, & veritas præcedant.

S. Aug. hom. 19. in Joan. XXIII. Demus usuram, sed Deo, non homini. Ei damus, qui abundat; ei damus, qui dedit, quod demus: Et pro modicis rebus, pro frivolis, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis æterna, sine fine manentia. Quid multa dicturus sum? se promittit, qui promittit; si amas illum, eme illum ab illo, & ut noveris te ipsi dare, audi illum, dicentem: *Esurivi, & dedistis mihi manducare.*

S. Bern. so. 1. f. 6. XIV. Quatuor temporales gratiæ promittuntur viro misericordi. Prima est gratia conservans: secunda gratia vivificans: tertia gratia consummans: quarta gratia liberans. Prima gratia conservans nominatur, & de hac Propheta subdit, *Dominus conservet eum*, id est, eum aliis, cum tota familia sua, atque cum omnibus bonis suis servet; unde Propheta inquit Ps. 144. *Custodit Dominus omnes diligentes se*, scilicet in membris suis. Secunda est gratia vivificans, & de hac Propheta subdit, *& vivificet eum*, scilicet misericordem: quia mi-

misericordia, ficut Apoftolus ait: 1. Tim. 4. *Promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt*. Tertia eft gratia confummaos: & de hac fubditur: *Beatum facit eum in terra*, id eft, io præfenti vita. Quarta eft gratia liberans, fcilicet a peccatis vel pœnis, quæ infurgunt ex fuggeftione diaboli: Unde fequitur: *Et non tradat eum in manibus inimicorum ejus*.

S. Ps. 10. de eguadr. XXV. Non timeatur in eis expenfis defectio facultatum, quoniam ipfa benignitas magna fubftantia eft, nec poteft largitatis deeffe materies, ubi Chriftus pafcit, & pafcitur; in omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat.

S. Ambr. f. de Elia. XXVI. Peccatis tuis venundatus es? redime te pecunia tua; vilis pecunia, fed pretiofa eft mifericordia.

S. Aug. s. de ver. Dom. XXVII. Duo funt opera mifericordiæ, quæ nos liberant; quæ breviter ipfe Dominus pofuit in Evangelio dicens: *Dimittite, & dimittetur vobis; date, & dabitur vobis*. Dimittite, & dimittetur vobis, ad ignofcendum pertinet: Date, & dabitur vobis, ad præftandum beneficium pertinet.

Did. Stell. ap. Manſ. tr. 55. diſc. 3. XXVIII. Afpice, quemadmodum Deus in tuas manus mifericordiam pofuit, ut, fi velis mifericordia tua tecum uti, memineris etiam tecum proximo tuo idem debere facere, & tunc mihi crede, Deus fuam mifericordiam, benignitatem, manfuetudinem noo denegabit tibi.

Salmeron to. 5. tr. 7. XXIX. Chriftus beatitudinis ampliffima proponit præmia, & ut amor ob excellentiam non plene remuneratur, neque rependitur, nili amore; ita mifericordia noftra ob fui præftantiam non peofatur, nifi Dei mifericordia.

S. Chryſ. hom. 9. de pœnit. XXX. Mercatura, negotiatioque tua cælum eft: da panem, & accipe Paradifum: parva da, & magna fufcipe: da mortalia, & accipe immortalia.

S. Bern. in declam. Eccl. f. 3. XXXI. Gravis eft nobis inimici tentatio, fed longe gravior illi oratio noftra. Lædit nos iniquitas ejus, atque verfutia, fed multo amplius eum noftra mifericordia torquet.

Glaff. ap. Eccl. XXXII. Magis valet eleemofyna contra jacula inimici, quam arma terrena, quia hæc dubiam, illa certiffimam parit victoriam.

S. Aug. de ferm. Dom. XXXIII. Beati illi, qui fubveniunt miferis; quoniam eis rependitur, ut per mifericordem Dominum de miferia liberentur; nam idipfum videtur juftum, ut, qui a potentiore juvari vult, adjuvet inferiorem, in quo eft ipfe potentior.

S. Hier. in epiſt. ad Nepot. XXXIV. Non nemini me legiffe, mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceffores, & impoffibile eft, multorum preces non audiri.

S. Chryſ. in .. ſup Matt. XXXV. Mifericordia eft falutis præfidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum; hæc eft, quæ juftos probat, Sanctos roborat, Dei cultores oftentat.

S. Aug. ſ. 55. de ver. Dom. XXXVI. Fœcundus eft ager pauperum, cito reddit donantibus fructum. Via cæli eft pauper, per quam venitur ad Patrem, Incipe ergo erogare, fi non vis errare.

XXXVII. Dicit tibi Chriftus, da mihi ex eo, quod dedi tibi: de meo quæro. Da, & redde. Habuifti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna reftituam: teipfum tibi reddam, quando te mihi reddidero. *Ibid.*

XXXVIII. Si vis effe mercator bonus, fœnerator egregius, da, quod non potes retinere, ut recipias, quod non potes amittere. Da modicum, ut recipias centuplum: da temporalem poffeffionem, ut confequaris æternam hæreditatem. *S. Aug. in epiſt.*

XXXIX. Quidquid tribuitur pauperi, fi fubtili confideratione penfetur, non eft donum, fed mutuum: quia, quod datur, multiplicato fine dubio fructu recipitur. *S. Greg. in reg.*

XL. Melius fervatur pecunia, quæ in dextra pauperis collocatur: hanc calumniator non extorquet, invidus non criminatur, latro non aufert, fur nocturnus non diripit, fervus fugam meditans non invadit, fed femper eft tuta, femper integra, femper falva. *S. Chryſ. in ſ. ſup. illud Nolite theſaur.*

XLI. Nulla omnino res eft, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac mifericordia. *S. Greg. Naz. in orat. de pauper. amore.*

XLII. Eja cariffimi, hodie oftendamus, qualiter eft ars omnium artium quæftuofiffima, eleemofyna. Si enim artis eft proprium, ad aliquam utilitatem pervenire, eleemofyna vero nihil eft utilius, clarum eft profecto, quod & ars, & omnium eft optima. *S. Chryſ. hom. 20. ad popul. Antioch.*

XLIII. Miseri homines, qui in morte peccati aruerant: ad vitam eleemofynis revivifcunt, eftque illis mifericordia fons falutis, quibus avaritia fuerat mortis incendium, ut flammas, quas peccando fibi incenderant, largiendo reftinguant. *S. Max. ho. 1. de eleem.*

XLIV. Quamvis pollutus, quamvis multis criminibus circumfeptus, fi eleemofynas feceris, innocens effe cœpifti. Abftergit enim eleemofyna, quod avaritia polluebat: & maculam quam res alienas diripiendo contraxeras, tuas erogando purificas. Vide ergo, quæ fit mifericordiæ gratia, quæ una & fola virtus cunctorum eft redemptio peccatorum. *Idem.*

XLV. Per mifericordiam pauperum, mifericordiam paramus, ut poffimus effe de pœna liberi, de falute fecuri. *S. Chryſ. hom. 8.*

XLVI. Manus pauperis eft Abrahæ finus, ubi, quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thefaurus cæli eft manus pauperis, quod fufcipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis eft gazophylacium Chrifti, quia quidquid pauper accipit, Chriftus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum: da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperis dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. *Idem ho. de jejun. & eleem.*

XLVII. Mifericordia Dei, eft fummum folatium mœftorum. *Greg. 2. Moral.*

XLVIII. Mifericordia eft falutis præfidium. *S. Chryſoſt. de Miſericordia Homil.*

Æqui-

Æquitas.

S. Chrys. ho. 50. in Matth. XLIX. Quemadmodum artificum unusquisque propriam artificii sui scientiam novit, sic divites non fabricare, nec ædificare, nec texere, nec navem extruere, nec aliud hujusmodi artificium norunt. Illam igitur artem discant, ut divitiis recte, & ut decet, utantur. Non est enim certe ars illa contemnenda, qua discunt opulenti conferendum indigentibus esse, præcipua enim est, & aliis artibus multo præstantior: Hujus artis officina in cælo est, hujus non a ferro, neque ab ære instrumenta sunt, sed voluntate sola, & benignitate mentis extracta. Hujus Magister Christus est, & Pater ejus: *sitis misericordes*, inquit, *sicut & Pater vester, qui in cælis est.*

Dignitas.

S. Ambr. L. Omnis summa Christianæ disciplinæ in misericordia & pietate est.

Idem de offic. LI. Misericordia largior, ubi fides promptior. Nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis.

S. Greg. Naz. in orat. de pauper. mor. LII. Nihil tam divinum homo habet, quam de aliis bene mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.

S. Chrys. ho. 91. ad pop. Ant. LIII. Melius est, artem eleemosynam dandi scire, quam esse Regem, & diademate coronari. Hæc namque te docet, quomodo possis Deo similis fieri, quod est omnium summa bonorum.

Idem s. 9. sup. Matth. LIV. Eleemosyna amica Dei consistit, & semper ei propinqua est: pro quibuscumque voluerit, facile manus gratiæ impetrat, vincula peccatorum ipsa dissolvit: fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum multa fiducia portæ cæli aperiuntur, & veluti Regina intrante nullus custodum, qui assistunt, audet dicere: quæ tu es? aut unde? sed omnes eam a regione suscipiunt.

S. Greg. Nyss. l. de beatit. LV. Si misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias tamquam insignitus propria nota Deitatis?

S. Greg. Naz. in orat. de pauper. amore. LVI. Dominus misericordiam mavult, quam sacrificium, ac pinguium annorum myriades commiseratio superat.

S. Chrys. ho. 36. ad pop. Ant. LVII. Magna res homo, & pretiosa vir misericors. Hæc major est gratia, quam mortuos resuscitare. Multo namque majus est, esurientem pascere Christum, quam in nomine Jesu mortuos suscitare; nam illic quidam tu de Christo bene mereris, hic autem ipse de te. Ac merces est in bene gerendo, non in bene patiendo. Hic in signis ipse Deo debes, in eleemosyna vero Deum habes debitorem.

S. Cypr. l. de eleemos. LVIII. Præclara & divina res (eleemosyna) fratres carissimi, salutari operatio, solarium grave credentium, securitatis nostræ salutaris præsidium, munimentum spei, tutela fidei.

S. Greg. l. 20. mor. LIX. Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos.

S. Chrys. LX. Eleemosyna in utraque vita claros exhibet, in ista famam comparans præclaram, in illa gloriam tribuens æternam.

LXI. Ubi Deus curam misericordiæ, ibi & imaginem suæ pietatis invenit. *S. Leo S. 10. de qu.*

LXII. O prægrandis eleemosynæ virtus! divites sanctificat, mortuos suscitat, & immortalitatem mortalibus donat. Eleemosyna charitatis soror, egenorum vita, sanctimoniæ Antistita, virtutum Regina. *S. Chrys. c. 1. ho. 1. de pæn.*

LXIII. Sola misericordia est, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. *Cassiod. in epist.*

LXIV. Si & tu gloriam ex divitiis quæris, cognosce, quia melius est, mille filiorum, quos per misericordiam acquisieris, quam mille aureorum dominum dici. Facultates namque relinquentur hic, etiamsi nolumus, bonorum vero operum conscientia nobiscum pariter pergit ad Deum. *S. Ambr. s. 91.*

LXV. Quod si Magistratus in theatris Mimis & Athletis & Gladiatoribus, aliisque hujusmodi generibus hominum totum pene patrimonium suum largitur ac prodigit, ut unius horæ favorem, vulgi nimirum acquirat, nihil sibi ulterius profuturum: tu dubitas, & cunctaris munificus esse in hujusmodi largitionibus, in quibus Judex residet Deus, faventium & acclamantium vulgus sunt Angeli: ubi omnes, qui a sæculo fuerunt, sancti laudatores & prædicatores tui sunt: ubi laus & favor non simul cum die cessat, sed cum sæculis permanet: ubi corona tibi non auri, sed justitiæ dabitur: ubi honores non unius urbis, sed cælorum regna mereberis. *Ibid.*

LXVI. Tanto aliqua virtus est melior, quanto facit hominem Deo similiorem, quia per hoc melior est homo, quod Deo est similior; at hoc maxime facit misericordia, quia de Deo dicitur in Psalmo: *Quia miserationes ejus sunt super omnia opera ejus*: Unde & Lucæ 6. Dominus dicit: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* *S. Thom. in 22. c. q. 30. a 4.*

LXVII. Contemplari debes excellentiam misericordiæ, quæ homines similes Deo facit, & in illa re similes, quæ gratiosior, & divinior in ipso est: nam certum est quod major perfectio, quæ reperiri potest in creatura, est, similem esse Deo, & quanto magis hujus similitudinis obtinuerit, tanto perfectior erit: si omne animal diligit sibi simile, si misericors similis est Deo, certam est, quod a Domino magis diligetur: nam cum Dominus infinite misericors sit, omnes eos diligere debet, quos invenerit misericordia indutos, tamquam legitimos filios, qui ei assimilentur. Quid obsecro in mundo esse potest tanta æstimatione dignum? Si tanti æstimantur homines, cum Regum, & Principum familiares & amici sunt, quo prætio æstimari debeat ea virtus, quæ nos Deo conjungit, & illi similes facit? *Did. Stella in c. 6. Luc.*

LXVIII. Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ etsi sint prodesse non possunt. *Leo Papa in ser. de Ap. par.*

LXIX. Misericors magnus homo & honorabilis vir. *S. Chrys. de pæn. hom. 7.*

Jucunditas.

LXX. In tali casu operarius felix vivit, & se- *S. Aug. l. 50. ho. 30.*

& securus moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum alterum pascit dando. Nullam poterit incurrere perniciem, qui eleemosynis comparaverit pietatem.

S. Cypr. de Elem. LXXI. Quæ illa erit, fratres carissimi, operantium gloria, quam grandis, & summa lætitia, cum populum suum cœperit Dominus recensere, & meritis atque operibus nostris præmia promissa contribuens, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, cui nos sua sanctificatione restituit.

S. Greg. epist. ad Savinellum. LXXII. Quisquis copiosum in cælis fructum desiderat, semina dum tempus est, non omittat, ut manipulos in die messis cum lætitia colligat: Nam qui seminant in lacrymis, cum exultatione & gaudio metent. Ibi desideria figite, ubi, quidquid retribuitur, finem non suscipit.

Facilitas.

S. Chrys. hom. 14. ad pop. LXXIII. Numquid grave & onerosum quidpiam a nobis requirit? necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ inutiliter reposita, hæc vult bene distribui, ut hinc occasione simpia nos coronet.

S. Ambr. c. 13. LXXIV. Quod si difficile tibi putas, o homo, magnificentiam divinæ largitionis imitari, imitare terram, si levare oculos sursum non potes, saltem ea, quæ deorsum sunt, & in pedibus tuis intuere. Affer tu fructum, sicut terra; noli esse deterior insensibili elemento. Illa enim fructus, quos affert, non suis usibus vindicat, sed tuis ministrat obsequiis: tu vero fructus illius solus invadis, & tibi soli concludis.

S. Aug. in Joan. 10. LXXV. Ante oculos Dei numquam est manus vacua a munere, si arca cordis plena est bona voluntate.

MISERICORDIA IN SPECIE.

Esurientes pascent.

S. Chrys. s. 14. LXXVI. O quid agit amor pauperis! inquit Chrysologus: gloriatur in cælo Deus, unde pauper erubescit in terra: Et paulo post subdit: In cælo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cælo. Quod Abel passus sit, quod servavit Mundum Noe, quod Abraham fidem susceepit, quod Moyses Legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum, quod comedit pauper.

Idem. LXXVII. Quis unquam capere poterit, inquit idem Sanctus, quod frustum panis dator omnium quærat? *Esurivi*, inquit, *& dedistis mihi manducare*: Non dixit; esurivit pauper, & dedistis illi manducare: sed, esurivi ego, & dedistis mihi manducare. Nimis est, quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, sagiratum se in esca pauperis prophetizat in Regno cæli coram omnibus Angelis, in conventis resurgentium.

Salmeron to. 7. tr. 41. n. 42. LXXVIII. Considera, Christum se vocare pauperem, nudum, infirmum &c. Tanta est enim unio Christi cum corpore suo, ut illo ægrotante ægrotet, illo esuriente esuriat. Unde pulchre Origenes in hæc verba scribit: Sicut anima habitans in corpore, cum non esuriat, quantum ad suam substantiam spiritualem, esurit tamen unumquemque corporis cibum, quia copulata est corpori suo; sic & Salvator patitur, quæ patitur corpus ejus Ecclesia, cum sit ipse impassibilis quantum ad suam divinitatem.

Sitientes potans.

LXXIX. Dicitur opus misericordiæ propter conditionem potus; licet enim aqua nullius valoris sit, & a quolibet inveniatur, est tamen opus misericordiæ circa potum dandum, id est, quod detur vinum, quia aqua non est potus conveniens cuilibet, sed aliquibus noxius, juxta illud 1. Tim. 5. *Noli adhuc aquam bibere &c.* dare autem vinum, est facere sumptus. Potest accipi etiam quoad omnem potum, etiam de aqua, nam quicquid aliquis det alteri, quantumcumque modicum, beneficium ei præstat, & apud Deum non manet sine retributione, si propter eum fiat. Sic dicitur Matth. 10. Marc. 9. *quicumque potum dederit, &c.* *Abulens. in c. 25. Matt.*

LXXX. Nullus adeo pauper est, qui possit se de misericordiæ operibus excusare, cum regnum cælorum porrectione calicis aquæ frigidæ possit mercari, imo solo affectu, si desit aqua. *Dionys. Carth. ap. Mansi tr. 77. d. 22. n. 3.*

LXXXI. Primus tibi calicem suum obtulit, tu vel aquam frigidam ei negas; Potavit te Spiritu Sancto, quamvis indignus esses, tu nec corporalem hanc sitim suam mitigare studes; Nonne magnum ducis, quod calicem illum tenere potes, unde Christus bibiturus est? Nonne vides, quia soli Sacerdoti fas est calicem sanguinis tibi tradere? Nec tantum postulo, quantum dedit, non enim sanguinem, sed aquam frigidam flagito. Cogita, cui potum præbes. *S. Chrys. h. 46. in Matth.*

Nudus tegens.

LXXXII. Quid miser judici respondebis? Parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? *S. Ambr. l. de Nabut c. 12.*

LXXXIII. Parietes vestitis auro, homines denudatis? clamat homo nudus, & tu solicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias: pecuniam pauper quærit; & non habet, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. *S. Basil. h. 37.*

Captivos redimens.

LXXXIV. Mementote victorum, tamquam simul vincti. Ita qui eos, vel verbis vivis, vel epistolis consolatorii adhortantur (sicuti B. Cypriano, & Sebastiano diximus) vel qui illis, dum vincti sunt, & carcere premuntur, necessaria subministrant. Qua in re maxime commendantur in novo Test. S. Anastasia, & S. Praxedes, quæ ampla sua patrimonia in pauperum vinctorum usus distraxerunt &c. *Bellarm. spec. mor. h. 3. d. 24.*

LXXXV. Misericordiæ opus in redimendis *Salmeron to. 8. tr. 16.*

captivis positum est, quod præstantissimum est opus, quoniam & animam a periculo abjurandæ fidei, & corpus vilissima servitute liberamus, qua una re insignem pietatem declarant suam, qui vel illis commiserentur. Unde Paulus Hebr. 10. *Nam & vinctis compassi estis*, & cap. 13. *Mementote vinctorum tamquam simul vincti*.

Infirmos visitans.

Abulensis in c. 25. Mat. LXXXVI. Visitare, de primaria sua significatione importat frequenter visitare; nam cum ægri multas tolerent molestias, opus est, ut alii colloquantur eis, quia per allocutionem consolantur: Transumitur enim quodammodo malum per visionem, & allocutionem, quod multipliciter fit. Primo, quia quamdiu ægri colloquuntur aliis, non ita sentiunt molestias suas, sicut quando soli sunt: Et ideo, ut dicit Aristoteles. 9. Ethic. valde mali non possunt apud se ipsos manere, quia cogitatio malorum præteritorum affligit eos, & cum sunt cum aliis, consolantur. Secundo, quia visus assistentium, & maxime amicorum consolabilis est, & diminuit aliquid de malo. Tertio, quia illi ex colloquio dant bonam spem ægro, & faciunt illum oblivisci aliqualiter malorum, quæ patitur, & minus judicat esse, quod patitur, & opinio tollit multum de afflictione ægri. Quarto fit, quia malum quodammodo transumitur, & non fit hoc realiter, quia malum unius non potest in alterum transire, etiamsi sit morbus contagiosus; sed quia æger videt alios sibi condolere, judicat minus esse malum suum, quia aliquis est, qui pro eo doleat.

S. Greg. Naz. or. 27. de pau. amor. LXXXVII. Cibum porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percontare, de patientia orationem habe.

Salmeron tom. 7. tr. 27. LXXXVIII. Necesse est, quod omnia, quæ pertinent ad relevationem ægri, accipiantur nomine visitationis. Est ergo ei necessaria visio, & allocutio propter consolationem, necessaria est etiam administratio, quia infirmus non potest sibi ipsi ministrare.

Idem tom. 8. tr. 16. LXXXIX. Duo potissimum beneficia nostra visitatione præstamus: Alterum sublevando si possimus, ab ægritudine, eorum inopiæ quacumque ratione succurrendo: Alterum, quod præstantius est, commonefaciendo de his, quæ ad animæ salutem pertinent, atque suggerendo, ut patienti invictoque animo, & cum fructu, flagellum Domini tolerent: invitando, si res ferat, ad crebram Sacramentorum, pœnitentiæ videlicet, atque Eucharistiæ susceptionem, & ad muniendum & præparandum pectus, contra mortis ingruentis impulsus, contraque extremos mortis agones, & luctas.

Hospites colligens.

Abulens. in c. 25. Matt. q. 374. XC. Valet hospitalitas ad duo: Ad defensionem a nocivis, sive ex parte temporis, id est frigoris, caloris, pluviarum, & ventorum, vel hominum, vel brutorum. Secundo, ad operiendum turpitudinem &c. Magnæ misericordiæ est, quia multa incommoda, & mora sequi potest, si maneat quis extra hospitium continuo per diem, & noctem. A Christo, ut magnæ misericordiæ opus positum est, maxime quia in recipiendo hospites in domum, possunt sequi incommoda suscipienti, juxta illud Ecclesiastici. 11. *Omnem hominem ne inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi*. Sustinere autem hæc, vel exponere se eis, difficultas est.

XCI. Non leguntur alia Lot benefacta, nisi quod hospitalitatis prærogativam dilexerit, quod maluit turpitudini filias exponere, quam ut in hospites aliquid turpius ageretur. Hæc illi hostia fuit, hoc sacrificium: Sulphur & ignem evasit Sodomorum.

XCII. Quid nos ad hæc dicturi sumus, fratres? inquit S. Augustinus, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas, & spatiosas domos habentes, vix aliquando dignamur, excipere peregrinum, ignorantes, imo non credentes, quod in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dixit: *Hospes fui, & suscepistis me*; laboriosum, & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in Patriam nostram; timeo, ne nobis ille vicem reddat in cælo, & nos non recipiat in beatitudinem suam. *S. Aug. s. 172. de tem.*

Sepeliens mortuos.

XCIII. Si viantes ad longiora in domum reducere solemus, quanto magis debemus operire defunctos, in illam terram profectos, unde jam non revertuntur? *Ego*, inquit Job, *super omnem defunctum flevi*. *S. Ambr. ep. Manß. or. 37. dist. 27. n. 2.*

XCIV. Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi jam non possit reddere, vindicare a volatilibus, vindicare a bestiis consortem naturæ. Vere hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse homines denegabunt. *Id. Ibid. n. 7.*

XCV. Nec ideo tamen contemnenda, & abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque Justorum, atque fidelium, quibus tamquam organis, & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus. *Ibid. n. 8.*

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

MISERICORDIA IN COMMUNI.

Qualitas.

I. B. Virgo quam excellens fuerit, & etiamnum sit in hac virtute, pulchre S. Bernardus sequentibus verbis declarat: Quis misericordiæ tuæ, o benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum impletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita data. Sic potentissima & piissima charitas & affectu compatiendi, & subveniendi abun- *S. Bern. s. 4. de Assump. B. Virg.*

abundat affectu, æque locuples in utroque. Sed & S. Gregorius Nicomediensis de ea scribit: Ambrosius nutrimentum de manu Angeli accipiebat, eoque reficiebatur: victum vero, quem a Pontificibus templi accipiebat, pauperibus erogavit.

f Greg. Nicom. de obi. Mari.

II. S. Laur. Martyr hæreditatem totam a Xisto Pontifice relictam in Clericos pauperes distribuit. Jussus postea a Tyranno thesauros a Xisto relictos ostendere, collectos undique pauperes ostendit dicens: Ecce isti sunt thesauri æterni, qui numquam minuuntur, sed crescunt: qui in singulos dispergunt, & in omnibus inveniuntur.

Surius t. 4. 10. Aug.

III. S. Nicolaus, ut pudori trium Virginum pauperum consuleret, tribus diversis noctibus tantum auri projecit in domum, quantum sufficeret ad singulas honeste collocandas.

Surius in vita 6. Dec.

IV. S. Job de seipso dixit: Ab infantia mecum crevit miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus: de velleribus ovium mearum calefactus est. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

Job 31. v. 16. & seq.

V. SS. Ambrosius, Augustinus, Cæsarius, Gallus usque adeo profusi erant in pauperes, ut calices, & vasa sacra stipem facerent. S. Gallus vero etiam dicere solitus: Meus Præceptor Columbanus æneo calice sacrificavit, Christus in cruce ferreum suo sacrificio adhibuit, siquidem clavis suum sanguinem propinavit.

Greg. in Gazoph. l. 1. c. 9. §. 9.

VI. S. Joannes Eleemosynarius eidem pauperi ter eodem tempore eleemosynam petenti ter dedit, dicens: Ne forte Dominus meus Christus sit, periculumque misericordiæ meæ facere velit. Pauperes Dominos suos appellabat, eo quod hi soli opem ferre possint, ut a Christi regno non excideret. Si quopiam die nullus eleemosynam peteret, graviter tristabatur. Multoties in exultatione invenerunt eum quidam dicentem Deo: Sicut aut tu mittendo, aut ego dispergendo videbimus, quis vincat. Quando nihil habebat, ibat ad negotiatorem, & dicebat: Da mihi unum tremissem, id est, tertiam partem solidi aurei, & tibi serviam uno mense, vel duobus, ut vis, & ubi vis, quoniam esuriunt valde qui in domo mea sunt. Et sumens dabat egenti rogans, ut nemini dicat. Mauritio Imperatori pluribus ab eo talentis mutuo sumptis, syngrapham dedit, qua substantiam mutuæ pecuniæ tamquam hypothecam oppignoravit. Verum cum post mortem ejus Imperator nihil quam lectulum ligneum, & pauperem invenisset, syngrapham discerpsit, & lectulo illo, remoto proprio, ad somnum usus est. Cum in civitatem Amathantem venisset, testamentum in hæc verba dictavit: Joannes humilis servus servorum Dei, propter impositam autem Pontificatus dignitatem, Christi gratia liber: Ago tibi gratias, Domine Deus meus, quod me dignum censueris qui tua tibi offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud mihi sit relictum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam quoque jubeo dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quando enim Dei permissione creatus sui Episcopus Alexandriæ, inveni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri; ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures pecunias; quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam.

Surius in vita, & Daniel. t. 9. tit. 5. p. 4.

VII. S. Elisabeth Landgravii Thuringiæ uxor, & Ungariæ Regis Filia, quos in plebe magis inopia pressos animadvertebat, ex his compatruos atque commatruas sibi comparabat, ut eis subveniendi causas haberet. Si quando pecunia non suppetebat, vestimenta vendebat. Cernens pauperculum quendam nudum efferri, detracto sibi capitis velamine involvi jussit cadaver. Denique neque nere, texere, suere suis manibus dedignata, ut de laboris sui peculio eleemosynas dare posset.

VIII. S. Thomas de Villanova Episcopus amplos Ecclesiæ redditus usque adeo in egenos dispersit, ut ne lectulum sibi relinqueret; nam, eum, in quo jacebat, cum in cælum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulo ante eleemosynæ loco donaverat.

In Brev. Rom. 18. Septemb.

IX. Alexander V. Pontifex tam munificus & liberalis erat in pauperes, ut per jocum dicere soleret, & jure posset, se divitem Episcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem esse.

Surius t. 4. de Lado. & Epist. Tr. inf. ann. 1300.

X. Andreas Fesulanus Episcopus ita fuit benignus & liberalis in pauperes, ut omnium nomina descripta teneret, nec eos sine lacrymis aspicere posset.

Spec. Epi. Tymp. Agn. 68. n. 4.

XI. Gregorius XIII. nondum Episcopus, quidquid necessariis sumptibus detraxerat, in pauperes studiosos alendos impendebat. Singulis annis septuaginta aureorum millia in Pontificatu pauperibus distribuit. Decies centena millia aureorum in virgines matrimonio elocandas, vicies centena millia in pauperes studiosos, præter sumptum in seminaria erigenda impensas expendit. Singulari vero affectu pauperes patria extorres complectebatur, ita ut nulla prope Provincia fuerit, quam ejus effusa largitas non pervaserit; imo ad Antipodas usque penetrarit.

Ibid. n. 6.

XII. S. Carolus Borromeus arcam eleemosynis pene semper exhaustam, imo quotannis etiam ad multa millia obæratam habebat; neque tamen timebat novas subire impensas in gratiam pauperum. Quin etiam cum Oirensem principatum quadraginta millibus aureorum vendidisset, intra viginti quinque dies omnes has pecunias in egenos, & pia opera distribuit.

Ib. n. 12.

XIII. Tempore S. Joannis Chrysostomi sola Ecclesia Constantinopolitana quotidie alebat tria millia virginum & viduarum, præter alios mendicos, ægros, leprosos, incarceratos, advenas, quibus cibum & indumenta dabat.

Id. n. 17.

XIV. Margarita Philippi III. regiarum virtutum exemplis affatim dives Regina, dum Hi-

Jo. Rho. l. 1. Virt. Sel. c. 7. n. 1.

Hispanicæ navigationi sævum hyeme seu perit mare, Mediolani substiterat, & domesticæ non immemor disciplinæ, præclara edebat exempla. Itaque quum pauperem pannosum, seminudum, ab hyberno gelu torridum, atque obrigescentem vidisset, accersito e stipatoribus principibus uno; videri ait: Misellum illum algentem; tu ex optimo panno vestem ei a sartore ad modulum scindi actutum cura, moxque ad me afferto: factum, quod imperaverat, domum reversa vesti suendæ manum admovet Regina, totamque diligentissime consuit, pauperemque lautum, ac regia stipe donatum induit, Christianæ misericordiæ gloriosissime operata. I nunc, magne Macedo, & laneas illas sororum tibi manu textas Persis objice Reginis: habet Christi pauper vestimentum, quo purpurea tanti Regis contemnet amicula: nam & quovis Regis fastigio Christi nomen decet esse gloriosius.

Ib. n. 15. XV. Adjungam magnæ Reginæ matronam, non fortuna, sed virtute comparandam, Corneliam Lampugnanam Mediolanensem. Hæc enim mendicabulorum centunculos sarcire, illis assidere, atque per otium Christianæ disciplinæ rudimenta docere, cibum non prius capere, quam illos eleemosyna donare, fœminis in Nosocomio capillum pectere, ac purgare, in more habuit. Verum, quia non satis hoc illi videbatur, præclarissimo insuper facinore voluit se esse misericordem. Puellam enim elephantiasi corruptam, atque miserabili spectaculo in publico jacentem, sublatam in domum suo in lectulo collocavit, cum ea maternum in morem cubuit, medicas admovit manus, osculisque demulcens, tandem reddidit sanitati. Nescias, an Corneliam miseriarum illius participem, an illam hujus dicas fuisse felicitatis.

Ib. n. 6. XVI. Bertinorum oppidum in Æmilia est, in eo clara olim, & multis familiis dives Ducum gens, tam prona erat hospitibus recipiendis, ut sæpius patres familias, dum eos quisque domum suam trahit, non sine reprehensione altercarentur. Id porro ne fieret, placuit, in foro, in quod hospites primum convenire solebant, columnellam erigere, ansulis, annulisve circum infixis ab unoquoque patresfamilias ea lege, ut ad cujus annulum hospes equum alligasset, eumve ratione alia tenuisset, illi fas esset, hospitem suo jure domum deducere, lautias præbere, omnique officio colere, aliis præjudicio acquiescentibus, hominisque sortem amico livore invidentibus; sed nullus fortunæ splendor hoc charitatis livore non vincitur.

Apud Surium 4. Oct. tom. 5. XVII. Inerat Francisco Assisinati ab ineunte ætate tam ardens pauperibus benefaciendi studium, & insita quædam divinitus erga inopes & calamitosos miseratio, prorsus ut neminem pro Dei amore stipem petentem vacuum a se dimittere proponeret. Cum autem quadam vice solis negotiationis intentus tumultibus, præter insolitum morem pauperem a se repulisset, statim pœnitudine ductus, rapido cursu illum assecutus est, & eleemosyna clementer impensa, promisit Domino Deo, nunquam deinceps se pauperi pro facultate stipem negaturum. Cum vero post in gravem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentius colere officia misericordiæ. Qua in exercitatione tantum profecit, ut Evangelicæ perfectionis cupidus, quidquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquius pater, eum ad Assisinatem Episcopum duxit, ut in ipsius manibus facultatibus renuntiaret paternis. Ibi tunc Franciscus coram Episcopo continuo omnibus depositis vestimentis, ea patri restituit, & sic plane nudatus subjunxit: Usque nunc vocavi te patrem in terris, modo autem secure dicere potero, Pater noster qui es in cælis, apud quem omnem reposui thesaurum, & omnem spei fiduciam collocavi. Quod cernens Episcopus pallio, quo erat amictus, eum operuit, præcipiens suis, ut aliquid ei darent, ad membra corporis contegenda.

Utilitas.

XVIII. Fecerat naufragium Indico in Oceano Alphonsus Albuquerquius, eoque in tumultu, dum unusquisque sibi consulens, amicissimorum facile obliviscitur, ipse dux, ac classis prætor puerum nauticum, qui mari haurlebatur, in humeros sustulit: clamantibusque cunctis, ut abjecta sarcina, vicinam ad navim enataret, sperare se dixit ejus infantis innocentia tutum se mediis in undis fore, donec scapha ad excipiendum expediretur, itaque factum fuit: diceres, innocentiam infantis periclitanti Duci pro subere fuisse. Jo. Rho. l. 1. c. 7. n. 4.

XIX. Ultra omnem expectationem in amplissimo hoc sublevandarum miseriarum theatro Francisci a puero Jesu virtus spectata est. Nulla est tanta calamitas, nulla adversæ fortunæ injuria tanta, adversus quam prompta Francisco charitas non esset, atque ne integræ ejus laudes, aut antiquæ majorum opes, aut studio congestæ opes, partem sibi aliquam audeant vindicare; homo fuit sine lare, sine tecto, sine arca, ipso Iro, aut Furio pauperior. Rursum, ne quid præterquam sibi, eloquentiæ, aut moribus elegantioribus, misericordia deberet, rustico, ac sub initia propemodum stolido ingenio, sed patientiæ, sed charitatis indomitæ. His ille opibus fretus (mitto enim, quod in nosocomio per triginta annos decumbentibus laboriosissime, & nulla nisi operis ipsius mercede servavit) infantes orbos, aut pudendos parentibus, educare: adolescentibus Compluti, ut Doctores audire possent, stipem emendicare, nobiles puellas collocare, fœminis e naufragio libidinis enatantibus tutum portum aperire, pauperibus epullum singulis annis dare, vestibus nudos fovere, inflictis opera, atque gratia, qua plurimum valebat, apud Principes adesse; demum ipse seminudus, ac vili sacco tectus, algens ac numquam sibi non iratus, omnibus opem ferre, & quamquam injuriis, atque etiam non semel verberibus male mulctatus, non ideo potuit abstineri. His ille artibus tantum & vulgi, & Principum favorem collegit, ut, quum omnibus esset venerationi, ab his auferret, quod in pauperes diriperet, ho- Ib. n. 18.

hominesque ad pietatem pro libitu duceret: neminem facilius homines sequuntur, quam apud quem vitæ præsidia se creduot invenire.

Vit. l. 1. c. 10. n. 5.

XX. In vita S. Philippi Nerii legitur, quod eum Cardinalis Baronius, ex nostra congregatione assumptus, per novem annos continuos hospitalia frequentasset, sæpe contigerit, quod, dum febri obnoxium eo se contulit, domum postea reversus fuerit incolumis & sanus. Nec mirum, quia, ut Hugo Cardinalis ait: pro eo quod viri misericordes miserias aliorum tollunt, vel mitigant, vel saltem per compassionem portant, jure vicissitudinis immunes erunt a propriis, hoc est, quod Propheta regius forsitan insinuare voluit, quando, postquam dixisset, Deum nostras misericordias liberaliter esse remuneraturum: *qui coronat te in misericordia & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum*, mox quoque subjunxit: *renovabitur, ut aquilæ, juventus tua*: quia, qui operibus charitatis, & compassionis jugiter se impendunt, in possessione, & jure longævæ vitæ existunt. Unde Cæsarius historiam quamdam de Ecclesiastico, pauperum subsidio vehementer dedito (quia Decanus S. Andreæ Coloniæ, Heoricus nomine, extitit) recensens, noo sine emphasi, illum ad decrepitam usque ætatem vixisse dixit.

Surius 24. Jun.

XXI. Cum decedente Constantino Magno Julianus successisset, legem is tulit, ne Christiani quicquam in hoc mundo possiderent. Porro Gallicanus in pago Ostiensi quatuor casas habebat, quarum pensiones in eos, quos diximus, conferebat usus, adeoque Domioum meruit habere defensorem, ut quicumque in eas ingrederetur, ad fisci titulos constituendos, ac pensiones exigendas, statim a diabolo obsideretur, & quisquis actorum ejus esset exactor, leprosus fieret.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 27.

XXII. Neque hoc silendum est, quod de Theophanio Ceneretensis urbis Comite, in eadem urbe positus multis astantibus agnovi. Fuit namque vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati præcipue studens, exercendis quidem Comitatus curis occupatus, agebat terrena, & temporalia; sed ut post in fine claruit, magis ex debito, quam ex intentione; nam dum appropinquantis mortis ejus tempore gravissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset; cumque uxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam? quomodo te ad sepeliendum ejicio, quæ ostium domus hujus egredi præ nimia tempestate non possum? Tunc ille respondit: Mulier, noli flere, quia mox, ut ego defunctus fuero, aeris serenitas redibit: cujus protinus vocem mors, & mortem serenitas secuta est, quod signum etiam alia signa sunt comitata; nam manus ejus & pedes podagræ humore tumescentes vulneribus pleni erant, & profluente fanie putebant, sed eum corpus ejus de more ad lavandum fuisset nudatum, ita manus, pedesque ejus sani inventi sunt, ac si unquam vulneris nihil habuissent. Ductus itaque ac sepultus est, ejusque conjugi visum est, ut quarto die in sepulchro illius marmor, quod superpositum fuerat, mutari debuisset, quod videlicet marmor corpori ejus superpositum cum fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragantia odoris manavit, ac si ex putrescente carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Et tamen de bono hoc viro sæculari, & conjugato, ac terrenis negotiis jugiter occupato, nullum aliud bonum opus legitur, quam quod misericordiæ operibus assidue deditus fuerat.

Spec. Exemp. tit. misericor. ex. 1. & S. Greg. Dial. c. 9.

XXIII. S. Bonifacius adhuc puer cum vestimenta sæpe, quibus tegebatur, & præterea omne horrei, quo mater alebatur, frumentum in pauperes expendisset, ideoque mater valde afflicta, eique subirata esset, precibus in horreo fusis totum iterum optimo frumento replevit.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 26.

XXIV. Deusdedit, sutor opificio, quia quidquid ex necessariis sumptibus supererat, sabbato semper in pauperes distribuit, visa est pro eo domus insignis in cælo ædificari, in qua tamen struenda solis sabbatinis diebus laborabatur.

Thom. Cant. l. 2. c. 25. p. 7. & 8.

XXV. Anno Christi 195. cum dira fames Proviocias vexaret, matrona quædam genere clara, sed misericordia io pauperes nobilior, sine pondere & mensura, quidquid poterat, dabat; cumque omnem jam farioam etiam scopis collectam ancilla ad ejus imperium distribuisset, redire ad cistam jussa, plenam farina optima invenit: sed & horreum ab eo tempore jussu mariti pro mendicis apertum miraculo grandi ad pauperes toto illo famis tempore alendos suffecit. Ipsa vero domina septem ante mortem diebus cootiouis aviculam miræ pulchritudinis, insolito cantu eam recreantem; atque ad cælestia gaudia invitantem audiebat.

Ven. Bed. p. 3. de gestis Angl. c.

XXVI. S. Osualdus cum quondam cum S. Aridano Episcopo ad mensam sedens ministro pro eleemosynis constituto, & magnam pauperum multitudinem in plateis eleemosynam petere nuncianti, & cibos, & catinos de mensa auferri, & pauperibus distribui jussisset. S. Aridanus manum ipsius apprehendens dixit: Numquam hæc manus computrescet: quod & factum.

Drex. Gazoph. p. 1. c. 9. §. 6.

XXVII. Tiberius Imperator, cum omnes suos thesauros, & redditus in pauperes distribuisset, ob id increpatus ab uxore, respondit, Dominum abundanter provisurum; id quod etiam factum; nam in palatio ambulans, dum crucem eidem inscriptam videt, indignum ratus crucem pedibus calcari, jussit lapidem auferri, cumque tertium similiter signatum invenisset, tandem ingentem thesaurus reperit. Sed & Narses Dux militiæ cum mortuus esset senex, quem unicum ille thesauro suo ingenti custodiendo præfecerat, Imperatori eum revelavit, cujus jussu thesaurus ille palatium per aliquot dies deportatus est.

Spec. Exempl. d. 8. ex. 25.

XXVIII. Cum Petrus Telonarius mendico importune eleemosynam petenti invitus panem projecisset, & postea subuculam etiam alteri donasset, in judicium subinde vocatus ob tantillam eleemosynam a damnationis sententia liberatus, vitæque restitutus, seipsum

tam-

tandem vendi curavit, vitamque in humili servitio sancte finivit.

Ibid. d. 8. nu. 90. XXIX. S. Gregorius quia scutellam unicam, quam a matre missam habebat, Angelo sub specie pauperis mendicanti obtulit, promoveri ad dignitatem Papalem meruit.

Ibid. d. 8. nu. 110. XXX. Erdicius Romanus Senator cum quatuor millia pauperum tempore famis pavisset, eaque cessante ad suam quemque patriam per vehicula reportari jussisset, vocem de cælo dicentem audivit: Erdict, tibi & semini tuo panis non deficiet in æternum, quia me famis tempore in pauperibus meis refecisti.

Ib. d. 90. nu. 10. XXXI. Cum quædam civitas famosissima in operibus misericordiæ tota refrixisset, in vitiis autem abundasset, justo Dei judicio tota igne cælesti absumpta est, sola consulis (qui per Angelum sub specie pauperis in domo sua receptum ad pœnitentiam excitatus fuerat) domo, & Monasterio illæsis permanentibus.

Sophron. in prato spir. 181. XXXII. Quidam Gentilis suasu uxoris pauca numismata Christo tamquam fœneratoris offerens, paulo post invento in Ecclesia nummo, coempto pisce, gemmam in ventre pretiosam reperit, quam trecentis nummis vendidit, simulque tanto miraculo illuminatus Christi fidem suscepit.

Pædagog. Christ. p. 2. c. 21. §. 2. XXXIII. Petrus Vellejus Mercator Lusitanus, quia in aliena domo latrunculis ludens S. Francisco Xaverio subito intervenienti, & aliquam pecuniæ summam in pium opus potenti clavem dederat cum facultate ex trecentis millibus aureorum dimidiam (ut postea dicebat) partem auferendi præsagientem audivit Xaverium, non modo omnem benedictionem a Deo ipsum habiturum, sed etiam revelationem de die mortis imminente habiturum, quod & factum. Unde exorto ultimo illo die Petrus postquam sacro funebri, quod pro se cantari jusserat, adfuisset, etsi nullo morbo tentatus in feretro se composuisset, finita Missa mortuus inventus est.

Drex. Gazoph. p. 1. c. 1. §. 1. XXXIV. Homo quidam flagitiosus Bononiæ degens videbatur sibi in campo ab horribili tempestate deprehensus, proximas justitiæ ædes pulsare; sed inde repulsus, ut qui justitiæ curam non haberet, ad alteras veritatis, subinde etiam pacis ædes confugiens; cum etiam hic repulsam passus esset, tandem suadente pace, ad domum misericordiæ admitti petiit, quod quidem facile obtinuit, ea tamen lege, ut mores Incolarum in ea habitantium assumere, & peccata sua eleemosynis adimere studeret.

Ibid. c. 1. §. 2. XXXV. Paterfamilias quidam cum unicum, quem adhuc reliquum habebat, sestertium pauperi dedisset, paulo post famulum obvium habuit, qui viginti solidos tela involutos porrigens & a domino suo missos dictitans, paulo post evanuit.

Ibid. p. 2. c. 1. §. 7. XXXVI. Antuerpiæ quatuor pauperum Præfecti ex more, annis singulis florenorum sexaginta; imo & septuaginta vel omnino octoginta millia aut plura collegerunt.

Ibid. p. 2. c. 2. §. 2. XXXVII. In Haistadiensi monasterio tantus fuit adventantium pauperum accursus, ut interdum mille quingenti ad portam numerarentur. Sed & pistor fassus est, minimos panes in furnum missos grande incrementum sumpsisse.

Ibid. p. 1. c. 6. §. 4. XXXVIII. S. Pachomius miles cum in Civitatem Christianorum divertens miram liberalitatem, & misericordiam in egenos conspexisset, quærens, quodnam hoc hominum genus sit, in opera misericordiæ tam effusum? audiensque Christianos esse, cælo manus attollens mox decrevit eamdem fidem profiteri, idque postea reipsa præstitit.

Nadast in anno Euc. hebdom. 23. n. 9. XXXIX. S. Ida vidua tumbam, quam sibi præpararat, bis quotidie variis eleemosynis replebat, indeque in pauperes erogabat.

Idem in an. crucif. hebd. 23 n. 4. XL. S. Catharina Senensis cum ad manum aliud non habens, quam argenteam e templo crucem, eam pauperi dedisset, sequenti nocte Christus apparens, & crucem illam egregie gemmis adornatam ostendens, promisit, se illam in die Judicii coram omni Angelorum, hominumque præsentia ostensurum.

Cantip. l. 2. mirac. c. 21. XLI. Nobilis cujusdam viri uxor cum eo absente leprosum in lecto collocasset, Maritus insperato redux, & lectum petere volens, cum ab ea alio duceretur, in suspicionem læsi thori veniens, vi in cubiculum irrupit, sed illic nonnisi fragrantissimas rosas media in hyeme invenit.

Sophron. prat. spir. l. c. 195. & Pædagog. Chr. p. 2. cap. 21. §. XLII. Evagrius Philosophus a Synesio Episcopo ad fidem adductus, & persuasus, eum, qui miseretur, Domino fœnerari, centuplumque in cælo recepturum, tres auri centenarios eidem in pauperes distribuendos obtulit, chirographumque, quo Christi nomine se obligaret, petiit. Quod cum post mortem in manus ipsi, ut vivus præceperat datum fuisset, tertia die post sepulturam Synesio apparuit dicens: Abi ad sepulchrum meum, & accipe chirographum manu mea subscriptum, nunc enim plene mihi satisfactum est. Cum ergo venisset Episcopus ad sepulchrum, chartam in hæc verba scriptam invenit: Ego Evagrius Philosophus accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, & nullum habeo contra te jus propter aurum, quod per te Christo Salvatori meo dedi.

Baron. t. 4. Anal. An. Dom. 474. XLIII. Cum Zeno Imperator mulieris cujusdam filiam ad libidinem exsatiandam subripuisset; Hæc vacabat in templo Dominæ nostræ Dei genitricis, orans eam & deprecans, ac cum lacrymis, dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cum ergo diebus multis hoc faceret, apparuit ei per risum Sancta Dei Genitrix, dicens: Crede mihi mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manu ejus prohibet me. Erat enim Imperator valde misericors & eleemosynas faciens.

Plat. in vit. Pontif. in Adriano 2. XLIV. Adrianus Secundus, patria Romanus patre Valaro, Sergio Pontifici familiaris fuit, a quo cum aliquando denarios quadraginta dono accepisset, domum rediens dispensatori mandavit, ut eos peregrinis & pauperibus, qui in vestibulo domus suæ stabant, erogaret. Facere ille mandata conatus, cum videret ne minimæ quidem parti tantula re satisfieri posse, ad Adrianum rediens, rem ipsam exponit. Tum Adrianus accepta pecunia ad pauperes reversus & ternos denarios singulis præstitit, & totidem sibi rei familiari

fa-

satisfacturus, reservarit, admirante dispensatore miraculum rei: cui Adrianus: Vides, inquit, quam benignus & largus sit Dominus, his præsertim, qui liberales & munifici in pauperes sunt? Hac & aliis virtutibus tanto in pretio apud omnes fuit, ut cum de Pontifice creando sermo haberetur, certatim omnes unicum Adrianum deligerent, quem etiam ab Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis ad præsepe, ad Lateranensem Basilicam noleotem detulere, ac statim Pontificem crearunt.

Niceph. l. 12. hist. c. 45. Baron. in Epiph. XLV. Anno Domini 399. Epiphanias Cypriorum Episcopus, ad cujus Sepulchrum hactenus dæmones expelluntur, cum substantiam propriam necessitatem sustinentibus erogasset, & multis quoque offerentibus ei pecuoias manu largissima dispensaret, contigit ut pecuniis deficientibus Œconomus Ecclesiæ murmuraret. Quo facto assistens quidam in domo in qua habitabat Œconomus, sacculum multarum pecuniarum dedit, & ita disparuit, ut nec qui dedisset, nec qui misisset cognosceretur. Quod factum omnes divinum esse indicaverunt.

O R D O.

Misericordia.

P. Sidon. in vita. XLVI. S. Augustinus omnes eleemosynas & possessiones, quas poterat de fidelibus habere, Monasteriis Religiosorum, quos sciebat communi bono spirituali utiles esse, largiebatur.

Arias p. 2 thes. tr. 6. c. 24. XLVII. S. Mart. Episcop. eleemosynas a se provocatas Ecclesiis & eorum ministris, nec non Religiosis dividebat ratus considerato, qui inde existebat fructu, nullibi eam aptius collocari.

P. Hier. in Epitap. Paulæ. XLVIII. S. Hieron. singulariter commendat S. Paulum ex eo, quod, licet liberos & nepotes, aliosque propinquos non paucos haberet, facultates tamen suas superfluas non ipsis, sed in Religiosis & Sacerdotibus animas lucrantibus donarit, & propinquis eam ob causam murmurantibus dixerit, meliorem se illis hæreditatem, Christi misericordiam relinquere. Certe Simeon Metaphrastes testatur, Deum singulariter ejusmodi misericordiam non in altera dumtaxat, sed etiam in hac vita remunerari.

Per Just. in ejus vi. XLIX. S. Laurentius Justinianus Patriarcha Venetiarum cum aliquando a consanguineo non adeo paupere rogaretur, ut pecunia eum juvaret in filiæ dotem, in hæc verba respondit: Considera, quæso frater, si parum dedero, non est, quo opus habes: si multum dedero, defraudabo multos, ut uni satisfaciam: & propterea quidquid illud est, quod est, ad cibos pauperum potius, quam ad intorios crines, aut margaritas comparaodas traditum est. Igitur ignosce, si dare non possunt.

Niceph. l. 13. hist. Eccl. c. 24. L. S. Olympias vidua & Diaconissa Constantinopoli, cum facultates suas ingentes petentibus, prout sors tulit, distribueret, S. Chrysostomus intentionem quidem laudavit, sed alium modum tenendum esse eidem dixit, eo qood eas pecuoias per propositum pauperibus dandi, ipsi Deo donarit, atque adeo non jam juxta suam, sed Dei voluntatem distribuere debeat, quæ est, ut liberalitatem suam petentium indigentia metiatur. Ex quo tempore in solam Sanctorum curam opes suas impendere constituit, & virtutis amatores liberali manu prosecuta est.

MISERICORDIA IN SPECIE.

Esurientes pascens.

LI. S. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat de facultatibus suis: esurientes alebat. *Tob. 1. 2.*

LII. Clemens VIII. præter tredecim pauperes jam prius in aula Pontificia ali solitos, aliam mensam pro pauperibus peregrinis juxta se parari voluit, quibus optima quæque fercula ex sua mensa submittebat, vilioribus sibi retentis. *Bzov. to. 4. anno 167.*

LIII. Ludovicus IX. Galliarum Rex quotidie centum & viginti pauperes mensa Regia refecit, quocumque terrarum abiisset. *Drex. Gazoph. p. 1. c. 4. §. 2.*

LIV. Carolus Flandriæ Comes tempore famis gravissimæ in Gallia exortæ quotidie cuilibet petenti panem integrum dari præcepit. *Dausolt. p. 4 c. 7. tit. 4. n. 2.*

LV. Quadam die cum Jodocus Britonum Regis filius ad victum quotidianum non haberet, nisi panem modicum pro se, & discipulo suo Vulmaro, & Dominus in specie pauperis adveniret, eleemosynam petens, vir Domini panem dividi jussit in quadrantes, & petenti de quadrantibus unum erogari. Jam vir egressus erat, & ecce revertitur Dominus in forma egeni deficientis inedia, & de secundo panis quadrante satisfactum est ejus petitioni: Nec mora, regressus tertio: quasi esuriens ac deficiens fame, donatus est tertia panis parte, consequenter visus est advenire Dominus in altera inopis effigie, rogaturus eleemosyoam, sicut jam tertio fecerat ante, nec erat, unde reficeretur, nisi de residuo panis quadrante. Eum quoque vir Domini Jodocus paupeti erogari jussit, cui ait Vulmarus: Nihil nobis vis reservare, Pater? volo inquit vir sanctus, totum tribui esurienti, quia potens est Dominus nostræ providere necessitati. Quæ misericordia profecto exemplo caret. Etenim verum quidem est, quod, sicut a principio in assumpto themate dicitur: Deus præcepetit: *frange esurienti panem tuum*, id est, panem tuum cum paupere divide, non tamen præcipit, ut totus illis panis detur, quia charitas incipit a semetipso; tamen sanctus hic vir postulatus omnes quatuor panis quadrantes pauperrimo ipsimet Christo dedit, indeque copiosam remunerationem retulit, vix enim recesserat Dominus, & interim dum consolaretur verus Dei amicus discipulum, de panis crogatione commotum, ecce per fenestram visæ sunt, & iovectæ in alveo fluminis quatuor naviculæ victualibus onustæ, de quibus quis eas adduxerit, vel quo jam victualibus exoneratas reverterit, nescitur usque in hodiernum diem. *Surius to. 6. in vita c. 4.*

LVI. Gerardus certe de Farvaldo ex Ravennæ urbis primoribus fuit, quem grandævæ jam, & perlenilis ætatis olim puerulus vidi, de *S. Petrus Dam. ep. 6.*

de quo nimirum referri frequenter audivi; quia cum aliquando populus inopia laboraret, adeo ut nonnullos etiam valida fames extingueret, ille cum successura sibi nepotum quoque jam sobolis non deesset, accisis frugibus etiam prædia nonnulla distraxit; alimenta, quæ potuit, indigentibus erogavit; ipse quoque patentibus foribus pauperum vallatus agmine comedebat, cibisque consumptis adhuc esuriens, cum vel sibi, vel illis quid adderet, non haberet, eorum compassiones lacrymans flebat; cujus hodieque progenies divitiis floret, & plura quam avita fuerint, patrimonia possidet.

S. Hier. in ep. ad Rust. LVII. S. Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam visceribus Christi erogavit. Nihil illo ditius, qui Christi corpus canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.

Vita l. 2. c. 12. n. 3. LVIII. In vita S. Philippi Nerii legitur, quod, cum anno 1551. in quo extrema fames fuit, ad eum panes aliquot missi fuissent, ipse sciens pauperem quemdam sacerdotem alienigenam, qui in S. Hieronymo commorabatur, in famis angustiis constitutum esse, omnem hunc panem ei dederit, ipse vero pauculis olivis contentus vixerit. Resciens vero idipsum quidam suorum pœnitentium, cum interrogavit, cur saltem ad minus panis illius medietatem sibi non reservasset; respondit se, utpote Romæ omnibus notum, faciles reperturum esse eleemosynarum suppetias, quales peregrinus ille sacerdos nequaquam habiturus esset.

Sitientes potans.

Surius in vita ta. 2. 14. Apr. LIX. In vita S. Lidvvinæ refert Laurentius Surius, quod, dum mulier quædam morbo caduco obnoxia, in publicis plateis frequenter tamquam mortua laberetur, die quadam acciderit, quod hæc deliquia patiens in domum S. hujus Virginis deportata, potum sibi dari petierit. Lydvvina autem immemor vini, quod domi licet in modica quantitate habebat, aquam illi dari jussit, quam in vase quodam conservabat; hanc autem tametsi totaliter epotasset, sitim tamen suam restinguere nequivit, quin potius eadem in faucibus persensit, unde denuo potum sibi dari popofcit; faocta autem Virgo vini, quod habebat, memor facta, illud ei propinari fecit, quo exhausto, nec tamen siti extincta, potum sibi identidem dari petiit; cumque nihil potabile presto esset, pro comparando vino eleemosynam ei largita est, sicque eamdem a se dimisit. Sed audite, quid Surius in eadem historia subjungat: deinde febribus Lydvvina corripientibus, orat patrem, ut pauxillum vini porrigat, quo labia arentia tingantur, non enim memini tunc, fœminam morbidam vinum omne epotasse: porrigit pater poculum filiæ, unde illa mulier biberat, & ecce plenum est optimo vino, divinitus in illud infuso. Stupet virgo, nullum se vinum bibisse melius sentiens, nec tamen patri, indicat, unde sit, licet & ille stupens admiretur, neque colorem, neque saporem ejus unquam perire.

LX. Author Catechismi exemplorum ex B. Petro Damiano aliud quoddam refert, priori non inferius miraculum. Cum enim Episcopus quidam sitim patiens pincernæ suo, ut potum sibi daret, præcepisset: hic vas quoddam, in quo vinum sufficiens fuerat, totaliter evacuavit: adeo ut præter unicum vini schyphum in illo nil superesset: in ipso vero actu, quo vinum hoc ori admovit, superveniens pauper quidam, qui se præ siti mori dicens, potum sibi dari poscebat: unde pientissimus Prælatus hoc se vino privans, pauperi illud dari jussit, tametsi a pincerna suo in vase vini nihil amplius superesse intellexisset. In his ergo fortis Episcopus angustiis deprehensus, cum & hinc vim sitis sustineri non posset, illinc autem alio periclitante, se bibere impium judicans avertit se a se, fratrique laboranti in necessitate succurrit: Præcepit ergo, pauperi vinum dari. Sed jam quo spes bibendi defecerat omnino, eo sitis Episcopi atrocius sævierat, mandavit ministro, ut vinarium vas requireret, si forte aliquam consolationis stillam vel perexiguam reperiret, qui diutius abnegans, nihilque se reservasse constanter affirmans, tandem non spe erectus, sed imperio magis oppressus, paruit, & vas, quod vacuum reliquerat, plenum vino nimium admiratus invenit. *Mansi d. 22. n. 4.*

LXI. Refert Baronius, aliique authores indubitato testimonio historiam confirmant, quod Leoni Majorano primo hujus nominis prognosticata fuerit ejus ad imperium assumptio, idque ob merita subsidii, quod cæco cuidam sitibundo in vasta sylva oberranti contulit, tum eidem in extrema siti potum ministrando, tum pariter ex magna compassione eumdem instar viæ ducis in rectam viam deducendo: idem quoque Leo vocem quamdam e cælo delapsam audivit, quæ imperialem dignitatem primo quoque ei tempore adventuram certo denuntiavit, ita inquiens: Leo Imperator, densum hunc & umbrosum locum ingressus turbidam aquam hauri, eaque sitim hominis ægri refice, & limum cœnosum manibus cape, quo cæco oculos inungas. *Baronius ann. 457. n. 6.*

LXII. Leo primus quia potum cæco sitienti, cui ducem se itineris obtulerat, procurarat, & a B. Virgine cæno oculos cæci oblinire jussus paruerat, & visum cæco illico restituit, & prædictionem de Imperii regimine sibi credendo audire meruit. *Baronius ad ann. 457.*

LXIII. Episcopus quidam dum gravi siti vexatus omne, quod in dolio superfuerat, exhaustum vinum jam jamque ori admoveret, nec aliud eo in loco reperire posset, pauper subito interveniens, nimiaque ariditate vexatus, sibi vinum hoc dari petiit, quod quia obtulit Episcopus genium suum defraudans, famulus ad dolium exhaustum redire jussus, optimo vino repletum invenit. *Daurols. p. 4. c. 7. tit. 6. n. 3.*

Nudos vestiens.

Sulpit. in vit. c. 2. LXIV. S. Martinus adhuc Catechumenus, quia mediam vestem gladio abscissam pauperi dedit, in eadem paulo post Christum videre, dicentem: Martinus Catechumenus hac veste me vestivit, audire meruit.

Sur. to. 2. 30. Apr. LXV. S. Catharina Senensis cum quondam Christus in forma juvenis peregrini illi apparuisset, vestemque petiisset, tunicam non manicatam interiorem, quam propter frigus induerat, exuens porrexit, nesciens esse Christum. Sequenti autem nocte Christus ei apparens in illa tunica gemmis conspicua promisit se vestem ei invisibilem, qua omne frigus arceretur, daturum, quod & factum; ex eo quippe tempore nullum amplius frigus sensit.

Tho Cantipr. l. 2. apum. c. 24. p. 14. LXVI. Theobaldus Comes Carnotensis cum in summo frigore nudum pauperem obvium habuisset, & hic cappam prius, postea reliquam etiam vestem petiisset, usque ad indusium se exuens dabat. Cum vero is etiam pileolum, quo calvum caput tegebat Theobaldus peteret, hic per calvitiem quidem se excusavit, sed quia rejecta hac petitione pauper relictis vestibus evanuit, Christum fuisse colligens, doluit & pileolum illum non se obtulisse.

Cornel. a Lapide in c. 22. Pro. LXVII. Memorabile est, quod de S. Liberali nobili Altinate, & Tarvisii Protectore legimus, eum in ægros, & pauperes mire fuisse liberalem, ideoque multos a variis morbis curasse, adeoque una die centum viginti personis sanitatem divina virtute impertivisse. Cum vero hyemis tempore ad Ecclesiam cathedralem pergeret, pauperi nudo, & frigore trementi obvio, sibi vestem detractam tradidit, qui illi sequenti nocte apparens, Christum se esse dixit, & vestem restituit, quam ille induens, a periculis non semel servatus est.

Bellov. l. 3. d. 21. LXVIII. S. Franciscus cum vestem novam, quam pro se paraverat, pauperi militi induisset, nocte sequenti vidit Dominum vestibus illis indutum, & palatium speciosum, & magnum cum armis militaribus insignitum, cumque inquireret, cujus esset palatium, & quid significarent arma, & cujus essent, responsum fuit, quod S. Francisci.

Th. Cantipr. l. 2. c. 25. §. 34. LXIX. Domina Aleidis Carnotensium ac Blesensium Comitissa mihi de avo suo retulit, dicens: Nobilissimus ac potentissimus in Baronibus Galliæ Comes Carnotensium ac Blesensium pariter Theobaldus, liberalissimus omnium suo tempore extitit in donando. Iste hyeme media, quæ tunc solito magis inhorruit, per viam cum multitudine transiens, obvium habuit pauperem nudum, quo clamante, respondit Comes, quid petis? cui pauper: da inquit, cappam, quam habes indutam, nec mora: Comes extractam pauperi dedit, dicens: si quid vis amplius, petas; & pauper: da mihi supertunicale, quod habes quo statim habito, petivit tunicam, quam ut Comes dedit, remansit in linteis: cui pauper: vides, inquit, o Comes, quod caput rasum habeam, & nudum; da igitur & pileum: tunc Comes paululum erubescens, calvus enim erat: Nunc, inquit, Charissime nimium infestis, quia hoc ipse carere non possum: quo dicto, relictis vestibus, pauper evanuit; Comes vero de equo cadens, plaustum lamentabilem fecit, & omni tempore postea tale quid cavens, Omnipotenti se tribuit.

LXX. Nudum, quem forte offenderat, pauperem indumento juvare ex Evangelica doctrina volebat Joannes a S. Facundo, Ordinis Eremitarum, cum illa incessit dubitatio, quanam ex duabus, quas domi habebat, tunicas, indueret, altera cinerei coloris erat obsoletior, cærulei altera elegantior, festis diebus destinata; expedita fuit consultatio misericordiæ: meliorem dedit, ut optime daret. Non tulit proximam noctem infrugiferam illi abire magnus ille misericordiæ Parens Deus, sed tanta divinæ voluptatis ubertate homini affuit, ut vere festam memorabili per omnem deinceps ætatem eventu illam egerit. *Rho l. 1. c. 7. n. 3.*

Captivos redimens.

LXXI. In vita B. Petri Nolasci, quanti meriti, quamque Deo accepta sit hæc misericordia, & charitas, liberare mancipia, manifeste deducitur: Deiparæ enim auspiciis, adeoque monitu, institutus est cœtus, qui in id incumberet, ut corrogata undique stipe, Christianos, qui apud Mauros in Hispania, & Africa acerbissimam serviebant servitutem, redimerent. Ipsa virgo hujus divini consilii administros legit, mystico seorsim quemque somnio eodem tempore admonitum Jacobum Regem Arragoniæ, Balearium, Valentiæque expugnatorem, Raymundum a Pennafort ex Ordine Prædicatorum, & Petrum Nolascum. *Bolland. in vita.*

LXXII. Victor Uticensis de quodam Episcopo ita scribit: Deo gratias, Archiepiscopus Carthaginensis vasa sacra vendidit, ut Christianos a Wandalis captos redimeret. *Victor Utic. l. 1. hist.*

LXXIII. S. Paulinus cum vidua eleemosynam pro filio redimendo petente nihil haberet aliud, quod daret, quam seipsum, se prompte obtulisset, venditusque ab ea Regi Wandalorum, hortulanum industrium sat longo tempore egisset, tandem prodere se coactus, & ipse libertatem obtinuit, & omnes reliquos suæ urbis concaptivos secum abducere permissus est. *Vrand. S. Gregor. l. 3. Dial. c. 1.*

LXXIV. S. Sanctulus quia, ut Diaconum captivum liberaret, seipsum obsidium dederat, eo fugiente, jam ad mortem capite plectendus ducebatur a Longobardis: sed quia carnifex brachium, quod ad feriendum extenderat, demittere amplius non potuit, ab iisdem liber dimissus est. *S. Greg. l. 3. Dial. c. 37.*

LXXV. Acacius Episcopus Amidensis cum septem millia Persarum a Romanis in captivitatem abducta intellexisset, neque pecunia ad tantam multitudinem redimendam suppeteret, vasa & ornamenta Ecclesiæ vendidit, pretioque redemptos captivos, & epulis prius, viaticoque refectos ad Regem suum misit. *Niceph. l. 14. hist. Eccles. c. 22.*

In-

Infirmos viſitans.

Niceph. l.11. c.35. LXXVI. Apollonius cum ob ætatem nec litteras, nec aliam artem diſcere poſſet, ſuis pecuniis & laboribus tum medicamenta, tum alia ad refocillationem ægrorum pertinentia emebat, eaque ad vicina monaſteria deferebat, atque in hoc exercitio ad finem uſque vitæ perduravit.

Sur. to. 3. 20. Maii. LXXVII. S. Bernardinus cum anno 1400. peſtis generalis graſſaretur, multique infirmi, & peregrini ad Senenſe hoſpitale confugerent, aſſumptis ſecum duodecim juvenibus conſilio ſuo perſuaſis, ſumma cum charitate ægris inſerviebat ipſe diu, noctuque illis adſtabat, cibos & pharmaca parabat, & miniſtrabat, ſordes efferebat, lectos ſternebat, cum illis plorabat, ridebat, canebat, blandiebatur, Sacramentis ultimis muniebat, ſepeliebat; quo facto; ut Deus & ſanitatem illius illæſam, ut pluribus ſervire poſſet, cuſtodierit, & ſingularibus eum gratiis, favoribuſque præmiarit.

Sur. to. 4. 13. Aug. LXXVIII. S. Radegundis Regina leproſas mulieres non modo menſæ adhibuit; ſed etiam oſculabatur, abluebat, ungebat ulcera, & recedentibus auri vel veſtimenti donaria offerebat.

Ibid. to. 2. 29. April. LXXIX. S. Catharina Senenſis fœminæ cancro laboranti, cui ob fœtorem intolerabilem nemo ſervire volebat, ſumma cum charitate inſerviit, & cum quondam horrorem ſentiret, ad hunc & ſeipſam, ac diabolum vincendos, os & nares horrendo, & fœtenti vulneri immerſit.

Caeſar. l. 9. c. 33. LXXX. In Saliſburgenſi Eccleſia jam a multo tempore Religioſi extiterunt Epiſcopi; ex quibus unus infirmorum, ſeu leproſorum lares ſtudioſe etiam quandoque per ſemetipſum viſitavit. Die quodam tuguriolum quoddam intrans, & leproſum, ut ei viſum eſt, hominem lecto decubantem, ac gementem reperiens, ſi aliquid vellet, exquiſivit. Cui cum ille reſponderet: Corpus Chriſti deſidero, Epiſcopus feſtinus abiit, & attulit, orique leproſi, qui valde horridus videbatur, cum cautela, qua potuit, immiſit; ille vero ad comprobandam Antiſtitis fidem, antequam maſticaſſet Euchariſtiam, nauſeam ſimulavit, & cum fœdiſſimo vomitu, quod ſumpſerat, rejecit; Epiſcopus vero territus, manibus mento ejus ſuppoſitis, ejectas recepit immunditias, quas ſtatim in os mittens ſumpſit, ob honorem Sacramenti. Poſtea cum eumdem leproſum viſitare vellet, & non inveniret, dictum eſt ei a circumſtantibus, quod multo tempore in eadem domuncula nullus habitaſſet leproſus & cognovit vir Deo plenus, tum ex teſtimonio referentium, tum ex gratia, ex prædicta ſumptione recepta, quia Chriſtus eſſet, qui multis modis electorum ſuorum conſtantiam probare conſuevit.

Ib. c. 13. LXXXI. Eo tempore, quo Albigenſium hæreſis pullulare cœpit, contigiſſe dicitur, quod narro. Erat in regno Francorum Epiſcopus quidam, ætate juvenis, ſed magnæ Religionis; nominis, ſive Diœceſis ejus non memini. Hic tantæ fuit pietatis, ac miſericordiæ, ac humilitatis, ut equitans in via neminem leproſorum ſibi occurrentium ſine eleemoſyna prætereret; ſæpe de equo deſcendit, & petentes præveniens, nummis manibus illorum tamquam Chriſti gazophylacio immiſſis, atque deoſculatis, iterum aſcendit, & proceſſit. Die quadam dum per viam publicam procederet, leproſus quidam ſecus viam ſtans in agro, voce rauciſſima, ut ſui miſereretur, clamavit, eratque aſpectus ejus tam horridus, & quaſi a lepra tam corroſus, ut oculus humanus non ſine cruciatu illum ſuſpicere poſſet, quem ut S. Epiſcopus vidit, miſericordia motus, mox de equo ruens, & ad illum currens, obtulit eleemoſynam, ad quem leproſus: non ſunt mihi neceſſarii nummi tui; cui cum Epiſcopus reſponderet: quid ergo vis, ut faciam tibi? ille ſubjunxit: ut putredinem hujus infirmitatis meæ abſtergas, digito oſtendens carunculam de naribus pendentem magni fœtoris, & horroris, quam cum vir beatus, Chriſti amore ſuccenſus manu tergeret, clamavit ille dicens: ceſſa, ceſſa, aſperitatem digitorum tuorum tolerare non valeo; cumque adhiberet partem camiſiæ ſuæ, quæ de panno erat ſatis ſubtili, ſimili clamore prohibitus eſt; tunc Epiſcopus, ſi pati non potes manum, ſi non pannum delicatum, unde vis ut abſtergatur? Nihil aliud patiar, reponit alter, præter linctionem linguæ tuæ. Mox ad illud verbum lucta non modica oriri cœpit in corde Pontificis inter gratiam, & naturam; illa ut fieret, volente; iſta contradicente. Sed gratia Dei cooperante, & naturæ vim faciente, linguam appoſuit, & propoſcidem elephantinam linxit. Mira res! Mox de naribus ejus, qui leproſus videbatur, gemma pretioſiſſima lapſa eſt in os Pontificis, & ut oſtenderet ſe eſſe Chriſtum, qui ad probandam Epiſcopi virtutem ſe finxerat leproſum, in oculis ejus glorioſe cælum aſcendit; & quia ejuſdem gloriæ particeps futurus eſſet Epiſcopus, aſcendens repromiſit. **D. Gerardus Abbas noſter, rediens de Capitulo Generali hæc nobis retulit,** aſſerens, tunc recenter fuiſſe geſta.

LXXXII. De beata Eliſabeth dicitur, Bellovacenſi referente, quod cum ipſa eſſet de genere regio, imo Regis Hungaricæ filia, viro ſuo mortuo, relicta pompa ſæculi hoſpitale conſtruxerit, ubi pauperes recipiebat, & infirmos omni genere infirmitatis, leproſis, & contractis, quos ancillæ & alii abominabantur tangere, & aſpicere, pedes & capita abluebat, & vulnerum cicatrices & ulcera, & ſcabiem, quaſi ipſi Chriſto faceret hæc officia pietatis. *Manſi dis. 4. n. 3.*

LXXXIII. De S. Agnello Abbate & protectore urbis Neapolitanæ, in ejus vita, per Cæſarem Franciotti deſcripta, legitur, quod, cum ex accepta poſt mortem Patris ſui hæreditate, hoſpitale quoddam juxta Eccleſiam B. Virginis fabricaſſet, in eoque cæcos, claudos, omneſque alios deſolatos benigne excepiſſet, eoſdem in propria perſona curaverit, ſtudioſeque illis inſervierit: Cum vero poſt a ſe miraculoſe liberatam ab obſidione civitatem Neapolitanam, in ſolitudinem quamdam ſe ſubduxiſſet, ut populi effugeret applauſum *Ibid. d. 21. n. 1.*

I a & ve-

venerationem, in eaque septem annis & novem mensibus perstitisset, B. Virgo tandem eidem apparuit, eique dixit, quod male fecisset, hospitale a se fabricatum deserendo, siquidem ibidem infirmis serviendo, longe excellentiora sibi comparaturus fuisset merita.

Ibid. LXXXIV. Similiter insignis ille Dei servus Camillus de Lellis, fundator Congregationis ministrantium infirmis, quondam Philippi Nerii spiritualis filius, hospitalia auri fodinas appellare solitus erat, siquidem in iis homo opulentus evadere, & cælum lucrari possit. In servitio infirmorum adeo excessivam habebat complacentiam, ut, dum die quadam civitate Ortana apud Vicarium Generalem loci illius in hospitio esset, eique mensæ accubituro manutergium odoribus fragrans porrectum fuisset, illud veluti nauseans dextre socio suo dedit, qui ei dixit: Si hi boni odores vobis displicent, quid de fœtoribus hospitalium futurum erit? Cui Camillus prompte respondit: Non credo in Mundo agrum reperiri floribus odoriferis plenum, qui magis me oblectare possit, quam hospitalium fœtores.

Ibid. LXXXV. In vitis Patrum dicitur, ut Bellovacensi ait: quod, cum quidam solitarius pauper per triginta dies ægrotaret solus, carens humana visitatione, habuit Angelum sibi ministrantem per octo dies; cum autem venissent fratres ad eum, recessit, & clamavit infirmus: Recedite, fratres, quia administrator meus in adventu vestro recessit.

Peregrinos suscipiens.

S. Greg. l. 4. 39. in 1 Evang. LXXXVI. S. Gregorius sequentem, quæ suo sæculo contigit, refert historiam. Epiphanius Diaconus, Isauria Provincia ortus, in vicina factum terra Lycaoniæ solet narrare miraculum: Ait enim; quod in ea quidam Martyrius nomine, vitæ valde venerabilis Monachus fuit, qui ex suo Monasterio visitationis gratia ad aliud Monasterium tendebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque, leprosum quemdam, quem densis vulneribus Elephantinis morbus per membra fœdaverat, invenit in via, volentem ad suum hospitium redire, sed præ lassitudine non valentem. In ipso vero itinere se habere perhibebat hospitium, quo idem Martyrius Monachus ire festinabat. Vir autem Dei ejusdem leprosi lassitudinis misertus, pallium, quo vestiebatur, in terram protinus projecit, & expandit, ac desuper leprosum posuit, eumque suo pallio undique constrictum, super humerum levavit, secumque revertens detulit; cumque jam Monasterii foribus propinquaret, spiritualis Pater ejusdem Monasterii magnis vocibus clamare cœpit: Currite, januas Monasterii citius aperite, quia Martyrius venit Dominum portans: statim vero ut Martyrius ad Monasterii aditum pervenit, is, qui leprosus esse putabatur, de collo ejus exiliens, & in ea specie apparens, quia recognosci ab hominibus solet Redemptor humani generis, Deus & homo, Christus Jesus, ad cælum, Martyrio aspiciente, rediit, eoque ascendens dixit: Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cælos. Qui sanctus vir, mox, ut est Monasterium ingressus, ei Pater Monasterii dixit: Frater Martyri, ubi est, quem portabas? cui ille respondens dixit: Ego si scivissem, quis esset, pedes illius tenuissem. Tunc idem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus ejus minime sensisset. Nec mirum, quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat? qua in re pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera conjungat. Inde enim ei, qui est super omnia, propinquamus, unde nos per compassionem proximi etiam sub nosmetipsos deponimus. Paulo post vero idem sanctus Doctor, id quod Redemptor noster in judicii finalis examine eventurum esse prædixit, multis in occasionibus diu ante illud tempus exequendo compleri dicit: Ait enim: Ecce Redemptori generis humani ad ædificationem nostram minime sufficit, quod in extremo judicio dicturum se esse perhibuit: Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis, nisi & ante judicium hoc in se, quod dixisset, demonstraret, quia quisquis nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hæc specialiter impendit, cujus hæc amore exhibuerit. Et tanto plus quisque majorem mercedem recipit, quanto nec eum despicit, qui amplius despiciendus videtur; quid enim in humana carne sublimius carne Christi, quæ est super Angelos exaltata? Et quid in humana carne abjectius carne leprosi, quæ tumescentibus vulneribus scinditur, & exhalantibus fœtoribus impletur?

LXXXVII. Idem narrat, quod quidam bonus homo erat, qui libenter recipiebat, & pascebat pauperes, & quadam die venit Dominus ad domum illius in specie peregrini pauperis, quem cum ille recepisset, & vellet dare aquam manibus illius, ut pranderet, vertit se, ut acciperet aquam, & Dominus disparuit: Quo facto cum ille stupefactus esset, in sequenti nocte apparuit ei in visu Dominus, dicens: Cæteris diebus recipiebas me in membris meis, sed hodie me in persona propria recepisti. *Ap. Marul. l. 2. c. 1.*

LXXXVIII. In vitis Patrum legitur, quod quidam senex sanctus in eremo Ægypti habitabat; in eadem eremo erat quidam sacerdos Manichæorum, qui, cum vellet visitare quemdam suæ sectæ, & non invenisset eum, necessitate compulsus, pulsavit ad ostium cellæ senis illius, qui ei aperiens, eum cum hilaritate suscepit, refecit, & lectum ei paravit, licet ejus conditionem bene cognosceret. Manichæus autem tota nocte cogitans de ejus charitate dicebat: Vere servus Dei est iste. In mane autem, ejus provolutus pedibus dedit se conversum, nec ultra voluit ab eo recedere. *Ib. l. 6. c. n. 8.*

LXXXIX. Cum quædam mulier nobilis consueta esset recipere pauperes, & eis servire propriis manibus, & abluere pedes eorum, invito viro, & inhibente; & invenisset ante domum suam pauperem miserabiliter, ut videbatur, afflictum, & ulcerosum, compassa du- *Ibid. n. 1.*

duxit eum in domum suam, viro suo absente, & cum peteret balneum, paravit ei; post cum diceret, quod non posset quiescere, nisi in molli lecto, posuit eum in camera sua; cum autem vir ejus veniens cameram intrasset, in lecto uxoris invenit dictum infirmum, quem cum crederet adulterum, & vellet eum occidere, super lectum apparuit ei Dominus nudus in ea forma, in qua pependit in cruce, dicens: Quid me persequeris, qui pro te hic passus sum? cum autem ad terram prostratus oculos erigeret, nihil invenit, & conversus est ad Dominum.

In vita l. 1. c. 11. XC. In vita P. Magistri Avilæ viri sanctissimæ vitæ & celeberrimi prædicatoris legitur, quod, cum aliquando pedes pauperis cujusdam lavisset, & abstersisset, volens se ad eosdem osculandos inclinare, viderit in pedibus vulnus quoddam luminosum, unde dum se erigens pauperem in facie suspiceret, eumdem sibi dicentem audivit: Mihi fit, o Joannes, quod ex amore mei pauperibus præstatur.

S. Greg. Tur. l. 10. hist. c. 31. XCI. S. Gregorius de cive quodam Antiocheno refert, eum in virtute hospitalitatis adeo fuisse ferventem, ut diem nullam, quin secum in mensa pauperem quempiam teneret, transire pateretur; die quadam vero postquam totam circumiisset civitatem, nec pauperum quemquam offenderat, exiit foras extra muros, tandemque circa vesperam virum quemdam insignem candida indutum veste in medio duorum stantem reperit, quem peregrinum esse credens, in domum suam ut diverteret, instanter rogavit, quam petitionem vir ille dissimulans, his verbis civem prædictum est allocutus: Non poteras, o homo Dei, cum Simeone vestro hanc urbem salvare, ne subverteretur? vix hæc dixerat, cum super mediam urbis illius partem vir ille alba veste indutus, sudarium, quod tenebat, excutiebat & statim tota illa pars concidit. Perhorruit civis ille, reliquom urbis eversurus jam signum extulerat, cum duorum comitum, quos diximus, precibus indulgens, destitit, atque ita Antiochenum hominem jacentem ac semimortuum erigens est consolatus. Abi domum tuam, filii tui cum uxore salvi sunt, defendit enim te & assidua oratio, & eleemosynæ, quas quotidie in pauperes exerces; quibus dictis, & ipse & socii evanuerunt.

S. Greg. ho. 23. in Evang. XCII. Quidam pater familias, cum quotidie peregrinos susciperet, summaque cura ministraret, & semel cuipiam aquam ministrare vellet, ille subito disparuit. Ut vero consideraret, quis fuerit, Dominus per visionem ei dixit: Reliquis diebus me in membris, heri autem in meipso suscepisti.

Discip. p. 4. c. 7. sis 10. n. 9. XCIII. Romæ vir quidam pius cum propter hospitalitatem peregrinos excipiendi pauper effectus esset, nocte quapiam semivigilans hanc audivit vocem: Vidi charitatem tuam & misericordiam tuam; volo autem illam non solum in futuro, sed etiam de præsenti honorare; loquere illi diviti, ut vineam suam deteriorem cum vinea tua permutet (quod ille libenter faciet) in ejusmodi fodiens invenies, quo paupertatem subleves. Paruit ille tandem post tertiam monitionem, fodiensque cum filiis tandem vas marmoreum plenum aqua, & in ore vasis ollam vitream plena balsamo, & in orificio ollæ vas parvum fictile, in eoque tres lapides pretiosos, nimirum saphirum, smaragdum, & carbunculum reperit: Et aquam quidem ignorans ejus virtutem (nam effusa, statim instrumenta ferrea, quæ tetigit, in pulcherrimam auri speciem convertit) effudit, pro reliquis autem venditis ingentem pecuniæ summam accepit.

XCIV. S. Hieronymus de se, sociisque scribit: Nobis in Monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus. Imo alibi ait, nullam horam, nullumque momentum esse, in quo non fratrum turbis occurrerit, & Monasterii solitudinem hospitum frequentia commutarit. *In Apol. ad Rufin.*

XCV. S. Sampson hospitum exceptor dictus, licet genere clarus ex urbe Romana, post Theologiæ, & medicinæ studia absoluta, Constantinopolim se contulit, ædesque pro recipiendis pauperibus, & peregrinis exstruxit, atque in illis corporalibus & spiritualibus obsequiis juvit. *In Ibo 27. Jun.*

XCVI. S. Silvester Pontifex omnes peregrinos Romam venientes magna cum charitate excipiebat, pedes abluebat, & in lecto collocabat, ita ut cum Job dicere jure posset: foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit. *Surius 10. Dec.* *Job. 31. v. 32.*

Sepulturam ministrans.

XCVII. Anno Domini 1007. Otho Imperator Ratisbonæ S. Romualdum Abbatem Monasterii S. Emmerani mortuum propris humeris, cum Henrico Rege ad sepulturam portavit. *Baron. An. 1007.*

XCVIII. S. Tobias in mediis epulis inter cognatos existens, ubi audit, unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea, exiliit, & corpus in domum suam portavit, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum. *Tob. 2. v. 3.*

XCIX. In vitis Patrum legitur, quod, cum Abbas Mutius, esset gentilis, & princeps latronum, & vellet spoliare domum virginis sacræ, ad visionem Judicis convertitur. Hic multa cura sepeliebat Christianos, & vestibus aptabat, quos primo consueverat occidere & spoliare, qui ex hoc factus est Princeps Monachorum. Cum autem mortuum sepeliret, ait ei discipulus suus: Num Pater, cum tanta diligentia me sepelies? Cui respondit: Et hoc faciam; cum autem eum mortuum sepeliret, diligenter clamavit, quærens a mortuo, si sufficeret ei: qui respondit: sufficit, implesti promissum. Hic summæ perfectionis ex hoc factus est; & post multa miracula quievit in pace. *Mauss d. 6. n. 7.*

C. Ultima, quia in hoc miseriarum salo calamitate, humana jactari potest imbecillitas, cadaverum a sepulchris proscriptio, omnium ferme gentium consensione censetur. Barbarorum est insepultos abjicere, & plusquam barbara immanitas e sepulchris eruere; quod fieri posse ubi longinquis bellis Romano fuit persuasum, cadavera cremare instituit, materiamque subtrahere sæviendi. Verum tanta est ali- *Jo. Rho l. 2. c. 7. n. 16.*

aliquando tabescentium cadaverum deformitas, ut robustissimam etiam exerceat charitatem. Vicit nihilominus, quamquam horrori periculum ingens jungeretur, Ludovici Bargæi Ord. Min. animi ardor, majorque fuit, quam ut absterreri posset: septingenta pestilentia corpora paucis mensibus, postquam viventibus sacra ministrasset, Christiano ritu composuit, suaque manu terræ infodit, magna futuræ olim segetis semina, cum quibus & hominis charitas triumphabit.

Ib. §. 17. CI. Joannis Baptistæ Vaccherii virtus, si non rerum numero, certe pondere est comparanda. Nicææ Provinciæ, qua in urbe nobili loco natus jus dicebat inter cives, paulatim misericordia provehi cœpit. Primus gradus fuit pauperum, viduarum, ac pupillorum causas ultro suscipere, operamque sedulam ac strenuam illis navare. Secundus, in collegium pauperum suorum procuratorum nomen dare, quod cum non reciperetur, ut hominis, quem ipsa nobilitas ab illo opere, si collega jam esset, eximium habitura videretur; ipse sponte miselli hominis funus composuit totulitque sepulturæ, quo facto quum se collegis probasset, ita ad eam rem exinde incubuit, ut pueros haberet emissarios, qui de humilium obitu monerent, ut relicto foro, ac judiciis, eo primus accurreret. Tertius gradus fuit, una cum uxore publicum in Nosocomium secedere, seque totum diurna nocturnaque opera ægris juvandis addicere, ut satis virtutem suscipere non possent se despicientis, atque pro Christo ad ultima abjicientis, qui viri nobilitatem, jurisprudentiam, & honores, ac dignitates noverant. Postremo ut sui plenissime victorem esse constaret, fugientibus omnibus, qui cadaveribus humandis pretio operam locant, unus ipse ausus est cadaver multa jam tabe fluens, atque odore longe teterrimo pestilens, quod vix unco vespillones attrectassent, per otium allevare, componere, atque in sepulchrum inferre, procul spectantibus atque horrentibus: quibus minor charitas adversus hæc misericordia plusquam triplice, minime pectus munierat.

Manl. l. 47. n. 6. CII. Marcianus, quia in via obvium hominem quemdam recenter occisum, ex motivo pietatis sepeliisset, de scelere hujus homicidii a se patrati in suspicionem tractus mortis quidem condemnatus fuit; at vero reo hujus sceleris divina providentia detecto, absolutus fuit, & in progressu temporis ad sceptrum imperiale evectus, maritus factus est Pulcheriæ sororis Theodosii, variosque felicissimos deinde habuit eventus, prout legitur in annalibus Ecclesiasticis Anno 450.

Ibid. CIII. In Martyrologio Romano octavo Decembris S. Eutychiani Papæ natalis occurrit; Inter cujus alia merita pariter legitur, quod 342. corpora Martyrum sua manu sepelierit.

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

Erga egenos,

I. S. Ignatius pauperibus facile tribuebat, quod poterat; Apostatas tamen, aut Religionis desertores ne obolo quidem juvandos (nisi forte ut converterentur) censebat, diaboli enim cooatibus adversandum, non suffragandum. Ribad. l. 1. c. 22.

II. S. Franciscus Xaverius cum Comorinenses Neophyti summa egestate affligerentur, viginti naviculas onustas commeatu ad eos perduxit, omnibus modis illos consolans. Vit. l. 3. c. 20.

III. P. Petrus Faber magnam semper curam pauperum habuit, ita ut scruplum aliquando senserit, quod, non pro eorum sublevatione stipem ostiatim mendicarit. Moguntiæ effecit, ut vaga mendicorum turba loco certo & tecto exciperetur. Vita l. 2. c. 13.

IV. Primi Patres licet ipsimet in magna egestate constituti essent, tamen Romæ Anno 1538. in summa annonæ caritate pauperes e plateis in suam ipsorum domum deportabant, & cibo, igne, veste, lecto juvabant. Sic quadringentis mendicis subvenerunt; omnes tamen prius confiteri debebant. Hist. Soc. P. 1. l. 2. n. 30.

V. P. Nunnius Riberius tanto in egenos afflictosque Christianos affectu ferebatur, ut, cum aliud non haberet, sæpe vestes sibi detraheret, quibus eos seminudos involveret, ipseque, quo se tegeret, non haberet. Hist. Soc. P. 2. l. 9. n. 123.

VI. P. Hieronymus Natalis, ut pauperibus succurreret, Messanæ anno 1552. communem pietatis acervum (montem pietatis vocant) institui curavit. Ib. l. 12. n. 10.

VII. Alvarus Mendius Magostani in Arabia centum, & quinquaginta ex iis, qui ex Armuzia Turcarum metu profugerant, conquisita stipe sustentavit. Ib. l. 13. n. 229.

VIII. Cum aliquando mendicus ter P. Franciscum Lopez stipem rogasset, nihilque haberet, partem de sua toga abscidit, & dedit. Alias cum fœminam mortuam nudam reperisset, proprium indusium exuit, eamque texit. Alio tempore pallium suum pauperi dedit, & ipse se ferina pelle texit. Litter. Æthiop.

IX. P. Bernardinum Realinum pauperes ut rerum suarum diligentem procuratorem, tutorem exactum, amantissimum Patrem agnoscebant, rem illorum angustam domi dilatabat, ditabatque. Dum fratres misericordiæ bis in hebdomade prandium captivis præbebant, & inserviebant, ipse, ut particeps fieret pii operis, tum in culina ministrabat aquam hauriens, ligna afferens, lances extergens. Vita c. 19.

Erga infirmos.

X. S. Ignatius erga infirmos tanta ferebatur charitate, ut cum aliquem in morbum incidisse audiret, totus quodammodo contremisceret: jubebat, ut ipse Rector mox, ubi in morbum quis incidisset, ad se id referret. Oblonatorem quoque bis quotidie significare jubebat, num præfecto infirmorum emisisset, quæ petiverat. Quod si pecunia suppetebat, dome- Lancic. opusc. 12. n. 72.

sti-

ſticam ſupellectilem vendi jubebat, pluris ſibi dicens, unius fratris eſſe ſalutem, quam mille theſauros. Cum ipſe ægrotaret, omnibus aliis curis abdicatis curam tamen infirmorum retinebat. Cumque de nocte cuidam ſanguis eſſet miſſus, ad multam noctem vigilabat, & bis, terve mittebat, qui, num brachium circumligatum eſſe commode, exploraret: ne forte ſoluta vena ſanguis efflueret.

Lib. 3. c. 9. vit. XI. S. Franciſcus Xaverius, cum primi Patris Venetiis publica valetudinaria curanda inter ſe dividerent, ægrorum inſanabilium curam ſibi depopoſcit, tantaque cura, ac charitate geſſit, ut pietas ejus ex vultu, & oculis eluceret, multique ad novæ rei famam concurrerent. Ægrum nactus venerea lue infectum hoc impenſius curabat, quo magis ab illo animus natura uſuque delicatus abhorrebat: quinimo ad vincendum hunc horrorem ſanguinem ex ulcere hauriebat, eoque conſecutus eſt, ut morbos, quorum alii vel aſpectum horrebant, ipſe cum voluptate tractaret.

Vit. l. 3. c. 6. XII. S. Franciſcus Borgias cum peſtilens lues Romæ crudeliter graſſaretur, mox ſocios ad Pontificem, & Senatum Romanum, qui periculum denuntiarent, ablegavit, effecitque, ut ægris egenis ex publico ærario omnia darentur, & per ſocios in quindecim vicos vel regiones diſtributos, tam animis, quam corporibus optime proſpiceretur.

Hiſt. ſoc. l. 10. n. 120. XIII. P. Joannes Nunnius cum ſocio medicinæ artem didicit non alia de cauſa, quam ut ægrotis captivis mederi poſſet, quod & fecit; & ſi quos periculoſius ægros advertit in ſuam domum tranſtulit. Quod ſi vero etiam captivi quidam ſervi dominis ſuis ob morbos laborare non poſſent, ipſe eorum vices ſupplebat; ſæpeque de nocte collectas captivorum ſordes exportabat.

Ann. Provinc. 1597. XIV. P. Franciſcus Februires Fuldæ tanta charitate peſte afflatis miniſtrabat, ut ægre ferret, ſe ad collegium revocari.

Ann. Belg. 1597. XV. Coclitii cum quidam ex noſtris reſciviſſet, antrum quoddam eſſe teterrimo pœdore afflatum, ubi homines aliquot peſte correpti ſine auxilio jacerent, ipſe ſolus ingreſſus reperit magnum utriuſque ſexus numerum, alios ſuper alios animam agentes, quos omnes tamen prius confeſſione expiavit.

Ann. Mexic. 1599. XVI. Franciſcus a Villa Regali Coadjutor & Angelopoli, & in Mexico pueros binos ob luem peſtilentem & fœtorem intolerabilem ab omnibus relictos, cum magno charitatis fervore adiit, & tam ſollicite in omnibus miniſtravit, ut nihil deſiderari amplius poſſet.

Pro. Aqu. 1544. XVII. P. Raymundus Verderius ingruente lue in Collegium Burdigalenſe, procumbens in faciem magno affectu rogavit Deum, ut aliorum exitium in ſuum caput converteret. Dixit, ægrotavit, obiit, reliquis omnibus ſalvis remanentibus.

Alia.

Jo. Rho. l. 1. 3. 3. n. 3. ex noſtris. XVIII. Eaſdem per artes animis curandis intendit Nonnius Barretus, quem Apoſtolicæ virtutis nomine ab Ignatio commendatum, Abaſſinorum inſulis Paulus III. Pontifex adornavit. Has priuſquam indueret, Tituani operoſiſſima diu exercitus miſericordia, vel ipſam Arabum, Maurorumque immanitatem ineluctabili virtutum vi in ſui venerationem compulerat. Tituanum oppidum in Tingitania eſt, ad Atlantis radices, captivorum Chriſtianorum ergaſtulis infame. Eo captivis juvandis miſſus, miſerorum animis corporibuſque curandis conſtantiſſimam exercuit diligentiam, Ergaſtula fœdiſſimis obſeſſa ſordibus quotidie viſere, ſordes verrere, atque auferre inter mancipiorum prope dixerim ſtrues, noctes agere, conſolari, fidei, & Chriſtiani decoris admonere, ægris adeſſe, lapſos a fide cautiſſime ſublevare, Medicum, chirurgum agere, Sacramentis omnibus fovere, amare, animare, Nonnio ſolemne fuit. Quod vero veterum æquabit laudes, ne immites domini ægros cogerent ad labores, eorum opera dominis repræſentabat. Quis crederet unum hominem in hoſtico, inter immanium barbarorum odia tantis laboribus parem? fuiſſe & hoc viliſſimorum ac deſpicatiſſimorum capitum cauſa? & hilarem adeo, lætumque hæc inter egiſſet, ut apud Deum votis, litteris apud homines vitam, ut ſibi in ea procuratione degere liceret, inſtantiſſime ageret? idque adeo ſedulo, ut ſe in ſcribæ famulum ultro offerret, tantiſque contentionibus inſtaret, quanta nonniſi captivi libertatem flagitarent? luſtrum unum integrum inter barbaros egit, magno virtutum omnium incremento, ut habito cenſu, Æthiopicæ expeditioni capeſſendæ parem judicaretur.

XIX. Joannes Ledeſma triginta totis annis, quibus Mexici Theologiam publice interpretatus eſt, hoc conſtantiſſime tenuit, ut ante prandium ſportulas ad egentiſſimum quemque navicula vectus extra pomœrium deferret, & numquam tam ſedulo in opere defectus. Immo ab hominibus ut miſeriarum pleniſſimis, ita ſæpe humani moris vacuis contemptum habitus, vexatuſque, non ideo ceſſavit. Agebat Indorum patronum apud judices, ſi res ferret, pharmaca, veſtes conquirebat, ut in uno hoc homine adverſæ fortunæ cujuſcumque ſolatia miſeri haberent. Anceps hic mihi hæret animus, an per hæc ille divinitati contemplandæ ſeſe comparavit: an ab illa ad hæc ipſa deſcenderit. Utrumque factum oportuit, reciprocante ſe charitate.

XX. De Petro Leone ſic ſcribit P. Joannes Rho: Vincet unius hominis induſtria multorum fidem, quæ nulli unquam ceſſit calamitati, ſed præcipua illius laus circa vinctos damnatoſque ad necem, quorum cum incolumitati, tum animorum ſaluti omni ope aderat, atque conſilio. Et addictis quidem trecentis & novem ad ſupremum uſque illorum ſpiritum inter funeſta ſatellitum, atque carnificum miniſteria intrepidus ſupremam attulit opem: vinctorum vero viginti millia, quod vix credibile videatur, per ſe, perque ſuos, (nam ſodalitium, cœptis promovendis, piorum civium collegerat) conſilio, gratia, pecuniis e vinculis exemit. O virum bono publico natum! quæ unquam oblivionis tenebræ nomen illud *Ib. n. 1.*

obruent, quod tam multis lucem potuit, glorioso addito titulo liberatoris.

Ib. n. 9. XXI. Incomparabilem Joannis Pauli Alexii charitatem, terris tum Italiæ, tum Indiæ ostendere tantummodo voluisse videtur Deus: neque enim pigra hæc abjectione rerum pars tam promptæ, atque incitatæ virtutis sedes esse debuit. In ipsa Indica navigatione nescio quo casu excussum in vastum, agitatumque Oceanum, e nautica turba unum, undis hauriri quum vidisset Alexius, rejecta tunica, & ipsa jam desiliebat e navi opem laturus, & quamquam natandi non omnino imperitus, manifesto nihilominus periculo, nisi ab accurentibus prohibitus, ac reprehensus fuisset; ac nautæ projectis funibus, quos comprehenderet, latum esset auxilium. Idem dum Goa in Monomotapam renavigat, pacto naufragio, & per aquam pectore tenus evadentibus, quibus tantum erat virium, ut undis eluctari possent, infelicem nescio quem, adolescentem, quem ægrum hauriri undis erat necesse, miseratione captus in humeros sustulit, perque instabiles arenas summo vix pectore Oceano extans, decem & octo millia passuum constantia animi, corporisque labore pariter incredibili detulit. Hic vere mihi Christophorus fuisse videtur, qui Christum in uno ex suis minimis bajulans per medios fluctus, giganteæ plane charitatis mensuram implevit.

§. VI. EXEMPLA PROFANA.

1. *HOMINUM*.

Val. Max. l. 1. c. I. Apud Valerium Maximum in libro de somniis de Simonide Poeta legitur, quod, cum navigando inventum ad littus cadaver aliquod sepulturæ mandasset, eidem in præmium hujus pietatis, in somno manifestatum fuit, ne sequenti die se mari committeret, quod cum ille exequeretur, comites vero navigationis illum deriderent, hi in ejus conspectu dum a litore solvissent, a tempestate absorpti fuerunt.

Bonif. di... fa. 17. n. 9. II. Aristoteles libro de natura animalium refert, quod cum Delphini pisces maris moriuntur, alii vivi conveniunt & eos in fundo maris sepeliunt.

Ibid. III. In vitis Patrum dicit Hieronymus de Monacho captivo, quod inter alias naturales proprietates formicarum, quas mirabatur in solitudine, erat, quod cum una moreretur, aliæ conveniebant, & quasi cum celebri luctu mortua corpora deportabant, alia aliam volentem intrare non impediebat, sed sic cadebat sub onere, aliæ cadentem suis humeris sublevabant.

2. *EXEMPLA BESTIARUM*.

Ibid. IV. Cum Zosimus, Maria Ægyptiaca mortua nesciret, quomodo foveam ad eam sepeliendam faceret, leo venit, & faciendo foveam ad eam sepeliendam, eum juvit.

Ibid. V. Constat de S. Vincentio Martyre, dum impius mandaverat Tyrannus, ut ipsius corpus ferarum, aviumque prædæ expositum relinqueretur, corvo cuidam, ut idipsum rostro suo defenderet, præceptum fuisse. Quod ille mandatum optime executus, lupos etiam inde abegit.

VI. Procopius refert, quod, dum exercitus Romanus Marcam pervageretur, incolæ perterriti in latibulis se recondiderint, aut fuga salutem sibi quæsierint: Mulier vero quædam gravida præ nimia formidine partum suum effuderit, eumque panno quidem involutum in aperto campo dereliquerit; accidit vero, quod dum pertransiens illic capra quædam infantis illius audiret vagitum, cursum sistens, ubera eidem porrexerit, eumque non solum per aliquod temporis spatium lactaverit, verum etiam a canibus aliisque animalibus defenderit, donec ab hominibus dictus infans exceptus, in securo positus esset. Procop. l. 2. de bello Goth.

VII. Cum S. Antonius corpus S. Pauli Eremitæ sepelire vellet, nec sarculum haberet; duo leones rapido cursu accurrentes terram pedibus effodientes foveam paraverunt. Idem officium leo alius Zosimæ, S. Mariam Ægyptiacam sepelire volenti præstitit. Brev. Ro. 15. Jan. Sur. to. 2. 9. April.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut oliva, etsi large floreat, si tamen immoderata stringatur nebula, fructum omnem disperdi jubet; ita qui tunc maxime misericors est, cum spectatores habet, vel ut habeat, fructum perdit ex nebula favoris. S. Greg. L. 12. mor. c. 26.

II. Sicut hi, qui ad magnos Principatus accersiti, regias habitaturi civitates omnem substantiam suam in pecuniam commutant, & sic illo migrant; ita plane & tunc faciebant homines illi ad cælum vocati, & ad supernam Metropolim, & regnum, quod illic est. Nam persuasum habentes illic esse Patriam, omni substantia sua in pecuniam mutata, pecuniam per Apostolorum manus illic præmiserunt. S. Chrys. in illud Ap. oportet hæreses esse.

III. Sicut in telis eadem vis ferri est, sed in infinitum refert, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant; ita idem est, quod datur, sed interest, quomodo detur. Senec. l. 2. de ben. c. 6.

IV. Sicut quando scribis epistolam ad amicum, semper vides in corde tuo personam amici, propter quem scribis epistolam; sic & qui propter Deum eleemosynam facit, neminem videt in corde suo, nisi personam Dei tantummodo, propter quem facit. S. Chrys. h. 13. oper. imper.

Utilitas.

V. Sicut radix in pingui plantata solo, quæ nobis tempestivos quotannis affert fructus, sic pecunia in manibus pauperum plantata, & non solum in singulos annos: sed & in singulos dies spirituales nobis fructus affert, fiduciam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, lætitiam spiritualem, spem jucundam, aliaque bona, quæ præparavit Deus diligentibus se. S. Chrys. in illud Ap. oportet hæreses esse.

VI. Sicut lavacro aquæ salutari gehennæ ignis extinguitur; ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur, teste Ec- S. Cypr. l. de oper. & eleemos.

Ecclesiastico: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato.

S. Basil. ho. in ditescentes.

VII. Sicut frumentum in terra cadens lucrum projicienti parit; sic & panis in esurientem projectus multam tibi in posterum reddet utilitatem.

Idem ho. 23. de eleemos.

VIII. Sicut putei continuo exhausti copiosiores fluunt aquæ, dimissi vero & quieti facile putent; ita opes reconditæ inutiles sunt, translatæ in pauperes fructum pariunt.

Fab. conc. in Dom. 8 post Pent. n. 3.

IX. Sicut Arca Noe non permisit mergi Noe cum liberis, ita eleemosyna neminem æterno sinit interire diluvio; quia, teste Tobia, *eleemosyna a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebris.*

Beerlinck them. 6. in fest. Omn. SS.

X. Sicut speculum politum, & mundum tale se nobis exhibet, qualem nos ei stiterimus; ita Deus talem se nobis exhibet in munificentia, quales nos ipsi per misericordiam proximo propter ipsum exhibitam stiterimus.

Stapleton them. 4. in Do. 1. post Pent.

VI. Sicut penula tauri ferocientis oculis objecta furorem ipsius deludit, & vitam servat; ita largitas eleemosynæ diaboli eludit insidias, & a morte æterna liberat.

Idem ho. 9. super Matth.

XII. Sicut medicamentum dum conficitur, multas quidem herbas accipit, sed unam dominantissimam; ita & in pœnitentia multæ quidem concurrunt virtutes, sed eleemosyna dominantior & potentior est, & universum quasi peccatorum medicamentum ipsa efficit.

Idem ho. 35.

XIII. Sicut si quispiam seni promitteret, se ipsum in ætatis florem reducturum, & super omnes prævalidum & speciosum redditurum: regnumque omni bonorum genere abundans possidendum daturum, libenter is omnes suas pecunias, & thesauros pro tali promissione offerret; ita cum hæc omnia Deus in altera vita multo perfectius se præstiturum eleemosynarum largitori promittat, minime sane tergiversabitur in iis faciendis, quisquis felicitatem suam sincere desiderat.

S. Aug. s. 146.

XIV. Sicut acceptis muneribus Judices non tam cito proferunt sententium, sed potius partes, si possunt, concordare satagunt; ita Deus facit cum his, quorum munera dantur, pauperculis.

Necessitas.

XV. Sicut iis, qui sanguine abundant, nisi mature partem sanguinis per phlebotomiam emittant, in manifestum vitæ periculum incidunt; ita divites, nisi partem divitiarum a se dimittant, & pauperibus largiantur, periculum æternæ mortis incurrendæ subeunt.

S. Aug. ep. 121.

XVI. Sicut ad loca munitiora festinantium migrant, qui ruinam domus vident, contritis parietibus imminere; ita corda Christiana, quanto magis sentiunt ruinam hujus mundi, crebescentibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona, quæ in terra recondere disponebant, in thesaurum cælestem impigra celeritate transferre.

Dignitas.

Beerlinck them. 4. in fest. Sanct. Matth.

XVII. Sicut Aquila pullos suos ad radium solis explorat, eosque solos retinet ac fovet, quos fixis oculis solem intueri advertit; ita Deus homines, secundum misericordiæ merita examinat, eosque solos electis suis annumerat, quos constanter in misericordiæ operibus exercitatos fuisse cognoscit; nam qui sequitur justitiam, & misericordiam, inveniet vitam, justitiam, & gloriam, teste Salomone.

Æquitas.

Thomas Morus vit. c. 12.

XVIII. Sicut qui hortum ea lege admissus esset, ut intra illum quidem pomis quantum placuerit, vescatur, nullum tamen secum exportet, haud dubie interdum aliquod poma extra hortum projiceret, ut ea post exitum inveniret; ita cum in hunc mundum admissi, nihil nobiscum exportaturi simus, merito per eleemosynas in hac vita factas aliqua bona opera præmittimus.

Stapl. them. 4. Do. 1. post Pent.

XIX. Sicut ii, qui in carcere positi sunt, stulte agerent, si pecuniis ad se redimendos parcerent, ut liberos ditarent; ita non minus imprudenter agunt divites, si pecunias pauperibus elargiri tergiversentur, ut filios divites efficiant.

S. Basil. ho. de avaritia.

XX. Sicut qui in litore consistunt, & alios cum fluctibus luctari advertunt, æquum putant, ut omnem, quam possent, illis opem impendant; ita merito idipsum facit, qui proximum cum egestate colluctantem advertit.

Jucunditas.

S. Chrys. ho. 11. in Gen.

XXI. Sicut Agricolæ penu suum evacuant, & semina terræ concredunt, idque cum voluntate faciunt, spe majora recipiendi se solantes; ita multo magis nos, quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus convenit.

Idem.

XXII. Sicut ei, qui nimio gravatus est cibo, aut stomachum multis humoribus repletum habet, nihil gratius jucundiusque accidit, quam si per medicinam aut aliud medium evacuare stomachum, malique causam tollere queat; ita qui immoderata opum coacervatione animam gravavit, merito cum voluptate eleemosynam arripiet, si dictas divitias, velut omnis mali originem per eam a se removere queat.

Matth. 22. v. 40.

XXIII. Sicut ii, qui ludunt aleis vel chartis, cum summa animi voluptate lusum talem peragunt, idque tanto ardentius & avidius, quanto meliorem spem lucri conceperunt; ita qui cælestium bonorum lucro inhiant, tanto alacrius jucundiusque pecunias suas exponent pauperibus, quanto certiores securioresque sunt, se ingens per hanc expositionem lucrum facturos.

§. XII. MOTIVA.

I. QUia, *quidquid pauperibus datur, Christo offertur*: juxta propriam ipsius confessionem: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus minimis meis, mihi fecistis. Hinc recte S. Cyprianus: Quid potuit nobis majus Christus edicere? quo modo magis potuit justitiæ, ac misericordiæ nostræ opera provocare, quam quod præstari sibi dixit, quidquid egenti præstatur & pauperi? & se dixit offendi, nisi egenti præstetur & pauperi,

ut

ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur, & qui non cogitat in labore atque egestate conservum, vel Dominum, cogitet in illo ipso, quem despicit, constitutum. Misereantur itaque pauperum, inquit S. Leo, qui sibi volunt placare Christum. Faciles sint in alimenta miserorum, qui cupiunt ad societatem pervenire fidelium. Non sit vilis homini homo, nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum Conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Christus sibi profitetur impendi; juvatur conservus, & gratiam refert Dominus. Cibus egeni, regni cælestis est pretium, & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum.

II. *Quia Deus liberalitate sua nos provocat:* nam, ut bene S. Chrysostomus advertit, ipse nec unigenito suo pepercit propter nos: nos autem & pecuniis parcimus contra nos. Ipse & legitimum pro nobis Filium tradidit, nos vero nec argentum propter eum contemnimus, sed neque propter nos. Et qualiter hæc venia fuerint digna: quid itaque differs & torpes, cum jam tanta perceperis, & tot expectes? Quod ipsum confirmat egregie S. Leo dum ait: Nihil est dignius, quam ut homo sit sui Auctoris imitator, & secundum modum suæ facultatis divini sit operis executor; nam cum aluntur esurientes, vestiuntur nudi, foventur infirmi, nonne auxilium Dei manus explet ministri, & benignitas servi munus est Domini.

S. Chrys. ho. 12. & 31. ad pop.

III. *Quia natura ipsa nobis misericordiam ingeneravit:* nam, ut recte dixit S. Chrysostomus, nemo natura strenuus est: nemo natura vanæ gloriæ studio caret: nemo natura zelo atque æmulatione superior est, misereri vero natura est omnibus inditum, utut crudelis quispiam sit & immittis.

S. Chrys. in ep. ad Philipp.

IV. *Quia ipsa qualitas bonorum nos ad misericordiam impellit:* nam ut sapienter discurrit S. Chrysostomus, tuarum es, o homo, pecuniarum dispensator non minus, quam qui Ecclesia bona dispensat. Sicut ille igitur potestatem non habet; ea, quæ propter pauperes a vobis erogantur, temere, & ut casu evenit, dispergendi, quoniam ad pauperum data sunt alimentum, ita neque tu tua. Hinc merito S. Bernardus: Ne putes, ait, gratuitum, quod impendis pauperi; velis, nolis debitores.

S. Chrys. h. 34 ad pop. Ant.

V. *Quia ipsa natura eleemosynæ commendat misericordiam: dum, quidquid per eam pauperi damus, Deus ut depositum accipit,* ut pulchre Sanctus Chrysostomus indicavit, dum dixit: Quid quæris homo, ubi pecuniam deponas, Christus suscipere paratus est, & deposita tibi servare: nec tantum servare, sed etiam multiplicare, & cum fœnore multo reddere: Pro pecuniæ tuæ custodia non repetit mercedem, sed eam ipse reddit. Qua igitur sumus excusatione digni, qua venia, quando custodire valentem, & pro custodia gratias habentem, & pro ea præmia reddentem, præterimus, & nostra tradimus custodi debili, qui gratiam se facere putat, si nihil commissorum intervertat.

S. Chrys. ... ho. 3.

VI. *Quia qualitas & conditio accipientium id suadet:* sunt enim pauperes, fratres nostri, & cohæredes regni cælestis, ut sapientar advertit Guilielmus Lincolniensis, dum ait: Dic mihi quæso, o dives, quare pauper tecum non accipiet cibum, qui tecum accepturus est regnum? quare non accipiet veterem tunicam, qui tecum accepturus est immortalitatis stolam? quare pauper non meretur accipere panem tuum qui tecum meruit accipere Baptismi Sacramentum? cur indignus sit accipere reliquias ciborum, qui tecum venturus est ad convivium Angelorum? sunt præterea etiam stipendiarii nostri, ut illos vocitare solitus est Ludovicus Rex Franciæ, & propterea propria manu eleemosynam velut stipendium illis obtulit. Hinc recte Sanctus Chrysostomus, sunt, inquit, & hic castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnent. Cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium, propitium autem facientes dæmonum insidias repellunt, neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius solvunt potestatem. Hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes, a temetipso pulchrum illud tributum exige, illorum alimenta.

Guil. Lincoln. in expos. Ev. p. 1. c. 26.

S. Chrys. ho 33. ad pop.

VII. *Quia misericordia est optimum medium ad benedictionem in temporalibus obtinendam:* uti pulchre indicat Sanctus Cyprianus, dum ait: Si vereris, & metuis, ne si operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus; finiri non potest, unde in usus Christi impenditur, unde opus cæleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de S. Scripturarum fide, & divinæ pollicitationis authoritate promitto. loquitur per Salomonem Spiritus Sanctus, & dicit: Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem avertit oculum suum, in magna penuria erit. Imo hanc ipsam ob causam usuræ comparant SS. Patres, præcipue S. Chrysologus, dum ait: Usura mundi est, centum accipere, & unum pro censu reddere. Deus unum accipit, & centum reddit. Et tamen homines cum Deo volunt habere contractum. Sunt forsan de cautione solliciti? quare? homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur, Deus tot, & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? Ut autem melius intelligatur qualitas hujus usuræ, præclare eam explicat Sanctus Chrysostomus, dum ait: Deo fœneratus es, ipsum reposce. Sed non in præsenti cuncta tibi restituet. Verum hoc quoque commodo tuo facit. Est quippe talis hic debitor, qui non, ut alii, festinet ipsum tantummodo mutuo datum exolvere, sed agit omnia, ut, quod datum est, maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximumque autem tibi in futurum thesaurum reservat.

S. Cypr. de eleem.

Prov. 28. v. 27.

S. Chrys. serm. 22.

S. Chrys. h. 2. in cap. 2. Matth.

VIII. *Quia efficacissimum est medium ad peccata delenda:* nam misericordia, & veritate redimitur iniquitas, teste Salomone. Certe non est peccatum, inquit Sanctus Chrysostomus, quod non possit purgare eleemosyna, quodve non possit extinguere. Omne peccatum

Prov. 16. v. 6.

tum

tum infra illam stat. Remedium est ad omne vulnus utile, Omnis injustitiæ fomes est avaritia; sed hanc omnem abluit eleemosyna Zachæus. Magna ergo (recte exclamat Sanctus Ambrosius) est eleemosyna, quæ ardentium criminum globos benevolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, ut quamvis offensus Deus, quamvis criminibus provocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Cogitur enim a nobis quodammodo, dum compellitur pro nostris actibus mutare sententiam, & in uno eodemque homine nunc severitate Judicis permoveri, nunc Patris pietate blandiri. Quam autem facilis, & suavis sit hæc medicina, pulchre declarat Sanctus Chrysostomus sic loquens: Neque vero Medicus quisquam ferro, manuve admotis sic accurate putrida vulnera secat, ut pauper egena manu porrecta stipem flagitando vulnerum cicatrices tollit. Et quod mirum, citra dolorem, citra suspirium, pulcherrimam conferunt medicinam.

S. Ambr. serm. 29. — *S. Chrys. hom. 33 in 1. ad Tim.*

IX. *Quia certissimum est medium ad felicem mortem obtinendam:* teste Sancto Hieronymo dicente: Non memini, me legisse, mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non exaudiri. Aliam rationem assignat Sanctus Augustinus, dum ait: Misericordia ad Deum deducit hominem, & ad hominem deducit Deum; numquam vidi hominem pium mala morte finire.

S. Hier. in ep. ad Nepot. — *S. Aug. S. 44. ad FF. in er.*

X. *Quia est fortissimum scutum adversus severam Judicis sententiam in die Judicii ferendam:* eleemosyna quippe, teste Sancto Augustino, adstat tribunali non tantum patrocinans; sed & ipsi Judici persuadens, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat. Hinc Cæsarius, eleemosynam, inquit, quantam possumus, & quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis impendere festinemus, ut securi possimus in die judicii dicere: Da, Domine, quia dedimus; nos fecimus, quod jussisti: tu imple, quod promisisti. Certe tanti æstimabitur (tunc) vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, perinde ac omnes ii, qui dextra Judicis consistent, non alia virtute ulla, quam misericordia fuissent incliti; ii, qui sinistra stabunt, ullo alio vitio laborassent, quam immisericordia; ut recte S. Leo pronuntiavit. Quapropter Sanctus Ambrosius his verbis excitat ad misericordiam: Considera, quanta tibi tunc erit gloria, cum te omnis populus, qui ex promptuariis tuis pastus est, & refectus, pro tribunali magni illius, & justissimi judicis caterva constipante circumdabit, & pastorem te suum, ac tutorem pium, & misericordem Patrem, omni gratiarum voce testabitur.

S. Aug. hom. 39. inter 50. — *Cæsarius hom. 13.* — *S. Leo apud Drex. gazoph. p. 1. c. 3. §. 3.* — *S. Ambr. serm. 81.*

XI. *Quia unum est ex certioribus signis prædestinationis ad vitam æternam:* misericordia quippe testabitur, inquit Anselmus, vos Dei sapientia præcognitos, a massa perdendorum separatos, ad vitam æternam præordinatos. Idem confirmat S. Chrysostomus, dum ait: Si tanta vis est eleemosynæ: cum multa fiducia suos introducit alumnos: est enim cæli nota Janitoribus, sponsalis thalami fores observantibus, quin & venerabilis, & quos sui cultores agnoverit, cum multa introducet libertate, & nemo contradicet, sed omnes cedent. Hinc alibi hortatur in hæc verba: In ædificia cælestia studeamus nostras evacuare pecunias: nec fabris, nec structoribus nec operariis opus habemus; Manus namque pauperum tales domos ædificant: claudi, cæci, vel debiles sunt isti, qui domos illas ædificant.

S. Ansel. in illud Apost. induite vos sicut electi Dei. — *S. Chrys. h. 30. ad pop. Antioch.*

XII. *Quia singularem efficaciam orationi tribuit:* nam efficacissima est, teste S. Leone, ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. Qui suum ab inope non avertit animum, facile, & cito ad se Domini convertet auditum. Hinc Tobias senior junioni præcepit: Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini.

S. Leo Ser. de jejunio decimi mensis — *Tob. 4. v. 7.*

§. IX. MEDIA.

I. *Zelus divini honoris:* qui enim honorat servum propter dominum, non illum, sed principaliter dominum honorat; omnis enim honor, obsequium, & beneficium impensum servo, iodesinenter ipsi domino principaliter exhibetur, sicut ipse testatur Mat. 25. *Quamdiu uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

Bellovac. spec. mor. dist. 10. &c.

II. *Exemplum Dei ob oculos habere:* uti Bellovacensis suasit his verbis: Deus, qui summe misericors est, & super omnia vult de misericordia prædicari: ad misericordiam nos invitans semetipsum proponit in exemplar evidentissimum, veracissimum, & perfectissimum, per quod habeamus doctrinaliter informari: per quod habeamus deiformiter transformari: Ait enim Lucæ 9. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

Bellovac. spec. mor. l. 1. dist. 10.

III. *Christum in pauperibus intueri:* uti S. Bonaventura suasit, sic alloquens animam: Cur anima tota die anxiaris post Christum? indicabo tibi, quem diligit anima tua. Certe in infirmaria jacet, & ibi angustiatur, curre, & sibi ministra, sibi compatere infirmanti. At vero, inquies fortasse, quomodo id Seraphicus afferere poterat, quando Christus ad dextram Patris sedens, impassibilis est, nec ulli infirmitati humanæ subjectus? Et ideo respondeo, quod Evangelium nos fallere non potest, in quo dicitur: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: infirmus eram, & visitastis me;* hæc enim est Dei erga nos bonitas; ut in quolibet afflicto, & infirmo ipsemet agnosci velit. Et assentiens Sanctus Augustinus: ostendam sane, inquit, quomodo Dominus possit inveniri, aut cognosci, si tamen est animus videndi. Si vis videre Dominum, require mendicum, respice ad pauperem, suscipe peregrinum, visita infirmum, curre ad carcerem, si vis videre Deum, vincula captivatis absolve, nodos iniquitatis incide. Denique idipsum etiam suo calculo confirmans S. Chrysostomus super illa verba Actuum Apostolicorum 21. 16. *Adducentes, apud quem hospitaremur,* inquit: Paulum hospitio suscepit ille;

S. Bonav. — *S. Aug. de bon. disc. c. 6.* — *S. Chrys. ho. 45.*

ille: forsitan quis vestrum dicet: si quis & Paulum mihi daret hospitem, susciperem prompte, magnaque cum alacritate. Ecce Pauli Dominum licet tibi hospitio suscipere; & non vis? quia qui suscipit unum ex minimis, me suscipit. Quanto minor fuerit frater, qui suscipitur, hoc major Christus per illum advenit.

Quid ergo? Firmiter nimirum credamus, nos Deo dare, quicquid pauperibus dederimus; nam, ut recte advertit S. Ambrosius, ibi est misericordia largior, ubi est fides promptior. Quod ipsum confirmat S. Leo, dicens: Prompta ergo, & facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credimus, unumquemque id sibi præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere.

S. Ambr. l. de offic. S. Leo s. de collect.

IV. *Magnam æstimationem de hac virtute concipere*, id quod non erit difficile, si motiva præcedenti paragrapho allata bene perpendantur.

S. Bonav.

V. *Aliena damna vel commoda tua æstimare*: nam ut recte S. Bonaventura notat: Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur: Hæc virtus nihil humanum a se alienum putat, aliorum damna, vel commoda sua æstimat. Hic namque est proprius charitatis effectus, quod aliorum miserias ut proprias reputet. Idem Seraphicus Doctor alibi misericordiam & charitatem simul conjungit, dicens: Misericordia abundanter remuneratur: unde notat, quod duæ virtutes valde copiosæ & plenæ veniunt ad judicium, propter quod recipiunt salarium valde copiosum, scilicet charitas & misericordia: charitas enim aliena bona facit sua, juxta illud Psalmi: Particeps ego sum omnium timentium te; misericordia facit aliena mala sua, juxta illud: Sicut socii passionum, ita & consolationum. S. Bernardinus Jobi exemplum adducit, qui cap. 30. 25. ait: *Flebam quondam super eo, qui afflictus erat*, scilicet afflictione exteriori, *& compatiebar animam pauperi*, scilicet compassione interiori, quasi dicat: Non tantum ostendebam compassionem exteriorem, sed etiam interiorem, quia ex vehementi affectu compatiebar. Amor igitur non solum per compassionem internam demonstratur, verum etiam per subsidium externum, siquidem ut diximus: Probatio dilectionis exhibitio est operis. S. Gregorius glossando verba illa Jobi: Pater eram pauperum inquit: Non patronum se vel proximum, vel adjutorem pauperum, sed patrem fuisse testatur, quia nimirum magno charitatis officio studium misericordiæ vertit in affectum naturæ, ut eos quasi filios cerneret per amorem, quibus quasi pater præerat per protectionem.

S. Bern. S. Greg.

VI. *Proximum tamquam fratrem & membrum considerare*: ita suasit S. Gregorius Nazianzenus, dum dixit: O Serve Dei, & Christi, atque hominum amore prædite, ne Fratrem despicias, ne prætereas; ne ut scelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum, & interdictum averseris, Membrum tuum est, licet calamitate frangatur. Tibi, licet animo forti prætereas, pauper relictus est ut Deo: his enim verbis pudor te fortasse promovebo.

S. Greg. Naz. in orat. de paup. amore.

VII. *Patriæ cælestis desiderium ardens concipere*: sic enim hoc ipso & opes nostras & thesauros per pauperum manus præmittendos excitabimur. Ita S. Chrysostomus suasit, dicens: Omnia faciamus, ne alibi simus egeni. Nam quæ utilitas in aliena regione multas divitias relinquere, in patria necessariis carere? itaque oro festinemus, dum adhuc tempus est. Secure illuc transferimus, & in thesauro indeprædabili reponimus, quæcumque per pauperum manus præmittimus.

S. Chrys. h. 40. in cap. 24. Gen.

VIII. *Quotidie aliquid sive ex pecuniis, sive ex alimentis in pauperum usum seponere, ut paulatim etiam ad largiores eleemosynas incitemur*. Sic iterum Sanctus Chrisostomus suasit, dicens: Pareamus B. Paulo constituentes in nostris ædibus arculam pauperibus, quæ eo in loco, ubi quisque consistere & orare solitus est, reponatur; ita ut eleemosynam primum, quoties accesseris oraturus, imponas, & deinde orationem proferas. Et profecto non minus est justa lectum eleemosynam reponere, quam si isthic Evangelium suspendas; siquidem Evangelium hic suspensum nihil agit, nec tantillæ quidem virtus est, in hac vero arcula adversus Diabolum armaturam habes repositam: hanc orationem tuam penetrantem efficis, domum lanctam reddis, in hac conclusas habes regias dapes. Ea propter ad lectum deponetur illa, & sic absque phantasiis tranquille noctem transiges. Jam & commoditates, quibus liceat admodum facile colligere, vultis, ut recenseam? fiet. Sic igitur adjectionem suam Artifex aliquis, vel Sutor, vel Coriarius, vel Faber ærarius, quicumque tandem is fuerit, levem reddet. Si aliquid vendiderit ille, sui artificii primitas ejus pretii offerat Deo, & huc paululum quid conjiciat, exiguamque partem Domino dividat. Multum enim ut huc conferat, non postulo, sed tantum quantum vel infantes pueruli, vel miseri & egeni homines peterent, tantum nos, qui cælum speramus, demus. Neque de vendentibus tantum hæc, verum & ementibus, & aliis operantibus dicta sint. Eam regulam & Agricolæ in proventibus rerum, eam semel omnes, quotquot legitimos colligunt census, observent. Facilis autem illa nobis ex consuetudine res fiet, paulatimque a parvis ad magna ascendemus, & studebimus opes contemnere, ipsamque malorum radicem evellere.

S. Chrys. h. 43. in 1. ad Cor.

IX. *Lucro spirituali cælestium meritorum inhiare*; sic enim fiet, ut, cum ars hæc sit omnium quæstuosissima, totis viribus in eam incumbamus, S. Joannis Eleemosynari exemplo, qui usque adeo in hanc virtutem incubuit, ut nihil aliud cogitasse, aut egisse videatur.

X. *Patronos sibi certos eligere, qui virtuti huic singulariter studuerunt* (quales sunt S. Laurentius, S. Joannes Eleemosynarius, S. Thomas Villanovanus, S. Paulinus, S. Joannes de Deo, S. Tobias S. Elisabeth) eorumque partim exemplo, partim suffragiis ad imitationem se excitare.

§. X. ASCETICA.

I. Septem sunt potissimum capita, quæ Asceta de hac virtute bene addiscere, a-liis-

liisque inculcare debet. Primum est, *ut bene cognoscat finem, propter quem Deus & pauperes esse permittit, & nos iisdem subvenire desiderat*; id quod Sanctus Gregorius Nazianzenus sequentibus verbis præclare docet: Charitatis præcipuam partem in eo sitam esse comperio, ut pauperes amore & misericordia complectamur. Pauperes & afflictos Deus esse vult, ut nos infirmitatis nostræ submoneant, illudque nobis persuadeant, ut nulli rerum præsentium atque in oculos cadentium velut firmæ ac labili animum adjiciamus. Cum igitur nihil sit stabile in præsenti vita, de opibus in tuto collocandis cogitandum est. Beneficentiæ in pauperes infinita sunt commoda. Nullus omnino cultus Deo perinde gratus est, ut Misericordia erga pauperes. Nihil tam Deo proprium est, quam Misericordia, & beneficentia. Imitandus est nobis Deus. Hoc ipsum etiam solide ostendit Sanctus Chrysostomus, dum ait: Sæpenumero dixit, eleemosynam non accipientium, sed potius dantium gratia introductam esse; nam illi sunt, qui potissimum inde lucrantur. Non vides, quod omnes mutua opera indigemus? Miles Opificis, Opifex Negotiatoris, Negotiator Agricolæ, Servus Liberi, Dominus Servi, Pauper Divitis, Dives Pauperis. Etenim qui accipit eleemosynam, maxime omnium usui est. Ineffabilis sapientiæ Dei hoc opus est. Nam cum mutua opera indigeamus, & necessitas illa non conciliaret amicitias nostras, si omnia sufficerent, nonne essemus indomitæ bestiæ? Ita Deus subjecit nos invicem ob hanc necessitatem, ut quotidie alter alterum requirat. Nescio, quod non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quam propter ipsos impendentes instituit.

S. Greg. Naz. orat. de paup. amore.

S. Chrys. h. 10. in ep. 2. ad Cor.

II. Secundum est, *ut bene cognoscat capita ad misericordiæ substantiam seu essentiam necessaria*: quæ quidem breviter, & bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Tria sunt, quæ in misericordiæ opera optanda sunt Christiano: ut possit facere, ut velit, ut compleat: ut possit, id est, ut substantia faciendi non desit: ut velit, hoc est, voluntas adsit, qua faciat, quia substantia non deest, qua fiat. Tertium est, ut compleat, id est, quæ possit & velit, sine dilatione perficiat: his enim tribus opus tantum, tamque præclarum impletur.

S. Chrys. h. de misericordia & duabus viduis.

III. Tertium est, *ut etiam circumstantias ad omnimodam perfectionem misericordiæ necessarias bene addiscat*, quæ quidem sequentes potissimum assignantur a SS. Patribus & Asceta.

1. Ut *mundo corde* offerat eleemosynam: ita enim Apostolus indicavit, dicens: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Nam, ut recte observavit S. Gregorius, qui indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam a nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc, quod minus est, obtulit Authori, & hoc, quod majus est, servavit iniquitati: Mundari ergo prius debet animus, quam eleemosynam præbeat, quia omne, quod datur Deo, ex dantis mente pensatur, & ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia offertur. Et iterum alibi: Admonendi sunt, inquit, qui sua misericorditer largiuntur, ut sollicite sese ipsos custodire studeant, ne, cum commissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant, ne venalem Dei justitiam æstiment, si, eum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. Melior quippe est anima, quam esca, melius corpus, quam vestimentum, pauperibus largitur, sed tamen animæ, vel corporis iniquitate polluitur; quod minus est justitiæ, obtulit; & quod majus est culpæ, commisit, sua enim Deo dedit, & se Diabolo.

a. Cor. 13. v. 3.

S. Greg. in moral. l. 19.

S. Greg. p. 3. adm. 21.

2. Ut *cum bona intentione* fiat: sunt enim quidam, inquit S. Ambrosius, qui ad jactantiam solam, decore largitatis affectant, ut eo se probatos vulgo velint, quod sibi nihil reliquerit: sed dum præsentis sæculi mercedem requirunt, non recondunt in futurum: & quia hic perceperunt mercedem suam, illic sperare non possunt. Hinc super illa verba Apostoli: *qui tribuit, in simplicitate:* bene notandus est S. Anselmi discursus, dum ait: Qui tribuit de suo aliis in simplicitate, sit membrum eorum, id est, si nihil repetat ab illis quibus dedit, sed tantum Deo, qui remunerator est omnium bonorum; qui tribuit indigentibus, in simplicitate cordis hoc faciat; hoc est, ne videatur manibus benefacere indigentibus, & laudem corde quærat ab hominibus; unde cælestis Magister noster Matth. 6. monet dicens: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est; cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus.* S. Thomas de hac personante tuba, inquit: Tuba canere, est, pompam vanæ laudis appetere: Unde Rabanus ait: Ante se tuba canit, qui ante alios vult laudari. Salmeron inquit: Nota Dei bonitatem, qui in numerato habet omnia opera nostra, & illa singillatim explicat (scilicet in finali judicio) modo nos ab illorum enumeratione avertamus oculos, nihilque nos fecisse putemus. S. Ansel. eum, qui misericordiæ opera exercet, monet, dicens: Faciat hoc in simplicitate supernæ intentionis, non in duplicitate præsentis & futuræ gloriæ. Dionysius Cartusianus ly *in simplicitate* ita exponit: Id est, in simplici intentione, videlicet ad gloriam Dei, non propter laudem humanam: Nam, ut S. August. ait, misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Imo non solum proximis benefaciendum non est propter applausum, & gloriam mundanam, sed neque etiam ob alios fines, & interesse terrena. Salmeron hanc circumspectionem his verbis indicat: Neque expectemus ullam retributionem, hoc enim & gentiles abominati sunt: nam Seneca quodam loco dixit: Demus beneficia, non fœneremur, dignus est recipi, qui de recipiendo non cogitavit, dum daret. Quanto ergo purior debet esse liberalitas Christianorum, ita ut neque gratitudinis quidem ul-

S. Ambr. lib. 2. de para.

Apud Mansi discr. 20. n. 8.

ullum signum expectarent a recipiente, agnoscentes Christum, qui se fidejussorem, & debitorem pro eis constituit, non secus ac si ipse reciperet.

2. Cor. 9. v. 7. *Eccl. 35. v. 11.* *S. Aug. in p. 42.*

3. Ut *cum hilaritate* fiat: non ex tristitia aut necessitate, ut inquit Apostolus: Hilarem enim datorem diligit Deus; Hinc, & Siracides suadet: In omni dato hilarem fac vultum tuum; nam, ut recte dixit S. Augustinus, si panem dederis tristis, & panem, & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, ut ille, qui intus videt, adhuc loquente te dicat: Ecce adsum. Hæc hilaritas splendor quidam est misericordiæ, inquit Salmeron, quæ tum miserenti, tum misero necessaria est: dare enim, & abalienare a se, quod suum est, tristitiam suapte natura parit; at hæc misericordia, virtutis nomen non obtinebit, nisi illa ægritudine expulsa exhilaretur animus. Miser vero, cum egestas semper pauperem affligat, tunc maxime recreatur, quando collatum fuerit beneficium eum alacritatis gratia, nam qui oculis adversus, aut fronte corrugata, & subductis superciliis aliquid dat, gratiam virtutis amittit. Idipsum confirmans Sanctus Bernardus, super Cantica scribens, ex candore liliorum hanc ad propositum nostrum elicit moralitatem, dicens: Et est candor, quem sibi induit is, qui miseretur in hilaritate; Etenim si intuearis illum, quem Propheta depingit: *jucundum hominem, qui miseretur, & commodat;* Nonne is tibi videbitur de ipsa animi jucunditate induisse candorem quemdam pietatis, vultui pariter & operi suo? sicut e regione, si ex tristitia, & velut ex necessitate quis tribuat, non candidum plane, sed terrum præfert manu & fronte colorem, & ideo *hilarem datorem diligit Deus.* Sanctus Anselmus hanc hilaritatem, quæ in subveniente proximo requiritur, considerans ait: In hilaritate hoc faciat, hoc est, qui misero pie compatitur, impendens illi beneficium misericordiæ, in hilaritate mentis hoc agat, quia hilarem datorem diligit Deus. Dionysius Carthusianus super præcitatum Psalmistæ versiculum: *Jucundus homo, qui miseretur, &c.* inquit: In hilaritate cordis hoc facit, ne suo mœrore miserum magis affligat, unde de quibusdam scriptum est: Consolatores onerosi omnes vos; quos contra ait Psalmista: *Jucundus homo qui miseretur.*

S. Bern. s. 71. Cant. ap. Mans. l. c.

Eccl. 4. v. 3. *Prov. 3. v. 28.* *S. Basil. ho. 6. in ditescent.* *Prov. 3. v. 28.* *Mans. dis. 10. n. 7.*

4. Ut *celeriter* fiat: sic enim Sapiens suasit: Cor inopis ne afflixeris, & non differas, quod erogaturus sis in egenum. Et iterum: Ne dicas amico tuo: vade, & revertere, & cras dabo tibi: cum statim possis dare. Jam ergo, inquit Sanctus Basilius, quando suppetit, quid prohibet, quo minus liberaliter impertiare? nonne inops adest? non sunt plena horrea? non merces a Domino parata? non mandatum manifestum! Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit, & tu eleemosynam in crastinum differs? Audi Salomonem: ne dicas regressus revertere: ignoras enim, quid sequens pariat dies. Hoc Salmeron super illa verba *qui miseretur, in hilaritate* discurrens, confirmat, dum ait: est etiam ornamentum misericordiæ, celeritas, nam qui cito dat, bis dat. S. Lucas de hydropico scribens, promptam Salvatoris misericordiam & compassionem his verbis indicat: *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum, apprehensum sanavit illum, nec expectavit, donec ad illum sanandum rogaretur.* Sapiens quoque ad hoc propositum monet inquiens; *Noli prohibere benefacere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac: Ne dicas amico tuo: vade & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Quam primum Tobias certior factus est de cadavere publice in plateis insepulto jacente, tametsi cum aliis convivis prandio accumberet, statim exiliens de accubitu &c. Sanctus Augustinus quoque modum indicat, quem observare debent illi, qui nonnumquam egene benefacere nequeunt, ne misericordiæ merito destituantur; dicit enim: supplicem nullum spernas; & cui dare non potes, quod petierit, non eum spernas, si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta; coronat Deus intus volentem, ubi non invenit facultatem; Nemo dicat: non habeo; charitas non de sacculo erogatur.

Tob. 4. v. 9. *S. Chrys. ho. 37. ad pop.* *Idem.*

5. Ut *liberaliter* fiat: ita enim Tobias filio suasit: quo modo potueris, ita sis misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit; etiam exiguum libenter impertiri stude. Neque enim dare, sed cum copia dare eleemosyna est, inquit Sanctus Chrysostomus, ideoque hortatur, uti ii, qui dicunt: Miserere mei Deus secundum *magnam* misericordiam tuam, etiam pauperum misereantur secundum *magnam* eleemosynam suam. Quæ tamen magnitudo, ut idem ait, non in pecuniarum multitudine judicatur, sed in dantium promptitudine. Et alibi super S. Pauli 2. ad Cor. 9. v. 6. verba: *Qui parce seminat &c.* discurrit; Neque enim sufficit misereri, inquit, sed oportet id & largiter, & animo non tristi facere, imo non solum, non tristi, sed & alacri & læto. Non enim par est, tristari, sed gaudere; verba autem Apostoli prosequens ait: Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet: Animum vero dirigens addit: Non ex tristitia, aut ex necessitate; nam utrumque oportet miserturo adesse, & quod abunde & quod cum voluptate det. Quanam gratia cum eleemosynam das, ploras, quid dolens omnem boni operis fructum perdis? si namque doles, non misereris utique; sed crudelis es, & inhumanus: Quomodo enim, eum qui in tristitia est, refocillabis, si tu doles.

Idem in præf. ep. ad Philip.

6. Ut *constanter* fiat: Neque putemus nos omnia præstitisse, inquit S. Chrysostomus, si quando semel atque iterum quidquam dederimus: per omnem quippe vitam id facere oportet; non enim semel tantum, sed indesinenter Deo placere debemus. Quod si a bonis operibus exorsi novissime defecerimus, totum perdimus, totum corrumpimus. Audi monitionem perutilem, quæ dicit: Eleemosyna ac fides non te deserant.

S. Chrys. conc. 8. de Laz.

7. Ut *indifferenter, seu sine discrimine personarum fiat*, uti præclare observat S. Chryso-

foſtomus, Apoſtolum Hebæos ad hoſpitalitatem his verbis adhortari [Heb. 13. 2.]: *Hoſpitalitatem nolite oblivisci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.* Sanctus vero hic Doctor ita legit: Quidam inſcientes hoſpitio exceperunt Angelos: ac recte dixit, inſcientes; nam ſi ſciens illos excepiſſet tanta cum benevolentia, nihil magni, mirique feciſſet. Sed hæc tota laus, quod ignorans, quinam eſſent, qui præteribant, nec aliud eſſe credens, quam homines viatores, cum tanta alacritate vocavit intro. Tu quidem igitur, ſi quem nobilem ac ſplendidum exceperis, multamque præſtiteris alacritatem, nihil mirum eſt, nam virtus ejus, qui excipitur, etiam inhoſpitalem frequenter adigit, ut omnem exhibeat humanitatem; Cæterum illud maximum, & admiratione dignum, quoties & vulgares & abjectos & viles multa cum benevolentia excipimus.

IV. Quartum eſt, *ut ſciat, quibus, & quo ordine danda ſit eleemoſyna.* Nimirum 1. *Sibi ipſi* [Eccl. 31. v. 24.]: juxta illud Eccleſiaſtici: Miſerere animæ tuæ placens Deo. Quod ipſum etiam prudenter docuit Sanctus Auguſtinus, dum ait: Qui vult eleemoſynam ordinate dare, a ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primum dare [S. Aug. in Ench. c. 76.]. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſimeque dictum eſt: Miſerere animæ tuæ placens Deo: propter hoc renaſcimur, ut Deo placeamus. Propter quem dilectionis ordinem dictum eſt: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum. 2. *Domeſticis* [Iſ. 58. v. 7.]: juxta illud Iſaiæ: Carnem tuam (ſeu ut Septuaginta interpretantur) domeſticos tuos ne deſpexeris; nam ſi quis propinquos genere ac affinitate conjunctos aſpernetur, inquit Sanctus Chryſoſtomus, quomodo erit in alienos clemens [S. Chryſ. h. 24. in dicta verba Proph.]? Quid item ſi illos de fide inſtruat, hos in errore jacere permittat, quibus benefacere jure ſuo facilius & commodius poſſit quantæ iſtud immanitatis erit? & eſt, inquit, infideli deterior. Cui id? quia ille, etſi alienos deſpicit, propinquos tamen nequaquam aſpernator. Divinas plane leges violat, & jura naturæ, qui negligit ſuos. Quod etiam confirmat Sanctus Auguſtinus, dum ait [S. Aug. de Doct. Ch. l. 1. c. 28.]: Cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui conſtrictius tibi junguntur. Et videtur, teſte Theophylacto [Theophil. in c. 4. Luc.], ipſe Chriſtus exemplo ſuo id docuiſſe, dum in Galilæa cœpiſſet prædicare, & Nazarenis potius quam aliis ſe manifeſtavit, ut nos doceret prius proprios beneficare (ut loquitur cit. Author) deinde & ad reliquos amicitiam ſpargere. 3. Sanctis & juſtis hominibus: quia hi & propter ſanctitatem digniores ſunt aliis hominibus, & tum ipſi danti, tum Reipublicæ Chriſtianæ precibus & operibus plus prodeſſe poſſunt. 4. Pupillis & viduis: nam Religio munda, teſte S. Jacobo, apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum [Jac. 1. v. 27.]. De quibus tamen omnibus hactenus enumeratis regulis ſervanda eſt prudens S. Thomæ exceptio [S. Th. 2. 2. q. 31. a. 3.], dum ait: Intelligendum hoc eſt de magis ſubveniendo conjunctis, cæteris paribus; poteſt enim contingere, quod extraneis ſit magis ſubveniendum, propter majorem indigentiam.

V. Quintum eſt, *ut ſciat, ex quibus bonis ſit eleemoſyna danda*, nempe 1. ex *propriis* [S. Greg. ep. 110.]: nam eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis rebus congeritur, ſed quæ de rebus conceſſis, & bene acquiſitis impenditur, inquit recte Sanctus Gregorius: Eleemoſyna autem cum iniquitate acquiſita abominatio eſt coram Chriſto, teſte S. Baſilio [S. Baſil. in admon. ad Fil. ſpirit.]. 2. Ex *ſuperfluis*: nam ſuperflua diviti, neceſſaria ſunt pauperi, inquit S. Auguſtinus: aliena retinet, qui iſta tenet. 3. Ex *neceſſariis* [S. Aug. in orat. de Patre.]: hoc enim hominis amiciſſime erga pauperes affecti eſt argumentum, teſte Sancto Gregorio Nazianzeno; &, ut S. Ambroſius loquitur [S. Ambr. l. 2. offic. c. 21.], maximum incentivum miſericordiæ.

VI. Sextum eſt, *ut ſciat, quænam ex miſericordiæ operibus præferenda ſint aliis*, nimirum. 1. Spiritualia corporalibus: tum quia præſtantiori ſubjecto: tum quia ad præſtantiorem finem, ſcilicet neceſſitates animæ ſublevandas exhibentur: tum quia remotiores ſunt a commodo proprio, ſcilicet retributionis mutuæ ab iis, a quibus exhibentur, expectandæ. 2. Inter ſpiritualia præcipuam fere eſſe injuriarum ab Inimicis factarum liberalem remiſſionem, ut S. Auguſtinus indicavit, dum dixit: Multa ſunt genera eleemoſynarum, ſed ea nihil eſt majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quiſque peccavit.

VII. Septimum eſt, *ut cauſam cognoſcat, cur Chriſtus in proceſſu judicii enarrando, ſolius miſericordiæ mentionem fecerit*; quam quidem recte aſſignavit S. Thomas Villanovanus [S. Thom. Villanov. Conc. de S. Martino.], dum dixit: Non hæc opera præcipue commemorantur, quia ſola bona, aut quia perfectiora ſunt, ſed duplici ratione hoc dicitur. Primo, ut Dominus ea commendaret, & oſtenderet hominibus ſæcularibus, & populo Dei, in his præcipue ſalutis rationem perquirendam eſſe, qui ſpiritualibus vacare minime poſſunt. Secundo, ut per hoc, quid de perfectioribus tunc fiet, intelligat.

§. XI. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occaſione thematis: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt* [Luc. 6. v. 36.]: dici poteſt, Chriſtum his verbis compendium omnium doctrinarum ad Miſericordiæ virtutem ſpectantium propoſuiſſe. Nam 1. oſtendit modum eamdem exercendi, exibendo Ideam perfectiſſimam miſericordiæ divinæ, ſeu Patris cæleſtis, qui omnibus tam bonis quam malis oriri facit ſolem ſuum, aliaque beneficia largiſſime tribuit: & miſeretur omnium, & diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam: in quibus duobus actibus potiſſima miſericordiæ ſubſtantia conſiſtit. 2. *Motivum* perfectiſſimum & efficaciſſimum, ſcilicet ſummam dignitatem Miſericordiæ, quæ oritur ex eo, quod Deo nos ſimiles faciat, inculcando. 3. *Medium* pariter efficaciſſimum ſuggerendo, quo ad Miſericordiam incitemur, nempe exemplum & Miſericordiam Patris cæleſtis

leftis erga nos, quo nihil poteft effe efficacius; fi enim optimum medium provocandi ad amorem eft amor, quidni idem de Mifericordia dicatur? Excitentur proinde Auditores ad Mifericordiam tanto alacrius exercendam, quanto præftantiorem Ideam funt nacti.

Marc. 8. v. 2. II. Ex occafione thematis: *Mifereor fuper turbam*: oftendi poteft, quinam potiffimum obligentur ad hæc verba dicenda, atque adeo Mifericordiam exercendam. Nimirum 1. *Judices & Confiliarii*: ut non diu diferant lites & caufas, aut querelas fubditorum ad exitum perducere; Meminerint proinde fibi dictum, quod olim Jofaphat ad Judices a fe conftitutos dixit: *2. Par. 19. v. 6.* Videte, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, fed Dei; & quodcumque judicaveritis in vos redundabit. 2. *Domini refpectu fervorum & mercenariorum*: *Tob. 4. v. 15.* ut obfervent illud S. Tobiæ monitum: Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ftatim ei mercedem reftitue; & merces mercenarii apud te omnino non remaneat. 3. *Divites*: ut credant fibi dictum a S. Davide, *Pf. 10. v. 14. juxta H. b.* imo & Ipfo Deo per Davidem: Tibi derelictus eft pauper, orphano tu eris adjutor. Studeant proinde Difpenfatoris officio tanto fidelius fungi, quanto majus ob tantam fidelitatem præmium olim fperare poffunt. 4. *Mediocris fortunæ homines*: ut & ipfi faltem pro tenuitate fuorum *Tob. 4. v. 8.* bonorum obfervent illud S. Tobiæ monitum: Quo modo poteris, ita efto mifericors: fi exiguum tibi fuerit, exiguum libenter impertiri ftude. Meminerint proinde viduæ duos obolos in gazophylacium mittentis, & omnium aliorum liberalitatem fuperantis. 5. *Ipfi pau-* *Luc. 21. v. 3.* *peres*: ut, quanto magis fentiunt ipfi, quam gravis miferia fit paupertas, tanto magis condoleant aliis pauperibus: nec invideant eleemofynam, aut impediant: fed potius de fuo communicent, aut communicandi defiderium oftendant, ac pro fe mutuo orent, memores, nullam effe præftantiorem eleemofynam, quam quæ pauperi a paupere datur.

III. Ex occafione eorumdem verborum poffunt explicari circumftantiæ, & a Chrifto in pafcenda turba obfervatæ. Nempe 1. Quod ante, quam daret, oculos ad cælum elevarit, & per puriffimam *intentionem* folius divinæ gloriæ quærendæ opus mifericordiæ mox exercendum Deo confecrarit. 2. Quod cum fincero *compaffionis* affectu dederit, ut verba illa: Mifereor fuper turbam, indicant. 3. Quod *ftatim* ac cognovit ipforum neceffitatem, fuccurrerit. 4. Quod *liberaliter* fubvenerit, ita ut multi cophyni fragmentis onufti fuperfuerint. 5. Quod *prudenter* dederit, offerendo talem cibum, qui ad neceffitatem fublevandam, non delicias fubminiftrandas conducebat. 6. Quod omnibus *indifferentes* hanc mifericordiam præftiterit, non refpiciens perfonas hominum. Ecitentur proinde Auditores ad tam præclarum exemplum tanto ftudiofius imitandum, quanto nobiliorem in illo tradendo Magiftrum funt nacti.

Luc. 14. v. 18. IV. Ex occafione thematis: *Et cœperunt fe omnes excufare*: afferantur, & refutentur variæ excufationes, & objectiones, quibus plerumque homines conantur fe a præcepto eleemofynæ eximere. Quarum 1. eft, quod ipfimet nihil habeant, & egeant: quibus illud S. Chryfoftomi objiciatur: *S. Chryf. h. 21. ad pop.* Nullus mifer, nifi qui mifereri noluerit: quia nec quifque mifereri defiderans poterit non habere, quod tribuat; non enim mifericordiæ definita funt pretia. Oftendatur proinde, quomodo poffint mifereri affectu, oratione, congratulatione ob eleemofynam aliis datam &c. 2. Quod per eleemofynam cenfus minuatur; & ipfi depauperentur: quibus illud S. Leonis in memoriam revocetur: Non timeatur in iis expenfis facultatum defectio, quoniam ipfa benignitas magna fubftantia eft: nec poteft largitatis deeffe materies, ubi Chriftus & pafcit, & pafcitur. Oftendatur præterea hanc effe optimam & licitam ufuram juxta illud Salomonis: Fœneratur Domino, qui miferetur pauperis, & viciffitudinem fuam reddet ei. *Prov. 19. v. 17.* 3. Eft, quod effectum hujus liberalitatis non fentiant, etiamfi & ipfi eleemofynas dederint, & ab aliis datas viderint: Quibus illud S. Chryfoftomi opponatur: *Tom. 4. h. 16. in ep. 2. ad Co.* Hic quæris retributionem? propter quid? fine eleemofynam effe, & non fac negotiationem. Sane multi & hic acceperunt, fed non fic acceperunt, quafi hac ratione his, qui hic non acceperunt, plus habituri effent. Quemadmodum gulofi ventris mancipia ad regiam vocati menfam, non expectantes congruum tempus, ficut parvi pueri fuam lætitiam lædunt, prius fatiantes fe vilioribus cibis, ita certe & hi, qui hic inquirunt & accipiunt mercedem, alibi minuunt. Porro in ufuram dans poft multum quid tempus fperas accipere fortem, forte autem non accipies, ut dilatione majus fœnus facias. Hic autem ftatim repetis, idque cum non hic, fed illic perpetuo futurus fis. 4. Eft, quod liberis fervare bona fua debeant: quibus illud S. Chryfoftomi iterum inculcetur: *S. Chryf. tom. 5. h. 23. ad pop.* Si ipfis omnia admittas, periculofæ cuftodiæ commendafti. Si vero Deum illis relinquas hæredem & Tutorem innumeros reliquifti thefauros. Sicut cum nos ipfos ulcifcimur, Deus non nos defendit; cum autem hoc ipfi permittimus, plus quam expectamus, efficitur, fic & in pecuniis, fi nos earum curam gerimus, ab earum ille providentia recedet; fi vero totum in eum projiciamus, & eas, & filios in omni fecuritate conftituit. Si vis itaque multas filiis divitias relinquere, Deo relinque tutelam. Qui vult dives fieri, fiat pauper, ut dives evadat. Expendat, ut colligat: difperdat ut congreget. Proderit etiam ad hanc objectionem utpote & valde communem, & eleemofynis maxime inimicam, illud S. Auguftini in memoriam revocaffe: *S. Aug. in Pf. 131.* Videte, fi non eft confufio tota vita humana, Quid quid agunt homines, in fpe vana, cum cognoverint, quid agant, erubefcunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis, inquiunt. Et ipfi cui? Filiis fuis. Et ipfi quibus? fuis etiam filiis. Nemo ergo fibi. Quam excufationem habebis, fi neque filiorum tuorum confortem facias, qui te cælorum participem fecit, & propter te occifus eft, & hæc omnia non debitum reddens, fed

gra-

gratiam faciens. 5. Est, quod ratio familiæ ac status largiorem eleemosynam exigant: quibus illud S. Chrysostomi cum proportione non inepte
S. Chrys. ho. 4. h. 17. in ep. 2. ad Cor.
obtrudetur: Canis tuus cibo fartus est, famulus tuus satietate rumpitur, at vero tuus & illius Dominus esurit, Christus tuus alimento caret necessario, fame perit. Quod ipsum Drexelius pulchra similitudine Filiæ arboris proceræ,
Drex. in gazoph. p. 3. c. 3. §. 4.
sed, quia succum a terra attractum in frondes & ramos convertit, omni fructu carentis: & mali, minoris quidem arboris, sed fructu, in quem succum convertit, abundantis demonstret. 6. Est, quod in morte dare velint: quibus recte cum S. Chrys. dicitur: Sparge superflua in pauperes, & quod invitus fortasse paulo post inimicis es cessurus, adipsum volens depone, tuaque fac, quæ tua nunc non sunt. Opes custoditæ fugiunt, distributæ manent. Hæc omnia fusius digesta possunt videri apud P. Jeremiam Drexelium p. 3. Gazoph. c. 4.

Luc. 6. v. 38.
V. Ex occasione thematis: *Date & dabitur:* Ostendi potest, quam fructuosa sit eleemosyna utpote ob quam datur a Deo. 1. Mensura *bona*, id est, benedictio in temporalibus. 2. *Confertia*, id est, remissio peccatorum. 3. *Coagitata*, id est, augmentum gratiæ & virtutum connexarum. 4. *Supereffluens*, id est, præmium vitæ æternæ: quæ omnia fusius ex iis, quæ §. 8. dicta sunt, facile diduci, & amplificari possunt.

Matt. 19. v. 29.
VI. Ex occasione thematis: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* explicari potest primarius fructus misericordiæ, quod scilicet sit inter certiora signa prædestinationis, quod probari potest triplici argumento. 1. *Divino:* petito tum ex revelatione Dei per Psalmistam dicentis: Beatus, qui intelligit super
Matth. 5. v. 11.
egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus: tum ex Christi testimonio dicentis:
Matt. 25. v. 34.
Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Et iterum: Venite benedicti, & possidete regnum: esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. 2. *Humano:* petito tum ex
Coloss. 3. v. 12.
Apostolico S. Pauli testimonio dicentis: Induite vos sicut Electi Dei viscera misericordiæ: tum ex sententiis SS. PP. supra §. 8. n. 11. citatorum. 3. *Naturali:* petito tum ab experientia negativa, cujus testimonium adfert S. Hieron. supra citatus dicens: Numquam meminisse, se legisse mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit: tum ex ratione, quæ suadet, eadem mensura mensurandum esse, qua quisque alios dimensus fuit. Excitentur proinde Auditores, ut sicut electi Filii Dei, hoc monile semper in collo portent, in signum electionis, illudque Salomonis sibi dictum putent: Misericordia & veritas te non deserant: circumda eos gutturi tuo &c.

Prov. 3. v. 3.
VII. Ex occasione thematis: *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus; de benedictionibus & metet:* fructus
2. Cor. 9 v. 6.
multiplex eleemosynæ per similitudinem cum semine explicari potest, atque adeo dici. 1. Quod sicut semen in terra abscondi debet; ita eleemosyna, quantum fieri potest, in occulto dari cupiat. 2. Quod sicut semen non arenæ, sed fertili terræ committi debet, ut fructificet; ita & eleemosyna non divitibus, aut cognatis necessitatem nullam patientibus, sed pauperibus dari debeat. 3. Quod sicut semen sæpius rigari debet, ita & eleemosyna lacrymis pœnitentiæ sæpius riganda sit, juxta dicta superius §. 10. num. 3. 4. Quod sicut semen moritur, ut multiplicatum reviviscat; ita eleemosyna data perdatur, ut cum fœnore ad Dominum dantem revertatur. 5. Quod sicut semen non uno dumtaxat loco spargitur; ita & eleemosynam pluribus offerri conveniat. 6. Quod sicut semen aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aut centesimum fructum affert; ita idem eleemosyna recte dicatur, si cum voluntate & intentione sincera distribuatur, uti facile ex iis, quæ §. 3. 4. & 8. dicta sunt, probari potest. Videri etiam potest Drexel. p. 3. Gazophyl. c. 6. §. 4.

VIII. Ex occasione thematis: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis:* Eleemosyna usuræ comparari potest, sed licitæ, & quæ ex
Prov. 19. v. 17.
omni capite longissime superet usuram corporalem. Et 1. Quidem *ex parte Dei accipientis:* cujus qualitates egregie depingit S. Chrysostomus sequentibus verbis: Deus; quibus maxime debet, hos maxime diligit. Itaque si vis
S. Chrys. h. 3. h. 11. ad pop.
eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem. Nec enim ita fœnerator debitores habens gaudet, sicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit: quibus vero debet, ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, ut ipsum habeamus debitorem. 2. *Ex parte dantis:* qui quidem per usuram materialem fit infamis, Deoque, & hominibus invisus; per spiritualem autem similis Deo efficitur, ideoque fammam venerationem, & æstimationem apud Deum & homines promeretur. 3. *Ex parte ipsius usuræ:* de qua sic loquitur S. Petrus Chrysologus:
S. Chrys. serm. 25.
Usura mundi est centum accipere, & unum pro censu reddere: Deus unum accipit, & centum reddit. Et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Da ergo, inquit S. Augustinus, modica, & accipe magna. Vide,
S. Aug. in Ps. 63.
quam late crescat fœnus tuum. Da temporalia, & accipe æterna: da terrena, & accipe cælum. 4. *Ex parte pignoris vel assecurationis:* de qua sic discurrit S. Chrysostomus: Pe-
S. Chrys. in Ps. 10.
tit creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fidejussorem, hisque tribus velut securitatibus fretus pecunias suas credit. Quia igitur intelligit Deus, pauperem his omnibus destitutum esse, medium se, & quasi sequestrum præstat, pauperi quidem sponsorem, pignus autem vel hypothecam creditori. Non habes, inquit, huic fidem propter inopiam, mihi crede propter copiam. Nec time; mihi fœneraris. Claudatur subinde concio egregia S. Augustini sententia.
S. Aug. ho. 10. ex. 50.
Demus in usuram, sed Deo, non homini. Ei damus, qui abundat: ei damnum, qui dedit, quod demus: & pro modieis rebus profert nobis pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis, quæ æterna sunt, & incorruptibilia, & sine fine manentia. Quid multa dicturus sum? se promittit, qui promittit. Si amas illum, eme illum ab illo. Et tu noveris te ipsi dare; audi illum dicentem: Quidquid uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Dat de cælo, accipit in terra. Ipse dat, ipse accipit, quasi fœnus trajectitium facis, hic das, ibi recipis res sine fine mansuras.

Matt. 25. v. 4. IX. Ex occasione thematis : *Prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus :* potest misericordia huic oleo comparari. Et 1. quidem ostendi, quod, sicut virgines fatuæ, licet virginitatis dono ornatæ, tamen defectu olei a nuptiis exclusæ sunt ; ita & defectu misericordiæ nemo fit ad nuptias cælestes admittendus, uti clare S. Leo indicavit, dum dixit : Misericordiæ virtus tanta est, ut sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. E contrario vero qui hoc oleo instructus est, non dubiam spem habere poterit, se cum prudentibus virginibus ad nuptias illas admittendum, uti ex dictis num. 6. hujus §. patet. 2. Ostendi potest, quinam mercatores sint, apud quos hoc oleum comparari debet, nimirum pauperes, qui quanto plures & promptiores sunt ad eleemosynam accipiendam, tanto copiosior est olei hujus comparandi occasio, maxime cum ab ipsis mercatoribus (aut certe Deo ipsorum loco) ementibus non ipsum dumtaxat oleum, sed amplum etiam gratiæ gloriæque præmium offeratur. 3. Ostendi potest, quo pretium emendum sit ; illo nempe, quod S. Chrysostomus indicavit dicens : Quanti emitur ? quanti libuerit. Pretium non appono, ne objicias inopiam. Quanti potes, tanti eme, habes denarium, eme cælum : Non quod venale sit cælum, sed quod clemens sit Dominus. Non habes denarium, da calicem aquæ frigidæ. Da panem, & accipe Paradisum : parva da, & magna suscipe. Atqui neque id habes, vel malis oppresso compatere, atque appensam mercedem habes.

S. Leo in s. de apparit.

S. Chrys. hom. 9. de pœn.

§. XII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

S. Hier. in c. 58. Isai. I. S. Hieronymus super illa verba : *Cum effuderis esurienti animam tuam*, ita scribit : Ut esurienti non demus panem nostrum, sed animam nostram, ut eum in quibuscumque possumus, adjovemus, & non quasi ex tristitia, & necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis, quam dantes beneficium ; *Hilarem enim datorem diligit Deus ;* ut animam esurientem, sive afflictam non refocillemus ex parte, sed saturemus, & doleamus cum dolentibus. Tunc orietur in tenebris lux tua, ille qui dicit : *Ego lux veni in Mundum, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat, sed habeat lucem vitæ.* S. Thomas super illa verba : Erumpet quasi mane lumen tuum ita scribit : Erumpet primo, quantum ad efficaciam meritorum, tum quantum ad opera virtutum : quasi mane lumen tuum, scilicet merita tua clare patebunt.

Utilitas.

Mansi d. 9. tr. 37. n. 3. II. Regius Psalmista inter alios effectus amoris & dilectionis Dei, etiam affectum, quo Rahab prosequebatur, enumerat : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ;* At vero in quonam hæc cælestis Jerosolymæ gloria, & magnificentia consistit ? in eo nimirum, quod memoria habeatur Rahab meretricis : *Memor ero Rahab*. Scimus enim ex scriptura, quantum hæc mulier, quantumvis fornicaria esset, privilegiata fuerit ; fuit enim ipsa cum tota domo sua a communi excidio Jerichuntino præservata ; atque insuper cuidam ex primaria tribu Juda prognato principi desponsata fuit, atque ex ejus linea & progenie stirps Davidica fuit propagata, ex qua postea multorum sæculorum progressu Filius Dei Altissimi sacratissimam suam assumpsit humanitatem. Scire autem cupitis, ob quæ motiva Deus hanc animam adeo a se amatam, hoc modo magnificarit ? Pulchra est hospitalitas, inquit Nazianzenus, testis inter justos Loth, inter peccatores Rahab meretrix, non tamen animi inductione meretrix, cui bene de hospitibus merendi studium, & laudi fuit, & saluti. Abulensis inter alia Deo gratæ, & ab ipso magnopere remuneratæ hospitalitatis exempla, illud quoque Rahab meretricis enumerat, inquiens : Quia exploratores domo sua recepit, habuit nomen æternum in Israel cum esset Cananæa, & in Genealogia Christi locum habuit.

III. Mystica est visio illa S. Joannis in Apocalypsi exhibita, quam his verbis refert : *Et conversus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis, & habebat in dextera sua septem stellas.* Etenim septem hæc candelabra aurea, & septem stellæ septem præfigurant opera misericordiæ corporalia, & septem spiritualia. Corporalia sunt ista, nempe esurientem pascere, sitientem potare, nudum vestire, hospitem colligere, infirmum visitare, vinctum liberare, & mortuum sepelire. Septem spiritualia sunt, peccata dimittere, peccantem corrigere, pro peccante orare, ignorantem instruere, hæsitanti consulere vel confirmare, lugentibus consolationem præbere, & ad omnes afflictos cordis compassionem habere. In figura horum dicitur in Apocalypsi, quod similis Filio hominis erat in medio septem candelabrorum aureorum, & habebat in dextera sua septem stellas. Candelabra aurea signant septem opera misericordiæ spiritualia, in cordis hemisphærio lucentia tamquam sydera radiosa : Neque sine mysterio septem hæ stellæ in dextera sunt positæ ; quia in virtute horum operum, prædestinati ad dexteram collocabuntur, & lucebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Ib. n. 1.*

IV. Cogita apud te, quid faceres, si res in manu tua deficerent, ac perirent ; in manu vero aliena conservarentur, profecto si sapercs, omnia in manu illius repoaeres. In hunc fere modum, cum omnia temporalia bona in manibus nostris marcescant, ac corrumpantur, solæ manus pauperum, quæ Christi sunt, illa incorrupta atque intacta fideliter servant, magnamque retributionem remunerantur in cælis. Unde scitum est, & elegans mercatoris cujusdam responsum, qui, cum multa millia aureorum haberet in bonis, quæreretur que ex Rege summa pecuniarum, respondit : Se præter mille aureos non habere, cumque Rex puraret sibi dare verba, admiraretur que responsum, adjecit mercator ; Mille aureos in pauperum usum propter Deum erogavi, & eos tantum meos esse existimo, qui extra omnem aleam fortunæ sunt *Salmeron t. 5. tr. 16.*

po-

positi; Reliqua bona & voluntati tuæ, & direptioni furum, & fortunæ casibus exposita, pro meis non agaosco.

Mansi d. 26. n. 5. V. Inter omnes veteris Testamenti Sanctos, nullus adeo vivam de corporis sui futura resurrectione fidem, nec tam firmam de concedenda sibi visione beatifica spem habuit, quam S. Propheta Job, qui erga pauperes munificentissimus fuit: Ait enim: *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Scitisne vero, undenam hæc ei fides & certa de visionis fruitione futura spes subnata fuerit? *Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci; si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, (quia ab infantia crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa est mecum) si despexi pereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operimento pauperem &c.* Unde Origenes de eo ait: Certum est, quod & mensæ ejus, atque sedes ejus, & ministerium copiosum fuerit, sed plus erat ministerium copiosum, quod ministrabat hospitibus, & advenientibus infirmis, & miserantibus destitutis, & peregrinis. Pro horum ergo omnium susceptione copiosum nimis habuit ministerium; puto, quod & in cælo & in excelsis copiosum nimis habuerit ministerium. Plurimi ministraverunt ei super terram pro miserorum susceptione, sed plures ministrabant ei in cælis cælestes Angeli, incorruptibiles eleemosynas, atque bona opera ejus in memoriam coram eo in cælum deferentes. S. Leo Mag. similiter hoc viri misericordis lucrum copiosum tangit, inquiens: Juvatur conservus, & gratiam refert Dominus, largitor temporalium, hæres efficitur æternorum.

S. Bon. in diæt. tit. 7. c. 4. VI. Nota, quod duo ostia facit pietas in cælo, scilicet, cum homo misericors intus compatitur, & proximo extra subvenit, quod optime figuratur in 3. lib. Regum, ubi dicitur: *Quod Salomon fecit in ingressu Oraculi duo ostiola de olivis*, quæ quidem sunt duplex *Mansi d. 25. n. 3.* misericordiæ scilicet corporalis, & spiritualis; corporalis subveniendo, spiritualis compatiendo.

VII. Quis est, qui nesciat, quod luctatores, ut vincere possint, corpus suum iungere soleant? Pugil cum adversario pugnaturus, inquit S. Antonius de Padua, solet inungi. Sic *S. Anton. Padu. in Dom. 10. post Pent.* justus balsamo, & oleo supradicto (scilicet misericordiæ, de quo antecedenter locutus fuerat, inungitur, ut manu fortis, id est, opere efficiatur, & sic dejiciat inimicum, id est, diabolum. Porro oleum, misericordiæ symbolum est, qua si quis inunctus fuerit, nullam habet inimicum timendi rationem. Aretas super illa verba S. Jacobi: *Superexaltat misericordia judicium*, scribit: Tale autem quiddam videtur mihi hæc misericordia efficere, quale oleum ab arboribus manans in athletis illitum; dat enim istud elabi, ne ab adversariis teneantur, & ita etiam in universali judicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus ac pericula, quæ a dæmonibus accusatoribus nostris imminebunt.

Necessitas.

Ibid. d. 5. n. 5. VIII. Si quis ingentem quemdam omnium operum meritoriorum texere posset catalogum, in quibus se omnes animæ electæ a principio Mundi usque ad finem illius exercuerunt, illa quidem innumera, & quasi infinita esse deprehenderet, & tamen illorum supremus Judex in novissimo Judicio nullam prorsus in conspectu cæli, & terræ faciet mentionem, sed solum magnificabuntur opera misericordiæ corporalis. At vero quonam putas id futurum esse mysterio? Respondet Dionysius Carthusianus, quoniam opera misericordiæ directe, & evidenter includunt charitatem, virtutum reginam. S. Leo quoque idem dubium his verbis resolvit: Unde autem exigua ista impendia tanta æstimari taxatione meruerunt, nisi quia pondera operum misericordiæ charitatis lance pensantur? Cum igitur hæc opera amoris sint expressiva, utpote derivantia a radice charitatis, quæ præ quavis alia virtute Deo placet, mirum non est, quod eadem opera omnibus aliis operibus, quantumvis insignibus, præcellentiæ palmam diripiant.

Æquitas.

IX. Salmeron pulchram hanc adducit similitudinem, inquiens: Moris est, ut ad Doctoratus & Magisterii gradum aspirantes, diligenter prius de idonea, & sufficienti doctrina examinentur, quibus propterea de more assignantur Capita sive Theses, ad quas ad diem condictam respondeant. Quod si illi certo præcoscerent per multos menses, antequam ad disputationem descenderent, se in illis fore examinandos, profecto id esset sibi gratiosissimum, & jucundissimum, & operam diligenter navarent, ne quicquam posset in sua disputatione desiderari. Vide singularem, & incomprehensam Filii Dei bonitatem, & charitatem. Nam cum velit nos ad externorum bonorum possessionem promovere, ne minus instructi ac parati accederemus ad tribunal divinæ justitiæ, admonitos nos esse voluit operum misericordiæ, quod eorum rationem strictam a nobis esse exigendam intelligeremus; Ait namque: *Venite benedicti Patris mei &c. Esurivi enim &c.* *Salmer. l. 5. tr. 37.*

Dignitas.

X. Observandum, quod Baptista, dum ex *Mansi d. 3. n. 3.* hac vita paulo post egressurus, certam Discipulis suis de adventu Messiæ vellet dare notitiam, duos de discipulis suis ad Christum mittens, dixerit illi: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Et respondens Jesus ait illis: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c.* Quasi dicere vellet, ex hoc indicio me verum Dei Filium, & promissum Messiam esse evidenter intelligetis, quia scilicet mundo leprosos, erigo claudos, illumino cæcos, ignorantes erudio &c. Ad hæc, cum priusquam in cælos ascenderet, suam Apostolis, præcipue ad miracula patranda, delegasset omnipotentiam, specialiter hæc miracula in sanandis infirmis ab illis patrari volebat: unde sacer textus ait: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.*

XI. S. Joanni Eleemosynario Patriarchæ Ale- *Ib. d. 4. n. 8.*

K a xan-

xandrino repræsentata fuit misericordia in specie pulcherrimæ virginis splendide exornatæ coronam oleagini coloris in capite deferens, quæ eidem dixit: Sum prima ex filiabus Magni Regis, si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem.

S. Jo. Damasc. l. 2. fid. Orth. c. 14. XII. Nihil tam commendat Christianum, quam miseratio charitatis, cui accedit & Cicero, dicens: Nulla de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior misericordia: homines enim ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Nihil habet fortuna majus, quam ut possit, nec natura melius, quam ut velit servare.

S. Bonav. in diat. sal. c. 4. XIII. Nota, quod misericordia est virtus, quæ cuncta superat, specialiter excedit tres virtutes inter alias excellentes, scilicet pœnitentiam, quia pœnitentia immolat corpus, misericordia vero animam; superat charitatem, eo quod charitas est fluvius divinæ pietatis, & currit cum alveis suis, & non exit extra ripas, quia solum bonum diligit, & sua communicat; pietas vero & misericordia extra ripas inundat, & sua bonis & malis communicat, & ideo non solum bona proximorum, sed etiam mala libentissime portat, juxta Apostolum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Misericordia superat justitiam, & in signum hujus decuria justitiæ si est a peccatore suspecta, licet ad consistorium misericordiæ appellare, nam dicit Jacob: *Misericordia superexaltat judicium.*

XIV. Postquam Magdalena Soror Lazari pretiosum illud Christi vertici superinfundisset unguentum; Judas vero hac de re inverecunde submurmurasset, Christus ejus sibi vendicans defensionem, celeberrimum illud in ejus laudem texuit encomium, quod ad perpetuam rei memoriam Ecclesiæ annalibus remanebit insertum, dicendo: *Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Non constat quod Christus alabastrum illud pariter unguento pretiosissimo plenum, quod in domo Simonis Pharisæi in obsequium suum effuderat, tantis laudibus magnificarit, quemadmodum unguentum illud, de quo jam locuti sumus. Quonam igitur hæc differentia spectat? Num forte illud, quod ex alabastro effundebatur, paris pretii & fragrantiæ non erat? ad hoc respondetur verbis ipsiusmet Salvatoris: *Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit*; hinc enim colligitur; quod, quia unguentum hoc sub titulo operis misericordiæ, quale est sepelire mortuos, effuderat, ideo illud præ cunctis aliis devotionis, & dilectionis demonstrationibus, quas ad illud usque tempus ei exhibuerat longe gratissimum habuerit; in tot enim aliis servitiis & obsequiis sibi præstitis, nunquam ad tam eximias laudes os suum aperuit: quia futurum erat, inquit S. Remigius; ut hæc mulier corpus Domini mortuum vellet perungere, & tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur, idcirco, divina providentia actum est, ut vivum Domini corpus perungeret. Fuitque proinde hoc thymiama, hi odores & unguentum istud Salvatori adeo acceptum, quia illud sibi in sepulturam suam exhibitum esse reputabat: *Ad sepeliendum me fecit.*

XV. Observandum, quod Incarnata sapientia, de qua dicitur; *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, Sacerdotibus, Pontificibus, & Synagogæ inspirarit, ut ex pretio sanguinis sui, scilicet triginta argentis, pro quibus traditor vitam ejus illis vendiderat, in templum a Juda relatis, stabilis quædam emeretur possessio scilicet ager figuli in sepulturam peregrinorum. Sed obsecro, quodnam in eo latet mysterium? Nimirum ut exinde colligeremus, quanto in pretio opera misericordiæ habeat. Adeo enim ei placet hoc opus, inquit Episcopus Bellovacensis, ut vendi non recusaret, & pretium venditionis suæ crederet in emptionem agri figuli, ubi peregrini sepelirentur, quorum sepulturæ multum Deo grata est.

XVI. In capite ultimo Deuteronomii de morte Moysis quæ in monte Nebo accidit, ita scribitur: *Mortuus est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle, &c.* Ergone nec Deus ipse servum suum Moysem sepelire non fuit dedignatus? sed quid est, quod Moysis corpus (quærit B. Petrus Damianus) ipse per se Dominus sepelivit? quod si dixeris, ut Œcumenius super Epistolam S. Judæ Apostoli scribens declarat, Deum corpus Moysis opera S. Michaelis, tamquam synagogæ protectoris sepelisse: dicitur Michael ministerium præbuisse in sepeliendo Moyse, sciendum tibi est, quod & hoc ipsum magnopere exprimat immensam æstimationem, quam Deus habet de misericordiæ operibus; siquidem ad hæc exercenda ipsummet cælestis militiæ Principem adhibere non dubitet. Sic quoque Deus ad Tobiam, defunctorum sepulturis operam dantem, non quemlibet submisit Angelum; sed Raphaelem Archangelum, qui unus est ex septem, qui assistunt ante thronum, ac proinde idem Bellovacensis ait: Hoc opus specialiter coram Domino Angelus præsentat, quasi maxime sibi gratum, sicut Angelus Tobiæ c. 12. dixit: *Quando abscondebas mortuos, &c.* *Ib. n. 8.*

§. XIII. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Sunt, qui possunt facere eleemosynam, sed nolunt. Sunt, qui volunt, & non possunt. Sunt & qui volunt, & possunt, sed differendo non faciunt. Cæterum qui potest facere, oret, ut & velit: & qui vult facere, oret, ut & possit: & qui in utroque paratus est, det operam, ut misericordiam instanter efficiat, ne, quod vult & potest, differendo non compleat. *S. Chrys. h. de duabus viduis.*

II. S. Joanni Eleemosynario quondam misericordia specie puellæ ornatissimæ & sole splendidioris, quæ coronam de ramis olivarum in capite gestabat, apparuit, dixitque: Ego sum prima filiarum Regis: si me possederis amicam, ego te ducam in conspectum Imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & salvare homines. *Leontius in ejus vit.*

III.

S. Ambr. lib. 2. de off. c. 28.

III. S. Laurentius quæsitus, ubi essent thesauri Ecclesiæ, promisit, se sequenti die ostensurum. Quo illucescente, pauperes ostendens dixit: Hi sunt thesauri Ecclesiæ, & vere thesauri, inquit S. Ambrosius, in quibus Christus est: in quibus Christi fides est: in quibus Christus videri amat.

Luc. 19. v. 30.

IV. Dominus asinæ & pulli, quos Christus solvi, & ad se adduci præcepit, mox ut audiit verba illa: Dominus his opus habet, solvi illas permisit. Quidni idem faciat quivis Christianus, divitias libenter dimittat, & pauperibus dividat, cum & sibi dictum sciat: Dominus his opus habet?

Stapl. in Dom. Pal. them. 2.

V. Quidam Archiepiscopus conquerente suo Œconomo, quod plures domi suæ, quam necessitas postularet, aleret, tam utilium, quam inutilium nomina scribi jussit, quæ cum legisset, hos, inquit, dicis esse necessarios, illos vero inutiles; alantur ergo hi, quia horum indigeo: illi vero, quia mei indigent.

S. Chrys. ho. 2. conc. 2. de Lazar.

VI. In Mendicis indignitatem non esse aspiciendam, pulchre docuit S. Chrysostomus his verbis: Non moribus demus, sed homini. Mendicus unum habet patrocinium, quod eget, quodque in necessitate constitutus est, ne quid ab illo postules amplius. Sed etiamsi fuerit omnium improbissimus, & eguerit necessario victu, sedemus illius famem. Ita Christus præcepit: Portus est in necessitate constitutorum homo misericors. Portus autem omnes, qui in naufragium inciderint, excipit, liberatque. Extremæ insolentiæ est, pro uno pane totam hominis miseri vitam curiose inquirere. Nam etiamsi homicida sit, aut aliud hujusmodi fecerit, tamen Dominus tuus illi solem suum producit. Obsecro igitur ego vos, omnia in simplicitate faciamus. Nam, ut recte advertit S. Gregorius Nazianzenus, multo satius est, ob eos, qui digni sunt, indignis quoque largiri, quam, dum metuimus, ne de indignis bene mercamur, dignos etiam beneficio fraudare. Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire: juvare pauperem, non examinare, inquit sapienter S. Ambrosius.

S. Greg. Naz. or. 19. in patr. funer.

S. Ambr. in epist.

Drex. Gazoph. l. 2. c. 1. §. 2. Spec. Ep. Tym. c. 69. n. 26. & 27.

VII. Non minima etiam misericordiæ industria est, egenorum nomina annotare, uti S. Gregorius Magnus, & S. Joannes Eleemosynarius fecerunt. Sed & S. Sylvester I. Pontifex omnium Viduarum & Orphanorum nomina annotata habebat. Idem S. Clemens fecit, sed ita, ut etiam in longinquas regiones transmitteret indigentibus subsidia. Neminem ex iis, quos ab errore ad veritatem amplectendam traduxerat, mendicare passus est, ut, qui se auctore, Christo viverent, se quoque adjutore famen non timerent.

Drex. l. c.

VIII. Romani olim servos alebant, quorum hic unicus labor erat, Cives Romanos nosse, & nomina eorum memoria complecti (ob quam causam Nomenclatores vocabant) ut, cum Domini eorum velnt Candidati Magistratum ambirent, ipsi Civium, quorum benevolentia captanda erat, nomina suggererent, an non ergo Candidati regni cælestis potius pauperes ad simile officium alant?

Utilitas.

IX. Quidam pro Epitaphio hæc pauca verba inscribi sepulchro voluit: Habeo, quod dedi: perdidi, quod servavi.

Drex. in Gaz. l. 1. c. 3.

X. Nec male Poeta quidam cecinit:

Extra fortunam est, quidquid donatur egenis,
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Martial. l. 5. epigr. 43.

Drex. l. c.

XI. Alphonsus Aragonum Rex, quæsitus, quid servaret sibi, qui tam multa aliis donaret? respondit: quæ dono.

XII. S. Joannes Damascenus pulchre ait: Certe nobilis pecunia Christus est. Ut ergo Christus pectoris tui loculum impleat, ab eo nummus abscedat.

S. Joann. Dam. ep. 24. c. 4.

XIII. Anaxagoram patrimonium dives abdicantem allocutus quidam, nullane, ajebat, tibi patriæ cura est? cui illo intento in cælum digito: mihi vero, respondit, patriæ cura, & quidem summa est.

Laert. l. 2.

XIV. Bellerophon animam suam sub mortem sic allocutus est: Eas ad Deos, pia, externis auxiliabare, non irascebaris amicis.

Nadast in an. Euch. hebd. 13. n. 7.

XV. Transfer ad magnum sacrificium male peritura, suadet Lactantius.

Lib. 6. c. 12.

Dignitas.

XVI. Fidelium calamitates, indigentiamque miseratus, facit in terris opera cælorum.

Sidon. l. 2. ep. 12.

XVII. Prima stipendia pauperis tractantur in cælo: erogatio pauperis prima scribitur divinis in diurnis.

S. Petrus Chrys. s. 14.

XVIII. Misericordem te misericordia vult esse, ut in creatura sua Creator appareat, & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei imago resplendeat.

S. Leo s. de comm. 55.

XIX. Quidam mendicos non male Imperii (sed cælestis) Electores nominavit, quia ipsi suffragiis suis & precibus ad dicti Imperii possessionem promovent.

Caspar Tausch. in matre dolor. l. 2. prox. 2. §. 15.

§. XIV. AUTHORES.

I. Franciscus Arias p. 2. thesauri tr. 6.
II. Hieremias Drexelius in Gazophylacio. Item in Zodiaco symb. 7. Item in Rosis Marianis p. 2. c. 11.
III. Bernardinus Rosignollus de disciplina Chr. Perf. lib. 4. c. 28.
IV. Petrus Sanchez in regno Dei p. 6. c. 4.
V. Joannes Busæus in Viridario Virt. V. Eleemosyna.
VI. Petrus Canisius p. 4. c. 10.
VII. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano p. 2. c. 25. §. 2.
VIII. Josephus Mansi tr. 57. in discursibus mor.

TITULUS XCVI.

MISERICORDIA ERGA DEFUNCTOS.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST virtus, qua quis Defunctorum miserias ex sincero compassionis affectu sublevare satagit.

Divisio.

II. Dividitur in corporalem, & spiritualem. Illa est, per quam corporibus subvenitur, uti fit per sepulturæ officium. Hæc est, per quam animæ in Purgatorio detentæ liberantur.

Actus.

A·ma de bello vase coeli 18. de mori. III. *Pro redemptione animarum crebro & ferventer orare*: Multum enim ad hunc finem valet deprecatio justi assidua: & quemadmodum Elias oravit, & impetravit pluviam, ita ad orationem viventium Deus dat mortuis refrigerium & gloriam.

2. Mach. 12. v. 43. IV. *Pro illis eleemosynas largiri*: Si enim hanc ad propria peccata tollenda suasit Daniel dicens: Peccata tua eleemosynis redime: quidni etiam ad aliena sufficiat? Sic certe Judas Machabæus facta collatione, duodecim millia drachmarum argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.

Dan. 10. v. 12. V. *Jejunare, aliasque corporis afflictiones pro illis offerre*: id quod plurimi Sancti hactenus fecerunt; & etiamnum hodie non pauci faciunt.

Tob. 4. v. 17. VI. *SS. Missæ Sacrificium, aut Communionem pro illis offerre*: quo illud Tobiæ referri potest: Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue. Si enim pane S. Nicolai Tolentini toties ignis hic materialis extinctus est, quidni similem, imo majorem longe efficaciam pani huic Angelico ad restinguendum Purgatorii ignem inesse credamus.

Lucas Tudensis l. 2. c. 27. VII. *Operum suorum quotidianorum fructum satisfactorium iisdem transcribere*: si enim, teste S. Scriptura, sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur: quanto validior, sanctior & salubrior erit oratio, & a fortiori ipsa operatio?

Lib. 6. rev. c. 102. VIII. *Etiam indulgentias ipsis, quæ transcribi possunt applicare*: quod quidem medium duplici ex capite aliis est præferendum. 1. Quia, si plenaria sit indulgentia, omnem statim pœnam, quaotacumque illa sit, una vice tollit. Uti Christus ipse quondam S. Birgittæ revelavit, dicens; Hi, qui habitis indulgentiis cum charitate perfecta & contritione vera decedunt de hoc mundo, solvuntur non solum a peccatis, sed etiam a pœnis: quia ego Deus non solum dabo Sanctis & electis meis quæ petunt, sed etiam duplicabo & centuplicabo propter charitatem. 2. Quia, juxta probabilem multorum sententiam, non justi dumtaxat, sed etiam peccatores eam pro defunctis obtinere possunt. *Dan. p. 1. p. 2. tr. 17. resf. 18.*

Gradus.

IX. Primus est, per quem tum officia ex debito præstanda, tum etiam spontanea certis temporibus pro defunctis offeruntur, uti plerumque Fideles Aoimarum illarum pia commiseratione tacti facere solent. Et hæc mensura *bona* vocari potest.

X. Secundus est, per quem quis omnem fructum satisfactorium ex bonis suis operibus provenientem, & alteri potiori titulo non debitum, quamdiu vivit, defunctis applicat, quemadmodum S. Gertrudis fecit & etiamnum hodie non pauci faciunt. Et hæc mensura *conferta* dici potest.

XI. Tertius est, per quem non ille tantum fructus satisfactionis, qui ex propriis operibus totius vitæ tempore, obvenit, sed ille etiam, qui post mortem ex alienis suffragiis obtingit, singulari cum charitate transcribitur, uti Hernandus Monroy Societatis Jesu Sacerdos fecit. Et hæc mensura *coagitata* dici potest. *Rho vir. lib. 2. c. 4. n. 3.*

XII. Quartus est, per quem quis non contentus est, ut ipse misericordiam defunctis juxta mensuram prioribus tribus gradibus descriptam exhibeat, sed alios etiam ad idem faciendum sive sermone, sive scriptura, sive alio modo incitat, uti insigniter præstitit P. Jacobus Mosfordus in tractatu de misericordia defunctis exhibenda, ubi fuse & solide probat, per hoc, quod aliquis sua opera quoad satisfactionem defunctis transcribat, non modo non agere contra ordinatam sui ipsius charitatem, sed potius præstantissimum ejusdem charitatis actum exercere, dum ejusmodi favores & gratias promeretur, quos numquam sperare potuisset, si eadem opera sibi reservasset. Et sane visus est Deus, quam gratus sibi hic zelus fuerit manifesto miraculo comprobasse. Cum enim Coloniensis Typographus, qui hunc libellum imprimebat, legisset in illo, non esse facile efficacius medium ad quidvis a Deo impetrandum, quam misericordiam defunctis præstitam, & eo ipso tempore filiolus illius lethaliter ægrotaret, promisit se centum dicti libelli exemplaria Religiosis donaturum, si animæ purgantes integram filiolo suo sanitatem obtinerent. Et ecce vix conceperat votum, cum domum e templo redux advertit filiolum cibos, quorum nauseam per quatuordecim dies sustinuerat, sumere, postero die surgere, & paulo post omnino convalescere. Eodem postea medio etiam uxori a Medicis jam depositæ sospitatem impetravit. Et hæc mensura *superfluens* appellari potest. *Annus 1660. fol. 41. Prov. Rom.*

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Utilitas.

I. DOleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum. *L. 2. Reg. c. 1. v. 26.*

II.

Jud. 2. v. 1. II. Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium,

Judith. 7. v. 20. III. Tu, quia pius es, miserere nostri.

2. Cor. 8. v. 14. IV. Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: & illorum abundantia sit vestræ inopiæ supplementum.

Prov. 6. v. 3. V. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis: nec dormitent palpebræ tuæ.

Thren. 2. v. 19. VI. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut aqua cor tuum ante conspectum Domini: leva ad Deum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

Luc. 9. v. 5. VII. Amice accommoda mihi tres panes (nimirum immolationis Sacramentalis, orationis visceralis, & oblationis liberalis, seu eleemosynæ: his enim tribus panibus animæ purgantes recreantur).

Luc. 14. v. 21. VIII. Exi cito in plateas & vicos civitatis (qualis est purgatorium respectu civitatis cælestis) & pauperes (animas purgantes, quia carent mediis ad se redimendas) ac debiles (quia non possunt se juvare) & cæcos (quia lumen cæli, id est, Deum nondum vident) & claudos (quia ad cælestem patriam pergere non possunt) introduc huc, nempe ad æternum convivium.

Juda v. 22. IX. Hos quidem (id est viventes) arguite, judicatos illos vero (nempe mortuos) salvate de igne rapientes.

Æquitas.

Job. 19. v. 21. X. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.

XI. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, & non pertransibis, sed sublevabis cum
Exod. 23. v. 5. eo; quanto magis animam sub tormentorum purgantium onere gementem?

Job v. 22. XII. Quare persequimini me, sicut Deus (relinquendo in tormentis sine ope atque solatio?) & carnibus (id est, divitiis a me relictis) saturamini? uti Guilielmus Parisiensis interpretatur.

Serm. 1. in die defunct. Ps. 54. v. 13. XIII. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, quod male de me post mortem sentias, & loquaris, & sine ope relinquas, hoc prorsus iniquum est.

Necessitas.

Eccl. 3. v. 27. XIV. Cor durum male habebit in novissimo, nimirum in similes pœnas incidendo.

Apoc. 6. v. 10. XV. Usquequo Domine, sanctus & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra, id est, amicis nostris opem negantibus?

Psal. 30. v. 13. XVI. Oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde: quia periit memoria (nostra) cum sonitu, scilicet campanarum & flentium in sepultura nostra.

Ps. 9. v. 8. Gen. 42. v. 21. XVII. Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus.

XVIII. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus: circumdederunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem (Deum). Ps. 39. v. 13.

XIX. Stabunt justi (defuncti) in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores (seu divitias eorum). Sap. 5. v. 1.

Utilitas.

XX. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis orare, ut a peccatis solvantur. 2. Mach. 12. v. 46.

XXI. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Tob. 12.

XXII. Oratio mea in sinu meo convertetur (quæ pro animabus facta est). Ps. 34. v. 13.

XXIII. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Luc. 16. v. 14.

Sepultura.

XXIV. Mortuo non prohibeas gratiam. Eccl. 7. v. 37.

XXV. Secundum judicium (vel, ut alii interpretantur, juxta mortem funebrem, contegere corpus illius (mortui) & non despicias sepulturam illius. Eccl. 38. v. 16.

XXVI. Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed eadem die sepelietur. Deut. 21. v. 23.

XXVII. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habeas matri tuæ in omnibus diebus vitæ ejus. Cum autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me. Tob. 4. v. 3.

XXVIII. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam constitue. Tob. 4. v. 18.

XXIX. Benedicti vos a Domino, qui fecistis hanc misericordiam cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem, sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 2. Reg. 2. v. 5.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. Dilexi, & ideo prosequor eum usque ad regionem vivorum, nec deseram, donec precibus & fletu inducam virum, quo sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita. S. Ambr. in or. de obit. Theodos. Imp.

II. Festinate orare pro defunctis Ecclesiæ, ut & ipsi festinent procurare, ut ipsis in gloria conjungamur. S. Aug. s. 44. ad FF. in eremo.

III. Ora pro defunctis, ut, dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, ut juventur per nos. Clamant quotidie, qui jacent in tormentis. Ibid.

IV. Unum ex sanctioribus exercitiis, & unam ex magis piis curis, quibus homo se exercere potest in hac vita, est offerre Sacrificia & eleemosynas, & orare pro defunctis, qui sunt in Purgatorio, quorum fratres sumus. S. Aug. h. 16. inter. 50.

V. Pompa funebris, agmina exequiarum sumptuosa, diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacum- Idem s. 14. de verb. Apost.

que solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum universa observat Ecclesia.

Chrysost. in serm. def. VI. In quocumque loco fueris, & quacumque premaris paupertate, haurire potes, & trahere ex cordis tui puteo, qui intra te est, puram aquam & mundam, ut extinguas ignem, qui in Purgatorio tuos adurit amicos.

Cyrill. in catechesi. 5. VII. Maximum credimus esse animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius ac tremendi, quod in altari positum est, sacrificii.

S. Aug. c. 100. Enchirid. VIII. Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde bonis propitiationes sunt.

S. Thom. suppl. q. 71. a. 5. ad 3. IX. Magis acceptatur Sacrificium pro mortuo, quam pro vivo; quia magis indiget, cum non possit sibi auxiliari, sicut vivus potest.

S. Bern. ser. 4. 5. 23. extrav. 2. part. X. Quemadmodum natura succurrit loco debiliori, providendo illi, sicut quando incidis tibi digitum, immediate natura impellit sanguinem, succurrendo illi: sic fit animabus Purgatorii, quia eleemosyna magis confert animæ egenti, quam non egenti, quia propter connexionem membrorum, & charitatis, quam habent ad invicem, illud provenit, quia reputant bonum unius fore alterius, quemadmodum cum homo dolet pedem, vel manum, aut oculum, cætera membra languent; ita debet esse, aut fieri circa animas Purgatorii.

2. Mach. 12. 43. XI. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, ubi in precibus Sacerdotum, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur locum suum habet etiam commendatio mortuorum.

Æquitas.

Carth. in 2. Epist. ad Dom. Th. dialog. art. 24. XII. Omnino extra viscera exulat charitatis, & omni est fraterno spoliatus amore, qui sua negligentia, aut vecordia miseras amicorum suorum animas in purgatorii flammis ardere permittit: Cum dicat S. Augustinus, nulla præsentis vitæ supplicia, etiamsi universa congerantur, Purgatoriis esse tormentis coæquanda. Hæc tecum sapienter pensites, velim, ut id agas ocyus in anima proximi, quod tibi in similibus pœnis cuperes impendi.

S. Bern. de quinq. negot. & regio. XIII. Transeamus per compassionem ad illos, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam Regionem, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occasionem, sed purgationem; Non ad iram, sed ad misericordiam; Non ad destructionem, sed ad instructionem, ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum.

XIV. Exhibeamus animæ, quod alienæ carni exhibemus, Si uxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, & in luctu ac lacrymis non parvo tempore perseverant. *S. Aug. s. 41. de sanctis.*

XV. Si multæ barbaræ gentes una cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius tu defuncto filio tua tradere debes, non ut in cinerem redigantur, sed ut gloriosum magis reddas in cælo? Putas ipsum maculis inquinatum abiisse? da ipsa sua, ut illis se a maculis detergat. *S. Joan. Chrys. h. 25 in Mat.*

XVI. Cadit asinus, & omnes eum sublevare festinant: clamat porcus, & cum eo clamare cæteri non cessant: sed clamat inter tormenta fidelis, & non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas. *S. Aug. s. 44. ad Fr. in eremo.*

Necessitas.

XVII. Surgam in adjutorium illis: interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari: si forte videat Dominus, & judicet, & laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam: his enim & hujusmodi officiis potest eorum miseria relevari, finiri labor, destrui pœna. *S. Bern. s. de s. Malachia.*

XVIII. Qui in hac vita defunctos oblivioni dant, alienos in fructu omnium suffragiorum ibi in Purgatorio crediderim, quamvis multa hic pro eis fiant, divina ulciscente injuria hujusmodi duritiam cordis atque injuriam. *Cajet. q. 5. deinde.*

XIX. O fidelem Samaritanum, qui viso homine vulnerato a latronibus, & spoliato misericordia motus est! Væ, væ pincernarum Magistro, qui oblitus est Joseph sui interpretis, cum de carcere esset eductus. Sic timeo, ne multoties contingat, cum aliquis amicorum obierit, & pro se instanter petierit, ac fidei viventium se commendaverit, quod non numquam oblivionem accipit, aut parvam, aut tardius sentit advenire expiationis hostiam, quam sperasset. *Thom. a Kempis in Ep. de pia defunct. memoria.*

Utilitas.

XX. Scias, & indubitanter credas, quod, licet pro defunctis beatis vel damnatis obsecres, bona, quæ pro talibus facis, non amittis: sæpe enim prædicamus, quod nullum malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum sit apud Deum: oratio enim tua in sinu tuo convertetur. *S. Aug. s. 44. ad FF. in eremo.*

XXI. Animæ ereptæ de Purgatorio, dum adsunt cælesti gaudio, miro modo interpellant, exorando pro his, qui eis subvenerint in hoc sæculo; Deus enim nihil illis negat. *Richard. de S. Vict. ser. 21. de mortuis.*

XXII. Cupis, o homo, ut tui misereatur Deus? fac ut proximo miserearis in Purgatorio: nam tantum tibi miserebitur Deus, quantum tu misereberis proximo. Ora ergo pro defunctis. *S. Aug. ad FF. in eremo.*

XXIII. Sustinetis accipere, quantum eleemosynæ pro defunctis exhibitæ nobis conferant? centuplum restituent. *S. Bern. de miserf. animar.*

XXIV. Omne, quod defunctis causa pietatis impenditur, in nostrum tandem meritum transmu-

mulatur, & illud post mortem ceotuplum recipiemus duplicatum.

S. Ambr. de offic. & ap. Mansi to. 10. d. 1. n. 3. XXV. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus dissolvit, volens ut nos mutuo juvemus; inde enim utilitatem accipiet ille per te, & tu per illum.

S. Chrys. h. xxiii in acta Manbur-gus apud Mansi tr. 00. disc. 1. n. 3. XXVI. Qui pro defunctis orat, septem misericordiæ opera eis impendit, unde & ejus miserebitur Deus. Cibamus esurientes pane Angelorum, dum eas precibus deducimus ad Regna cælorum. Secundo potamus sitientes, dicunt enim: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. Tertio vestimus nudos nuptiali veste, vestitu deaurato, dum enim charitatem nostram considerant, charitatem in nos actuant. Quarto peregrinos & exules hospitamur, dum in domum Domini lætantes precibus deducimus. Quinto captivos e carcere educimus, dum infirmos illos, & amore languentes visitamus; in terra tandem viventium in Domino beatos sepelimus.

S. Bern. s. 2 s. 12. p. 2. XXVII. Quoties tu facis aliquod bonum pro anima existente in Purgatorio, tibi magis prodes, & plus mereris, quam si faceres decem tantundem pro uno existente in hoc mundo, etiamsi esset incarceratus, infirmus, nudus, & famelicus; nam quanto magis egenti hoc facias, tanto magis est bonum.

S. Jo. Dam. or. de fid. Defunctis. XXVIII. Nunc opis ferendæ tempus est, & tempus negotiandi; Ac beatus quidem ille, qui spe minime titubarit, atque elanguerit: Beatior autem, qui & sua & proximi causa laborarit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensius oblectat, & exhilarat, cum quisque ad proximum juvandum celeri cursu contendit. Hoc, inquam, misericors ille vult, gratumque habet, ut nos omnes tum in vita, tum post confectum vitæ circulum mutuo alii ab aliis juvemur.

Lucas Tudensis c. 6. XXIX. Studeamus Defunctis exhibere studia charitatis, & sacrificiis, orationibus, eleemosynis eorum temporalem miseriam relevemus, ut, cum defecerimus morte corporis, dum illi a malis liberi, inter filios Dei fuerint computati, recipiant nos in æterna tabernacula.

Gerson. s. 2. de defunct. XXX. Talis oratio semper suum habet effectum, quia fit pro illo, qui est in gratia, & qui satisfactione eget, nec eam pro se ipso facere potest, &c. Talis oratio ex majori procedit fide, quam ea, quæ fit pro viventibus; est enim necesse cogitationem elevari ad purgatorium credendum, & quasi ipsum per fidam videndum. Hæc oratio obligat aliqualiter in purgatorio existentes, ad par referendum, postquam fuerint in paradiso, & oratio eorum multum accepta erit Deo, & multum valens &c. Hæc oratio est majoris necessitatis & festinationis &c. Meretur, quod is, qui eam facit, pariformiter post hanc vitam juvetur oratione aliorum, & Ecclesiæ. Hæc oratio majori emanat charitate, quando fit pro illis potius, qui magis elongati sunt a nobis, oon expectando par, nec gratiam, quam nobis agant &c. Hæc oratio satisfaciat obligationibus magnis, quibus vivi devincti sunt mortuis, ob diversa ab eis recepta bona, sive naturæ, sive fortunæ &c. Talis oratio consolationem dat, vel gaudium aliquo modo Angelis, qui defuntos custodiebant, & facile est creditu, revelare illis, & consolari eos, pro quibus hujusmodi fiunt orationes, & sic cognoscuot illud, quod vivi faciunt eis. Talis oratio inducit hunc, qui eam facit, cavere a peccatis, & citius pœnitentiam agere, atque considerare, ne quicquam committat, propter quod talem incurrat afflictionem &c. Talis oratio, quando fit manifeste, melius exemplum dat aliis credendi vitam futuram. Hæc oratio persolvit multo majorem pœnam, & prolixiorem, quam fit ea pœna a qua talis fit oratio, & est, ac si asse uno redimeretur Francus &c. Hæc oratio inducit potius illum, qui orat, ad hanc vitam contemnendam & ad aliam tenendam memorando statum illorum, qui paulo ante vivebant.

Facilitas.

XXXI. Nullus est cujuscumque status homo, qui se excusare possit, quo minus juvet mortuos, nec est, qui vere dicere possit, plorare non possum pro defunctis, non possum pœnitentiam agere, devote pro eis lamentando. In quocumque enim loco fueris, & quacumque premaris paupertate, potes, quod prædictum est, facere, haurire potes, & trahere ex cordis tui puteo (qui intra te est) puram aquam & mundam, ut extinguas ignem, qui in purgatorio tuos adurit amicos, quod verum est, quantum ad eos, te scilicet posse extioguere. *Idem s. 2.*

Sepultura.

XXXI. Cum recolit animus, ubi sepultum sit carissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri commendat animam dilectam recordantis & precantis aspectus. Qui cum defunctis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse noo dubium est iis, qui cum in corpore vivebant, talia sibi post hanc vitam prodessa meruerunt. *S. Aug. l. de cura pro mort. c. 4.*

XXXIII. Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construendi, quia & hæc inter bona opera in S. Scriptura deputata sunt: impleaot hæc homines erga suos officia postremi muneris, & sua humana lenimenta mœroris, verumque spiritum defunctorum adjuventur oblationes, orationes, erogationes, multo pro eis observantius, instantius, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. *Idem s. 2. de verbis Dom.*

§. VI. EXEMPLA CATH. EXTERNA.

Qualitas.

I. S. Martinus Canonicus Regularis in Legionensi S. Isidori cœnobio refert, se e defuncti cujusdam Sacerdotis relatione didicisse, hoc concedi animabus in purgatorio igne existentibus, quod diebus Dominicis & aliis Christi Domini Festis e carcere exeant. *Jo. Nad. in anno mortuor. heb. 30.*

II. B. Virgo S. Birgittæ quondam dixit: Sum etiam mater omnium, qui sunt in Purgatorio. Alias eidem dixit: Nulla est pœna in Purgatorio, quæ non propter me remissior erit, & lenior ad ferendum? quam esset. Hieronymo *Lib. 4. revel. c. 138. Lib. 4.*

Jo. Nad. in anno mortuorum heb. 2. n. 1. nymo Caravalle Societatis Jesu subtristi propter Purgatorium dixit: Ne ita angaris; nam ego non tantum sum Advocata peccatorum in hac vita existentium, sed etiam, dum in Purgatorio detinentur. Anno 1072. nocte *S. Petrus Dam. l. 3. ep. 10.* festum B. Virginis Assumptæ præcedente, amicæ suæ quædam alia amica defuncta apparuit, dixitque, illa nocte plures per B. Virginem animas e Purgatorio liberatas esse, quam sint Romæ capita: cui cum ille credere tardaret, in signum veritatis, inquit: Hac ipsa die, versante anno morieris. Alius quidam ex Purgatorio amico suo apparens affirmavit, solere *Dionys. Carth. l. 2. Assumpt.* B. Virginem nocte Nativitatis Domini Purgatorium ingredi, multasque animas liberare in memoriam partus Virginei, item in Resurrectione ob memorram descensus Filii ad inferos.

Sur. 19. Oct. III. S. Osuvaldo de nocte oranti defunctus ille, pro quo orabat, apparuit, & quomodo hactenus habuisset, rogatus, hactenus, inquit, valde male, (repente ex alto templi, ubi laborabat ruens, absque ulla proxima ad mortem præparatione decesserat) at nunc valde bene, tuis enim meritis & precibus, pœnis, quibus cruciabar, per Angelum suum me Dominus hesterno die liberavit. S. Birgitta quoque vidit Regis cujusdam animam vehementer afflictam oculos in Angelom, qui pœnas temperabat, obvertisse, & ipsis quasi loquentibus oculis significasse, se plurimum solatii a suo illo Angelo percipere.

Thomas Cantipr. l. 2. apum c. 53. IV. S. Joannes Apostolus pro devoto quodam suo sic Beatissimam Virginem alioqui est auditus: Ecce anima amici nostri torquetur in pœnis: veoras, obsecro, & liberes eam. Descendit proinde cum illo ad Purgatorium pia Virgo, & illam inde animam eduxere.

Jo. Nadast in anno mor. heb. 33. n. 7. V. Abbas quidem quondam S. Angelum Custodem suum, cui S. Laurentius adstabat, vidit, & hæc verba dicentem audivit: Abbas iste, quem cernis Levita Laurentius est, qui Martyrium ignis pro Christi nomine passus, hoc privilegium accipere meruit, ut qualibet hebdomade animam unam Purgatorii tormentis possit eximere.

Sur. 25. Jul. VI. S. Christina cum post mortem ab Angelo primum ad Purgatorium, inde vero visis tormentis ad conspectum Dei adducta, optionem a Christo accepisset; vel perfruendi beatitudine, vel ad corpus, ut pro animabus Purgatorii satisfacere posset, redeundi, posterius elegit, & nunc in ignes, nunc in serventes aut frigore constrictas aquas se conjecit, aut in patibulo inter latrones pependit, aut in sepulcris mortuorum delituit, aut alia ejusmodi opera pœnitentiæ suscepit, summo quidem dolore, sed absque corporis læsione, ut plura perpeti posset: unde mirabilis dicta est.

Elias a S. Theresia l. 3. c. 48. VII. Cum S. Lyduvinæ post septendecim annorum morbum Angelus apparuisset, & optionem dedisset, an cælum ingredi, an vero diutius vivere, & defunctis succurrere vellet? respondit ipsa: Male se usque in diem judicii perseverare: cui mox Angelus nomine Dei promisit, liberationem omnium animarum, quas novisset, & consanguineorum usque ad nonum gradum. Item quod post septendecim annos in morbo hoc adhuc consumendos Purgatorium visitatura, & quotquot peteret animas, liberatura esset.

VIII. S. Eugardis orans pro quadam anima negabat se a lacrymis cessaturam, donec illam liberasset: Unde Christus ei apparens dixit: Æquo animo esto dilecta; ecce hæc est anima, pro qua postulas. *Surius in vita.*

IX. B. Magdalena de Pazzis cum atrocitatem pœnarum videret, & suum illis involutum Fratrem, pietas, ajebat, pietas; misericordia! O sanguis descende, & libera has animas, & ad illas conversa: O pauperculæ, dicebat, tantum patimini! & tam lætæ! omnes omnino Martyrum omnium pœnæ ac tormenta sunt instar amœni hortuli ad ea, quæ in Purgatorio tolerantur; & Religiosis illic visis: o Deus bone, inquit, & Religiosi in his pœnis! *Vita past. 2. c. 21.*

X. Helena Paduana die quodam lunæ; in quem Animarum dies inciderat, vidit triumphantes animas Deo liberatori, & hominibus patronis gratias agere, alias vero utpote solatio destitutas non modice tristari. *Calend. Mar. 4. Nov.*

XI. S. Theresia pro defunctis orans vidit dæmonem libro insidentem, & prohibentem, ne eas absolveret, qui tamen libro lustrali aqua consperso aufugit, ipsa vero absoluta oratione animas e Purgatorio exilientes vidit. *Vita c. 31.*

XII. Anno 1078. igniti Equites, olim milites, num juvari possent, potenti dixerunt: Jejuniis & orationibus, maxime vero oblatione corporis & sanguinis Christi adjuvari possumus, & rogamus. *Tritbem. Cron. 1078.*

XIII. Anno 1300. B. Virgo Clerico apparens, dixit, propter Jubilæum tunc Romæ celebratum omnes animas in purgatorio liberatas esse. *Jo. Hausfenus in opere Euch.*

XIV. Duo Religiosi in cœmeterio deambulantes absque præcepto defunctis susa, audierunt vocem: Hi, qui præterierunt, non dixerunt, requiescant in pace. Cum ergo n. dixissent, & orantes dixissent: Ecce benediximus vobis: audierunt alram vocem: Dominus Deus illuminavit vos. *Elias a S. Theres. lib. 2. de purg. cap. 32.*

XV. Cum Frater Henricus de Kalstris mortuus esset, per Purgatorium transiens trecentas & triginta sex animas secum eduxit. *Ex vita prædic.*

XVI. Puer quidam, dum super sepulchro matris orationem Dominicam, & Psalmum Miserere recitat, visus est ab Episcopo, hamo aureo, & linea argentea pulchram mulierem extrahere. *Spec. Ex. dist. 9. ex. 141.*

XVII. Joannes de Alverna dum SS. Missæ sacrificium pro animabus offert æterno Patri, vidit animas ceu multitudinem scintillarum de ignita fornace prodeuntium egredi e purgatorio & ad cælum evolare. *Ib. dist. 11. ex. 2.*

XVIII. Ancilla quædam Valencenis, cum Dominus ejus pro defuncta quapiam persona curru peregrinationem instituisset, animam currui præeuntem, & semper splendidiorem fieri vidit. *An. Cap. 1607.*

XIX. Monachus quidam Cisterciensis Ordinis religiosa admodum conversatione vitam suam consummans, tentationibus & ærumnis hujus miserabilis vitæ, morte interveniente subtractus est. Quo defuncto, Sacrista illios domus nocte quadam imminente in tempore vi- *Spec. Ex. dist. 1. ex. 47.*

vigiliarum, dum præstolaretur signum horologii, vigilans sedebat in lecto suo. Tum ecce spiritus ejusdem defuncti Fratris, tamquam solido, & palpabili corpore, vestitus repente astitit coram ipso, sicque lamentabili voce allocutus est eum: Domine Sacrista, ego sum ille frater nuper defunctus, sed cur ad te venerim, quæso, ut pietatis intuitu pensare digneris. Ego enim dum adhuc essem in corpore, licet per Gratiam Dei vigilanter satis in observantiis Ordinis me ipsum exercitarem, in uno tamen graviter deliqui, quod scilicet sacrum Diaconatus Ordinem carnaliter concupivi, & ut ad hunc honoris gradum ascenderem sine respectu timoris Dei, valde inquietus fui. Quodque adhuc gravius est, absque condigna pœnitentia hujus delicti de corpore exivi, quia nec tanti ponderis hoc fore putabam, quanti post mortem inveni. Sed pius Dominus mihi tibi comparere concessit, quatenus qui jam per me ipsum mereri nihil possum, fratrum nostrorum, qui adhuc tam sibi, quam aliis misericordiam Dei promereri possunt, orationibus debeam adjuvari. Itaque obsecro per pietatem Domini nostri Jesu Christi, quatenus calamitatem meam Priori exponas, ipsum roges, ut in Capitulo me absolvens, generalem orationem pro mea liberatione fratribus injungere dignetur. Ut autem noveris hoc, quæ vides & audis, phantasticam nequaquam esse illusionem, in augmentum veritatis, Psalterium, quod portarius, ante aliquot dies in Capitulo requisivit, & nondum invenit, in illo tali loco repositum invenies. Verum cum Sacrista hæc audiret, & videret, & multum miraretur tam insolitam novitatem rei, tamen cum esset homo maturi consilii, ipso die nemini quicquam super hoc verbo locutus est, reputans, ne forte tamquam somniator, aut a dæmonibus illusus derisui haberetur. Nocte vero sequenti, dum sicut prius vigilans, & sedens in lecto suo, de his, quæ sibi præterita nocte contigerant, attentius cogitaret, rursus ille defunctus sicut antea vigilanti & stupenti apparuit, dixitque ei: Non recte agis, Domine Sacrista, non recte agis erga me, qui iram Domini porto, quoniam peccavi ei, in cujus manus, quam horrendum sit incidere, utinam & tu non experiaris. O si scire posses, quam gravius est etiam minima pœna animæ a carne solutæ, profecto non tam negligenter ageres, sed totis viribus succurrere satageres. Quapropter etiam atque etiam contestor te propter Deum, ne ultra dissimules, sed petitionem meam effectui mandare festines, quia spero me per orationes fratrum nostrorum, apud clementissimum Judicem Deum misericordiam adepturum. Ut autem totius dubietatis scrupulus de corde tuo tollatur, & me ipsum esse, quem paulo ante viventem in carne, bene noveras, non dubites, ecce tolle de manibus meis Psalterium, quod portarius in Capitulo quæsivit, & needum invenit. Tulit itaque Sacrista de manibus ejus Psalterium, super tam inauditis mirabilibus Dei, vehementer obstupefactus. Porro cum jam idem ipse Sacrista, scire volens, utrum nam solidum, & palpabile esset corpus, quod videbat, utrumne sic subjaceret tactui, sicut visui, cum haberet prope se virgam, tulit eam, & quasi tangendo experientiæ satisfacturus, levi ictu vibravit illam, sed mox nullo penitus obstaculo resultante, quasi per vacuum aerem, sic per corpus, quod apparebat, transducta est. Mane autem facto Priori & fratribus, quæ viderat, & audierat, innotuit, Psalterium etiam, quod acceperat, tamquam veritatis pignus, protulit. Sicque fratris illius anima per communes orationes & Missarum celebrationes pœnis (ut credimus) absoluta, beatitudinis æternæ consortium Deo miserante promeruit.

XX. Frater quidam ad prædicandum missus villam quamdam intraverat, & ascenderat vespere solarium ad pausandum. Et ecce in opposita domo, perditi adolescentes ad funus defuncti convenerant, & obscœnis vacantes lusibus vigilabant. Hæc ut audivit frater flere cœpit uberrime, prædictorum insanias miseratus. Nec mora, ut se deposuit super lectum, quidam astitit, ut sibi visum est, dicens: Legatione fungor animarum, in Purgatorio purgandarum. Hæc enim mandat suis in derelictis possessionibus constitutis; *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Et ait fratri: Ex his verbis cras tibi sermonis thema accipies, & repelles ludos execrabiles, quos vidisti, & induces homines, ut defunctorum amicorum pie subveniant animabus. Nec distulit frater in crastino sepulto corpore injunctam legationem convenientibus populis indicare. Tantumque in illo sermone profecit, ut omnes a minimo usque ad majorem ad tantam lacrymarum abundantiam commoveret, ut fervor mirus excitaretur in populo defunctis proximis subvenire. Et ludos execrabiles (quos prædiximus) removerunt. *Ibid. dist. 7. cap. 33.*

XXI. Dum quidam miles in lecto cum uxore sua esset, & luna valde lucens per rimas intraret, mirabatur, quomodo homo rationalis Creatori non pareret, cum eidem creaturæ irrationales parerent. Et dum cuidam militi defuncto, qui sibi fuerat familiaris, detraheret, subito ille qui mortuus fuerat, thalamum introivit, dixitque illi: Amice, noli male suspicare de aliquo, & condona mihi, si quid in te peccavi. Cumque super statu suo interrogaretur, dixit: Variis pœnis affligor, præcipue quia tale cœmeterium violavi, & ibi quemdam vulnerans eum cappa sua expoliavi, quæ mihi superponitur, & uno monte me magis premit. Rogavitque, ut pro se orationes fieri faceret. Cum autem ille sibi diceret, an vellet, quod a tali, & tali sacerdote ipsas orationes faceret fieri; ille ad hoc nihil respondens, caput more renuentis concussit. Deinde dixit, si vellet, quod talis eremita pro se oraret: Cui ille: Utinam ille pro me oraret: Quod cum se facturum promitteret, ait ille: Et ego dico tibi, quod ab hac die usque ad duos annos tu etiam morieris. Sic ille disparuit, & miles vita sua in melius mutata, in Domino obdormivit. *Ibid. dist. 7. cap. 61.*

Petrus de Natal. l. 10. c. 8. XXII. Legitur, quod quidam Piscatores S. Thebaldi in Autumno frustum magnum glaciei pro pisce prendiderunt, de pisce gavisi sunt, maxime quia Episcopus dolore pedum laborabat, ipsam glaciem ejus pedibus supposuerunt, & magnum ei refrigerium præstabat. Quadam vero vice de glacie hominis vocem audivit. Qui ab Episcopo adjuratus quis esset, dixit: Sum quædam anima, quæ in hoc gelicidio pro peccatis meis affligor, & liberari possem, si triginta Missas sine intervallo 30. diebus continuis diceres. Qui cum medietatem dixisset, & se jam ad Missam aliam præparasset, diabolica suggestione contigit, quod fere omnes homines illius civitatis inter se bella moverent. Unde vocatus Episcopus ad sedandam discordiam, sacras deponens vestes Missam illam illa die intermisit; Iterum reincipiens, & duas partes complens, exercitus magnus (ut videbatur) civitatem illam obsedit, & compulsus Missæ officium intermisit, Deinde reincipiens cum omnes ultima excepta dixisset, & ultimam inchoare vellet, tota villa & domus Episcopi accensa est. Cui cum servi dicerent ut Missam intermitteret. Ille dixit: Etsi tota villa cremari deberet, Missam non dimitterem. Qua celebrata glacies protinus resoluta est, & ignis, quem se vidisse credebant, tanquam phantasma recessit, & nullum damnum intulit.

Spec. Ex. ex. 9. ex. 142. XXIII. Fuit quidam Monachus Cisterciensis Ordinis bene Religiosus secundum datam sibi gratiam, in Beatæ Mariæ servitio valde devotus. Huic ut calore religiosi propositi eo utilius, quo humilius desudaret, suscitavit Christus æmulum unum de conclaustralibus suis, qui in omnibus, quæ ageret, calumniam ei flatuens, verbis & factis eum infestaretur, nec in hoc solum manus Domini super eum extenta, sed adhuc in flagellis duobus, uno corporali, altero spirituali. Quoties enim tonabat, auditum tonitrui ferre non valens, fere usque ad exitum animæ turbabatur. Sed & gutta, quam rosam vocant, certis temporibus ita faciem ejus exulcerabat, ut propter aspectus fœditatem infirmatorium sæpius & diutius tenere cogeretur. Cumque hac infirmitate gravatus quadam nocte post matutinas isset cubitum, increpabat animam suam per dolorem compunctionis in lectulo corporeæ quietis. Paucis autem diebus ante evolutis, brevi temporis intervallo monasterii partem cum Monachis fere quindecim e corpore Christus vocaverat. Dum ergo ille in orationibus vigilaret, in extasi factus vidit per medium infirmatorium transire exercitum Monachorum, inter quos Abbatem suum, & Monachos illos, qui paulo ante objerunt, recognovit, quorum unus ad eum divertens, & ante lectum ejus subsistens, ait: Frater charissime, nos qui hic transimus, in monasterio, dum in hoc corpore viveremus, conversati sumus; omnes quidem gloriamur in spe, sed differimur adhuc a Regni introitu propter quorumdam fratrum negligentiam, quorum, alii tarde, alii tepide, vel omnes ingrate solvunt psalmos & orationes, quas debent pro animabus nostris. Nec solummodo rei sunt apud nos; sed ipse Christus multa habet adversus eos. Ipsum enim provocant & excitant ad vomitum, dum tepide votum vitæ purioris æmulantur, & sanctæ præcepta regulæ sine scrupulo conscientiæ transgrediuntur. Ipsis siquidem convenientibus in unum tempore & loco orationis & psalmodiæ, jam non est spiritualem eicam manducare, dum unusquisque præsumit corde vanitatem ad delectandum, & anima eorum nauseat super manna cælesti, quasi levi cibo & contemptibili. Hoc autem iram Dei maxime provocat, quod in illa bora, in qua fratres ob reverentiam Trinitatis inclinant, aliqui cachinnant, & de otiosis occulte significant. Alii corpore & corde rigidi, vix, postquam Gloria Patri dictum est, inclinant, sed nec dum Spiritui Sancto erecti curiosi per parietes vagantur. Alii in modum statuarum ad orandum stantes, sic somno sepulti sunt, ut nesciant, quid agant circa se, & nihilominus tamen incurvant se, & erigunt sicut cæteri, misera quadam consuetudine. Vade, & dic Abbati ex parte nostra, ut corrigere satagat has negligentias fratrum, quibus ad hoc speculator a Domino datus est, ut annunciet eis peccata ipsorum. Sic disparente defuncto, Monachus latenter surgens perrexit ad Ecclesiam, & ante quoddam Altare privatum toto affectu cordis orare cœpit, statimque fuit in spiritu. Et respiciens per fenestram, quæ super altare erat, vidit incandescere radium solis. Et ecce miræ pulchritudinis mulier per ipsam fenestram introivit. Quæ stans juxta cum dixit ei: Nosti, quæ sum ego? quo respondente, nescio. Ego sum, inquit, Maria Mater Jesu, quæ veni, ut consoler gemitus tuos, & lenirem dolores tuos. Vidi enim lacrymas tuas, & orationes tuas. Et factum est, cum hoc diceret, fratribus in choro ad Gloria Patri, more suo se incurvantibus, ipsa cancellatis manibus reverenter & profunde, usque dum diceretur: sicut erat in principio, incurvavit se. Et rursum erecta dixit ei: Monachus ille mortuus, qui persequebatur te multipliciter secundum multitudinem malignitatis, qua te persecutus est, pœnas recepit. Et ut verum me dicere credas, esto sanus ab hac duplici, quam sustines, infirmitatis peste, & tergens manica vestimenti sui evanuit ab oculis ipsius. In crastino vero Abbati rem secrete referens, indicio faciei mutatæ, fidem ipsi, & cæteris fratribus fecit ad honorem Reginæ Angelorum, & Dominæ cælorum.

XXIV. Legitur in libro de septem donis, quod fuit quædam devota matrona, quæ in Ecclesia quadam Cathedrali solebat orare, & in angulo secreto prostrata cum maxima devotione dicebat Pater noster, & Ave Maria, & Credo in Deum, lacrymis tota liquescens, & pavimentum profundens. Episcopus autem illius loci, homo sanctæ vitæ, vidit columbam de cælo venientem, & lacrymas illas colligentem, & deferentem in cælum, & cum hæc vicibus multis vidisset, vocata fœmina illa quæsivit ab ea, quæ esset oratio ejus, quæ cum respondisset sibi, dixit Episcopus: Quam felix esses, si Psalterium scires. Quod *Ibid. ex. 144.*

cum

eum didicisset & oraret, Episcopus deinceps non vidit lacrymas, nec columbam. Unde abstulit ei Psalterium præcipiens, ut ad orationes consuetas rediret. Quod cum fecisset, vidit Episcopus, quod devotio pristina, & lacrymæ, & columba protinus redierunt.

Ibid. ex. 148. XXV. Quidam filius habuit patrem, qui obiit, & filius 32. annis pro anima patris quotidie specialem orationem fecit. Cui pater post hoc tempus apparnit dicens, se in magnis pœnis esse. Cui filius: Profuitne tibi oratio mea, qua 30. annis & ultra pro te oravi? Respondit Pater: Non. Cui filius: Ergo damnationi (ut audio) subjaces, si nihil oratio tibi profuit? Respondit: Fili, non damnatus sum, sed Purgatorio datus, ubi vehementer crucior, donec omnia peccata usque ad novissimum quadrantem exsolvantur. Et ait filius: Cur ergo non profunt tibi orationes meæ? Respondit pater, quia semper per illud tempus in peccato mortali fuisti. Cui filius: Quomodo hoc, pater, esse potuit, cum annis singulis confessus sum, Sacramentum Eucharistiæ suscipiens? Respondit Pater: Quamvis annis singulis confessus communicasti, indigne tamen semper Sacramentum accepisti, quia contritio tua, & confessio vera non fuit, quia non ex charitate, sed ex consuetudine quadam processit, in signum cujus confessionem distulisti usque ad ultimam septimanam quadragesimæ, quando præ confusione confessionem tuam differre ultra timuisti, & in nullo post ad emendationem te dedisti. In quo relucet, in tam longo tempore firmum propositum emendandi te non habuisse. Nullum ergo peccatum tuum Deus in eo tempore indulsit. Qui compunctus postmodum vere fuit contritus & confessus, abjiciens omnes mundi vanitates in vestibus & moribus, ac gestibus, Deoque de reliquo serviendo. Qui tunc devotius pro patre oravit, & in brevi de purgatorio liberavit.

Ibid. ex. 285. XXVI. Petrus Cluniacensis Abbas dixit, quod quidam Sacerdos consueverat singulis diebus anni Missam pro defunctis celebrare, scilicet *Requiem æternam*. Qui cum de hoc accusatus esset apud suum Episcopum, suspendit eum ab officio. Cum autem Episcopus in quadam festivitate magna iret ad matutinas, transiens per cœmeterium, visum est ei, quod omnes mortui, qui erant in cœmeterio, surgerent contra illum sub illo schemate, cujus officii quisque fuerat in mundo dicentes: Iste Episcopus nullas Missas nobis dat, insuper Sacerdotem nostrum nobis abstulit, sed certe nisi emendaverit, morietur. Qui non solum Sacerdotem absolvit, imo pro mortuis libenter celebravit.

Menolog. Cister. 20. Martii. XXVII. In vita B. Gelasii Abbatis Cisterciensis scribitur: Aliquando nobilis quidam dives summam argenti sancto Abbati per modum eleemosynæ tradi curavit, orans, ut vellet animas parentum suorum Domino commendare. Abbas autem recepta hac oblatione subito genuflexus Psalmum, *De profundis*, recitavit, quod cum servus, qui argentum hoc attulerat, & Abbati oranti præsens astabat, modicum nimis esse existimaret, ac proinde subridendo diceret: Non semel certe, sed millies pro tanta argenti summa Psalmum repetere; Sanctus vir Dei respondit: Credisne, frater mi, argentum, huic Psalmo præponderare? Ne igitur a me scandalizatus recedas, curabo, ut quia lumine interno cares, saltem ad minus oculo corporis tui veritatem illius, quod dixi, clare conspicias. Hunc igitur Psalmum, *De profundis*, modicæ chartæ in scriptum, uni parti bilancis imposuit, ex alia vero parte ponderosam argenti summam collocavit; Moxque charta illa instar ferri ponderosa, cum impetu ad terram descedens, argentum, quod mole, & numero multum erat, quasi levissimam paleam elevat, & sic omnibus videntibus, & admirantibus, remansit.

XXVIII. Ribadeneira refert: S. Malachiam Episcopum Hybernorum quandoque secundum nocturnam quietem monitum, audiisse mortuam Sororem foris in atrio Ecclesiæ consistere, totis quadraginta diebus jejunam. Recordatus postea, se totis illis quadraginta diebus nunquam pro Sorore divinissimam hostiam in Sacris Missarum solemniis fecisse divinissimi sacrificii suffragia, quibus eam juvare cœperat, sed tantisper omiserat, repetiit, donec ei visa est in veste candida (quæ antea in pulla veste apparuerat) aggregari cœtui candidatorum. Hinc merito S. Ambrosius ait: *Dominus Deus meus, si illis hodie magnum & plenum convivium de te, pane vivo &c. de tua carne sancta, & benedicta, quæ de sancto & glorioso B. V. Mariæ utero est assumpta, & de Spiritu Sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis & tuo sacro sanctissimo latere emanavit, ut exinde refecti & satiati, refrigerati & consolati exultent in laude ac gloria tua.* Nad. heb. 1. n. 1.

XXIX. Ivoni Religioso Viro apparuit e Purgatorio, quidam e Fratribus, & se ad 15. annorum pœnas juste a Deo projectum dicens, obtestatus est, ut sibi subveniret. Ivo lacrymarum plenus in eo, quod pro illo offerrebat, Missæ Sacrificio sibi pro suis multorum annorum obsequiis captivum illum e Purgatorio dari petiit, & impetravit. Unde qui sordidatus antea apparuerat, jam præclare candidatus adfuit, & rogatus, quid haberet, dixit: Bene per gratiam Dei, petiisti me enim a Domino, & dedit me tibi. Et jam liberatus a Purgatorio, vado ad Societatem Spirituum beatorum. Ib. n. 2.

XXX. Vigliegas Religiosum in agone certum divinitus redditum, ait, in Purgatorio non diutius detinendum, quam una pro illo Missa celebretur. Ille amicissimo, amantissimoque sui Religiosorem refert, & Missam illam rogat, ac moritur. Alter promissi retinens, quamprimum licuit, Sacris pro illo est operatus. Liberatus e Purgatorio amicus adest superstiti, obliviosæ crudelitatis procrastinatorem vocat, utpote qui Sacrum statim se facturum promiserit, & tamen se in Purgatorii flammis per annos 20. circiter torreri procrastinatione sua Ib. n. 2.

ſua permiſerit. Alter ſe Sacrum ſtatim inchoaſſe, & corpore necdum ſepulto finiviſſe dixit: Ergo, inquit mortuus, propter horribilitatem tormentorum viſa eſt mihi pœna tam longa, & gratiis actis, ad ſuperos ſe recepit.

Ib. lib. 1. n. 3. XXXI. Ajunt frequenter locum quemdam, unam e Purgatorio animam ſub refectionis tempora frequentaſſe, ac tandem dicente quopiam cum devotione: Requieſcat in pace, cum actione gratiarum videri ſtatim deſiiſſe. O quot tui amici, quibuſcum dulces capiebas cibos, jam illic ſunt, & oblitam ſui tuam charitatem expectant, quot ſunt, quos jam ſcis obiiſſe, quot, quibus ſorte litteras paras, negotia expedis, in quorum ſanitatem propinas, & te large proluis, & illi forte ob liberalia tecum hauſta pocula in Purgatorio cruciantur.

Ib. n. 5. XXXII. S. Henricus Suſo in horologio æternæ ſapientiæ diſcipulos in hæc verba docet: In menſa poſt benedictionem, antequam incipiant comedere dicant unum Pater noſter, pro eleemoſynæ ſpirituali his animabus, quæ maxime ſunt indigentes in Purgatorio, attendentes, quam periculoſum ſit, gratis eleemoſynam comedere, & per continua ſuffragia fideliter eam non reſarcire, & quam pium ſit, in nullo ſe juvare valentes juvare, & cum quanta gratitudine gaudeant ſe in tanta miſeria, vel minimam guttam, aut micam unam, quæ cadit de menſa Dominorum ſuorum percipere pro refrigerio qualicumque. Et ut hoc quoque exercitium pietatis magis gratum ac perſuaſibile devotis mentibus fiat, ſciendum, quod, dum devota quædam approbatæ Religionis perſona, ſimul cum cæteris quibuſdam has orationes faciendas de novo ſuſcepiſſet, & præcipue magna devotione erga Pſalmum *De profundis*, pro deſolatis animabus dicendum flagraſſet, apparuerunt ei in quadam viſione animæ multæ locis purgabilibus deputatæ, quæ vili habitu, & geſtu miſerabili, quem præſeferebant, ſuffragiorum ſe indigere beneficio deflebant, inter quas tamen ſingulariter una ad ipſam acceſſit, & flebiliter ab ea petiit, ut ſe permitteret eſſe hunc mendicum, cui quotidie in menſa *De profundis* prædictum, pro eleemoſyna erat largitura. Ex qua viſione poſtmodum ferventius erga hanc agebat eleemoſynam ſpiritualem.

Dionyſius Carth. die 4. Nov. XXXIII. Dionyſius Carthuſianus narrat, ſanctam quamdam animam, quæ jam migrarat, e corpore in hortum amœniſſimum deductam a Chriſto, in quo horto multitudo animarum videbatur, menſæ aſſidentium: quibus apponebantur fercula ſuffragiorum, quæ a viventibus offerebantur. Menſam tu illis inſtruis, dum panem Angelorum manducas, & addis preces: Hæc tu fercula coque in cordis foco, igne amoris Dei, & proximi, quo vis Deum ab illis citius videri, amari. Non dedignabuntur iidem, qui Chriſto in deſerto poſt jejunium miniſtrabant Angeli, miſſa per te animabus illis ſuffragiorum fercula miniſtrare. Mitte illis plurima & optima.

Nad. l. 5. 3. n. 1. XXXIV. Philippus D'Oultreman, Hieronymo Claravallio Societatis Jeſu, amantiſſimo Divæ Virginis Clienti, cum profundiore cogitatione horrendum Purgatorii ignem altius verſaret animo, totuſque trepidaret, ait, adfuiſſe ſanctum illud ſolatium afflictorum, & timorem ponere juſſiſſe, ſe enim, ajebat illa, peccatoribus non hic ſolum, verum & in Purgatorio igne auxiliarem manum porrigere. Neque ſe pati poſſe, eum, cui adeo cordi fuiſſet, ſemper illis pœnis diu torqueri. Et nobilem illi ad brevius per Purgatorium ad cælum inter ſemitam oſtendit, quando, ut ſe eo pararet ardentius, toto 15. annorum ſpatio mortem illi, & illius tempus prædixit.

XXXV. Menologium Ciſtercienſium 27. Auguſti, ait, pro Alexandri III. Pontificis anima Beatiſſimam Virginem & Sanctos ſupplicaſſe, ut a Purgatorio libera peteret cælum, quidquid invidi dæmones, contra vellent, & auditam e cælo vocem: Fiat voluntas Matris, & Sanctorum meorum, & Alexander cælis continuo adjungatur, Sancti omnes pro gratiarum actione cecinere Alleluja. Parata eſt Sanctorum Regina, & omnis illa beatorum Univerſitas, juvare te, ut ædificentur muri Jeruſalem cæleſtis: quot enim animas e Purgatorio, velut a lateritia fornace, liberas, tot vivos muro illi ædificando lapideo addis. *Menolog. 27. Aug. Berlingh in cal. mar. 15. Febr.*

XXXVI. Robaldo pro Lanfranchini, Ordinis S. Dominici Religioſi, anima, Mediolani Sacris operanti, ut 15. Februarii refert in Mariano Kalendario Balinghen, in ipſa, quæ poſt elevatum Chriſti Corpus & Sanguinem fieri conſuevit, memoriam fidelium Defunctorum, auguſtiſſimis coruſca ſplendoribus Beatiſſima Deipara ſe oſtendit, & plene delicias geminavit, quando illi ſplendidam ſolis inſtar Lanfranchini animam ſinu materno complexa, oſtendit, ibi quieſcere, ubi olim quieſcere dilectus parvulus Deus Jeſus. Neque ſemel monſtraſſe contenta, tertio idem fecit, ac dixit: Ecce aſpice, hæc eſt anima, pro qua ſacrificas. O ſi felices illas animas, quas juviſti, oſtenderet tibi in gloria Deus? quid ageres hoc age nunc.

XXXVII. Pro Sanctio I. Legionis Regem, *Nad. Hebd. 1. n. 8.* quem Comes quidam porrecta in pomo toxicato morte necarat, orabat Guda Regina conjux Sabbatis omnibus, id quod eo fructu fecit, ut ante aram proſtrata, duabus catenis vinctum viderit maritum ſuum quondam hortantem, ut perſeveraret orare, recte enim facere. Poſt 40. deinde lacrymarum, jejuniorum ac eleemoſynarum dies, rurſus Sabbato die orantt ante altare viſus eſt, candidatus, & pelle, quam pro Sancti anima Sacerdoti in eleemoſynam ipſam dederat, tectus & nonnulla de paradiſo atque inferno locutus, diſparuit, illa Sanctum complecti abeuntem dum vellet, nec poſſet, partem pellis tulit, quæ pars in Sacerdotis illius veſte defuit, id quod oculati teſtati ajunt.

XXXVIII. Surius e Montano narrat S. Eliſabethæ Reginæ Ungariæ, extinctæ matris *Surius 19. Nov.* umbram noctu dormienti viſam obverſari, lugubrique vultu ac flexis poplitibus orare, ſui quamprimum miſereretur, ob vitam enim negligentius actam igne ſe pœnas luere, oravit infuſa lacrymis, & gratias agentem, & ad aliam etiam ju-

juvandas animas hortantem læta vidit. Cogita, tibi sic omnes & singulas supplicare.

Nad. heb. p. n. 7. XXXIX. S. Theresia Virgo Cordubæ a communione suspensa, in Deum, mente vidit e purgantibus incendiis animas frequentissimo cœtu & gratulatione euntes, ac receptas in cælum. Ducebat reliquas una formosior, & hanc etiam Jesus Christus inter Angelicarum mentium Ordines factus obviam animabus, divino suo dignabatur amplexu in signum benevolentiæ singularis, & amicitiæ sempiternæ. Hærebat admirationem inter & exundantes gratulantis cordis delicias suspensa Virgo Theresia, ausaque interpellare animam de postremis unam, & petere omnia, singulaque, responsum accepit in hæc verba: Dux noster est e Societate Jesu frater unus: nos Duci gratulamur, cujus virtuti ac precibus debemus quod hodie liberemur. De omnipotentis adventu, nil mirum, nil novum: scilicet hoc est hominum Societatis Jesu privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat. Objerat eo temporis puncto quidam e Societate coadjutor, Cordubensis templi ædituus, qui religiose tricenos plus minus annos in Societate vixit, modestia, puritate, & cauta cum fœminis conversatione laudatissimus. Quare de voce novit plurimas, de facie nullam.

Id. n. 4. XL. Dionysio Carthusiano religiosissimo Viro quieta nocte ardentius precanti ignea quædam e Purgatorio species apparuit, vehementer conquesta preces, quæ defunctis deberentur quorumdam socordia differri. Gravissime id olim sensuros idem illis futurum, quod nunc sibi. Percelluit ea res a Dionysio narrata publice asceterium totum, & pœnitentia tacti alii, alii vero tenera miserabilium illarum animarum miseratione commoti, juncto studio in Sanctum, illas animas non segni ope & opera juvandi, exercitium exarsere.

Blos mon. c. 13. §. 2. XLI. Apud Blosium S. Brigitta vidit Regis cujusdam animam vehementer afflictam oculos in Angelum, qui pœnas temperabat, obvertisse, & ipsis quasi loquantibus oculis significasse, se solatii plurimum a suo illo Angelo percipere.

Pet. Dam. in vita. XLII. S. Petrus Damianus ait ab Eremita quodam narratum, in Insula Vulcana & sulphureis & ignitis illis cavernis, quas ollas Vulcanias ajunt, visos dæmones, lætos alios, alios tristes prodire, causam interrogatos, respondisse lætos se esse, si animam quampiam, quam ad mortiferum facinus pertrahere nequeant, pertrahant tamen ad veniale peccatum; quam enim ad æternos inferni ignes allicere non poterant, magno totius operæ pretio ad horrendas Purgatorii pœnas pertrahi per has culpas. Tristes vero se tum demum fieri, cum vident, quod plures animæ in igne illo non totum a justo Dei judicio assignatum pœnæ tempus exacte impleant, quando importunis vivorum sacrificiis, precibus, jejuniis, eleemosynis, & sexcentis corporis, animique afflictationibus eximuntur. Potissimum vero male sibi cum Cluniacensi cœnobio convenire ob ea, quæ illic, & plurima, & semper pro animabus illis fiunt suffragia.

XLIII. S. Joannes Chrysostomus ait: Toto tempore, quo durat Sacrificium, prostratos circumsistere Angelorum exercitus, eoque momento, quo finitur, ad Purgatorium evolare, & educere eas, pro quibus est impetratum. *Ap. Raymondis.*

XLIV. Ab extrema Verbani ora prodiit Antea Lucensis generis fœmina, ingentibus virtutibus, nec usitato vivendi genere, magnorum etiam Principum aulis notissima. Hujus in accurando mortuorum negotio, quanta fuerit sedulitas, quantus animi ardor, vix fando possit explicari, etenim quum perpetuo, ac durissimo jejunio, simplicissima in tunica hyemen toleraret, precibus continuis vitam ageret, & quodam divinitatis instinctu concursaret, Sabaudum, Mantuanumque Regulos, ipsumque Cæsarem adiret, quidquid auferre poterat, totum expediendis, illico piarum animarum nominibus impendebat: ob eamque causam, Virginum collegia, Hospitales ægris domos ædificanda curavit: eo vero ardentis animi sensu, in id opus incumbebat, ut omnes facile, in sua vota pertraheret, cum mortuos suos, rustica quadam vocis inelegantia, sed plusquam civili diceret charitate. *Ican. Rho.*

XLV. Oraverat Deum Catharina Riccia Ord. Præd. ut amici Manes, quos piacularibus flammis cruciari intellexerat, in beatam emitteret libertatem, quum res lente procederet, seque minime audiri vidisset, ultro se paratam subeundis, quæ supererant, pœnis profitetur. Audivit Deus, indulsitque grande amoris experimentum. Invasit Virginem ardor adeo sævus, ut illa totis membris miseris modis æstuaret, ipsumque cubiculum, concepto calore videretur ardere. Nulla tamen audita querentis vox: nam præclari facinoris conscientiam pro allevamento habebat, crevit etiam amor ausurus majora, si res posceret, ut flammis ali possit. *Hem. n. 1.*

XLVI. Maria Longa Matrona Hispana prima Neapoli curavit, ut sub primam noctem pulsata nola omnes certis precibus Deo pro illorum liberatione supplicare juberentur. Manavit paulatim rei fama, & passum eadem usurpari cœpta est precatio, ut jam fere nullus Christiani orbis sit angulus, in quo mos ille præclarus non vigebat, idque primis maxime tenebris fieri placuit, ne illi se in umbra mortis consepultos esse justissime conquerantur. *Ib. n. 12.*

XLVII. Ursula Benincasa Virgo Neapolitana, cum jus & fas esse a Viris doctis intellexisset, pro earum animarum pœnis, quæ purgatorio igne torquentur, se devovere, haud diu cunctata est, piacula, quæ Bernardinæ primum, mox etiam Catharinæ Sororibus supererant luenda; in se libens transtulit, summisque precibus a Deo tenuit, ut eam voluntatem haberet ratam. Ergo acerbissimis doloribus decennium integrum pro Bernardina laboravit. Catharinæ cruciatus eam ad extremum usque exercentes, prius illi vitam, quam charitatem excusserunt, cui amare, quam vivere dulcius fuit. *Id. n. 4.*

XLVIII. Christophorus Refrigerius C. R. nullam diem abire permisit, qua in cœmeterium *Id. n. 7.*

rium ingressus, ibi attentissime, pro earum animarum æterna quiete non precaretur. Imo si quando ad Sancti Silvestri in Quirinali ædes adibat Pontifex, statim aderat Refrigerius, pedibusque advolutus, grata summis Principibus suavitate, indulgentias ab eo auferebat, ut illis vere ipse esset refrigerationi.

Ib. n. 13. XLIX. Allartus Ord. Min. qua diei hora sodalibus inter se religiose colloquendi fas est, ipse destitutorum animorum miseratione instinctus, ubicumque locorum esset, sepulchra omnia, quæ in templo, vel domestica erant, inter claustra circumire instituerat; singulisque insistens solemne funeri Christiani carmen quod ab illis vocibus ortus est. Vates, *De profundis*, pie concinere, tum lustralem aquam leviorem illis ignem apprecans injicere. Ad extremum, ubi privatæ in unumquemque Charitatis officiis erat perfunctus, septenos Psalmos, quos a pœnitentia dicimus, pro universorum liberatione, quanta maxima poterat, pietate concinebat. Hæc Allarto animi remissio, & quies erat jucundissima: nam tum maxime acquiescere Charitas videtur, quum suis empta laboribus miseris datur quies.

Nad. heb. 16. n. 2. L. S. Edeltrudis Virgo conjunx Regia, Sacro Monialium flammeo postea velata: Beatissimæ Virginis supplex facta impetravit, ut, quidquid in Purgatorio luendum sibi esset, id nunc omne suo in corpore inflictis doloribus exhauriret. Ergo totum illi collum, & pectus (quod illas olim partes auro ad vanitatem, & propriam complacentiam exornasset) fœdi tumores ad summum & doloris & fœtoris sensum implevere. Historia Anglicana sub annum 1685. sancte extinctam refert integram etiam a morte mansisse.

Jo. Vasæus in Chron. Hispanico ad Anno 936. LI. Anno Redemptionis 936. Christianæ Religionis decus Henricus Rex Germaniæ, perdomitis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus, iter intermisit: cum jam se gravari morbo sensisset, convocato omni populo, designavit filium suum Ottonem Regem, tandemque multipliciter pietatis post se egregiis monumentis relictis, a Deo ad requiem vocatus est, relicta conjuge valde pia Mathilda nomine. Henrici corpus in Saxoniam deportatum in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarum, quod in ipsius Regis prædio, situm est, & Quedlinburgum nominatur, in Ecclesia cum immensa est veneratione repositum. Ubi & venerabilis ejus conjux regnique consors ex eadem gente Mathildis nomine pro delictorum expiatione, funebrem exequiarum officium celebrari, vivamque Deo Hostiam offerri curavit.

Necessitas.

Daur. t. 2. tit. 20. ex. 6. LII. Joannes de Via de conventu B. Virginis Palmæ purgatorium ideo tantum sustinere debuit, quia aliquorum officiorum defunctis præstandorum oblitus fuerat.

Ib. ex. 7. LIII. Quidam Religiosus ex Familia Franciscanorum negligenter pro defunctis orans, gravissimas in purgatorio pœnas sustinuit, dixitque, nihil hactenus sibi preces & sacrificia profuisse, eo quod Deus animabus aliis in negligentiæ suæ pœnam eas applicasset.

LIV. Quidam ex Ordine Cistercientium apparebant ægro Monacho, & dicebant, se in purgatorio torqueri, eo, quod aliqui ex Monachis, debita obsequia nonnisi perfunctorie præstitissent. Viderint proinde, quid facerent, nam sic eos non solum defunctis, sed etiam sibi nocere. *Spec. ex. d. 9. ex. 144.*

LV. Quidam avunculus dixit, se quidem jam e purgatorio liberatum, sed ob socordiam nepotis in iis, quæ juxta testamenti vim curanda erant, suffragii, & oblivionem, multa passum. Tu vero, inquit ad nepotem, in pœnam oblivionis tuæ alterum tantum patieris, supra omne id, quod passus sum ego, præter ea, quæ pro tuis culpis pati alias debes. His dictis discessit, nepos vero pœnitens facti, riteque confessus in lectum incidit æger, & inde in mortem. *Jo. Nad. in anno mor. heb. 8. n. 1.*

Utilitas.

LVI. S. Gertrudis cum omnia sua opera liberaliter animabus transcripsisset, & inde timeret, ne grave purgatorium defectu satisfactionis propriæ subire cogeretur, Christus ei apparens, filia, inquit, ut videas, quam mihi placeat ingens charitas tua in defunctos, in compensationem tibi condono omnes pœnas, quas debes. Præterea qui olim pro uno centuplum promisi, nunc manum dilatabo, & gloria te multo excellentiore præmiabo. Efficiam denique, ut animæ per te liberatæ tibi morienti assistant, teque in cælum cum triumpho deducant. *Casp. Tausch. in matre dol. p. 3. c. 7.*

LVII. Eusebius Dux Sardiniæ cum certæ urbi redditus in animarum subsidium destinasset, eamque urbem Ostorgius Dux Siciliæ occupasset, quadraginta millium Equitum candidatorum exercitum pro se pugnantem, & Ostorgium ad deditionem cogentem videre meruit. *Spec. Ex. 9. eumo. 184.*

LVIII. Cum quidam homo plebejus quoties per cœmeterium transiisset, animas Deo commendaret, hæ post mortem illius summa cum solemnitate visæ sunt in templo exequias celebrasse. *Ib. dist. 2. ex. 64.*

LIX. Miles quidam in cœmeterio ab inimicis deprehensus, cum consuetudinem suam, quia consueverat transiens orationem Dominicam recitare, omittere nollet, coeuntibus mortuorum ossibus & obvia arma arripientibus mirabiliter liberatus est. *Ib. ex. 65.*

LX. Sacerdos quidam pauper cum assidue pro defunctis Missas diceret, postea vero apud Episcopum de defectibus quibusdam accusatus, & fidejussorem præstandæ emendationis dare jussus nullum reperiret, visæ sunt animæ quamplurimæ manibus in aere extensis pro ipso spondere. *Ib. ex. 518.*

LXI. Quædam Matrona vidit sub Sacrificio animas pauperum descendere, & secum animam illius Sacerdotis, qui earum confessiones libenter audierat, in cælum ducere: quam ob causam etiam Deus cor illius moverat, ut ante mortem doleret de peccato mortali antea commisso.

LXII. Cum frater Henricus funus Franciscani cujusdam comitaretur, hujus anima apparens *Vit. Prædic.*

parens dixit: Tu diligenter orare soles pro defunctis, & ideo mecum viginti quatuor animæ cælum ingressæ sunt, quas tu liberasti.

L. 5. in fine c. 21. LXIII. Cum Sancta Gertrudis quæreret ex Deo quot animas ad preces cujusvis dimitteret? respondit ille, ab occulto amore urgeri se, ut ad cujusvis preces magnum numerum dimittat, & speciatim tres animas ad cujusvis Psalmi versiculum. Cumque dicta virgo Psalmum recitare inciperet; & iterum quærere, quot ipsi animas donaret? respondit, se ab anima orationis amante permoveri, ut tot animas ipsi donet quoties labra movet.

Bivellus c. 2. de Sato anim. LXIV. Quidam vir pius vidit in agone decies mille Sanctos ad se venientes, qui dicebant se per ipsum liberatos fuisse, atque adeo ad illum nunc consolandum venisse.

L. 4. rev. c. 7. LXV. S. Birgitta audiebat vocem animarum clamantium: Domine, da charitatem illis qui habent spiritualem potestatem, ut magis particeps fiamus orationum; Da omnibus, qui nobis succurrunt, centuplum in hac vita.

Herol P. Ramb. c. 22. LXVI. Quidam Nobilis ad delictam equitans cum prope patibulum transiret, jussus est a patibulario subsistere, & equo descendere, quem cum ipse conscendat perrexisset, vidit eumdem a tribus Nobilibus sclopeto occisum, quæ quidem mors ipsi parata erat.

Elias a Theres. l. 3. c. 43. LXVII. Alius quidam eques nobilis Nolæ in Campania quotidie pro animabus orare solitus, pridie mortis imminentis excitatur de nocte, & monitus, ut confiteretur; cum ad collegium accurrisset, & confessus fuisset, repentina morte extinctus est.

Baron. t. 9. annal. LXVIII. Religiosus quidam in Anglia anno 716. a mortuis resurgens cum explicasset, se ex una parte peccata vidisse, ex altera virtutes, & inter has præcipue misericordiam erga animas, dixit, se propter hanc in vitam remissum, addiditque, secum Abbatem in judicio apparuisse, qui in agone propter dæmonum peccata exprobrantium aspectum desperaturus fuisset, nisi octo mille animæ ab ipso prius ex purgatorio redemptæ ei in judicio adstitissent.

Ann. Societ. 1615. LXIX. Cum in Paraquaria ortum incendium a ventis undique dilataretur, Incolæ novem sacra pro animabus purgantibus voverunt, & ecce mox venti cessarunt, ignisque extinctus est.

L. 5. in fin. c. 21. LXX. Sanctæ Gertrudi petenti, quam acceptus esset labor earum in Psalmo *De Profundis* recitando, respondit Christus: tam acceptus, ac si memetipsum toties suo pretio a captivitate liberasset, quoties anima liberatur per orationes earum; & hoc ipsis indubitanter restituam in tempore opportuno, secundum Omnipotentiam meæ liberalissimæ pietatis.

Kissel. vot. conc. c. 6. §. 11. LXXI. Cum quidam animarum liberandarum studio non modice addictus, quondam a tenebris in itinere deprehensus esset, repente duas faces post se vidit, audivitque: vade in pace, sumus animæ purgantes, voluimus esse gratæ orationibus tuis: nec præluximus solum, sed aliud etiam infortunium impedivimus, nam fuit, qui te ex insidiis occidere voluit, sed in nostra præsentia non potuit.

LXXII. S. Catharina Senensis postquam parentis animam doloribus & precibus oblatis liberasset, sæpius ab illa visitata, de dæmonis insidiis instructa, de arcanis vitæ alterius edocta magnum ad vitam & mortem sanctam emolumentum sensit. *Lib. Nadasi in anno morien. hebd. 12. v. 4.*

LXXIII. B. Aleydis Virgo lepra insanabili toto corpore percussa, & scabie vermibusque horrida, quotidie ter vel quater exquisitissimis cruciata doloribus, ajebat, se a Christo didicisse, ut omnia illa pro animabus offerret. Unde in morte Christus cum matre sua & cælitibus illi apparens, & suo illam amplexu involvens dixit: Bonum certamen certasti, cursum consumasti, fidem servasti: propter hoc nunc venio, ut corona Martyris & Virginis decorata in æternam requiem introducaris. *Menolog. Cister. 11. Jun.*

LXXIV. S. Nicolaus Tolentinus animam quandam ipsum vocantem & sic alloquentem audiebat: Veni pater venerande, veni, & respice, utrum te deceat acquiescere tantæ multitudini miserrimæ, quæ me misit tuam misericordiam flagitare. Et ad locum illum duxit, ubi erat innumerabilis omnis ordinis hominum multitudo, Miserere, inquit, Pater, miserere turbæ tam miseræ utile tuum auxilium expectantis. Nam si pro nobis dignatus fueris celebrare, maxima pars ab his atrocissimis pœnis eruetur. Quare cum is tota hebdomade cum facultate superioris pro mortuis celebrasset, adfuit iterum anima, & gratias agens dixit, se cum magna illius multitudinis parte a pœnis esse liberatam. *Jacob. Nadasi in anno moris. hebd. 2. n. 10.*

LXXV. Ceveræ in Catalaunia extat Cœnobium Cisterciensis Ordinis, dictum S. Crucis, ubi quidam Monachus sanctimonia floruit, cujus nomen Superis notum mortales latet; at non hæc laudabilis ejus in pios manes pietas. Consueverat, quoties per sacros Canones, legesque licebat, Missas Defunctorum facere; propterea perennis animarum Purgatorii Capellanus appellabatur: Celebris, & Patrum sermone ad hanc usque diem continuata traditio est, quendam cum cœmeterium transiret, humo elatam dexteram benedictione eum impertisse. Cum vero iter iterum istac haberet, iterum eamdem manum solo extantem apparuisse ad bene illi precandum compositam: Accessisse vero illum, & manum traxisse, eamque cum brachio secutam, quod brachium hodieque carne ac pelle vestitum illi visitur. *Henriq. in eodem Menolog.*

LXXVI. Diva Catharina Bononiensis fassa est, plurima se beneficia defunctorum ope, quam flagitare consueverat, cælitus accepisse; nec raro accidisse, ut ea per illos obtineret, quæ per cælites nequiverat obtinere. *Hautinus in patro. def. l. 2. c. 8. §. 5.*

LXXVII. Suaserat Beata Anna a S. Bartholomæo cuidam mercatori (jam foro cedere cogitanti, quod aliquas merces divendere non potuisset) ut aliquot Missas in solatium de- *Ib. art. 3.*

defunctorum Deo sponderet, hac lege, si intra spatium aliquod, quod definiebat, merces illæ, quas nemo appetebat, essent vendi-
Ib. art. 3. tæ. Mirum dictu! intra paucas hebdomadas venire omnes, nec ex iis quicquam superfuit.

LXXVIII. F. Alphonsus de Portugallia ex eodem Ordine Seraphico, post quinque ab obitu suo dies spectandum cuipiam se præbens retulit, se quidem propter suum servandæ virginitatis studium, ac lacrymas pie fusas, de salute securum esse, attamen adhuc uri lustrica flamma, ob immoderatam bilem suam, contemptumque aliorum. Cæterum F. Stellam jaculi instar celerrime per purgatorium transiisse ob accuratam legum Religiosarum observationem. Cum autem primum cælo donatus esset, auditam in purgatorio vocem istam: Adeste animis fratres Minores, in gratiam Religiosi illius fratris vestri recens cælesti gloria jam potiti, tertia pars cruciatum alioqui subeundorum, ex misericordia divina vobis condonatur.

Th. Cantipr. l. 2. Apum. c. 53. n. 30. LXXIX. Thomas Cantipratanus refert, se a quodam Ordinis sui Religioso, qui Mundum passim peragrarat, audivisse, quod magnum quendam Dominum cognoverit, qui in vita sua gaudiis, quidem mundanis deditus, sed postea ad pœnitentiam conversus, familiares suos, ad se accersivit, iisque dixit, propositum sibi esse deinceps domus suæ moderandi sumptus, & pro faciendis restitutionibus, & erogandis in expiationem peccatorum suorum eleemosynis, suam reformandi familiam, id quod postea re ipsa est executus: demum vero multas instituit Capellanias pro Missis defunctorum celebrandis, quod cum dæmon ferre non posset, subditus suos adversus ipsum suscitavit, qui se cum Rege quodam prædicti Domini inimico conjunxerunt, promittentes se illi auxiliaturos, ut Principem & Dominum suum opprimere possent, utpote adversus quem juste essent exasperati, eo quod omnia bona sua in Presbyteros expenderet. Rex igitur quosdam suorum ad dictum Principem ablegavit, tempus advenisse, quo ab eo die injuriis sibi factis ratione reddendæ essent, omnino enim sibi decretum esse, justam de ipso vindictam sumere, quem in finem diem præfixum ei determinavit. Princeps igitur postquam nobiles, & ducatus sui primates hac de re certiores fecisset, sequens ab illis retulit responsum: Hactenus nos ut servos & fatuos reputasti, solis Mundi seductoribus clericis adhæsisti, nunc te juvent illi, & consulant in adversis: Tibi autem succurere nec volumus, nec valemus. Hæc ut vidit Dux, vehementer expavit, & mox se conferens ad castrum munitissimum solius Dei auxilium imploravit. Medio autem tempore condicti diei prospectans Dux per propugnacula cum quibusdam, vidit ingentem exercitum albatorum in albis equis clypeis Cruce rubra consignatis eminus venientem, & mox stupens dixit suis: Numquid videtis, ait, illa, quæ video? Et illi: Nihil, inquiunt; Et mox omnes cum Duce supplices preces dantes ad Dominum, viderunt innumerabilem exercitum albatorum. Tunc Dux cum quibusdam ex suis exiens, curvavit genua: Cui unus obvius ex multis millibus, elevavit eum, dicens: Ne verearis fidelissime Princeps, venturi Regis adventum. Adsunt isti divino jussu parati juvare te, quos eleemosynis, & Missarum suffragiis de Purgatorio liberasti: Medio autem tempore condicti diei liberabuntur alii, qui nobiscum in tuum adjutorium sunt venturi. Et hoc dicto, omnis illa albatorum turba disparuit. Dux vero reversus in castrum cum suis omnibus Dominum benedixit. Ad diem ergo statutum Rex cum infinita multitudine suorum, & aliorum nobilium, qui contra Ducem Dominum suum totum terræ populum adduxerant, quasi de victoria certus advenit, & in planitiem prope castrum cum mira multitudine se diffundit. Venit & illi obvius Dux; nimirum alacer vultu, & animo inconcussus, statimque ubi castrum cum paucis exivit, illi illa tanta & tam innumerabilis multitudo cælestis exercitus ei est conjuncta, ut ex adverso castrorum cælestium multitudine Regis turba quasi modica videretur. Quod ut vidit Rex, & omnes, qui secum erant, validissimo pavore concussi sunt, & advertentes magnalia summi Dei, projectis armis, obviis manibus in terram prostrati sunt, & ad voluntatem Ducis cum ipsa vita, & rebus, totaliter se dederunt.

LXXX. Sanctus Nicolaus Tulentinus adeo felici morte decessit, ut, veluti de illo 10. Septembris refert Breviarium Romanum, sex ante obitum mensibus, singulis noctibus Angelicum concentum audiverit. Ita qui Missam nocte una a Purgatorii spiritibus legationem benignus audivit, seque illis juvandis spiritibus diligenter impendit, per singulas per semestre unum noctes a beatis cæli spiritibus recreatus spiritum dedit. *Nad. heb. 14. mens. n. 3.*

LXXXI. Beata Angelica Virgo celeberrimæ mortificationis, in mortis agone pro dulci migrantis animæ solatio, obvias habuit plures in Purgatorio animas, quæ illi gratias agebant de tot tantisque bonis operibus, quibus illac juverat apud Deum. *Ibid. n. 3.*

LXXXII. De Beata Achatia ita scribitur ad rem nostram; fidelium animas commendantissimas habuit, perpetuo pro eis orabat, quare cum ad cœmeterium tumulanda deferretur, auditum fuit a sororibus murmur tamquam persolventium officium defunctorum.

LXXXIII. Cantipratanus narrat, Bruxellis quamdam Religiosam seu a morte, seu a longa exstasi revixisse, & sororibus convocatis dixisse: Virginalem exercitum Coloniensem (Sanctam Ursulam & socias) vivens quotidie venerata sum, & earum precibus nunc a Purgatorio liberata, & ad hoc ad vitam redire compulsa sum, ut omnibus earum digne memoriam habentibus ad futura in morte harum suffragia nunciarem: dummodo de vita tales exeant, quibus oratio valere possit. In hoc testimonio nunc iterum spiritum reddo, & expiravit. *Ib. hebd. 21. n. 11.*

LXXXIV. Joannes Major testatur, a mortuo quodam auditam Clerico in cœmeterio vo- *Spec. V. defunct. c. 3.*

vocem, surgite fideles universi quantocius, & exite de tumulis vestris, quotquot in cœmeterio estis, ut convenientes in Ecclesia commendemus animam hujus defuncti charissimi nostri, & rependamus ei vicem beneficii sui: quoties enim per hoc cœmeterium transire solebat, toties pro nobis orationem specialem facere consueverat. Exsurrexere & facta in templo luminaribus pleno comprecatione pro mortuo ad tumulos redière.

Nad. hebd. 37. n. 2. LXXXV. P. Dominicus Assensius rem quandam difficultates habituram coram Magistratu acturus, quindecim sacrificia obtulit pro animabus Purgatorii, & hac industria pietatis, adeo glaciem perfregit, ut rem plane conficeret; Nam in Senatu ubi comparuit, mira quindecim pro animabus oblatorum Sacrificiorum, & calculorum correspondentia, quindecim in Senatu suffragiis pro ipso pronunciatum est. Ita quot suffragia dedit, tot accepit.

Id. hebd. 43. n. 4. LXXXVI. Fœmina cæteroquin notæ, non optimæ tamen famæ, cujusdam sub extremum vitæ agonem cum paupertate, doloribus, ac æternitate luctantis mendicabuli miserta, liberali & materna pietate ac diligentia illi adstitit, usque ad vitæ metas. Æstimavit hoc quale sibi in paupere moriente ab illa impensum officii genus liberalissimus minimorum nostrorum obsequiorum æstimator, & remunerator Deus. Ergo extinctus ille Lazarus huic suæ curatrici pro actione gratiarum, non ita multis a morte diebus se spectandum præbuit, in hæc verba illis locutus: Eleemosynas tuas in Dei conspectum tuli, ejusque clementiam exoravi, ut pro iis tibi referretur gratia. Ipsius nunc permissu ad te venio, & hortor: Age pœnitentiam, confessione culpas elue: Dissimulavit visa & audita durum ad primos divini mallei ictus cor, quia peccatis in saxum obriguerat, sed cum iterum videret eadem, & audiret, ad tertiam tandem cæli vocem e diu nolente volens facta, ad spem veniæ assurrexit, & fassa est, se ad inferni prope incitas jam redactam, e flagitiosissimo dæmonum volutabro, ex iis, in quibus per quadraginta quinque annos volutabatur, turpitudinibus, devotum & juratum dæmoni caput, cum nihil plene sacrum in aures admitteret, hac tamen misericordiæ arte a Deo miserante extractam, & factam illius mortui discipulam, cui morienti ancilla servierat.

Id. ann. altern. heb. 35. n. 5. LXXXVII. Cuidam supremo agone sollicito cælum aperiri visum, & effusa inde plurium millium animarum corona se in vestibus candidis & splendidis armis stitit, eumque, lætissimo animo esse jussit, stupente illo, neque præ lætitia se satis capiente ac petente quis esset ille exercitus, Animæ sumus, ajebant illæ animæ, quas tu e Purgatorio, ut in cælum citius evolarent, adjuvisti; Nunc qui nos juvit, juvamus, & par pari reddidimus, veni, ut una fruamur Deo & gaudiis immortaliter duraturis.

An. 1613. Colleg. Vl. LXXXVIII. Annuæ Collegii ajunt pium e Scholastica Societate Jesu disciplina adolescentem, data certa eleemosyna, & sancto Missæ sacrificio suppetias tolisse avunculi animæ suæ in igne illo emendatorio debita per satis passionem, ut ajunt, exolventi, quæ per satisfactionem non plene exsolverat vivus. Ergo pio nepoti adsuit liber ab illis incendiis avunculus post sacrum & gratias ajebat, age tibi, fili mi, polliceorque æternum beneficii abs te accepti memoriam. *...ciburg. in Flandria.*

LXXXIX. Gundesindus quintus Compostellanus Episcopus & Comitis cujusdam filius, cum mundo magis quam Deo deditus esset, vitamque non satis pio fine clausisset, Mater ejus, matrona pia, gravi confecta dolore, & de anima filii vehementer sollicita, ante aram beatissimi Jacobi Apostoli divinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, & fletibus, precationibus, jejuniis, eleemosynis sibi demereri, interposito Divi Jacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo ejusdem Apostoli vocem audivit: Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse. *Jo. Vasæus in Chron. Hispanico ad An. 920.*

XC. Senex quidam, qui extra civitatem Antinoum commorabatur, magnæ virtutis vir, habebat decem discipulos, ex quibus unus erat valde negligens sui: Ideo senex sæpius illum corripiebat & hortabatur dicens: Frater sollicitudinem gere pro anima tua, habes enim mori, & nisi emendaveris te, in supplicium tendes: Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem ut post aliquantum temporis iste moreretur, contristatus, vero senior super illo valde, cœpit orare & dicere: Domine Jesu Christe verax Deus noster, revela mihi, quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessum mentis affectus fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem ac fratrem illum ad medium usque demersum. Tunc ait illi senior: Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ ageres, fili? Respondit frater & ait seni: Gratias ago Deo, Pater, quod vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto. *Prat. spir. c. 44.*

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius animarum purgantium juvandarum desiderio incitatus instituit in patria sua, ut quotidie sub meridiem signum daretur ad orationem pro defunctis. *Christ. f. Ign. c. 11.*

II. Sanctus Franciscus Xaverius parva campanula civitatem circumibat, & incolas ad orationem pro defunctis faciendam commonebat. Eumdem in finem ejus consilio postea Malacæ homo constitutus est, qui quotidie noctu altera manu laternam, altera tintinnabulum tenens & pulsans exiret urbem, & clamaret: orate pro animabus fidelium Christianorum, qui in purgatorio torquentur, *Epist. l. 2. ep. 6. Barri sol. die 2. l. 2. ep. 6.*

 Ora-

Orate pro illis quoque, qui lethali peccato oppressi, revelari non laborant. Diligenter quoque omnes, quas poterat, indulgentias illi applicabat. Memor quoque fuit diligenter fratrum suorum defunctorum, & illis se in necessitatibus commendabat.

Rodrig. p. 2. tr. 8. c. 15. III. Sanctus Franciscus Borgias summam habebat curam animarum corporibus solutarum, ita ut etiam adhuc Dux Gandiæ assidue pro illis oraret, & liturgias, remque divinam fieri curaret. Et, dum esset Prorex Cathalaniæ pro singulis latronibus justitiæ a se permissis 30. sacra ære suo dici voluerit. Cujus officii nomine, sæpe illi animas reduces apparuisse, gratiasque egisse, & vicissim preces suas in cælo promisisse narrant. SS. Missæ sacrificium quando offerebat, primum id obtulit pro mortuo, pro quo destinarat: deinde pro defunctis parentibus & cognatis: tertio pro omnibus e Societate Jesu mortuis: quarto pro sibi commendatis amicis & benefactoribus: quinto pro magis egentibus ope, & quæ æternæ libertati erant magis vicinæ: denique pro illis, quibus hoc sacrificium obtulisse magis esset e Dei gloria, & major actus charitatis. Factus postea Generalis hanc ipsam misericordiam singulariter Societati commendavit.

Hist. Soc. p. 2. l. 2. n. 90. Ibid. IV. Jacobus Laynes secundus Generalis inter alia media ad Societatem conservandam, etiam hoc in primis commendabat, ut quotidie, quamque frequentissime animarum, quæ purgatorio igne cruciantur, studiose omnes meminissent: nam quandoquidem Societas tantum exhaurit laboris, eo dumtaxat consilio, ut homines ad consequendam felicitatem juvet, quem ad finem creati, tantoque pretio redempti sunt, consentaneum profecto est, ut eumdem prosequentes charitatis spiritum, etiam ex hac vita digressis ad cursum conficiendum opitulentur, ne justa sit illis causa Societatis charitatem quasi imperfectam & mancam accusandi: & merito liceat conqueri, se medio in itinere, eoque in loco destitutos, ubi nullam omnino sibi ipsis opem queant afferre.

Vit. l. 2. c. 17. V. Pater Petrus Faber tanto subinde sensu pro mortuis sacrificabat, ut toto sacri tempore lacrymæ ubertim ex oculis fluerent. Optabat aliquando sentire vim dolorum, quos in Passione sua Christus ex tot animarum cruciatibus ante oculos jam tum propositis sensisset. Magnifaciebat Ecclesiæ preces pro defunctis, illisque maxime utebatur dicens, illas præ cæteris Deo probari, valere etiam ad corporum anastasin: cujus mentio fit in ipsis precibus. Incitabatur ad hanc misericordiam, tum ex consideratione pœnarum, tum ex utilitate, quæ ex unius animæ liberatæ patrocinio in Ecclesiam redundaret; tum ex majori Dei gloria, cum in purgatorio non ita possint Dei gloriam curare, sicut in cælo. Sanctum Gregorium ideo præcipue coluit, quia tam luculenter de animabus illis scripsisset, illum maxime pro illis invocans. Volebat, ut nostri, si ob occupationes orare non possunt, saltem labores pro illis offerrent. Hæreticos vel eo nomine detestabatur, quod tantum animis quoque illis damnum superba eorum impietas afferret.

VI. Pater Ferdinandus de Monnarli (alii Hernandum Monroy vocant, nisi forte diversus sit) priusquam moreretur, omnes Missas & pia opera, quæ post suum excessum per universam Provinciam pro ipso offerenda erant, animabus Purgatorii dono dedit, & hanc ipsam voluntatem suam litteris consignavit. *Syll. Prov. Peruan. 21. Sept. 1631.*

VII. Pater Alphonsus Cortesius graviter a scrupulis exagitatus, cum hanc miseriam suam B. Virgini explicasset, auxiliumque petiisset, hoc ab ea responsum tulit: Si vis liberari, libera & tu animas purgatorio igne cruciatas. Nadasi rem hanc ita refert: Alphonsus Cortes Societ. Jesu Virgini Matri Deiparæ totus plene devotissimus ac familiaris, ad illam in omnibus spiritus afflictionibus fidentissime recurrebat, semper levamine apud illam reperto, & desiderii sui quiete plena fuit, cum molestiis religiosissimæ conscientiæ mœroribus inquietum sentiret cor, & ad quasdam peccatorum umbras pavidum atque omnia tuta timens. His ergo conscientiæ scrupulis pleoa confidentissimi amoris querela, Dei Matri aliquando conquestus, efficacem huic malo petiit medicinam. Audivit pias clientis querelas magna Spiritus Magistra Virgo, & pro pharmaco sacrosancto dixit, ut esset magis devotus erga animas Purgatorii. Successit consilium, adeo ut postea bene se in spiritu pergere a Beatissima Virgine intellexerit: pergeret modo majorem semper ad perfectionem sua omnia erudire. Denique se & Virgini, & Virginis filio benedicto placere, didicit ab eadem; qua etiam admirabilia migranti animæ solatia infundente, in beatum illius sinum, spiritum cælestibus divitiis opulentum deposuit. *Ibid. 27. Nov.* *Nadasi hebd. 16. n. 2.*

VIII. P. Jacobus Remmirus erat animarum purgantium Patronus: unde hæ illi sæpissime apparebant, creberrime ad januam illius pulsabant, & eo vehementius, quo magis ope illius indigebant. Sæpe cæmeterio, e cujus regione habitabat, auditæ sunt clamare: Pater Jacobe, ora pro nobis. *Ann. lit. 1618. coll. Ingolst.*

IX. P. Dominicus Affensus rem quamdam graves difficultates habituram coram Magistratu acturus quindecim sacrificia obtulit pro animabus purgatorii, hinc & quindecim pro se suffragia obtinuit, & pro ea velut potiora, voti compos est factus. *Jo. Nad. in ann. mar. hebd. 27. n. 2.*

X. Cum P. Joannes Falco Aschaffenburgi ægrotaret, anima quæpiam ipsum invisit, seque, si ipse semel sacrificium pro ipsa offerret, liberatum iri dixit, quod cum Pater alienis nixus manibus fecisset, adfuit illa iterum, gratiisque actis dixit: Non morieris hoc morbo, sed plurimas adhuc animas Deo paries, ac deinde in cælum evocaberis. *Ib. hebd. 18. n. 9.*

XI. S. Theresia, ut supra quoque jam memi- *Imag. sec. l. 3. c. 8.*

minimus, a communione suspensa vidit animas frequentissimo cœtu e purgatorio ad cælos ascendere, sed unam cæteris formosiorem alias ducere, quam Christus obviam veniens blandissimo complexu dignabatur; cum ergo S. Theresia de postremis animabus ex una quæreret, quænam esset illa anima, cui tanta benevolentiæ signa Christus exhibebat, audivit esse fratrem e Soc. Jesu, cujus virtuti debeant ipsæ, quod hodie liberentur. Hoc autem esse Societatis privilegium, ut mortuum Jesuitam obvius Jesus excipiat. Erat autem hic Coadjutor Cordubensi Collegii Ædituus.

Id. ibid. 6. n. 1. XII. Alphonsus Rodriquez Soc. Jesu Coadjutor, ut est in ejus Vita, pro Virginibus duabus sororibus suis orans intellexit, utramque sine Purgatorio ituram in cælum; tertiam vero conjugatam nunc e Purgatorio ad Beatitatem proficisci. Pro fratre vero quodam Didaco Ruiz, qui per totos 33. annos in coqui officio semper diligens totam fere illic ætatem Christi exegit, orando, si quid unquam illi otii culina concederet, Rosario mire, constanterque addictus: pro hoc inquam, vita functo dum Rosarium Virginis oraret, jamque duas Rosarii partes absolvisset Alphonsus, pie sublatis in cælum oculis, vidit fratrem illum felicem ad latus augustissimæ Dei Matris: & ne pro illo orare porro pergeret, utpote pro jam non indigente, monitus, jussus etiam est ire, & defuncti fratris gloriam omnibus palam facere, posse jam alios ab illo juvari. Volebat nimirum per Matrem suam fidelissimus Deus, præclaram, quam ille frater in corona Beatiss. Virginis oranda adhibebat, pietatem & devotissimos illos labores & sacrorum tot, quot illi per culinæ otium licebat, auditionem sanctam, & illam, quo totis 30. annis in campos numquam ad auram vel solatium captandum progressus, domi se continuerat, mortificationem ac religiosissimam paupertatem non solum coronare, sed ad aliorum incitandam æmulationem illum e cælo ostendere gloriosum.

Id. n. 2. XIII. Franciscus Ficarra e Soc. Jesu 15. Augusti, Anno 1637. beata morte assumptus est ad Mariam, ut magna spes est. Hic etiamnum parvulus singulis noctibus Matrem excitabat, rogabatque, ut una secum ter coronam Partheniam decurreret: primam quidem pro defunctis omnibus: alteram pro defunctis e suo sanguine: tertiam pro seipso, & addebat officium defunctorum.

Vita P. Alv. c. 41. §. 2. XIV. Joannes Ximenus Coadjutor cum in die Omnium Sanctorum coram imagine conceptæ Virginis oraret, & ei scrupulus incidisset ob exiguam compassionem erga purgatorii animas, audivit vocem aperte dicentem: Ximene, memor esto animarum purgatorii, a quo tempore usque ad obitum, per octo scilicet annos omnia sua bona opera in suffragium illarum animarum obtulit.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Maffei. l. 2. de anim. I. SIcut struthio cum ova sua ponit, foveam in arena facit, eaque sabulo operit; cumque ab eis recesserit, statim obliviscitur ubi ea posuit, & nunquam ad ea redit, nisi postquam a calore solis exclusi pulli fuerint; ita amici, postquam mortuos terra obruerunt, recedunt & obliviscuntur juxta illud Psalmi: Olivioni datus sum tamquam mortuus a corde.

S. Ephr. in testam. II. Sicut si racemus in vite maturuerit, etiam vinum in dolio agitatur, & de sua natura recedit, quamvis nemo moverit; ita si viventes varias mortuorum commemorationes faciunt, & oblationes, hæc omnia per confusionem etiam defunctorum animæ sentiunt.

Insin. S. Gertr. l. 4. c. 10. III. Sicut paucæ guttæ aquæ ferventis plus prosunt ad lavandum corpus, quam copiosa aqua frigida; ita etiam paucæ actiones cum fervore peractæ plus prosunt animabus purgatorii liberandis, quam si gravitæ frigida peragantur.

Æquitas.

IV. Sicut si in unum membrum corporis scintilla incidit, mox manus succurrit, eamque excutit; ita cum animæ purgantes sint membra ejusdem corporis, nempe Ecclesiæ, & nunc a tam molesto igne fuerint correptæ, tanto æquius est, ut hasce ab illis flammas depellamus, quanto præstantiora merito membra spiritualia, quam corporalia æstimantur.

V. Sicut si templum Salomonis aut aliud nostro tempore valde celebre incendio fuisset correptum, nemo esset tam socors, qui non, quantum in se est, opem ad flammam extinguendam conferret; ita cum animæ, quæ sunt templum Dei ex omnibus aliis gratissimum, & auro charitatis undique ornatum, flammis purgatorii sint correptæ, æquissimum sane erit, ut quivis totis viribus ad dictas flammas sopiendas cooperetur.

Utilitas.

VI. Sicut si patri cuipiam filius unice dilectus in ignem cecidisset, & aliquis eum ex hoc igne eriperet, haud dubie summam apud hunc patrem gratiam iniret, & egregium aliquod munus expectaret; ita non minorem gratiam a Deo expectare poterit, qui animas ejus dilectissimas ex purgatorio igne eripuerit.

Caspar Tausch. in morte dol. l. 1. prox. 7. VII. Sicut si aliquis filius Regis potentissimi in carcere detineretur, & eum aliquis ex hoc eductum, regno suo patrique restitueret, talis Princeps utique summe gratum Assessori suo se præberet; ita non minus gratæ se exhibebunt animæ erga illum, cujus opera e Purgatorio carcere exemptæ, atque in cæleste regnum sunt introductæ.

Id. ibi. c. 5. 1. VIII. Sicut servus magni Principis videns, se exiguum domino suo servitium præstare posse, atque ideo captivum aliquem apud Turcam pretio oblato, ea intentione redimens ut suum defectum suppleat, insigne utique domino amoris sui testimonium exhiberet; ita non minus amorem suum erga Deum declarabit, qui suis operibus captivas animas redimit, ut, quod ipse in terris negligit in illius cultu, ab istis animabus compensetur.

S. Bern. ser. 83. 8. p. 6. 2. IX. Sicut membra jam nutrita & roborata subveniunt aliis membris; ita animæ e purgatorio liberatæ in gloria confirmatæ precibus & orationibus suis homines in terra existentes juvant.

§. VII. MOTIVA.

I. *Quia hoc opus est gratissimum Deo*, cum ex una parte ipsi proprium sit misereri & parcere; ex altera vero hæc misericordia ex omnibus sit præstantissima, atque adeo simillimum Deo faciat.

II. *Quia Christus perinde gratum habet hoc obsequium, ac si ipsemet ex purgatorio fuisset ereptus*: quis autem non felicem se judicaret, si occasionem habuisset, Christum semel iterumque ex purgatorio redimendi?

III. *Quia & B. Virginis aliisque Sanctis gratissimum est hoc misericordiæ genus*, utpote per quod gloria illorum accidentalis, quam ex numero Sanctorum aucto percipiunt, non modice augetur.

IV. *Quia ipsa animarum dignitas requirit*; si enim dum canis aut asinus in foveam cadit, omnes eum sublevare festinant; quidni ad animam omnium creaturarum terrestrium præstantissimam ex purgatorii fovea eripiendam ardentiori studio festinemus?

V. *Quia ipsa cognatio fraternitatis spiritualis ad opem illis ferendam nos impellit*: si enim dum frater in carcerem conjectus est, mox cognati omnem lapidem movent, ut eum e carcere eripiant; quanto magis similis charitas animabus purgantibus & arctiori vinculo cognationis spiritualis obstrictis, & graviori in carcere detentis præstanda est?

VI. *Quia pœnarum acerbitas nobis commiserationem persuadet*: Si enim minima purgatorii pœna gravior est omnibus mundi hujus doloribus & tormentis, uti S. Thomas & alii docent; quis non ex consideratione tantorum tormentorum pectus ad commiserationem moveri sentiet? Hinc Anglus quidam Monachus conspectis purgatorii pœnis dicebat: Deus mihi sit testis, quoniam si hominem, qui me meosque gravissime læsisset, vel omnino occidisset, in his pœnis jacentem viderem, libenter mille vitas pro illius redemptione impenderem; usque adeo omnem modum & limitem excedit pœnarum illarum acerbitas. Dionys. Carth.

VII. *Quia beneficii, quo animabus gloriam acceleramus, magnitudo dictam misericordiam non modice suadet*: si enim diabolus ipse fassus est, se libenter omnes pœnas inferni usque ad extremum judicium subiturum, ut vel unico momento Deum aspicere liceat; quantum beneficium erit illius, qui efficit, ut per tot dies aut hebdomades, aut annos citius frui queat anima liberata? Certe Bellarminus & alii pronuntiarunt, majus illi beneficium conferri, quam si totius mundi divitias pauperi largiendo exhiberet.

VIII. *Quia misericordia hæc omnia misericordiæ corporalis opera eminentissimo quodam modo in se continet*; qui enim animas redimit, pascit pane Angelico: potat sanguine Christi, & cæli nectare: vestit veste gloriæ splendidissima: ægras, & ineffabilibus doloribus cruciatus non tantum visitat, sed etiam sanat: e gravissimo purgatorii carcere liberat: ut in cælum recipiantur exules, facit: & ut in sinum Abrahæ transferantur, & melius, quam in sepulchro quiescant, sua charitate procurat.

IX. *Quia qui unam animam juvat, aut liberat, omnibus in purgatorio existentibus solatium causat*: nam omnes de solatio alteri animæ prædito, velut de suo gaudent, & congratulantur, teste Richardo de S. Victore.

X. *Quia vix aliud efficacius est remedium ad quidvis pro se & aliis impetrandum*; tum quia ipsa tam excellens misericordia potenter perorat & quidvis impetrat, S. Chrysostomo teste; tum quia animæ utpote magnitudinem collati beneficii perfectissime agnoscentes, ardentissimis precibus, quidquid ipsis commendaverimus, pro nobis petunt, & primis suis velut armatis precibus haud dubie obtinent.

XI. *Quia hæc misericordia est inter certiora signa prædestinationis*: si enim nullus, qui etiam communia dumtaxat misericordiæ opera libenter exercuit, unquam male mortuus legitur; quidni hoc potiori jure speret, qui hoc præstantissimum misericordiæ opus constanter exercuit?

XII. *Quia ad purgatorium devitandum singulariter conducit hæc misericordia*: si enim, quod animabus præstatur, beneficium sibi factum putat Christus; sique hic ipse prædixit, qua mensura mensuratum fuerit, iterum remensum iri: quis non merito speret, se a Christo, quem toties in animabus redemit, vel omnino exemptum, aut certe non diu relictum fore in purgatorio.

§. VIII. MEDIA.

I. *Certo sibi persuadere, quod, quidquid hic animabus præstiterimus, Christus sibi præstitum reputet*: quis enim in similibus tormentis constitutum videret, & non omnem lapidem moveret, ut eum, posthabito etiam quocumque suo commodo, iisdem eximeret?

II. *Insigne in charitate proximi augmentum procurare*: Cum enim hæc tam ad omnia mala a proximo avertenda, quam ad omnia bona eidem procuranda conducat, quis non videt, tanto majori ad animas illas juvandas desiderio quemque exarsurum, quanto ampliores in hac charitate progressus fecerit?

III. *Summam de virtute misericordiæ æstimationem concipere*: utpote qua nihil vel ad mitigandam divini Judicis Iram efficacius, vel ad ejusdem, omniumque Sanctorum benevolentiam ac favorem promerendum potentius reperitur. Quis enim hac consideratione ad misericordiæ animabus purgantibus præstandæ; quæ inter omnia misericordiæ opera principalem facile locum tenet, ardentissimum studium non accendetur?

IV. *Gravitatem & acerbitatem pœnarum, quas animæ illæ afflictæ patiuntur, frequenter & accurate perpendere*: quod quidem breviter, sed sufficienter explicavit S. Anselmus, dum dixit: Quid est purgatorius ignis? post mortem purgatio erit, aut nimius calor ignis, aut ma- S. Ans. in elucid.

gnus

gnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, de quibus minimum majus est, quam maximum, quod in hac vita excogitari possit. Unde recte de hoc medio Humbertus
[Ps. 126. v. 2.] illud S. Davidis, surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris: intelligens, panis doloris, inquit, est panis pro mortuis, qui sunt in purgatorio, exhibitus. Postquam comestus fuerit, surgendum est ad subveniendum eis.

V. *Animas illas afflictas ut membra ejusdem mystici corporis, vel etiam ut fratres nostros*
[1. Cor. 12. v. 26.] *ac sorores intueri*: si enim, teste Apostolo, si quid patitur unum membrum in corpore naturali, compatiuntur omnia membra, & ad malum depellendum juvant, sique vel sola sanguinis naturalis participatio tantopere nos impellit, ad mutuum invicem auxilium præstan-
[Prov. 18. v. 19.] dum, ita ut Salomon dixerit: Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, quantos stimulos ad succurrendum animabus sentiet, qui eas, ut commembra spiritualis corporis, longeque præstantiori fraternitatis ex sanguine Christi ortæ vinculo conjunctas aspexerit?

VI. *Peccatorum suorum gravitatem ac numerum frequenter animo objicere*, ac inde debitorum atque pœnarum, quæ vel in hac, vel in altera vita ad novissimum usque quadrantem persolvendæ sunt, magnitudinem colligere: hinc enim non leviter impelli nos sentie-
[Dan. 4. v. 24.] mus ad S. Danielis consilium amplectendum, quod olim Nabuchodonosori dedit dicens: Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum animarum præcipue in purgatorio detentarum, ut quod misericordiæ genus sicut reliqua longissimo præcedit intervallo, ita merito præ omnibus efficax censetur ad pœnas peccatis nostris contractas exolvendas.

§. IX. ASCETICA.

I. Quinque potissimum sunt, quæ bene discenda, aliisque inculcanda sunt ab Asceta. Primum est, ut *bene percipiat generalia fundamenta ad hanc materiam pertinentia*, quorum quidem tria sunt præcipua. 1. Esse purgatorium, animas ibi detentas Fidelium suffragiis juvari, uti novissime definivit Concilium Tridentinum; & pulchre S. Bernardus
[S. Bern. de quinq. region.] explicavit sequentibus verbis: Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur, Infernum, Purgatorium, Cælum. In inferno impii, in Purgatorio purgandi, in Cælo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt, quia in inferno nulla est redemptio: qui in Purgatorio sunt, expectant redemptionem; qui in Cælo sunt, gaudent ad visionem Dei, fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Quia primi igitur redimi non possunt, tertii redemptione non indigent: restat, ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. 2. Pœnas hujus purgatorii gravissimas esse, & quidem triplici ex capite, nempe ob pœnam sensus (quæ omnes pœnas hujusmodi longissime superat), pœnam carentiæ visionis (quæ & ipsa tanto gravior est & molestior, quanto affectus in illud summum bonum intensior est) diuturnitatem utriusque, quæ & ipsa non leve pondus utrique addit, quia quo termino quis est propior, tanto fit mora gravior. Cognoscere animas, quidquid a nobis auxilii fuerit exhibitum, idque secundum S. Augustinum tribus modis, nempe per divinam revelationem ipsius Dei, vel per bonorum Angelorum manifestationem, vel per animarum hinc exeuntium narrationem: imo ut alii volunt, etiam ipsam revelationem pœnarum, quam experiuntur.

II. Ut *sciat potiores modos, & media ad dictas animas e pœnis tam gravibus eximendas*: quæ quidem S. Antoninus non male sequenti- *[S. Anton. tit. 10. §. 2.]*
bus verbis indicavit: Suffragia quidem prosunt defunctis ad absolutionem pœnæ, a qua possunt absolvi quatuor modis. Uno modo per intercessionem ipsius capitis, scilicet Christi; & sic juvantur per oblationem Altaris. Secundo per intercessionem quasi privatorum membrorum, id est, per orationes Sanctorum. Tertio per modum redemptionis pœnæ, scilicet eleemosynarum largitionem. Quarto per modum solutionis pœnæ, scilicet per jejuniorum afflictionem; & ad dictos quatuor modos omnes alii reducuntur.

III. Ut *præstantiam misericordiæ animabus purgantibus præstandæ bene penetret, & cognoscat*: quæ quidem ex iis circumstantiis, ex quibus magnitudo eleemosynæ communiter colligitur, conjici potest: quarum prima est *indigentia* personæ: quo enim persona aliqua pluribus miseriis subjecta est, minusque seipsam juvare potest, tanto præstantior est eleemosyna, quæ ipsi offertur: quis autem gravioribus subjectus est miseriis? quis minus juvare se potest, quam animæ purgantes? Secunda est *Sanctitas* egeni: quæ autem sanctiores personæ reperientur inter mendicos, quam animæ purgatorii, utpote ab omni jam nævo & peccati macula purgatæ? Tertia est *rei*, quæ datur aut procuratur, *magnitudo* atque *præstantia*: quid autem melius aut præstantius excogitari potest, quam ipsa felicitas æterna, cujus acceleratio animabus procuratur? Quarta est *propria largientis necessitas*, si scilicet non tantum superflua, sed etiam necessaria quis largiatur; quis autem, & hoc perfectius præstat, quam qui fructus satisfactorium suorum operum, quem constat omnibus summe esse necessarium, sibi ipsi subtrahit, & animabus transcribit? Quinta est *affectus dantis*: nam ex hoc potissimum benignitatis mensura taxatur, teste S. Leone. Quis autem affectus major esse potest, quam ubi liberans, ipsum, ex quo alium liberat, purgatorium subire est paratus?

IV. Ut *bene occurrere discat objectionibus, quibus nonnulli ab hoc exercitio præstantissimo misericordiæ impedire alios nituntur*, quarum quidem duæ sunt potissimum. Prima est, quod consultius sit pro peccatoribus orare, & alia bona agere, utpote in periculo æternæ salutis amittendæ constitutis, quemadmodum olim Bertrandus Dominicanus censuit, sed facile opinionem suam mutavit, quando ab ipsa quapiam anima apparente errorem suum edoctus

est. Certe vel hoc unum sufficere poterit ad dictam opinionem evellendam, quod is, qui animas ea intentione liberat, ut ipsæ postea in cælis pro peccatorum conversione intercedant, efficacius longe peccatoribus auxilium præstat, quam si ipsemet pro illis oraffet, aut opera sua obtulisset. Fortior, saltem in speciem, est altera objectio, utpote ex proprio amore petita, qui suadet, ut charitatem ordinatam a nobis ipsis inchoemus, atque adeo nostra prius, postea primum aliorum debita expungamus: quo argumento permotus P. Rodericus Arriaga judicat, omnino facere contra charitatem ordinatam sui ipsius, quisquis omnium operum suorum fructum satisfactorium a se abdicat, & animabus purgatorii transcribit. Atque idipsum adeo persuasum habet P. Theophylus Raynaudus, ut inter heteroclitas pietates numerare non horreat ejusmodi charitatem. Verum horum argumenta tanti non sunt, ut propter ea recedere quis debeat ab altera opinione, uti fuse, & solide probat in aureo suo tractatu de misericordia animabus præstanda P. Jacobus Montfordus, ubi postquam per aliquot capita demonstrarit, eum, qui suas actiones offert pro animabus, nihil perdere, sed plus mereri, impetrare, satisfacere, imo spem valde magnam concipere posse purgatorii omnino evitandi, tandem capite duodecimo in compendium quasi redigens prius dicta, triplici hac ratione, ostendit, per ejusmodi applicationem nihil contra ordinatam charitatem fieri. 1. Quia mille purgatoria nullius momenti reputanda sunt, si usdem unicus gradus gloriæ altiorit obtineri possit; cum ergo per ejusmodi praxim, & perfectissimam charitatem haud dubie quam plurimi gradus gloriæ obtineantur, qui sine illa numquam obtinerentor, recte concluditur, non facere contrarium quid charitati propriæ eum, qui gradus illos gloriæ, quibus frueretur, si citius propter applicationem operum sibi factam cælos ingrederetur, negligit, ut plures, imo infinitos illns gradus gloriæ, quos per totam æternitatem ob istam charitatem animabus exhibitam, percepturus est, hac dilatione comparet. Alioqui sane nec S. Basilius, S. Ignatius, S. Christina Mirabilis, S. Lydvvina & alii Sancti recte ac prudenter egissent, quando optione sibi facta, cælos ingrediendi, aut ad salutem proximi procurandam diutius in terris permanendi, hoc posterius elegeront. 2. Quia qui hujusmodi misericordiam exercet, multo certius sperare potest, se purgatorium evasurum, aut certe dio ibi detentum non fore, quam si sibi ejusmodi sua opera applicasset, uti citatus Author c. 11. efficaciter probat; ergo etiam ex hoc capite contra charitatem propriam non facit. Imo, ut docet C. Lugo, hoc ipso quod charitatem attigeat, fit dignior persona, adeoque facit, ut pœna, quæ prius proportionata erat delictis, jam respectu personæ dignioris nimia sit, atque adeo minui debeat. 3. Quia cum ex una parte possit is, qui actiones suas dicto modo offert, conditionem istam apponere, ut eatenus dumtaxat intentionem suam hanc validam esse velit, quatenus talis oblatio ad majorem Dei gloriam confert, & charitati propriæ non obstat; ex altera vero parte coronet & præmiet Deus voluntatem, quando non invenit facultatem, facile apparet, per ejusmodi applicationem, utpote juxta probabilem plurium Ascetarum doctrinam susceptam, nullatenus nocere, plurimum vero ad suum, tum erga Deum tum erga animas affectum, & amorem demonstrandum conducere posse.

Jacobus Montford. in tr. de mis. anim.

V. Ut *solidam sciat praxim, ejusmodi applicationem fructuose faciendi*, quæ quidem sæpius citatus Montfordus in sequentibus constituit. 1. Ut quis studeat semper esse in statu gratiæ. 2. Ut opera sua singula studiose perficiat. 3. Ut motiva ad hanc misericordiam excitantia bene ponderet. 4. Ut nonnumquam renovetur actus, quibus ex uno alterove motivo opera sua quis transcribit. 5. Ut quotidie, si fieri possit renovetur intentio hoc vel simili modo: Ut animas Fratrum meorum, aut aliorum e pœnis suis liberem, iisque possessionem æternæ felicitatis accelerem: ut divinæ Majestatis honorem, ejusque gloriæ augmentum procurem: ut benefactori meo liberalissimo gratissimum gratiarum actioni genus reponam: ut honorem divinum, quam per innumera peccata læsi, meliore, quo possum, modo reparem: ut denique Christo ipsi, & SS. Matri ejus, & reliquis Sanctis obsequium acceptissimum præstem: ecce mi Deus, animarum amator zelosissime & tenerrime, offero tibi hodie pro refrigerio animarum in purgatorio, non solum opera bona omnia, quæ hodie facturus sum, vel ab alio quovis pro me hoc die fient, sed & omnia, quæ ullo unquam tempore facturus sum bona, vel quæ unquam per vitam pro me fient, imo etiam post mortem pro me offerentur, quantum hoc ex majore tua gloria, divinæque tuæ voluntatis beneplacito fieri a me potest. Accipe, o dulcissime Jesu, exiguam hanc oblationem meam, quam pro animabus mihi dilectissimis facio, & omni possibili affectu ex corde facere desidero.

Jacobus Montford. c. 12.

§. X. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*: possunt explicari potiora motiva ad misericordiam animabus præstandam excitantia, dicique, recte de hac misericordia usurpari posse illa Thomæ Kempensis verba: Converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, & ubique motiva succurrendi animabus reperies. Nam 1. supra te, si Deum, Christum, & Sanctos spectes, reperies hanc misericordiam ipsis gratissimam esse; quia Dei cultos amplificatur, Christi merita & sanguis fructuose applicantur, Sanctorum gaudium accidentale plurimum augetur. 2. Infra te, si animas ipsas purgantes consideres, tot motiva invenies, quot titulos in illis obijci videbis, nempe quod sint imago & templum Dei, membra corporis nostri mystici, fratres nostri & cohæredes æternæ vitæ, pauperes & captivi opem a nobis velut amicis postulantes. 3. Extra te, si pericula qui-

Job. 19. v. 21.

Lib. 2. de imit. c. 12.

quibus circumdatus es, attendas, tot iterum motiva, quot hostes reperies; qui cum innumeri sint, merito contra eos exercitus animarum purgantium, quas constat, suos liberatores fortissime semper defendisse, conscribitur, atque de his dicitur, quod Ludovicus Rex de pauperibus dicebat; quod scilicet sint optima Guardia seu custodes corporis nostri. 4. Intra te, inopiam tuam & indigentiam consideres ex una parte, ex altera vero necessitatem orationis, per quam omnia, quæ cupimus, a Deo obtinenda sunt, facile apparebit, potentes, & benevolos patronos tibi necessarios esse, qui tuam in orando impotentiam & imperitiam suppleant, qualea præ aliis merito animæ liberatæ plerumque censentur, imo, & ipsa, quam erga eas exercemus, misericordia, utpote quæ, S. Chrysostomo teste, absque ullo impedimento accedit ad thronum Dei, & pro clientibus suis, quæcumque vult, impetrat, speciatim autem, ut æternam felicitatem certius, citius, & copiosius obtineamus, seu, ut alii explicant, ut bene nobis sit ante mortem, in morte, & post mortem. Quæ omnia facile fusius diduci, & exemplis illustrari possunt, quem in finem libellus germanicus Lucernæ 1668. impressus & *heilsame Kurtzweil, die Seelen zu fischen* inscriptus c. 4. videri potest, ubi fuse hæc motiva explicantur.

II. Ex occasione ejusdem thematis possunt explicari breviter pleraque ad hanc misericordiam pertinentia, fingendo litteras ab animabus ad nos missas. In quarum prima parte breviter referant illæ, quid ipsis post suum a nobis discessum evenerit, & quomodo aut quare purgatorio sint adjudicatæ. In secunda fingantur petere opem, & pro ratione præcedentia sua in nos beneficia & merita afferre. In tertia media efficaciora ad suam liberationem enarrare. In quarta suas vicissim preces & auxilium polliceri. In quinta ad vitam bene instituendam, ne in eadem tormenta incidamus, hortari. Qualis Epistola videri potest in dicto libello c. 5. §. 7. composita.

Cant. 6. v. 9. III. Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*: potest hæc sententia animabus liberatis e Purgatorio applicari, & potissimum ostendi, quam recte dicantur castrorum acies ordinata. Atque adeo in prima parte ostendatur, quod militia sit vita hominis super terram, & undique hostes ipsum circumdent. Supra se Deus, de quo S. Job dixit: Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Infra se dæmones. Extra se homines persequentes. Intra se proprias passiones & malos habitus, de quibus Christus dixit: Inimici hominis domestici ejus. In secunda parte (nisi magis placet post singulos hostes explicatos statim id facere) ostendatur, quam potenter animæ purgantes contra hos hostes defendat; quem in finem varia exempla supra §. 4. allata, maxime n. 56. de Eusebia Sardiniæ Duce, aut, quod in libello *Herold* dicto c. 28. de Principe ab Equitibus vestes candidas & deaurata scuta habentibus adjutor legitur, narrari possunt.

Job 13. v. 24.

Matt. 10. v. 36.

IV. Ex occasione thematis: *Vade, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem & filii tui vivite de reliquo*: potest narrari historia de muliere vidua, quæ nihil habebat in domo sua, nisi parum olei, quod tamen ei ita multiplicavit Elisæus, ut sufficeret ad omnia debita extinguenda. Et inde probari, quod si nos habeamus parum olei spiritualis, seu misericordiæ erga animas, per hoc simus satisfacturi triplici creditori; nempe *Deo & Sanctis*, quibus cultum debemus: *Proximo*, cui auxilium & charitatem debemus, qualem maxime exercemus, si ea conditione defunctos liberemur, ut precibus suis, perquam efficacibus viventes juvent: *Nobis ipsis*, quorum salutem procurare debemus, id quod per hanc misericordiam abunde præstamus, utpote per quam *certius* (quia est inter certiora signa prædestinationis) *citius* (quia est optimum medium ad purgatorium avitandum vel abbreviandum) & *copiosius* (quia cum sit opus misericordiæ præstantissimum, & singulariter etiam meritorium) beatitudo obtinetur. Quæ omnia fusius probata videri possunt apud Jacobum Montfordum in tractatu de misericordia animabus præstanda, c. 8. 9. 10. 11. 4. Reg. 4. v. 7.

V. Ex occasione thematis: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*: potest probari inter certiora signa Electorum ad vitam æternam, esse misericordiam animabus exhibitam; ac proinde per vasa & lampades dici potest intelligi corda hominum: per oleum vero misericordiam defunctis exhibitam; per lumen vero charitatis affectum, a quo dicta misericordia imperatur. Quam proinde esse signum valde probabile prædestinationis probatur 1. Testimoniis S. Scripturæ, præcipue sequentium sententiarum: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 2. Authoritate SS. Patrum, maxima Sancti Hieronymi fatentis, nunquam se legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit. 3. Ex natura & præstantia hujus misericordiæ, ut quæ omnia misericordiæ corporalia opera eminenter continet: unde talis facile respondebit ad quæstiones in judicio a Christo proponendas. 4. Ex ipsa ratione, quæ suadet, simili mensura, qua mensus quisque est, eidem remetiendum esse. 5. Ex variis historiis, quarum supra §. 4. aliquæ sunt narratæ. Pro qua materia utiliter videri potest Montfordus in tract. de misericor. cap. 11.

Matt. 25. v. 4.

Matt. 5. v. 7.

Psal. 40. v. 1.

Tob. 4. v. 11.

VI. Potest ex occasione verborum illorum: *Hominem non habeo, ut, cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*: purgatorium piscinæ probaticæ, & animæ ibi detentæ languentibus ibidem jacentibus comparari. 1. Quia sicut illa piscina dicebatur probatica seu ovilis, quia oves mox immolandæ in ea abluebantur, ita in purgatorio animæ Deo in cælo præsentandæ purgantur: deinde sicut illa piscina erat proxima portæ urbis Jerusalem, ita purgatorium vicinum est morti, velut porta Joan. 5.

tæ cælestis Jerosolymæ, quatenus per mortem plerumque ad purgatorium, & hinc in cælum itur. Tandem quia sicut illa piscina habebat aquam quasi rubentem, & sanguineam, ita purgatorium continet Sanguinem & merita Christi, in quo animæ illæ a sordibus abluendæ, aut sanandæ sunt. 2. Quod & ipsæ animæ recte comparentur hominibus in piscina jacentibus, colligitur ex eo, quod sicut ibi erat multitudo languentium, cæcorum, claudorum & aridorum, ita & animæ amore langueant, careant visione Dei, non progredi possint ad cælum, & ob contracta membra seipsas juvare non queant: Deinde quod sicut illi ægri diu jacebant, donec Angelus de cælo descenderet, & per piscinæ turbationem sanaret, ita & animæ in purgatorio hærere debeant, donec Angelus aut homo misericors per sua opera Christi sanguinem applicet. Ultimo & potissimum, quia sicut ægri illi vehementissime desiderabant hominem, a quo in piscinam mitterentur, ita animæ non minus ardenter desiderant hominem, qui subsidium efficax præstet. Quæ omnia fusius explicata apud Fabrum conc. 2. in die Animarum videri possunt.

Thren. 2. v. 13. VII. Ex occasione verborum horum: *Magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui?* potest explicari gravitas purgatorii, & inde ad commiserationem animarum Auditores excitari. Possunt autem ad hunc finem tres maris proprietates servire. 1. Salsitas & amaritudo illius, per quam recte pœna sensus intelligetur. 2. Obscuritas & profunditas illius, per quam pœna damni, id est, separatio temporalis a visione Dei intelligi poterit. 3. Latitudo, quæ ad diuturnitatem pœnarum dictarum explicandam servire poterit. Quæ omnia melius & fusius proposita videri possunt apud Fabrum conc. 3. in die Animarum. Et Montfordum c. 3. 4. & 5.

Matt. 9. v. 18. VIII. Ex occasione thematis: *Filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet;* possunt explicari motiva potiora impellendi ad animas juvandas. Nimirum 1. Æquitas. 2. Utilitas. 3. Necessitas. 4. Jucunditas, quam hæc tam præstantium piscium piscatio affert ante, in, & post mortem. 5. Facilitas. De quibus omnibus vide Fabrum conc. 5 in die Animarum.

Marc. 8. v. 2. IX. Ex occasione thematis: *Misereor super turbam:* potest ostendi, cur & quomodo debeamus misereri animarum. Et in prima quidem parte ostendi potest, eas rationes, ob quas uni pauperi præ altero libenter eleemosynam offerimus, in iis magis reperiri. Nempe, quia sunt consanguinei, & fratres, ac sorores nostri: sunt magis miseri, juvare se non potentes: sunt magis sancti & grati. In secunda dici potest, quod vel panem (Sacrificii Missæ, vel Communionis) vel nummum, (id est, eleemosynam, aut opera nostra) aut apprecationem auxilii (*helff dir Gott*, rogando Deum, ut multos ad earum commiserationem moveat) offerre possimus. De quibus vide Fabrum in Dom. 21. them. 4. & in Domin. 23. them. 6.

Matt. 4. v. 19. X. Ex occasione thematis: *Faciam vos piscatores hominum;* comparari potest animarum liberatio piscationis, eumque in finem narrari historiola supra §. 4. n. 16. indicata, de puero matrem piscante. In prima parte ostendi potest, quo instrumento debeamus eas piscari, nimirum *virga intentionis* recta & oblonga, per quam esca porrigatur piscibus: *linea* seu *funiculo* triplici (qui difficile rumpitur) triplicis *charitatis* erga Deum, animas, & nos a *hamo* duplici *misericordiæ & justitiæ divinæ*, quæ sibi obviare debent in hac animarum liberatione, uti S. David indicavit, dum dixit: Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Et, Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. In secunda parte ostendi potest, quas escas appendere debeamus prædicto hamo. Nimirum 1. Vermiculum, id est, Christum in Eucharistia. 2. Mortuas & famelicas muscas, id est, jejunia aliasque carnis afflictiones. 3. Sanguisugas, id est, eleemosynas, quæ sanguinem, id est, divitias nostras exugunt. 4. Globulos aromaticos, quos aliqui faciunt, mireque conducere experiuntur ad pisces capiendos, per quos globuli precatorii aut aliæ orationes intelligi possunt. 5. Pisciculos parvos, id est, operum nostrorum fructum satisfactorium. 6. Cerasa seu alios fructus, id est, indulgentias. Pro majori commendatione hujus piscationis in fine insinuari potest, in ea reperiri omnes circumstantias, quæ piscationem jucundam facere possunt, nempe quod locus semper sit obvius, multos & pretiosos pisces contineat, & hi quovi tempore, & facile capi queant. Quæ omnia fuse explicata videri possunt in libello *der heilsamen Kurtzweil, die Seelen zu fischen* c. 1. & 2. — Ps. 129. v. 3. & 4.

Luc. 14. v. 5. XI. Ex occasione thematis: *Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum?* ostendi potest, quomodo animas ex purgatorii puteo vel fovea extrahere debeamus. Nimirum vel *scala*, id est, Missæ, per quam Deus ad nos descendit, & animæ ad Deum, subsidio: Vel per *funem* orationis porrectum: vel projiciendo, juxta mortem Elephantorum, ramos mortificationum de corpore nostro præcisos in hanc foveam, aggeremque, per quem animæ ascendant, struendo: vel *manum*, id est, eleemosynam porrigendo. De quibus videri potest fusius discurrens Faber conc. 6. in die Animarum. Et Montfordus in tract. de miser. c. 13. & seqq.

Matt. 25. v. 36. XII. Ex occasione thematis: *In carcere eram, & venistis ad me:* potest 1. explicari, quam gravis sit carcer purgatorii, tum propter tormenta in eo sustinenda, seu pœnam sensus: tum propter obscuritatem, seu carentiam visionis Dei; tum propter diuturnitatem. 2. Quomodo inde liberari debeant animæ, scilicet vel *demulcendo* Judicem per grata munera, putæ Sacrificium Missæ, vel per preces & libellum supplicem: vel per lytrum seu redemptionem nummariam, id est, eleemosynas: vel per translationem pœnæ in alterum, puta in nos suscipiendo satisfactionem per jejunia, & alia mortificationis opera. Quæ fusius explicata vide apud Fabrum in Auctario them. 4. in Dom. 21. post Pent. n. 4.

XIII.

2. Matth. 12. v. 46. XIII. Ex occasione thematis: *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*: dici potest, quod diabolus, sicut alia omnia, ita specialiter hoc opus misericordiæ impedire conetur (pro qua narrari potest historia de Episcopo variis modis impedito, ne Missas pro iis legeret, uti *Spec. Ex. 8. exempl. V. Purgatorium.* in Spec. Exemp. l. c. legere est) excitando quatuor ventos, seu objectiones. 1. ab Oriente, quod Deus in justitia exercenda non sit impediendus. 2. Ab Occidente, id est, purgatorio, quod animæ cupiant ipsæ satisfacere divinæ justitiæ. 3. A Septentrione, id est, frigidis peccatoribus, quibus magis subveniendum videtur. 4. A Meridie, id est, amore proprio, nobis ipsis prius subveniendum esse, suadente. Quæ omnia susius refutata in libello *heylsame kurtzweil, die Seeln zu fischen* dicto, videri possunt, aut adhuc studiosius a Montfordo tract. de miser. animabus præstanda c. 7. & seqq.

XIV. Ex occasione thematis: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*: explicari possunt gradus perfectionis, qua misericordia animabus præstari potest; & in priori quidem concionis parte ostendi potest, quomodo mensuram bonam dare debeamus, scilicet interdum quædam auxilia, animabus præstando: *confertam*, omnia totius vitæ opera alius pretiosiori titulo non debita, illis transcribendo: *coagitatam*, etiam suffragio post mortem nostram pro nobis persolvenda, ipsis donando: & *superfluentem*, alios etiam ad similem misericordiam incitando, offerendo. In posteriori parte ostendi potest, quomodo ipsæ vicissim procuraturæ sint mensuram *bonam*, per defensionem a variis malis, & hostibus; *confertam*, per impetrationem bonorum temporalium; *coagitatam*, per virtutum, & meritorum augmentum: *supereffluentem*, per gloriæ in altera vita incrementum. Vide fusius hæc explicata ab eodem Montford. §. 1. a n. 9. & §. 9. n. 4.

Matth. 26. v. 9. XV. Ex occasione thematis: *Ut quid perditio hæc? potuit enim istud venumdari multo, & dari pauperibus*: potest inutilitas aliquorum mediorum ad defunctos juvandos ostendi, eorum nempe, de quibus S. Augustinus dixit: *Ser. 34. de verb. Dom.* Pompa funebris, agmina exequiarum, sumptuosæ diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio (adde lacrymæ amicorum) vivorum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mortuorum. Offerantur itaque horum loco alia quatuor, de quibus Jacobus de Voragine ait: Quatuor sunt genera suffragiorum, quæ maxime defunctis prosunt, fidelium & amicorum oratio, eleemosynarum largitio, salutaris hostiæ oblatio, & jejuniorum observatio. De quibus videri potest libellus *der heylsamen kurtzvveil, die Seelen zu fischen* cap. 2. §. 7. seqq.

§. XI. ALII CONCEPTUS.

Haut. in patroc. Defunct. l. 2. a. 2. n. 728. I. B. Joanna a Cruce solebat suas Sanctimoniales hortari ad contemplationem crebram intolerabilium purgatorii tormentorum, pariterque ad singularem in S. Michaelem pietatis sensum. Quippe quem in exstasi vidisset de animis decretoriam ferre sententiam, ex quibus cum aliquam condemnaret, Angeli concinentes: O Deus Majestatis, inquiebant, quanta cum misericordia conjuncta est justitia tua, nos te in illis adoramus. Tum vero animas damnatas diris devovebant: At quando aliæ ex animis purgatorio carceri adjudicabantur, tum custodes eas excipientes, & ad carcerem illum deducentes, hac spe consolabantur, quod brevi beatas, ac cæli secum incola denuo essent visuræ.

II. Cum venerabilis Mater Catharina de la Croix Ordinis S. Dominici Duaci quondam somnum nocturnum caperet, excitavit eam suus custos, & clara voce significat, aliam Sanctimonialem, quam nominabat, in Cœnobio de la Thieuloye juxta Atrebatum, recens obiisse. Quare illa stratu exiliens, diductis in crucis formam manibus, quinies Orationem Dominicam, Angelicamque Salutationem ad illius solationem pronunciavit. Cujus mortis nuncius cum postero mane Duacum pervenisset, intellectum est, eodem tempore, quo Catharina Dominicana a Tutelari expergefacta fuerat, animam exhalasse. *Joannes a S. Maria in vita.*

III. Josephus Arriaga Soc. Jesu inter cætera pietatis insignia, nostris graviter decumbentibus semper advigilabat per noctem, demortuos autem suis manibus componebat, & piacularibus suffragiis prosequebatur, idque tam provide ut quo citius eo illius beneficio potirentur, statim a nocte media lustricas preces exhiberet, solitus ad id Officii ab Angelo, si forte altius obdormisset, excitari. *Allegambe in Bib. scrip. Societ.*

IV. Joannes de Lugo postquam quæsiit, an suffragium, quod pro uno defuncto offertur, prosit indirecte aliis defunctis, affirmat. Quia, inquit, animæ illæ habent invicem maximam unionem charitatis, & dilectionis mutuæ: quare necesse est, quod omnes gaudeant de sublevatione alterius, & de remissioni ei concessa: ergo habent omnes lætitiam aliquam accidentalem de illo suffragio: ergo aliquod solatium, & per consequens aliquam pœnæ diminutionem. In quo sensu non video inconveniens, quod hoc solatium accidentale concedatur in aliis, ita ut per accidens habeant aliquod solatium, accidentale levamentum, perseverante pœna essentiali, ut ita dicam in eodem rigore; Nam sicut non omnia gaudia accidentalia, quæ beati habent in cælo, necesse est, quod oriantur ex mensura meritorum & beatitudinis essentialis, sed possunt provenire aliunde; immo & possumus nostris Orationibus ea illis impetrare, ut fatetur Suarez tom. de Rel. 1. de Orat. cap. 14. possumus etiam eas nostra conversione lætificare, sic possumus dare occasionem alicujus solatii accidentalis animabus. *Lug. disp. 20. de pœn. sect. 20.*

V. S. Bernardinus loc. c. ait, Omnes de paradiso videntes ipsas animas purgatorii futuras eorum socias, & debere replere sedes paradisi, cum beata Virgine Matre Dei orant Dominum Jesum Christum pro eis, quia desiderant ipsas animas ascendere in paradisum. Addit idem Sanctus præterea, animas in purgan- *S. Bern. tom. 4. ser. 14. eat. 2. part.*

gan-

gantibus illis flammis, tam ab Angelis, quam a reliquis Sanctis, frequentes recipere consolationes; Ait enim: Et sæpe Sancti, & Angeli vadunt in purgatorium ad confortandum animas, & maxime Angeli, qui fuerunt deputati ad custodiam illarum animarum. Abulensis postquam ostendisset spiritus Angelicos nequaquam esse pœnarum illarum ministros, mox subjungit: Ipsi Angeli boni ex Dei voluntate aliquando veniunt ad eos, qui purgatorio igne affliguntur, & consolantur eos, tolerabilia cruciamina patientes, & revelant eis aliqua de bonis, quæ fiunt in hoc sæculo pro eis, ut inde citius liberentur. Ludovicus Blosius de S. Gertrude refert, quod animam quamdam purgantem in manibus dæmonis conspexerit, id quod forte divina dispensatione factum est, cum alias dæmones ordinarii animarum illarum carnifices non sint, qui illam flagellabat, & tamen prædicta anima in illo supplicio se nullam inde sentire pœnam ostendebat, quia ad quemlibet ictum assistentem sibi Angelum quemdam aspexit. En verba Blosii: Anima pro qualibet pœna elevabat oculos ad Angelum, nihil dicens, sed gestu suo indicans, se consolationem ab eo recipere, ac citius fore liberandam. Et quidem pro certo credi potest, quod Angelici spiritus sint illi, qui animas purgantes a flammis illis liberatas in cælum usque associant, & in conspectu Dei præsentant; Unde S. Mater Ecclesia in Offertorio Missæ defunctorum dicit, Signifer S. Michael repræsentet eas in lucem sanctam. Ubi ostenditur, inquit Sanctus Antonius, quomodo animæ educentur de purgatorio, videlicet per Angelos sanctos eas repræsentantes Archangelo Michaeli, qui cum maximo tripudio, & gaudio totius Curiæ cælestis ante conspectum Dei statuit eas; quod patet; per parabolam ovis ad ovile reportatæ, cum magno gaudio amicorum, & vicinorum, id est, sanctarum virtutum, seu Angelorum, & animarum de introductione ejus; Unde canit Ecclesia: Archangele Michael, constitui te Principem super omnes animas suscipiendas.

I. Bon. ap. Mans. tr. dis. 3. n. 3. VI. Omnes adstricti tenentur ex decreto divinæ justitiæ, donec reddiderint novissimum quadrantem. Cujus ratio est, quia in supernam Jerusalem nihil inquinatum intrare potest. Impossibile est, animam intrare in regnum gloriæ, quamdiu habet aliquid purgandum. Hoc figuratum est in libris Regum, ubi dicitur: *Malleus & securis non sunt audita in ædificatione templi*, prius enim quadrabantur, & dolabantur lapides, & ligna in Libano, & postea collocabantur in templo; sic lapides vivi necessario in hac vita quadrantur, & poliuntur merito, vel post hanc vitam igne purgatorio, antequam superædificentur in cælo.

Ib. disc. 33. n. 3. VII. Inter alias interpretationes, quas Hugo Cardinalis illis adhibet Psalmi septuagesimi septimi verbis: *Mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit*, una, & quidem nostro proposito percommoda, hæc est. Per nubes intelliguntur Ministri sacri, & Ecclesiastici, ut sensus sit: Mandavit nubibus, id est, prædicatoribus, & Doctoribus spiritualibus, qui ut plurimum sunt sacerdotes, ad quos pertinet animabus cæli portas aperire, Christi corpus offerendo; Janua enim est Corpus Christi, Joan. 10. ego sum ostium, S. Joan. Damascenus observat ab Apostolorum temporibus in Ecclesiam derivatum esse hunc ritum, ut fidelibus in gratia defunctis ex omnibus sacrificiis, quæ offeruntur, pars quædam attribuatur Mysteriorum. Discipuli Salvatoris, inquit prædictus Damascenus, & Sacri Apostoli sanxerunt, in vivificis, & tremendis Sacrificiis & Mysteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt. Advertendum quoque est, quod in Evangelio Missæ de Requiem, specifica Corporis Christi fiat mentio: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi; ut videlicet intelligamus, Corpus Christi oblatum, præcipuum esse animarum purgatorii suffragium: quod quidem suffragium, ni fallor, apud Zachariam bis verbis prædictum fuit: *In sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Hujus enim sanguinis testamenti in forma consecrationis Calicis expressa fit mentio, cum dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*: Lacus autem mentio fit in offertorio Missæ defunctorum, ubi purgatorium profundus lacus appellatur. Adeo ut dubitari non posse videatur, quin Propheta ad hoc Sacrificium incruentum alluserit, in virtute cujus defuncti a profundo illo lacu liberantur.

VIII. Animam quoque purgantem, in Jona Ibid. n. 4. in mare præcipitato delineatam invenio. Hic enim limitato trium dierum & noctium tempore, in ventre ceti, velut in obscuro carcere, sine ullo cibo delituit, quemadmodum anima purgans pariter pœnam limitatam sustinet, non vero æternam; Idem Jonas in ventre ceti Deum oravit, ut de obscuro illo carcere liberaretur, ita & animæ inter illas flammas constitutæ, Deo & hominibus se recommendant, dicentes: *Miseremini mei; & omnes fluctus tui, & gurgites tui super me transierunt*; vere enim de illis dici potest: *Magna est velut mare contritio tua*. Considerastis ne aliquaneo modum, quo Deus Jonam e ventre ceti liberum exire fecit? Numquid enim Deus ad hanc Jonæ liberationem forte permotus fuit per triduanum Jonæ jejunium? Aut vero per Orationis ejus efficaciam? vel propter bona proposita, deinceps divinis præceptis prompte obediendi? Nequaquam hæc omnia ad liberationem Jonæ Deum permoverunt, sed tunc Deus ceto præcepit, ut ex apertis faucibus suis Jonam ad litora Ninivitana sanum & incolumem evomeret, quando Propheta se in templo sacrificium oblaturum esse promisit, quando enim dixit: Immolabo tibi, tunc dixit Dominus pisci, & evomuit Jonam in aridam: Jejunia quidem, orationes, vigiliæ dolores patienter tolerati, interni compunctionis actus, &c. bona & salutaria sunt opera, nec non ad suffragium animabus illis media convenientia. At vero sacrificium incruentum, ceti, id est, purgatorii januam aperit & animam ad cæli litora feliciter appellere facit.

§. XI.

§. XII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Hieron. Mezza in Aim. quot. a. 270. I. S. Carolus Borromæus hanc inscriptionem voluit sepulcro suo apponi: Carolus Cardinalis tituli S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolanensis, frequentibus Cleri, populique, ac devoti fœminei sexus commendatum precibus se cupiens, hoc loco (in medio templi, ubi cuncti pertranseunt) monumentum elegit.

Eccl. c. 6. v. 10. II. Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis: qui locus recte applicatur amicis, qui in vita honorant & serviunt suis Fautoribus, & Benefactoribus, post mortem autem sine omni subsidio relinquunt.

Dan. 14. v. 35. S. Anton. III. Apprehendit Angelus Domini (Habacuc) in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, & posuit eum in Babylone supra lacum: & per hoc significatur. Angelus Custos cujusque animæ, incitans alios ad opem suo Clienti ferendam.

Jo. 2. v. 6. Y. 6. IV. Anima in purgatorio est velut Jonas in ceto viventium destituta suffragiis, hinc de illa vere dicitur: Circumdederunt me aquæ (tribulationum) usque ad animam: abyssus vallavit me: pelagus operuit caput meum. Et, cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Vit. prad. p. 1. c. 7. V. Cuidam Concionatori concionem paranti anima ex purgatorio apparuit dicens: Legatione fungor animarum in purgatorio: hæc enim mandant suis, in derelictis possessionibus constitutis: Miseremini mei saltem vos amici mei. Ex his verbis cras sermonis thema accipies, & repelles ludos execrabiles, quos vidisti, & induces homines, ut defunctorum amicorum subveniant animabus.

Vit. 4. Mail ap. Sur. VI. S. Monica in extremis constituta dicebat: Ponite ubicumque hoc corpus, nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare mei memineritis. Idem nunc animas defunctorum dicere credibile est.

In Brev. Rom. VII. Qui vere diligunt amicos suos, ita se erga eos post mortem gerere debent, ut de illis cum veritate dici queat, quod Ecclesia de SS. Apostolis canit: Quomodo in vita dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

Utilitas.

Ap. Bernard. de Busto f. 31. ap. VIII. S. Hieronymus dicebat, animas, quæ sunt in purgatorio, pro quibus Sacerdos orat, interim tormentum non sustinere, dum Missa celebratur.

Mezza in Aim. quot. 332. IX. Joannes Landspergius inter alia sic orabat: Domine Jesu, ego do illis mortem tuam, & Sanguinem tuum: quomodo enim possum aliter ipsis succurrere, aut mederi? largire tu, ut horum virtute liberentur.

Bellar. de gem. Columb. l. 2. X. Habemus lucrum incomparabile, si pro defunctis orationes assidue fundamus, vel pro illis jejunio, aliisque pœnitentiæ operibus satisfaciamus.

Andries de purg. 100. XI. Carolus V. bis mille nummos aureos, quorum singuli habebant pondus viginti ducatorum, cudi jussit, & hos omnes Marchioni de Vellarcal donavit ob Sponsam Isabellam sibi e Lusitania adductam. Quid Deus infinities liberalior non dabit animas purgatorii velut Sponsas charissimas in cælum suis impensis ducenti?

XII. Dionysius Rex Siciliæ cum Damonem & Pythiam (quorum alteruter mori debebat, unus tamquam reus, alter tamquam obses) alterum pro altero mori contendentes vidit; non modo utrique vitam donavit, sed etiam in amicitiam suam velut veros amicos recepit. Quid Deus faciet, si viventes pro mortuis pati & mori velle videat? Valer. l. 4. c. 7.

Media ad illas juvandas.

XIII. Scauri pisces, cum eorum unus in nassam incidit, posteriorem sui partem de nassa protendunt, inde reliqui circumnatantes eum morsu arripiunt, & foras pertrahunt: si vero captus caput de nassa porrigat, reliquorum aliquis caudam porrigat, quam captus arripiens similiter extrahitur. Ælian. l. 1. c. 4.

XIV. Elephantes quando profundam fossam transire volunt, eorum unus in illam descendit, & pontem quodam modo reliquis facit: per quem ubi transierunt, eumdem postea unanimi conatu extrahunt. Idem.

XV. Pantheræ cuidam cum catuli in foveam incidissent, illa in publico hominem expectabat, quem ungue leniter apprehensum ad foveam duxit, ubi cum catulos ille eduxisset, illa securum extra solitudinem duxit. Plin. l. 8. c. 17.

XVI. Gillardus, cum se cuidam post mortem combustum latere toto ac pectore ostendisset, rogatus, quomodo juvari posset? respondit: Si fratres *instanter* pro me orent, quantocius liberabor. Jo. Nad. in anno ever. bel. 24. c. 3.

XVII. Luxemburgensis Spiritus, Mariæ puellæ quinquies Pater & Ave pro illo recitantis brachia, suppositis manibus flectens sustentabat, quo illa facilius laborem ferret. Ibid. c. 1.

XVIII. Bartholomæus floridæ Vallis Conditor, quotidie centies & quinquagies Psalmum Miserere pro animabus recitabat. Ibid. c. 2.

XIX. In Monasterio S. Hilarii Laviouensis anima quædam apparens dixit: Dominicis diebus propter gloriam Resurrectionis Dominicæ; & quando pro nobis hostia salutaris Deo immolatur, multi nostrum nulla pœna afficimur, & ad loca, in quibus corpora nostra jacent, venire permittimur; quæ si aqua benedicta invenimus aspersa, paradisiaca nobis requies videtur. Luc. Lacdensis in bist. mir. f. ibid. c. 11.

XX. Solemne est Ecclesiæ Feria 2. Sacrificium Missæ vel orationes pro defunctis dicere, ut ipso statim hebdomadæ initio quam citissime piorum animæ placulari prece sublevarentur: & quæ reliquos hebdomadæ dies viventibus subsidio dedicat, prius mortuorum, quam mortalium causam perorare. Mezza in Aim. quot. ma. 62.

XXI. Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti in aqua, & refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Quid est, minimum digitum intingere, nisi aliquod pietatis opus quodcumque minimum pro absolutione alicujus mortui operari? Luc. 16. v. 24.

§. XIII.

§. XIII. AUTHORES.

I. Jacobus Montfordus in tr. de Misericordia animabus Purgatorii præstanda.

II. Martinus de Roa in libello *die Seelen Hulff* dicto.

III. Georgius Ravv. in libello *Herold* appellato.

IV. Jodocus Andries in Purgatorio Catholice asserto, cum incitamentis & methodis suffragandi.

V. Elias a S. Theresia de Jesu in legatione animarum suffitime.

VI. Gasparus Tausch. in Matre dolorosa p. 3. c. 7. per aliquos §§.

VII. Anonymus in libello *heilsame hurtzweil die Seelen zu fischen*, dicto.

VIII. Mathias Faber in die Commemorationis animarum. Item in concionibus funebribus.

IX. Joannes Nadasi in anno hebdomadarum cælestium. Fer. 2. in anno Æternitatis circa finem.

X. Theophylus Raynaudus to. 15. Heteroclytorum spiritualium p. a.

XI. Georgius Pistorius *in dem allgemeinen Klaghaufs.*

XII. Hieronymus Meazza in stimulo quotidiano incitante ad defunctorum suffragia.

XIII. Jacobus Hautinus in Patrocinio Defunctorum.

XIV. Josephus Mansi tr. 68. in discursibus.

TITULUS XCVII.

MODESTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Tom. 2. l. 1. p. 2. c. 9. §. 30. I. EST virtus, quæ externa hominis membra & actiones juxta statum cujusque decentiam moderatur. Vel, ut fusius definit Jacobus Alvarez. Est virtus, quæ externos motus & gestus corporis temperat: quæ ludis, & jocis moderationem adhibet: & quæ cultui & apparatui personæ debitum modum (a quo denominationem accepit) imponit.

Divisio.

II. Dividitur a S. Thoma in quatuor species: quarum prima coercet motum animi ab excelsis, & vocatur *Humilitas:* altera limitat desiderium cognitionis, & *Studiositas* appellatur: tertia modum, gestusque externos moderatur, & proprie *Modestiæ* seu *Moderationis* nomen retinet: quarta cultum & apparatum hominis in vestibus & aliis utensilibus ordinat; Et ipsa quoque ad modestiam proprie dictam pertinet.

2. 2. q. 160.

Actus.

In novit. instruct. c. 12. III. Hos generaliter bene assignavit Hugo de S. Victore, dum ait: *Prima custodia disciplinæ in gestu est, ut unumquodque membrorum in eo officio, ad quod creatum est, se contineat: ut id, quod facit eo modo facit, quo faciendum est, nec plus, nec minus, nec aliter.* Et ut in paucis exemplificemus, ridere debet sine aperitione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, & digitorum, incedere sine ventilatione brachiorum, & sine gesticulatione scapularum, sedere sine alterutra superjectione pedum, sine extensione vel agitatione tibiarum, & sine accubatione laterum. Paulo distinctius vero singulorum membrorum officia a modestia præscripta indicat S. Ignatius in regulis, quas de modestia conscripsit, non sine multarum lacrymarum, ut ipse quondam fassus est, effusione, quas proin in Patris amantissimi memoriam placet huc apponere. Sic ergo loquitur.

IV. In conversatione nostrorum illud in universum dici potest, ut in omnibus actionibus externis appareat in nostris modestia, & humilitas conjuncta cum religiosa maturitate; Speciatim autem hæc observanda sunt.

V. Caput huc illud leviter non moveatur, sed cum gravitate, ubi opus erit: & si opus non sit, teneatur rectum cum moderata inflexione in anteriorem partem, ad neutrum latus deflectendo.

VI. Oculos demissos ut plurimum teneant, nec immoderate eos elevando, nec in hanc, aut illam partem circumflectendo.

VII. Inter loquendum cum hominibus, præsertim alicujus authoritatis, non defigatur aspectus in eorum vultus, sed potius sub oculos.

VIII. Rugæ in fronte, ac multo magis in naso evitentur, ut serenitas exterius cernatur, quæ interioris sit indicium.

IX. Labia nec nimis compressa, nec nimium diducta.

X. Tota facies hilaritatem potius præ se ferat, quam tristitiam, aut alium minus moderatum affectum.

XI. Vestes sint mundæ, & cum religiosa decentia compositæ.

XII. Manus si non in sustinenda veste occupentur, decenter quietæ teneantur.

XIII. Incessus sit moderatus, sine notabili festinatione, nisi necessitas urgeret, in qua tamen, quantum fieri potest, decoris ratio habeatur.

XIV. Omnes denique gestus ac motus ejusmodi sint, qui apud omnes ædificationem pariant.

XV. Si plures simul erunt, ordinem præscriptum a Superiore bini, vel terni incedendo servent.

XVI. Si loquendum fuerit, meminerint modestiæ & ædificationis tum in verbis, tum in ratione, ac modo loquendi.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. GAudete in Domino semper, iterum dico gaudete; modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Philipp. c. 4. v. 4.

II.

Matt. 5. v. 16. II. Vos estis lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

1. Thess. 4. v. 11. III. Rogamus vos, fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut qui quieti sitis, & ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt.

Philipp. 4. v. 8. IV. De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque justa, quæcumque pudica, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

Necessitas.

Prov. 22. v. 4. V. Finis modestiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita.

1. Petr. 3. v. 15. VI. Dominum nostrum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad omnem satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.

Utilitas.

Prov. 27. v. 19. VII. Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

Eccl. 19. v. 26. VIII. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciat de illo.

Dignitas.

Coloss. 3. v. 12. IX. Induite vos sicut electi Dei, Sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.

1. Cor. 13. v. 11. X. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli, id est, pueriles levitates & actiones.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. in reg. I. IN omnibus moribus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

S. Ambr. l. 1. offic. II. Motum natura informet; si quid sane in natura vitii est, industria emendet.

Hugo in l. de dif. anim. III. Temperanda est etiam facies, & modificanda in gestu suo, ita ut nec proterve exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem, secundum illud Ecclesiastici; Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei vir sensatus.

S. Basil. in ep. ad Capon. IV. Vitæ genus Evangelio conveniens diligere, cuivis facile est; quod autem quis vel minutissima quæque, quæ in eo descripta sunt, consilia conservet, neque eorum quodvis negligentiæ transmittat, hoc vero rari, quos ego quidem noverim, opere ipso præstiterunt, ut videlicet lingua usi continenti silentio obvincta, oculis etiam adhibeant moderationem, quam requirit evangelicæ perfectionis tenor, manibus insuper indicent intentum laborem ex suscepto ineundæ gratiæ Dei consilio, modum itidem præscriberent pedibus, denique reliquis totius corporis membris eo modo uterentur, quem & eorum susceptæ vitæ propositum, & ipsa initio Opificis nostri fabrica ratio requireret. Quin in vestitu pro decoro modestiam, in congressione cum cæteris circumspectionem, in cibis illud modo, quod natura desideraret, teneret, in rebus ad vitæ usum parandis uni tantum necessitati consulerent. Hæc quidem dum simpliciter hoc modo dicuntur, levia videntur, ac nullius pene difficultatis; ejusmodi tamen sunt, in quibus servandi magna opus esse contentione, ipse nos usus docuerit.

V. De ludo Monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. *S. Hier. in ep. ad Rust.*

VI. Monachum oportet corpus quietum, habitum non sordentem, sed honestum, vocem moderatam, sed sermonem compositum habere: in cibo potioneque minime turbulentum esse, sed sedatum potius & gravem; coram majoribus natu silere, non esse ad risum proclivem, oculos habere ad terram dejectos, animum ad cælum erectum, manibus laborare, Sanctorum pedes abluere, a congressu mulierum abstinere. *S. Bas. in s. de Asc.*

VII. Modestia est, cultum & motum & omnem nostram occupationem, ultra defectum & citra excessum sistere. *Hugo.*

VIII. Temperantia cordis habeat anima munditiam, justitia misericordiam, prudentia pacem, Fortitudo mansuetudinem. *Ambr. 1. de offic.*

IX. In te consistito, non infra dejici, non supra attolli, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius tutus est, medium, sedes modi, & modus virtus. *Bern. l. 1. de consid.*

Utilitas.

X. Speculum mentis, facies: & taciti oculi, mentis fatentur arcana. *S. Hier. in epist. ad Fur.*

XI. Intus est custodia, quæ servat exterius membra; qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. *S. Greg. 3. past. c. 24.*

XII. Viri summa virtute præditi, etiamsi nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariore, discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, verum animis lumen & splendorem afferentes. *S. Isid. Pelus. l. 2. epist. 2.*

XIII. Sanctorum non tantum verba, sed etiamsi ipsi vultus spirituali gratia pleni sunt. *S. Chrys. hom. 3. ad pop.*

XIV. S. Hieronymus inter cæteros modestiæ fructus hos esse præcipuos censet: ut loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem vestram (puta Religiosorum) sancta desideria incitent, & affectus ad cælestia moveantur. Hi sunt, qui monasteria implent, & domum Dei ædificant. *Reg. Monach. c. 22.*

XV. Hoc est pulchritudinem vivendi tenere convenientia cuique sexui & personæ reddere: hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem commodus. *S. Ambr. l. de off. c. 30.*

XVI. Sobrietas mentis medicina est corporis. *Idem ib. Nec.*

Ne-

Necessitas.

XVII. Bona domus, in ipso vestibulo debet agnosci.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 18.

XVIII. Habitus mentis in corporis statu cernitur, animi vox est corporis motus.

Ibid.

XIX. Mortalium Regum Ministris, & terrenis Imperatoribus famulantes, quotiescumque se dominorum suorum aspectibus præbent cunctas, quas vel in vestibus, vel in facie gerunt, sordes diluere studiose conantur, ne quid in ipsis incompositum, aut indecorum appareat, quod oculis Principis despicabile videatur. Dignum quippe est, ut, quidquid sordescit, quidquid deforme est, amoveant a se, quatenus aspectus illorum alliciant, quibus placere concupiscunt. Capitur etenim animus ex ornatu & speciositate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoque morem solerter custodire debent omnes æterno Regi militantes. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur, quotquot cælesti Domino gratissimum desiderant exhibere famulatum.

S. Laur. Just. de disc. mon. cap. 17.

XX. Serva corpus tuum & membra ea dignitate, qua decet, ne, si ea quolibet levitatis studio injuriose tractaveris, quanto potiore præmio coronareris, si ea digne tractasses, tanto majori supplicio subjicieris, si iis indigne abusus fueris. Oculi tui, oculi Christi sunt. Non igitur licet tibi oculos Christi ad aliquas vanitates conspiciendas dirigere: quia Christus est veritas, cui omnis falsitas contraria est. Os tuum, os Christi est. Non debes, non dico ad detractiones, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones aperire, quod ad solas laudes Dei, & ædificationem proximi debes patulum habere.

S. Ansel. in med. c. 2.

XXI. Christi Athleta ad coaptandum corpus suum totaliter, in obsequio Christi Jesu exerceat, ut omnes actus & motus corporis sint omni morum honestate compositi, servi Regularium disciplinæ: neque enim poteris animam unquam ab inordinatis cohibere, nisi prius studueris corpus tuum subjicere disciplinæ, ipsum restringendo non solum ab omni actu, sed etiam ab omni motu incongruo & inepto.

S. Vinc. de vit. Sp. c. 2.

Dignitas.

XXII. Ubi Christus, modestia quoque est.

S. Greg. Naz. ep. 33.

XXIII. Dives ideo modestia, quia Dei potior est: hoc est (ut quidam explicant) pars notarum inhabitantis Dei.

S. Amb. l. 3. offic. c. 16.

XXIV. Studeamus modestiæ, nam studiis & exercitiis assimilatur anima, & qualia facit, talis formatur & figuratur.

S. Basil. l. de humil.

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

I. CHristus quantopere modestiam amarit, & exercuerit testatur Sanctus Hieronymus his verbis: Nulli dubium est, veritatem, & modestiam, & justitiam Christus appellari, qui dicit: Ego sum via, veritas & vita. Et: discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Et quia factus est nobis a Deo justitia, & redemptio, & sanctitas, Nec autem universa dicuntur in corpore, ut exigantur in membris. Hoc idem etiam ipsemet S. Birgittæ revelavit, dicens: Ego posuius in humanitate sic temperavi orationes, labores, & jejunia mea, ut nec scandalizarentur intuentes, nec absentes offenderentur, sed omnes, qui voluissent, possent imitari verba mea, & opera, & exempla. Hinc Sanctus Paulus Corinthios obtestatur: Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam Christi.

S. Hier. in expl. Ps. 44. — L. 6. rev. c. 121. — 2. Cor. 1. v. 10.

II. B. Virgo quam modesta fuerit, testatur Nicephorus his verbis: Erat Maria in omnibus honesta & gravis, pauca admodum eaque necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum omnibus exhibens, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens: &, ut paucis dicam, in rebus ejus omnibus multa inerat gratia. Idem confirmans Sanctus Ambrosius: Nihil, inquit, torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil inverecundum; non gestus fractior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Sed & sanctus Damascenus addit: Honestus vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens, gressus sedatus, atque ab omni levitate remotus, mores severi hilaritate temperati, & quod maxime mirandum, senilis in corpore juvenili prudentia. Hinc cum Musæ virgunculæ olim cum magno virginum choro apparuisset, & ipsa associari illis petiisset, respondit, eam nequaquam adhuc ea gratia dignam esse, eo quod levicula nonnihil, & immodesta adhuc foret; redituram tamen post viginti dies, secumque adducturam, si mores emendasset. Quod & factum.

Niceph. l. 2. c. 23. — S. Amb. l. 2. de Virg. — Orat. 1. de nat. Virg. — S. Greg. l. 4. c. 11.

III. Gregorius Romanus Pontifex, in pontificia dignitate, sublimique humanæ pietatis arce constitutus ita fastigium illud honoris abjectione miscuit, ut servorum Dei se servum diceret; appellationem non modo non invidiosam, sed etiam grato duarum diversarum rerum temperamento vehementer popularem.

Sabel. l. 6.

IV. Alaricus Gothorum Rex, Roma capta, & hostiliter direpta, in eo temperavit, quod edictum proposuit, ut capitale esset, si qui Apostolorum principum templa, aut quæ in his essent, violaret: & ut in universum a cæde abstineretur, est militibus indictum.

Sabel. l. c.

V. Rudolphus Austriacus Ottocarum Bohemiæ Regem victum ad se vocavit, fidem ab eo (: homagium dicitur:) accepturus. Ille venit cum magno & splendido comitatu, viri & equi auro, gemmis serico nitebant. Dictum Rudolpho, adventare & sedulo a quibusdam additum, pararet se veste & cultu ornatiore & Imperatorio, talem Regem admissurus, Rudolphus ridens: Immo Rex Bohemiæ, inquit, griseam meam vestem sæpe derisit: nunc ipsum vestis mea grisea deridebit. At vos equos & arma expedite, & accincti instructique ut ad pugnam state. Decus Teutonicorum armorum non vestium advenis istis ostendite: hoc me vobisque dignum est. Di-

Just. Lips. mon. l. 2. c. 5.

Dixit Rudolphus; neque aliter fecit. Ottocarus illi vili cultui se, & aurum suum submisit & ad genua accessit, non sine ludibrio, etiam cum Imperator jussisset tentorium, in quo res gerebatur, subito pandi & revelari, ut ab omnibus geniculans Ottacarus conspici possit.

Tuls. l. 2. c. 4. VI. Ludovicus II. Galliarum Rex, Caroli Septimi filius, gloria regnoque atque in primis liberalitate, quantus ullus superiorum Regum, ingens, multis victoriis clarus, cum alii Reges auro fericoque amicirentur, lana aut bombyce induebatur, & quo pretiosiore veste ut fulgerent alii curaverunt, ipse ut viliori amictu conspiceretur, operam dabat, fortasse ob eam causam, ut cum inter Christianos Reges omnium maximus liberalissimusque haberetur, qui viderent eum, habitus humilitatem mirarentur.

Utilitas.

Surius 4. Oct. VI. S. Franciscus tantæ erat modestiæ, ut plus solo suo aspectu moverit hominum corda, quam Concionatores sua eloquentia. Hinc aliquando dicens socio, se ad concionandum iturum, una alterave vice modeste urbem obambulavit, quærenti vero socio, cur concionatus non esset, respondit, id se jam fecisse, dum urbem solita modestia obambulasset. Hinc suos in regulis his verbis hortatus est: Consulo, moneo, & hortor fratres meos in Christo Jesu Domino nostro, ut, quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, aut alios judicent, sed sint mites, pacifici, & modesti, & mansueti, & humiles.

Vit. l. 2. c. 3. VIII. S. Bernardus cum suis Monachis Innocentio II. Pontifici & Cardinalibus Monasterium Claræ vallis visitantibus tanta modestia obviavit, ut Pontifex & Cardinales a lacrymis præ gaudio sibi temperare non possent.

Surius in vit. IX. S. Bernardinus Senensis tanta erat modestia præditus, ut ad ipsius præsentiam æquales suæ immodestiæ puderet, & vel hac sola voce: Bernardinus adest: ad gravitatem se componerent.

Ap. Lancic. op. 3. c. 3. n. 122. X. S. Lucianus M. sola oris modestia etiam ferocientes homines ad cultum Religionis adducebat. Quod cum intellexisset Maximianus, qui eum martyrio affici jusserat, non est ausus ad se vocatum aspicere, ne ejus modestia caperetur, & Christianus fieret, sed velo interposito eum est allocutus.

Ibid. XI. De S. Ephrem testatur S. Greg. Nyssenus, quod vultus ejus Angelicus idoneus erat, ut solus sine ulla oratione ad commiserationem intuentes commoveret. Tanta in eo tum simplicitas, tum mansuetudo, tum probitas cernebatur. Nullus erat tam pudens, qui non intuens eum pudore suffundebatur, seque ipso melior & modestior fiebat.

Ibid. XII. S. Romanus multos aspectu suo fecit rerum divinarum amatores, & quotquot ad eum ventilabant, eos & aspectu, & sermone, toto vitæ suæ tempore replevit utilitate.

Drex. Ros. p. 2. c. 12. §. 5. XIII. Cum Petrus Castellæ Rex ob triumphum de fratre Henrico reportatum insolentior factus, inter alios Utracam Gusmaniam Mattonam nobilissimam vivam in celeberrima urbis platea comburi jussisset, & hæc ob ignis vehementiam ita se jactaret, ut pes nudus appareret, Isabella Ubedia ancilla ejus in ignem insiliens, eamque cooperiens, tam diu compositam vestem manu tenuit, donec & ipsa cum Domina conflagravit.

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

Hist. Soc. p. 1. l. 14. n. 107. I. S. Ignatius adeo modestiæ curam habebat, ut nec manum, nec oculum, membrumve ullum sine causa & ratione moveret. Hinc non paucos insignes viros ad ineundam secum societatem incitarat. Hinc ipso initio sui in *Lancic. opusc. 5. f. 403.* urbem ingressus hanc ordinationem fecit: Minister M. Franciscus Xaverius, & subminister M. Alphonsus Salmeron, & Syndicus Joannes Paulus Boresius conveniant die Lunæ ante cœnam certa hora ad consultandum inter se circa compositionem exteriorem, & interiorem omnium. Circa exteriorem omnibus in rebus, unde præsumi potest aliqua disædificatio, sive in verbis, sive in gestibus & motibus, vel aliis actibus. Præ aliis tamen suam de modestia æstimationem declaravit, quando regulas *Maff. l. 3. vit.* ejusdem multis cum lacrymis composuit, ideoque cum vidisset, eas ab aliquibus parum observari, questus est, eas tam facile violari, cum tamen sibi tot lacrymis constitissent. Et *Rib. l. 5. c. 1.* vero ipse Deus approbasse hunc laborem S. Ignatii videtur, dum tectum, sub quo domestici sedebant, iis ad promulgationem dictarum regularum alium in locum abeuntibus, concidit, omnes oppressurum, nisi ob dictam causam abiissent.

Vita. II. B. Aloysius usque adeo erat hac in virtute perfectus, ut nihil unquam vel minimum leviter fecisse visus sit. In verbis tantam adhibebat modestiam, ut ne tenuissimo quidem dicto quemquam perstringeret.

Menol. III. P. Paschasius Broettus tam exquisitæ erat modestiæ ac simplicitatis, ut ab ipso S. P. Ignatio Angelus terrestris vocaretur.

Vit. c. 22. §. 2. IV. P. Baltassar Alvarez singulariter semper subditis suis modestiam commendabat, utpote quam Religiosis Societatis ob tres præcipue causas valde necessariam dicebat. 1. Quod ex instituto agerent cum proximis, ac proinde eos ædificare tenerentur, omniumque apud eos nomen habere, quod præcipue modestia, & compositione hominis exterioris, non tamen affectata, sed vera & religiosa obtinetur. 2. Quod alii Religiosi habitu suo & cucullo errores contra modestiam admissos tegere queant; homines Societatis autem, cum patentem habeant faciem, modestiam cuculli loco habere debeant. 3. Quod, cum Societas ex instituto suo ad magnam cum Deo in orationibus familiaritatem obligetur, atque adeo etiam exteriorem compositionem, quæ plurimum juvat devotionem, magnifacere, & procurare debeat. Ipse vero tam diligenter hanc doctri- *Cap. 7. vit. §. 1.* nam observabat, ut quidam fassus sit, se sola modestia, gravitate, & devotione, qua sacrum dictus Pater faciebat, ad Societatis ingressum permotum esse.

In primo ep. V. P. Mutius Vitellescshus de seipso professus est, se tantum nostrorum in scholas euntium, & redeuntium modestia fructum perce-

piſſe, ut enixe ſæpios ejus pompæ aſpectu frui contenderet. Sed & addidit, bene multos conſpecta ſimili modeſtia ad Societatem animos abjeciſſe. Hinc ſuos ad eamdem modeſtiam exhortans, ait, ſe nulla ratione vehementius hoc caput incuicare poſſe, quam ſi quiſque ſibi perſuadeat, ſe totam Societatis exiſtimationem dignitatemque in ore, externaque corporis compoſitione circumferre.

Lancig. ceuie 1. c. 2. n. 122. V. P. Ludovicus Conſalvus S. Ignatii Miniſter ad Joannem III. Luſitaniæ Regem, a quo ad obſervanda dicta, & facta S. Ignatii miſſus fuerat, ſcripſit, ſe nullo tempore lectionis vel orationis tantopere moveri, & ad amorem Dei accendi, quam tempore, quo S. Igoatium intuebatur.

Vit p. 78. VII. Joannes Berchman tantæ erat modeſtiæ, ut alii dicerent, ſcriptas a S. Ignatio modeſtiæ regulas, ſi interiiſſent, vel in Joanne denuo potuiſſe reperiri: alii ajebant Angelum humana carne veſtitum non uſurum majore modeſtia. *Pag. 87.* Externi communi nomine Patrem modeſtum, & modeſtiſſimum vocabaot, ejuſque ſpectandi cauſa ſæpius conſiſtebant. *Pag. 135.* Domeſtici ejus aſpectu ad modeſtiam B. Virginis ſibi repræſentandam incitabantur. Scripſerat ſibi: Si tibi cordi eſt honor Societatis, ſit tibi cordi modeſtia.

Ann. gov. Jup. Coll. Conſt. 1629. VIII. Ferdinandus Auſtrius Oenipontanus cum in Euchariſtica proceſſione in media turba videret P. Alexandrum Heller, ita motus fuit ejus viri modeſtia & vultu, neſcio quam ſanctitatem ſpirante, ut ſtatim eum acciverit, juxta ſe incedere juſſerit, ſtupeote urbe inſolitum Principis morem.

Ann. Ar. 1612. IX. Gerondæ cum fœmina impudice duos e noſtris ſumma modeſtia & gravitate per urbem incedentes cerneret, ita permota fuit, ut mores ſuos leviſſimos deteſtata, confeſſionem multis eum lacrymis fecerit.

An. Prov. Lu. 1604. X. Mediolaoi Adoleſcens quidam cum ſæpe videret Fratres noſtros ad concionem euntes, ita modeſto eorum vultu, inceſſu, & ordine commotus eſt, ut vere eorum mentibus, & corporibus Deum inſidere credens, ad Societatem admitti petierit, & impetrarit.

An. 1650. Prov. Ro. ſ. 12. XI. Inter Jeruſinos vir quidam nobilis, cum Patrum noſtrorum inter ſacrificandum pietatem, in templo ſilentium, ae religioſam in confeſſionali gravitatem ſpectaſſet, domum redux teſtamentum jam confectum reſcidit, & ſua collegio deſtinavit.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 3. I. Sicut natura arborem numquam ſine cortice prodocit; ita gratia virtutem menti non inſerit, niſi exteriori etiam cortice modeſtiæ ornatam.

Lud. Gra. l. 2. c. 11. II. Sicut ſpecolum imitatur omne id, quod is facit, qui illi propioquos adſtat; ita corpus quoque eo modo ſe componit, quo modo compoſita eſt anima, cui onita eſt.

Neceſſitas.

III. Sicut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt; ſic nos ſi acres ac diligentes Judices eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum, etiam magna intelligimus ex parvis. *Cic. l. 1. of. c. 22. §. 2.*

IV. Sicot Magiſtri non ſolum elementorum figuras diſcipulis oſtendunt, ſed etiam minima quædam puncta, diſtinctioneſque proponunt; ita etiam magiſtri perfectionis minimos quoſque contra modeſtiam defectus vitare docent; noo enim, ut recte notat S. Bonav., eſt minimum minima contemnere, quæ non minimam moribus maculam eo turpius neglectu habita ingerunt, quo vitari facilius cognita potoerunt. *S. Ephr. de vita ſpirit. In ſpec. diſc. prol.*

V. Sicut eum, quem exterius tetro colore affectum videmus, conſuevimus dicere ſanum non eſſe; ita & ordinarie judicamus, quoad animam ſanum non eſſe, quem tetrum immodeſtiæ colorem præferre videmus. *Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 8.*

Utilitas.

VI. Sicut in horologio tunc rotas, & alia inſtrumenta bene moveri judicamus, cum ejuſdem Index ac ſonus exterius certa via, & ratione procedunt; ita quoque non vane judicare poſſumus internum hominis ſtatum rite ordinatum eſſe, ſi externa ejuſdem compoſitio talis eſt qualem eſſe decet. *Julius Fabius c. 20. de mortif.*

VII. Sicut maturi fructus egregium de ſe odorem emittunt, & guſtui valde bene ſapiunt; ita illi homines, qui per egregiam modeſtiam maturuerint, optimum de ſe bonorum exemplorum odorem ſpirant, gratamque aliis ſuam converſationem efficiunt.

Dignitas.

VIII. Sicut ad exteras regiones & gentes non mittuntur Legati, niſi ſelecti, & optima corporis conſtitutione inſignes, ut reverentiam ſui conſpectu ipſo concilient; ita qui legati Chriſti ſunt in animarum ſalute procuranda, nonniſi ſelectiſſimi & inſigni modeſtia præditi ſint, oportet. *Nieremb. in doctr. Aſcet. l. 3. c. 39. doct. 6.*

IX. Sicut Matronæ honeſtiores numquam aut raro per feneſtras proſpiciunt; diſſolutæ vero indeſignenter id faciunt; ita & homo perfectionis, & virtutis Chriſtianæ ſtudioſus ante omoia dat operam, ut honeſtatem ſemper in moribus teoeat, & per ſenſuum immoderatam libertatem malum exemplum nemini præbeat. *S. Baſ. ſ. de vera virt. c. 1.*

X. Sicut nunc videmus, multis puerilibus delectationibus nos carere, quæ nos pueros, ſi denegarentur, acerrime cruciabant; ita credeodum eſt de omni carnali delectatione futurum eſſe, cum perfecta ſanctitas totum hominem reparaverit. *S. Aug. l. 2. ep. q. 70.*

Jucunditas.

XI. Sicut is, qui centum, vel plura templa Deo extruxiſſet, merito gauderet; ita multo magis gaudere debet homo quivis, ſi per modeſtiam ſuam ita alios ædificarit, ut vitam emendeot, & ſpiritualia Deo templa efficiaotur.

XII. Sicut palpebrarum prominentibus pilis, quaſi vallo objecto, puritatem & vehementiam radiorum natura obumbrans, & frangens, temperatum ac dilutum ſplendorem oculis *S. Greg. Nyſſ. l. 1. inſt. c. 29.*

lis

lis infert, quo placidus sol pro eo modo, quem visus poscit, cum umbra, quam palpebræ faciunt, contemperatus existat; ita morum gravitas, atque maturitas cum moderata animi dimissione commixta, non avertit oculos intuentium, sed jucundum efficit obtutum, ut neque gravitatis ac severitatis splendor obscuretur, neque latens in animo vis propter humilitatem despiciatur, sed alterum æqualiter in utroque, tum in celsitudine, ac sublimitate comitas, & humanitas, tum in humilitate vice versa gravitas & severitas animadvertatur.

§. VII. MOTIVA.

Eccl. 41. v. 15. I. NEcessitas: quia a modestia bonum nostrum nomen (cujus summam curam habendam Salomon suadet, utpote quod magis permanebit, quam mille thesauri pretiosi & magni) & fama dependet; neque enim tam notaculo corporis, quam innocentiæ, ac modestiæ signo dignoscimur, teste Minutio Felice.

Matth. 5. v. 15. II. *Utilitas:* quæ quidem triplex est, 1. ad majorem *Dei gloriam* promovendam juxta testimonium Christi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ad *salutem proximi* promovendam; quia ut lux non tantum illustrat alia objecta, sed alia etiam valde calefacit, &, si eisdem propius applicetur, omnino in se convertit; ita eidem quoque modestia facit, teste S. Isi- *L. 2. ep. 1.* doro dicente: Viri summa virtute (modestia præsertim) præditi, etiamsi nullum verbum emittant, silentio tamen quavis voce clariore discipulos suos erudiunt, non ipsorum aures oblectantes, sed animis lumen & splendorem *Rodr. p. 2. tr. 2. c. 2.* afferentes. 3. Ad *salutem propriam* conservandam: cum, teste Rodriquez communis SS. Patrum doctrina sit, in præcipuis progressus nostri spiritualis mediis modestiam esse numerandam, utpote quæ portas exteriorum sensuum (per quas mors facile ascendit, juxta testi- *Jerem. 9. v. 21.* monium S. Jeremiæ) custodit, & per hoc cor (ex quo vita procedit) & conceptam intro devotionem conservat.

1. Cor. 6. v. 20. III. *Æquitas:* cum enim quisque templum Dei sit (juxta illud S. Pauli: an nescitis; quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est) merito eum glorificare, & portare debemus in corpore nostro, & illud *Ad Nier. dost. asc. l. 3. c. 10. doct. 9.* S. Anselmi consilium amplecti: Quomodo non vultis maculari domus vestras, sic nec Deus domum suam, id est, corpus vestrum. Si ergo vobis non parcitis propter vos ipsos, parcite propter Deum, qui fecit vos templum suum; graviter enim peccatis, si templum ejus, quod est in vobis, corrumpitis. Nihil ergo in corpore vestro notari possit, quod ad Dei contumeliam spectet; quod non ejus gloriam commendet.

IV. *Dignitas:* ut enim ex gravitate morum plerumque indolis, stemmatisque excelsitas cognoscitur; ita & ex eadem specialiter veri fi- *Tob. 2. v. 17.* lii Dei dignoscuntur; hinc merito S. Tobias immodestas linguas amicorum coercens dixit: Nolite ita loqui, quoniam filii Sanctorum sumus: &, ut S. Ambrosius ait, modestia est portio Dei, vel indicium, per quod ejus filii esse cognoscimur.

V. *Jucunditas:* quid enim gratius accidere potest homini, quam si ametur ab omnibus? *L. 4. rev. c. 70.* quemadmodum enim Christus (ut B. Virgo S. Birgittæ revelavit) tam pulcher erat (& modestus facie) quod nullus eum videbat, qui non consolabatur in aspectu ejus, etiamsi præcordialiter dolorem haberet. Unde & dolentes dicere consueverunt: Eamus, & filium Mariæ videamus, ut saltem tanto tempore relevemur; ita eumdem quoque effectum merito sperare poterit, qui Christum in dicta modestia imitari studuerit.

§. VIII. MEDIA.

I. DEi & Christi præsentiam jugiter in memoria habere: Si enim S. Bernardini præsentia sufficiens fuit ad sociorum petulantium & mores corrigendos, quanto magis Dei & Christi præsentia animo concepta sufficiet ad omnem morum honestatem inducendam. Hinc recte S. Gregorius Nazianz. dixit: ubi Christus est, modestia quoque est. *S. Greg. Naz. ep. 209.*

II. *B. Virginem ut matrem colere & amare:* ut enim veræ & solicitæ matres nihil impensius curant, quam ut filii eorum mores ad modestiam omnem compositos habeant; ita idem piissima illa Mater tanto accuratiori studio in filiis suis efficere conabitur, quanto ardentiori eosdem amoris affectu amplectitur.

III. *Studium perfectionis augere:* ut enim ipsa experientia teste, quanto alterius quisque in dignitate ascendit, Regique aut Principi fit familiarior: tanto magis necessariam sibi majorem quamdam morum gravitatem atque decentiam esse arbitratur; ita eumdem impulsum tanto fortius sentient perfectionis studiosi, quanto altior digniorque est ille, cui per & propter suam virtutem facti sunt familiariores.

IV. *Consortia leviculorum sociorum, velut in virtute, atque perfectione parvulorum, studiose declinare:* Si enim corrumpunt bonos mores, teste Apostolo, colloquia prava; quanto magis id conversatio prava efficiet? an non cum parvulis istis loquetur, sapiet, agetque ut parvulus? fugiat ergo horum consortia inducens virilem animam, ut evacuet, quæ sunt talium parvulorum. *1. Cor. 15.*

V. *Suæ & communitatis in qua quisque habitat, famæ & æstimationis magnam curam suscipere:* sic enim non modice impelli se sentiet ad singularem modestiæ amorem ac studium, utpote a qua, ut supra dictum, notissimum utraque hæc fama dependet: unde merito hoc unum prope medium vel efficacissimum adhibuit P. Mutius Vitellescus ad studium modestiæ suis subditis filiisque persuadendum. *In ep. 1.*

VI. *Sanctorum vel etiam hominum in terris degentium, & modestia conspicuorum exempla frequenter sibi objicere:* ut enim P. Ludovicus Consalvus fassus est, se nulla oratione aut lectione tantopere ad amorem Dei, &, quod sequitur, etiam modestiam, morumque gravitatem accendi; quam solius Ignatii aspectu s-

ita merito quoque idem sperare poterit, qui aliorum sibi præclaram modestiam ab oculos objecerit: illudque S. Ambrosii dictum de ejusmodi Sanctis sibi applicarit; Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas (& modestia) vitaque Mariæ (aliorumque hominum modestiæ virtute præcellentium) in qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis exempla vivendi, ubi tamquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere, quid tenere debeatis ostendunt.

S. Amb. l. 2. de virg.

VII. *Accuratum examen particulare:* ut enim ad mores adolescentis rite componendos nihil perinde est efficax, ac sedulus morum Magister, qui errores contra modestiam commissos efficaciter ostendat & corrigat; ita cum idem officium examen particulare obeat, merito non dispar ex eo fructus sperandus est.

§. IX. ASCETICA.

I. Tria sunt præcipue, quæ de hac virtute Ascetæ bene discenda, aliisque inculcanda sunt. Primum est, ut convenientem de illa æstimationem concipiat, eumque in finem perpetuo distichon sequens in mente ac memoria habeat:

Multum est doctrina, virtute excellere multum:
Majus opus, mores composuisse suos.

Cum enim ad hoc requiratur, ut in omnibus nostris verbis & actibus nihil reperiatur, quod cujusquam offendat aspectum, quemadmodum S. Augustinus monet, & hanc ipsam morum decentiam atque integritatem perfectio sanctitati (quæ in charitate divina præcipue consistit) superaddat, facile apparet, uti difficillimum & rarissimum opus est vir undequaque perfectus; ita raram quoque morum ad leges modestiæ compositarum conformatione reperiri.

II. Secundum est, ut ad certa quæpiam capita revocet, quæ circa hanc modestiam sunt observanda, qualia quidem quatuor præcipue assignari possunt. 1. *Hilaritas & serenitas frontis & faciei:* quæ quidem moderata sit, & ex conscientia bona velut nativa radice procedat, oportet. Unde duo extrema ipsius studiose cavenda: prius est nimia gravitas aut severitas vultus, quæ per frontis aut nasi corrugationem, tristitiam aut alium motum inordinatum indicet: posterius est risus immodicus & immodestus, quia ridere solutius neutiquam iis permissum est, teste B. Antiocho, qui sunt germani Christiani, omnium minime convenit Monachis, qui se jam crucifixerunt istius mundi vitiis. Hinc & S. Nilus ad excessum risus fugiendum hortatur, quia enervat animam, anima vero enervata, facile a fræno legis exuitur: juxta V. Bedam vero nullum habebit accessum cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus & jocus: imo non tantum animo, sed etiam corpori nocet risus excessus, in hoc enim sanguis recedit a corde, & ex valido risu homines sæpe suffocantur. Hinc breviter & bene S. Bernardus ad Eugenium scribens ait: Fœde ad cachinnos moveris, fœdius moves 2. *Munditiea* vestium, & membrorum, quæ aspectui patent: quam quidem S. Ignatius suis hac regula commendavit: Munditie, quæ & ad valetudinem, & ad ædificationem confert, omnibus curæ sit, tam circa seipsos, quam omnis alia: nam mundities arguit gravitatem morum, teste Isocrate, si tamen, ut Tullius monet, non sit odiosa, nec exquisita nimis, nec muliebris, sed virilis tantum, quæ fugiat agrestem & inhumanam negligentiam: quippe nec affectatas sordes, nec exquisitas delicias Christiano convenire, S. Hieronymus monet. Certe de S. Bernardo scribitur, quod in vestibus ei paupertas semper placuerit, sordes nunquam; nimirum animi fore judices ajebat, aut negligentis, aut foris gloriam affectantis humanam. 3. *Gestus & motus membrorum*, cujus quidem defectus breviter, sed sufficienter indicavit Hugo de S. Victore his verbis: Gestus autem reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus sive impetuosus inconstantiam. 4. *Sermonis attemperatio:* ut, quemadmodum S. Clemens monet, uterque qui differit, vocem metiatur justa proportione, & commoderatione: clatus enim clamor pronuntiationis, res est insanissima: cum proximis autem ita loqui, ut non audiaris, ejus est, qui nullo est sensu præditus, neque enim audient: & hoc quidem est pusilli & abjecti animi indicium, illud vero arrogantiæ. Aliæ circumstantiæ in sermone observandæ, distinctius alibi exponentur, hic in genere sufficit, si regula supra citata S. Ignatii observetur, si loquendum fuerit, meminerint modestiæ & ædificationis, tum in verbis, tum in modo loquendi.

S. Hier. ep. 2. & 3. Vita l. 3. c. 2.

Hugo l. de disc. monach.

S. Clem. l. 2. Paed. c. 7.

III. Tertium est, ut regulas quasdam generales norit, juxta quas se dirigere quisque debeat in moribus rite conformandis, quarum quidem tres potissimum assignari possunt. 1. *Natura:* quam regulam assignat Cicero his verbis: Naturam sequamur, & ab omni, quod abhorret oculorum auriumque approbatione fugiamus, nam, ut recte S. Ambrosius advertit, nihil fucatum placet, motum natura informet. Si quid in natura vitii est, industria emendet; ut ars desit, non desit correctio. 2. *Consuetudo patriæ:* nam, ut suum cuique homini, ita & nationi pulchrum est, quod proin quis cum ratione eligit, qui aliis convivere, suamque societatem gratam efficere desiderat. 3. *Exempla politiorum:* id est, qui urbanitatis decorum studiosius consectantur, & sincerius: hæc enim uti oculis fidelius objiciuntur, ita vim quoque efficaciamque habent majorem ad imitationis desiderium studiumque provocandum. Porro quæ regulæ speciatim circa cultum divinum, congressionum officia, compellandi rationem, cultum corporis, incessum, colloquia, refectionem corporis, & nocturnum decubitum a modestia præscribantur, copiose simul & eleganter enarrantur in aureo libello, qui ab aliis *Astrologus Christianus*, ab aliis *Decorum & Urbanitas morum* fuit inscriptus.

Cic. l. 1. de off.

S. Amb. l. 1. offic. c. 19.

§. XII.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matth. 5. v. 16. I. EX occasione thematis: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*: proponi possunt effectus modestiæ. Et in prima quidem parte breviter explicari potest, quid sit modestia, & quomodo in capitibus supra citatis §. 9. n. 2. observari debeat. In secunda parte ostendi potest, quam convenienter luci comparetur, eo quod ut lux *illuminet* partim ipsum subjectum, cujus famam adauget, & conservat: partim alios, quibus morum recte componendorum exemplar exhibet; ut lux *purificet* ostendendo errores, qui contra morum decentiam committuntur: & tandem ut lux *calefaciat* quatenus exemplo suo efficax desiderium imitationis in aspicientibus accendit. Quæ omnia facile fusius per ea, quæ superius dicta sunt, amplificari possunt.

II. Ex occasione ejusdem thematis possunt motiva ad modestiæ studium impellentia proponi. Et in prima parte iterum breviter ostendi, quomodo morum decentia in oculis, colloquiis, vestitu, & incessu servanda sit. In secunda parte ostendi, & explicari possunt tres causæ, ob quas potissimum modestiæ studere *Eccl. 22. v. 3.* quis debeat, nimirum. 1. *Propter gloriam Dei*: hanc enim causam Christus indicavit, dum dixit: Ut glorificent Patrem vestrum; nam confusio patris est de filio indisciplinato, teste Siracide; ita filius bene moratus est honor & lætitia patris sui. 2. *Propter propriam famam*; ubi prius breviter ostendatur, quanti æstimanda sit fama: deinde probetur ad eam conservandam & augendam potissimum medium esse morum compositionem legitimam, cum facies sit speculum mentis, & taciti oculi mentis fa-*S. Hier. ep. ad Fur.* teantur arcanum, S. Hieron. teste. 3. *Propter ædificationem proximi*: quæ sane melius & facilius procurari non potest, quam per exteriorem decentiam morum: hæc enim uti sola in oculos cadit, ita sola prope est, quæ alios ad imitationem trahit: & hæc ratio specialem vim habet in iis, qui subditos habent; hi enim cum sint veluti Magistri morum, pessime sane officio suo faciunt satis, si, cum summam morum honestatem subditos docere debuissent, pessimos mores non tam verbo, quam quod pejus est, exemplis doceant pessimis. Qua de re fusius videri potest Pædagogus Christian. p. 1. cap. 6.

Eccl. 19. v. 26. III. Ex occasione thematis: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus*: comparari potest modestia speculo. Et 1. quidem ostendi similitudo illius cum speculo, quia ut speculum plumbo debet esse a tergo, & quasi in abscondito terminatum; ita modestia pro fundamento debet habere humilitatem, qua homo non petat ab hominibus videri, aut æstimari, sed soli Deo placere juxta illud Christi: ut glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Deinde vero sicut speculum, ut clare species repræsentet, debet constare vitra perlucido polito, & mundo; ita ad modestiam quoque requiritur *facies clara*; id est, serena & ad hilaritatem composita: *lævigatio*, id est, motuum ad leges modestiæ facta compositio: & *mundities*, quæ non leve interioris bonæ constitutionis præbet indicium. 2. Probari potest, quod in hoc speculo homo quivis ab alio facile cognoscatur, idque per triplex argumentum firmari potest, nempe per authoritatem *S. Scripturæ* in citato supra loco: & Prov. 27. v. 19. *SS. Patrum* maxime S. Hiero-*S. Hier. ep. ad Fur.* nymi dicentis: Speculum mentis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana; & S. Gregorii de Juliano apud Rodriq. p. 2. tr. 2. c. 5. & quotidiana experientia, ex qua nata sunt a-*Jac. 1. v. 24.* xiomata sequenti paragrapho referenda. Excitentur proinde Auditores ad hoc speculum frequenter & fructuose (scilicet cum correctione macularum in eo visarum) inspiciendum, ne alioqui similes fiant homini vultum nativitatis suæ in speculo consideranti, quia consideravit se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit. Vide Rodriq. q. l. c.

1. Cor. 14. v. 40. IV. Ex occasione sententiæ: *Omnia autem honeste & secundum ordinem fiat in vobis*: potest modestia horologio comparari, dicique quod, sicut olim Carolus V. ingressus urbem quampiam horologium inspexit, & ex ejus ordinato cursu bonam constitutionem Reipublicæ collegit; ita idipsum de modestia recte sentiatur. Probetur ergo similitudo ex tribus capitibus ad horologium requisitis: Et 1. quidem dicatur *Indicem* horas signantem esse decorem externas nostras actiones per diem obiri solitas juxta cursum solis, id est, divinæ voluntatis dirigentem. 2. Internas rotulas & instrumenta esse potentias internas & habitus supernaturales virtutum, e quibus actiones externæ produci solent, quæ nisi omnes suum officium peragant, actum est de felici cursu horologii. 3. *Pondera* motum rotularum causantia esse motiva, quæ ad studium modestiæ suscipiendum impellunt. Quæ supra §. 7. videri possunt.

Ps. 18. v. 1. V. Ex occasione thematis: *Cæli enarrant gloriam Dei*: potest homo modestus cælo sereno seu firmamento comparari. Et 1. quidem dici, quod sicut cælum intus quodammodo stellis plenum est; ita homo modestiæ studiosus intus seu in anima omnigena virtute (utpote a qua extrema morum compositio omnem decorem & efficaciam habet) instructus esse debeat. 2. Quod, sicut cælum serenissimam faciem, ut ita loquamur, nobis exhibet; ita & homo modestus externam semper in fronte & facie hilaritatem præ se ferre debeat, quæ interioris sit indicium. 3. Quod, sicut sub cælo sereno homines libenter ambulant & operantur, eodem vero nubibus obducto fugiunt, & intra ædes se continent; ita hominis sereni & modesti societatem omnes ament, fugiant vero si turbulentum & tristitiæ nubibus obductum videant. 4. Quod sicut cælum serenum aspectu suo & pulchritudine omnes ad Conditorem æstimandum & laudandum atque amandum incitat; ita & modestia conspecta homines ad glorificandum Deum impellat, uti ex iis, quæ §. 7. dicta sunt patet.

Cant. 5. v. 9. VI. Ex occasione them.: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* possunt laudes hominis mode-

ſtiæ ſtudentis explicari. Et quidem dici, quod caput illius ſit aurum optimum propter gravitatem in capite movendo ſervatam. 2. Oculi illius ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima, eo quod non niſi ad objecta honeſta & caſta dirigantur. 3. Genæ illius ſicut areolæ aromatum, ob hilaritatem, quam in facie oſtendit. 4. Labia ejus lilia diſtillantia myrrham probatiſſimam, ob accuratam linguæ cuſtodiam. 5. Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, ob decentiam, quæ in iiſdem movendis adhibetur. 6. Crura illius columnæ marmoreæ ob tarditatem, & gravitatem inceſſus 7. Venter ejus eburneus diſtinctus ſaphiris, ob honeſtatem & munditiem veſtitus, quem in corpore ornando obſervat. Ob quæ proinde decora merito quivis homo hominem modeſtum amet, dicatque: Guttur illius ſuaviſſimum, & totus deſiderabilis, & ipſe eſt amicus meus.

Cant. 7. VII. Ex occaſione thematis: *Quam pulchra es & quam decora chariſſima in deliciis*: poſſunt pariter laudes animæ modeſtiam amantis prædicari. Et 1. quidem dici, quod caput illius ſit ut Carmelus, ob rectitudinem. 2. Capilli ſicut greges caprarum, ob ordinatam compoſitionem. 3. Oculi columbarum, & ſicut piſcinæ in Heſebon, ob puritatem objectorum, ad quæ convertuntur. 4. Labia ſicut vita coccinea, ob verecundiam ſermonis 5. Odor oris ſicut odor malorum, ob decentiam in menſa ſervatam. 6. Collum ſicut turris David, & ſicut monilia, ob honeſtatem, quæ in eo ornando & tegendo adhibetur, & ob generoſitatem, qua leviculas mulieres collum denudantes contemnit, & fugit. 7. Dentes ſicut greges ovium, ob temperantiam, quæ in cibo potuve ſumendo, famaque aliorum cuſtodienda obſervatur. 8. Manus & digiti diſtillantes myrrham probatiſſimam, per abſtinentiam ab omni contactu immodeſto & illicito. 9. Pedes & greſſus pulcherrimi in calceamentis, tamquam filiæ Principis, ſummam in gradiendo decentiam, gratamque tarditatem obſervandis. 10. Statura palmæ aſſimilata, ob victoriam difficultatis in obſervandis modeſtiæ præceptis reportatam. Quæ omnia fuſe explicata videri poſſunt apud Juſtinum Michovienſem in diſcurſibus ſuper Litanias Lauretanas diſcurſ. 173. & ſeqq.

Ruth. 3. v. 3. VIII. Ex occaſione thematis: *Filia mea, lavare, ungere, & induere cultioribus veſtimentis*; poteſt ornatus exterior animæ modeſtæ explicari, eumque in finem exemplum Judithæ adhiberi, quæ 1. *lavit ſe*, quo denotatur *munditites*, quam modeſtia ſpecialiter obſervandam præcipit. 2. *Impoſuit mitram ſuper caput ſuum*, qua gravitas in eodem movendo inſinuatur. 3. *Exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ*, qua fuga triſtitiæ exterius oſtenſæ, & ſtudium hilaritatis denotatur. 4. *Induit ſandalia pedibus*, quibus decentia in inceſſu innuitur. 5. *Aſſumpſit dextrariola, & annulos*, quibus ordinatiſſimum manuum motus ſignificatur. 6. *Omnibus ornamentis ornavit ſe, & unxit myrrho optimo*, quo fuga omnis levitatis muliebris, & decor in omnibus actionibus & verbis obſervatus deprædicatur: quibus proinde omnibus efficitur, ut animæ taliter ornatæ, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute procedit, etiam Dominus augeat hanc in illa pulchritudinem, & incomparabili decore omnibus appareat.

§. XI. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. Romæ olim Cenſores conſtituebantur, quorum primarium erat officium ad morum emendationem attendere; erantque inter alios Magiſtratus maximæ reverentiæ & poteſtatis: cumque illorum munus uno dumtaxat anno duraverit, hoc per quinquennium durabat. Cicero de leg.

II. Chriſtus quondam S. Birgittæ dixit: O quam honeſte & morigeroſe oportet eas (animas Deo ſacratas) in conſpectu intuentium eſſe, cum verbis & moribus incedere, cum invitati ad nuptias, intuentes eas ſint Virgo Maria Mater Dei cum toto cæleſti exercitu. Sponſus vero deſiderans eas, eſt verus Deus, Rex Regum & Dominus dominantium, potenſque ſuper omnia creata. Rev. Ex. 17.

III. Lycurgus Spartanorum Legiſlator modeſtiam commendaturus imperavit, ut adoleſcentes maxime manus in via intra pallium continerent, ſilentio incederent, nuſquam circumſpicerent, oculos humi defixos gererent; Drex. p. 2. ref. c. 14. §. 1.

IV. Priſcorum metro dicebatur: corona virtutum omnium modeſtia. Ib. §. 2.

V. Publius Virgilius Poetarum Princeps adeo animo, ore, & calamo verecundus fuit, ut vulgo Parthenius diceretur. Ib. §. 3.

VI. Agnus caſtus, frutex ſic dictus, quia caſtum hominem efficit, merito hominis modeſti ſymbolum dicitur, ut qui omnibus, a quibus videtur, integritatis inſigne confert, ut S. Ambroſius loquitur. Ib. §. 4.

VII. S. Bernardus ad modeſtiam exemplo B. Virginis æmulandam ſic hortatus eſt: Obſecro vos, filioli, æmulamini hanc virtutem. Si Mariam diligitis, ſi contenditis ei placere, æmulamini modeſtiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Chriſtiano. S. Bern. ſup. Sign. magnum.

§. XII. AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur. Froilep.
Qualis domus, talis Dominus.

§. XIII. AUTHORES.

I. Alphonſus Rodriquez p. tr. 2. toto.
II. Jeremias Drexelius in Roſis p. 2. c. 12.
III. Joannes Pelecifus l. 3. de Offic. Relig. c. 16 & a c. 2. uſque ad 39. de ſingulis membris agens.
IV. S. Dorotheus ſerm. 2.
V. Bernardus Roſign. l. 4. de diſcipl. c. 38.
VI. Julius Fabius de mortif. c. 20.
VII. Nicolaus Lancizius opuſc. 2.
VIII. Joannes Buſæus in Panario V. Immodeſtia.

TI-

TITULUS XCVIII.

MORS.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

[Arist. l. de mort. l. de Adol.] I. EST recessus animæ, secundum Aristotelem: aut caloris naturalis dissolutio, juxta eundem. Secundus Philosophus [Ap. Laert.] ab Adriano Imperatore interrogatus, quid esset mors? respondit: æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. Juxta [S. Aug.] S. Aug. est relictio corporis, depositio sarcinæ [S. Ambr. l. de bono mort. c. 3.] gravis. Juxta S. Ambr., est absolutio animæ & corporis, & quædam hominis separatio; solvimur enim hoc nexu, cum recedimus. Unde & David ait: Dirupisti vincula mea, tibi sa[S. Greg. l. 12. mor. c. 5.]crificabo hostiam laudis. A S. Gregorio *Somnus* vocatur juxta illud S. Jobi: Homo, cum dormierit, non resurget. Cujus appellationis rationem hanc S. Doctor reddit, quod vehementer ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Unde S. Paulus discipulos admonet, dicens: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Dicta autem est mors a morsu, [S. Aug. s. 101. de temp.] teste S. Aug., quia videlicet per morsum, quo protoparentes nostri vetitum pomum momorderunt, in orbem introducta est.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *Naturalem*, & *Violentam*: illa est, quæ ab interno principio, videlicet caloris naturalis extinctione, provenit, qui propter defectum humidi radicalis, perinde ut lucerna deficiente oleo extinguitur. Ista est, quæ a principio extrinseco oritur, cum [Cic. l. 1. Tusc.] videlicet, ut Cicero explicat, vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppressione quapiam, sive interna, ut in veneno, ingluvie, & alluvione immodica potus, quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur: sive externa, ut spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore compressio, quale est, cum ignis lapidibus aut multo cinere de repente obruitur.

III. Dividitur 2. In *Bonam* & *Malam*: illa contingit, quando homo in statu gratiæ decedit; ista est, quando in peccato mortali, per [Apoc. 2.] pœnitentiam non deleto, moritur, & a S. Jo. [Ps. 115. v. 15.] mors secunda vocatur. De illa dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum e[Ps. 33. v. 22.]jus; de hac: Mors peccatorum pessima. Un[S. Greg. l. 20. in Ev.]de, teste S. Greg., populum per deserta gradientem columna nubis in die, & columna ignis in nocte præibat, quia cum venerit Filius Hominis in Majestate sua, omnes hunc & electi, & reprobi videbunt, ut & justi de munere retributionis sine fine gaudeant, & injusti in ultione supplicii in perpetuum gemant.

Adjuncta mortis.

IV. Quatuor fere sunt magis præcipua adjuncta, quæ mortem terribilem faciunt. Primum sunt *dolores corporis*: de quibus S. David dixit: Circumdederunt me dolores mortis: [Ps. 17. v. 5.] vere enim, ut loquitur Bessæus, circumdant dolores ægrum ut obsessam urbem vallo morborum, fossa symptomatum, excubiis medicorum, stationibus amicorum, telis medicinarum, sectionum, ultionum: balistis deliquiorum: ruina denique murorum ac evastatione. Unde, ut idem Psalmista ait, ipsi videntes sic [Psal. 47. v. 6.] admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis.

V. Secundum sunt *dolores animæ* ob pecca[Innoc. de contemptu mundi c. 42.]torum conscientiam perturbatæ: qui quidem tanti sunt, Innocentio teste, ut anima plurimum turbata cogatur quasi seipsam odisse. Unde statim subjungitur in Psalmo supra citato: Torrentes iniquitatis conturbaverunt me: nam torrentes cum multo impetu veniunt, & videntur diruere omnia.

VI. Tertium sunt *dolores inferni*: de quibus iterum Psalmista loc. cit. ait: Dolores inferni [Ps. 114. v. 3.] circumdederunt me: seu, ut alibi clarius explicat: Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me, quando scilicet, ut loquitur Innocentius, anima jam incipit triste dijudicare, & sibi pro iniquitatibus singulis debita gehennæ tormenta timet imminere.

VII. Quartum sunt *dolores ex aspectu dæmonum exorti*: qui, sicut feles excubant ad murium antra, præstolantur egressum animæ, ut corripiant prodeuntem. Quod jus videntur accepisse ab exordio mundi, dum iisdem dixit Deus: Tu insidiaberis calcaneo ejus. Ubi Glos[Gen. 3. v. 15.]sa ait: Calcaneum, finem hominis significat, ad illum semper dæmon attendit, semper insidiatur. Unde iterum cit. Ps. 14. ait. Præoccupaverunt me laquei mortis. Quantus autem hic dolor sit, S. Bernardus explicat sequenti[S. Bern. l. 2. de med.]bus verbis: Eam comprehendet tam terribiliter, quam horribiliter volent retinere. Hinc ad Abbatem Bonævallis in hæc verba scripsit: Orate Salvatorem, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate mu[Epist. 120.]nire votis calcaneum nudum meritis, ut is, qui insidiatur, invenire non possit, unde figat dentem, & vulnus infligat. Quæ omnia confirmantur ex visione, quam S. Antonius quondam habuit, dum elevatis ad cælum oculis Gigantem quemdam terribilem vidit, caput ad cælos attollentem, & animas ad cælum volare volentes extensis manibus prohibere conantem, quarum aliquas ad terram allisit, alias autem frustra retinere contendit.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Certitudo quoad substantiam.

I. QUia audisti vocem uxoris tuæ, & co[Gen. 3. v. 17.]medisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes: in sudore vultus tui vesce-

ſceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

2. Reg. 14. v. 14. II. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.

Pſ. 88. v. 49. III. Quis eſt homo, qui vivet, & non videbit mortem? eruet animam ſuam de manu inferi?

Eccl. 25. v. 31. IV. A muliere factum eſt initium peccati, & per illam omoes morimur.

Rom. 5. v. 12. V. Propterea ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; ita & in omnes homines mors pertranſit in quo omnes peccaverunt.

Ib. v. 14. VI. Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen, etiam io eos, qui non peccaverunt.

Sap. 7. v. 6. VII. Unus eſt introitus omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.

Hebr. 9. v. 27. VIII. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium.

Job c. 14. v. 5. IX. Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt; conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

Eccl. c. 8. v. 8. X. Noli de mortuo inimico tuo gaudere, ſciens, quoniam omnes moriemur, & in gaudium nolumus veoire.

Eccl. c. 8. v. 8. XI. Noo eſt io hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec haber poteſtatem in die mortis.

Eccl. c. 41. v. 5. XII. Noli metuere judicium mortis. Memento, quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi: Hoc judicium a Domino omni carni.

1. Theſſ. c. 5. v. 3. XIII. Cum dixeriot, pax, & ſecuritas; tunc repentious eis ſuperveniet interitus.

Incertitudo quoad tempus.

Eccl. 9. v. 12. XIV. Neſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur; ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit.

Eccl. 14. v. 12. XV. Memor eſto, quoniam mors non tardat, & teſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi.

Luc. 12. XVI. Eſtote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

Jac. 4. v. 14. XVII. Ecce nunc, qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in craſtino.

Qualitas.

Eccl. c. 9. v. 5. XVIII. Viventes enim ſciunt, ſe eſſe morituros: mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.

Eccl. c. 11. v. 8. XIX. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis.

Pſ. 48. v. 18. XX. Cum interierit, non ſumet omnia: neque deſcendet cum eo gloria ejus.

Pſ. 103. v. 29. XXI. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.

Eccl. 10. v. 13. XXII. Cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.

Job 17. v. 14. XXIII. Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & ſoror mea, vermibus.

XXIV. O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis: viro quicto, & cujus vitæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. Eccl. 41. v. 1.

XXV. Dies mei ſicut umbra declinaverunt, & ego ſicut fœnum arui. Pſ. 101. v. 12.

XXVI. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra; & nunquam in eodem ſtatu permanet. Job 14. v. 1.

XXVII. Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt & non viderunt bonum. Pertranſierunt quaſi naves poma portantes, ſicut aquila volans ad eſcam. Job 9. v. 25.

XXVIII. Ecce equus pallidus, &: qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, & infernus ſequabatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ. Apoc. 6. v. 8.

XXIX. Eſt, qui locupletatur parce agendo: & neſcit, quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. Eccl. 11. v. 18.

XXX. Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertatur illuc. Job 1. v. 21.

Utilitas.

XXXI. Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit. Eccl. 7. v. 1.

XXXII. Melior eſt dies mortis, quam dies nativitatis. Ib. v. 2.

XXXIII. Quaſi effodientes theſaurum, gaudent vehementer, cum invenerint ſepulchrum. Job. c. 3. v. 22.

XXXIV. Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternam in cælis. 2. Cor. c. 5. v. 1.

Mors deſiderata.

XXXV. Coarctor autem e duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Philip. 1. v. 23.

XXXVI. Quis det, ut veniat petitio mea, &, quod expecto, tribuat mihi Deus? & qui cœpit, ipſe me conterat? Job 6. v. 8.

XXXVII. Scientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. 2. Cor. 5. v. 6.

XXXVIII. Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Pſ. 141. v. 8.

XXXIX. Moriatur anima mea morte Juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia. Balaam. n. 23.

XL. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Pſ. 83. v. 2.

Mors juſtorum.

XLI. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc. 14. v. 13.

XLII.

Sap. 4. v. 7. XLII. Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

Eccl. 1. v. 13. XLIII. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

Luc. 12. v. 37. XLIV. Beati servi, quos, cum venerit Dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

Psal. 115. v. 15. XLV. Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus.

Sap. 4. v. 13. XLVI. Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.

Mors impiorum.

Psal. 33. v. 22. XLVII. Mors peccatorum pessima.

Sap. 3. v. 19. XLVIII. Nationis iniquæ, diræ sunt consummationes.

1. Mach. 2. v. 62. XLIX. A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus & vermis est. Hodie extollitur, & cras non invenitur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit.

Eccl. 41. v. 11. L. Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

Prov. 11. v. 7. LI. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, & expectatio sollicitorum peribit.

Sap. 5. v. 2. LII. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum.

Præparatio ad mortem.

Eccl. 14. v. 17. LIII. Ante obitum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum.

Eccl. 12. v. 1. LIV. Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.

4. Reg. 20. LV. Dispone domui tuæ, quia morieris.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Certitudo quoad substantiam.

S. Aug. ap. Beirl. to. 1. in festo. I. QUid in hac terra certum est, nisi mors? profecisti? quis sis, hodie scis; quid facturus sis crastino, nescis. Speras pecuniam? incertum est, an proveniat. Speras uxorem? incertum est, an acquiras, vel qualem accipias. Speras filios? incertum est, an nascantur. Nati sunt? incertum, an vivant. Vivunt? incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocumque te verteris, incerta omnia, mors certa. Natus es? certum est, quia morieris.

S. Aug. de gratia novi Test. II. Mortis diem omnes affuturum scimus, & tamen omnes, aut pene omnes differre conamur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros, tantam habet vim carnis & animæ dulce consortium.

Hier. ad Heliod. III. Inter eum qui decem vixit annos, & illum qui mille, postquam idem finis vitæ advenerit, & irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantundem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur.

Incertitudo quoad tempus.

S. Greg. in hom. IV. Horam ultimam idcirco Dominus voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut, dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus.

S. Greg. l. 12. c. 9. V. Tanto amplius mors timeri debet, quanto nunquam provideri valet. Cur ergo quasi de certo extollitur, cujus vita sub pœna incertitudinis tenetur?

S. Aug. de disc. Chr. VI. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies; sero parantur remedia, cum mortis imminent pericula.

S. Gregor. l. 12. mor. VII. Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum diemque nostræ mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur; & tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto & incertus est de vocatione, ut, dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire.

S. August. VIII. Nescis qua hora veniet: semper vigila, ut quod nescis quando veniet paratum te inveniat cum venerit, & ad hoc forte nescis, quando veniet, ut semper paratus sis.

S. Bern. in serm. IX. Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur?

Qualitas.

S. Ambr. in Hexam. X. Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte, quia gravius fœtent divitum corpora, distenta luxuria.

S. Ansel. in med. XI. O durus, & durior casus! heu quid perdidit homo, & quid invenit! perdidit beatitunem, ad quam factus est, & invenit mortem, ad quam factus non est. Hodie venimus a patria in exilium, a visione in cæcitatem, a jucunditate immortalitatis ad corruptionem mortis. Misera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum!

S. Gregor. 24. mor. c. 17. XII. Io morte tanto timor fit acrior, quanto retributio vicinior, & quanto vicinius judicium tangitur, vehementius formidatur; inveniet enim homo post pusillum, quod in æternum non poterit vitare?

S. Bern. ap. Ios. in p. 1. c. 7. XIII. Anima mea, quis erit ille pavor, cum dimissis omnibus, quorum tibi præsentia jucunda erat, sola ingredieris, & ignitam penitus regionem, ubi occurrentia catervatim teterrima monstra videbis; quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet.

S. Aug. ap. Beyrl. to. 1. in festo S. Iacob. XIV. Ultimus dies tanti est ponderis, ut illius ratione reliqui dies merito debeant observari.

Evang. Ludolph. Carth ap. Mans. er 10. disc. 1. n. 1. XV. Loculus diminutive est mortui locus, in quo jacet, cui enim viventi magna palatia, & ampla domus non sufficiebant pro loco, ei morienti parvum spatium sufficit pro loculo; Unde mortuo Alexandro dixit quidam Philosophus: Quem totus mundus non capiebat, hodie parva continet arca.

XVI.

S. Anton. Pad. s. in Dom. 23. post Trin. XVI. Adveniente lapide, id est, mortis duritie; percutietor & conteretur, & tunc aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, æs divitiarum, ferrum potentiæ comminuetur, & in nihilum redigetur, & a vento dispergetur: quia caro vermibus, divitiæ parentibus, & anima dæmonibus tradetur.

S. Chrys. s. 4. ep. 3. XVII. Quis non perturbetur & consternetur, cum eum, qui hesterno die, aut pacis ante diebus ambulabat, sexcenta domus negotia gerebat, oxoris, filiorum, mancipiorum, sæpe etiam integrarum civitarum curam suscipiebat, minabatur, terrebat, supplicia partim solvebat, partim inferebat, innumera tum in urbibus, tom in regionibus efficiebat, repente quovis lapide surdiorem jacentem videt? Cumque innumerabiles homines plorent, & amicissimi quique plangant, & uxor dolore distorqueatur, genas lædat, comas vellat, magnoque cum ululatu ancillarum greges circom se collocet, ipsum tamen nihil eorum sentientem; cum etiam omnia repente de medio sublata esse, rationem, ingenium, animas, oris florem & venustatem, membrorum motum, injucunda autem, & inamœna iis successisse, nimirum silentium, stuporem, corruptionem, saniem, vermes, cinerem, pulverem, fœtorem, interitum integrum, corpusqoe totom eo properans, ut in vilia & deformia atque ignobilia ossa desinat.

S. Basil. Orat. 24. de morte. XVIII. Mortalem te, quæso, esse recordare; terra equidem es, io terramque rursum dissolveris. Circumspice eos, qui ante te similibus sese splendoribus efferebant; ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti Rhetores? ubi Duces? ubi Dynastæ? ubi Tyranni? Nonne omnia pulvis? Nonne fabula? Nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur?

S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 7. XIX. Quid fœtidius humano cadavere? quid horribilius homine mortuo, cujus erat in vita gravissimus amplexus, fit in morte horribilis aspectus. Quid ego prosunt divitiæ? Divitiæ noo liberant a verme, honores non liberant a fœtore.

S. Aug. in Ps. 101. XX. Quis resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus; resistitur Regibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius.

Idiot. de cont. mort. XXI. Insuperabilis est potentia, quia non unum solum, sed omnes superat, scilicet fortes & debiles, lætos & tristes, egenos & divites, incolas & advenas, juvenes & senes, viros & mulieres; & ut omnia flumina intrant in mare, id est amaritudinem mortis necessario subintrarent; mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina.

Pellov. p. 2. l. 2. dist. 2. XXII. Dicebat quidam, quod si haberet judicem fidelem eligere, mortem præ cæteris eligeret, eo quod non est personarum acceptio apud eam, nec miseretur pupillo, nec desert seniori, nec dimittit divitem, nec veretur nobilem, nec horret pauperem & ignobilem, nec evitat fortem, nec parcit sapienti, nec condonat insipienti; sed ut dicitur: *Mors sceptra ligonibus æquat: Est commune mori; mors nulli parcit honori; Nobilis & fortis veniunt ad funera mortis.*

XXIII. Quoties herbam fœni, floremque venustum conspexeris, fac tibi in mentem veniat humanæ nostræ oaturæ fragilitas, ac recordare ejus similitudinis, quam Isaias ille magnus proponit, dicens: Omnis caro ut fœnum, & omnis gloria hominis, tamquam flos fœni. Qua saoe similitudine commodissime Propheta complexus est humanæ vitæ brevitatem; & fluxam commodorum ejus lætitiam, atque voluptates: siquidem hodie aliquis est vegeto corpore, deliciis diffluit, præstantem ac gratum ei colorem flos ætatis præbet, animo magno ac forti est præditus, cras vero is ipse miserabili apparet forma, quam vel tempus dedit, vel morbus immutavit. *S. Ephrem orat. de morte.*

Utilitas.

XXIV. Laodare, vel satis considerare mens humana non sufficit altitudinem hojus divioi consilii, quo B. Trinitas homini mortuo morte peccati, quæ mors animæ est, necessariam providit mortem corporis, præparatum habens apud se bonæ artis instrumentum, qoo posset per mortem corporis mors animæ destrui. *Rup. Ab. l. 3. de glo. Trin. c. 8.*

XXVI. Iniquus moriens, qui imitationi sui multos ad culpam traxerat, delectatione peccati; multos a culpa revocat terrore tormenti; quod etiam Psalmista testatur dicens: *Dilabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*; in peccatorum enim morientium sanguine justi lavant manus, quia dum eorum pœoa conspicitur, conspicientis vita mundatur. *S. Isid. l. 3 sent. c. 62*

XXVI. Inclioemus nos ad sepulchra, & conditionis nostræ occulta prospiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium acervos, craniaque carnibus exuta cum reliquis ossibus ceroemus, & hæc considerantes, nos ipsos io illis, velut io speculo quodam contemplabimur. Ubi juventutis flos, & pulchritudo? ubi venustus ille genarum decor? hæc nobiscom cogitantes, catnis desideria fugiamus. *S. Ephrem de vit. sp.*

XXVII. Juxta lapidem, super quo lavaotur corpora, te meditando compone, & diligeoter excogita, quo tractentur usu sepeliendi; nunc enim in tergum, ounc in faciem versantur. Quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jacent tibiæ, quomodo ioduantur, consuantur. Summaque tibi sit Philosophia, meditatio mortis assidua. Haoc ubicumque perrexeris, tecum porta, & in æternum non peccabis. *S. Bern. de formula honest. vit. c. 34.*

XXVIII. Facit mundum contemnere cineris consideratio; nam coocupiscentia oculorum contemnitur, quando quis cogitat, se in terram aeversum; concupisceotia carnis deprimitur, quando quis cogitat, quod in deliciis corpus nutritum erit cibus vermium; superbia vitæ contemnitur, quando quis cogitat, quod illa, qui vult esse super alios, ponetur sub terra, quæ est infimum elementorum. *S. Bonav. dial. sol. tit. 7. c. 3.*

XXIX. Ut contendens intrare in civitatem, quæ floret, priusquam videat, quod secum concipit, videat primum quid sit, ideo ante portam sunt sepulchra, per quæ docemur, in quid definimus tandem. *S. Chrys. de fid. & leg. nat.*

XXX. Mors nihil aliud, quam carceris finis, & laboris consummatio, ad portum appli- *Idiota de cont. mort. c. 9.*

ca-

eatio, peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio & diruptio.

S. Aug. ep. Beyer. in exh. 9. XXXI. Nihil sic revocat a peccato, quam frequens mortis meditatio.

S. Hier. XXXII. Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat.

S. Gregor. XXXIII. Qui considerat, qualis erit in morte, semper erit pavidus in operatione.

S. Hier. ad Heliod. XXXIV. Nihil æque tibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quam cogitatio brevis ævi & hujus incerti: quidquid facis, respice mortem.

Mors justorum.

S. Aug. l. 1. de civ. XXXV. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem.

Idem de doct. Chr. XXXVI. Non potest male mori, qui bene vixerit, & vix bene moritur, qui male vixit.

S. Gregor. sup. Matt. 10. XXXVII. Mors justorum est bonis in adjutorium, malis in testimunium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant.

S. Bern. in ep. XXXVIII. Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem.

Ibid. XXXIX. Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa plane tamquam finis laborum, tamquam victoriæ consummatio, tamquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus.

S. Ambr. 1. de bono mort. XL. Justis mors est quietus portus, nocentibus naufragium putatur. Certe iis, quibus gravis est timor mortis, non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis. Non ergo mors gravis, sed metus mortis. Non habemus, quod a morte metuamus, sed nihil, quod timendum sit, vita commisit.

S. Aug. l. de doct. Christ. XLI. Timor de futura morte mentem necessario concutit, & quasi clavus carnis, omnes motus superbiæ ligno crucis affigit.

S. Chrys. s. sup. Matt. ad. XLII. Piis mors ultra non est mors, sed nomen tantum habet mortis: imo & ipsum nomen sublatum est.

S. Amb. l. 6. c. 4. XLIII. Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio?

S. Bernar. ep. 105. XLIX. Volo te mortem etsi non effugere, certe vel non timere; Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

S. Petr. Dam. s. 3. de S. Vitale Mart. XLV. O quam beate moritur, qui moriendo oritur; quam feliciter temporalem finit vitam, qui vivere perpetualiter incipit. Hinc est, quod S. Ecclesia dies migrationis Sanctorum Natales vocare consuevit, quia promus in cælo nascuntur, cum in terra visibiliter moriuntur, & tunc vere incipiunt vivere, cum mortalem videntur vitam finire.

S. Cypr. de mort al. XLVI. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire; Non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decursu ad æterna transgressus.

XLVII. Meliores dies sunt, quibus ad æternam vitam renascimur, quam illi, quibus in hæc tempora procreamur. Prima nativitate terras ingredimur, secunda cælestibus præparamur. *S. Euseb. Emiss. h. 4. de Pasc.*

XLVIII. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam, etsi adimit, non perimit; adimit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. *S. Bernar. ep. 42.*

XLIX. Quis excogitare queat tuarum utilitates beatitudinum? Nam male mori Christianorum non est. Bene autem mori cum Christo vivere est. *S. Aug. tom. 9. l. 1. de vist. infir. c. 6.*

L. Est vita secura, ubi conscientia pura; ubi mors sine formidine expectatur, cum dulcedine adesse optatur, & cum devotione acceptatur. Intellige, quod venientem mortem nullus lætus & hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam, dum viveret, bonis operibus præparavit. *S. Bonav. Solil. c. 3.*

Mors impiorum mala.

LI. Vere pessima est (mors peccatorum) quia sicut vivere charitati optimum, ita mori charitati pessimum est; & ex hac morte efficitur hoc, quod etsi alia mors, id est, dissolutio eorum videtur bona stultis, quia vident funus eorum ferri cum tanta pompa, tamen sit mala; quia cujus corpus hic collocatur & deportatur in lecto eburneo, ejus anima sepulta est in inferno. *V. Beda in Ps. 33.*

LII. Anima peccatoris multis doloribus & anxietatibus illo tempore subjacebit; quia cum egredietur, occurrent ei opera, quæ fecit, sive bona fuerint, sive mala; Et illa (velit, nolit) aspiciet oculis interioribus suis, & judicabit in se mala, quæ fecit, & tormenta sibi videbit e proximo miserabiliter imminere. *Idiot. cap. 19. de contem. mor.*

LIII. Mors peccatorum mala in amissione mundi, a quo non possunt sine dolore separari: pejor in dissolutione carnis, a qua evelluntur eorum animæ a spiritibus malignis; pessima in tormentis inferni, quando corpus & anima perpetuis simul addicuntur ignibus. *S. Bernar. s. 43. inter parvos.*

LIV. Amara est, & terribilis (mors) Domine abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, carentibus adversitate, & non languentibus infirmitate. *Idiot. l. c. 9.*

LV. Quærentes qui eos redimat, & nemo est, qui liberet; requirentes socios, & nemo adest, qui eos comitetur; requirentes Advocatos & Patronos, & nemo qui audit. *S. Ephrem de obdor. in Christo.*

LVI. Mors peccatorum pessima. Audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis, ignisque duplici contritione. *S. Bernar. ep. 6.*

LVII. Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei. *S. Aug. s. 3. de SS. inn.*

LVIII. Vita erat in Paradiso, ubi lignum vitæ, & vita erat lux hominum; mors igitur mala, quæ accessit, & subintravit. *S. Ambr. in l. de bo. mort. c. 4.*

Mors

Mors desideranda.

S. Climac. stat. Par. gr. 6. LIX. Laudandus quidem ille est, qui mortem tamquam hodie venturam expectat; sed ille sanctus, qui eamdem semper desiderat.

Mors memoranda.

S. Gregor. Naz. in sentent. LX. Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut, cum ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in ultimo corde habeas.

S. Laur. Just. de lig. vit. c. 4. LXI. O bona mortis consideratio, quis, quanta per te acquirantur emolumenta, valet intelligere? quis potest capere, quis propalare? utilis est tui memoratio, ad fugandum vitiorum exercitum, ad fugiendum peccatorum laqueos.

Mors æquo animo acceptanda.

S. Chrys. sup. Matt. c. 10. LXII. Fiat voluntarium, quod futurum est necessarium: offeramus Deo pro munere, quod pro debito tenemur reddere.

Cassiod. sup. beati immac. LXIII. Quis mortem temporalem metuant, cui æterna vita promittitur? quis labores carnis timeat, cum se in perpetua quiete noverit collocandum?

S. Ambr. in Luc. l. 7. LXIV. Mors non est metuenda fortibus: est desideranda sapientibus, & miseris expetenda.

S. Cypr. in l. de mort. LXV. Meminisse debemus, voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Dominus quotidie jussit orare. Quam præposterum est, quamque perversum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando evocat nos & accersit de hoc mundo Deus, non statim voluntatis ejus imperio pareamus?

Ibidem. LXVI. Quid oramus & petimus, ut adveniat regnum cælorum, si captivitas terrena delectat? quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria & vota potiora sunt servire istic diabolo, quam regnare cum Christo.

S. Ambr. in l. de bono mort. c. 2. LXVII. Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majori oneratur sarcina peccatorum? ipse Dominus ait: sufficit diei malitia sua.

S. Cypr. l. c. LXVIII. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur; nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contingeret exire: non est exitus iste, sed transitus, & temporali itinere decurso ad æterna transgressus. Quis non ad meliora festinet? quis non mutari & reformari ad Christi speciem, & ad cælestis gratiæ dignitatem venire citius exoptet?

Ibidem. LXIX. Ejus est in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem sæculum blandiens atque decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porro cum mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit, & non magis sequeris Christum, qui te redemit, & diligit?

S. Chrys. h. ca. 48. simp. LXX. Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat, ubi est mansio: Mercenarius frequenter computat, quando annus completur: Agricola semper tempus messis expectat: Negotiator die ac nocte thecæ suæ discutit rationem: Mulier prægnans semper de decimo mense cogitat: sic & servi Dei libenter de consummatione sæculi requirunt, scriptum est enim: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

LXXI. Christus Rex noster est, & ideo, quod Rex jubet, deserere non possumus, & contemnere. Quot Imperator terræ hujus in peregrinis locis aut honoris specie, aut muneris alicujus causa jubet degere, numquid hinc inconsulto Imperatore discedunt? & quanto amplius est divinis parere, quam humanis? vivere ergo sancto Christus est, & mori lucrum. *S. Ambr. l. de bon. mort.*

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Certitudo quoad substantiam.

I. SI vidisti aliquando hominem mori, cogita, quia tu per eamdem transibis viam. *L. 1. c. 23. §. 1.*

Incertitudo quoad tempus.

II. Si hodie non es paratus, quomodo cras eris? cras est dies incerta, & qui scit, an crastinum habebis? *Ib. §. 1.*

III. Ah stulte, quid cogitas te diu victurum, cum nullum diem habeas hic securum? quam multi decepti sunt, & insperate de corpore extracti? Sic omnium finis mors est, & vita hominum tanquam umbra subito pertransit. *Ib. §. 7.*

Utilitas.

IV. Beatus, qui horam mortis suæ semper ob oculos habet, & ad moriendum quotidie se disponit. *Ib. §. 2.*

V. Eja charissime, de quanto periculo te poteris liberare, de quam magno timore eripere, si modo semper timoratus fueris, & suspectus de morte. *Ib. §. 6.*

VI. Si frequentius de morte tua, quam de longitudine vitæ cogitares, non dubium, quin ferventius te emendares. *L. 1. c. 21. §. 1.*

Præparatio ad mortem.

VII. Melius est, nunc providere, & aliquid boni præmittere, quam super aliorum auxilio sperare. Si non es pro te sollicitus modo, quis erit pro te sollicitus in futuro? Nunc tempus est valde pretiosum, nunc dies salutis. *L. 1. c. 23. §. 5.*

VIII. Stude nunc taliter vivere, ut in hora mortis valeas potius gaudere, quam timere. *Ib. §. 4.*

IX. Quis memorabitur tui post mortem? & quis orabit pro te? Age, age nunc charissime, quidquid agere potes, quia nescis, quando morieris: nescis etiam, quid te post mortem sequetur. *Ib. §. 8.*

§. V.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

PROŒMIUM.

Quod tota hominis felicitas a bona & felici morte pendeat, facile colligitur ex communi effato, quod dici solet: Momentum, unde pendet æternitas. Et iterum: Qualis mors, talis sors. Hinc merito S. Augustinus dixit: Ultimus dies tanti est ponderis, ut illius ratione reliqui dies merito debeant observari. Et hac ipsa de causa etiam Deus, teste S. Gregorio, Conditor noster latere nos voluit finem nostrum, diemque nostræ mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur; & tanto quisque sit ferventior in operatione, quanto & incertus est de vocatione, ut, dum incerti sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. Porro ad hanc præparationem rite instituendam nihil æque conducit, quam exempla pie sancteque morientium ob oculos frequenter obversantia; & si enim plurima ab Ascetis præcepta, & media præscribantur, ad mortem pie, sancteque obeundam, hic tamen, si uspiam alibi, locum habet sapientissimum illud Senecæ effatum: Longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla; quia homines amplius auribus, quam oculis credunt. Hinc, plus viva vox & convictus, quam oratio proderit. In rem præsentem venias oportet. Hanc doctrinam prudentissime observavit suavissimæ, sanctissimæque memoriæ Wilhelmus Dux LIX. Bavariæ, qui postquam sancto receptui cecinisset, & corpus admirabilibus, quæ vel ipsius Lauræ Ascetis sufficere poterant, modis cruciasset, septuagessimum octavum ætatis annum assecutus, de æternitatis itinere sollicitus, quæsivit jam abiturus ex Moderatore conscientiæ, quo se ritu Societatis Jesu Religiosi ad illud iter compararent, eumdemque ut securissimum amplexus nulla re omissa, quæ juvare hinc decedentes potest, Serenissimis Filiis præsentibus, inter nostrorum Patrum vota placidissimo fine vivere desiit. Similem ergo, ut tu eousque, amice Lector, vitæ tuæ exitum sortiri queas, plura tibi, eaque illustria pie sancteque morientium exempla & quidem in diversorum statuum classes redacta velut pulcherrimas Ideas mortis pie obeundæ ante oculos statuo. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Neque absterreri te permittas, quod hæc exempla in variis Authoribus, ex quibus excerpta sunt, reperiantur; nam præterquam quod ejusmodi libros pauci habebant, non modicus adhuc labor adhibendus esset in ejusmodi seligendis & pro præsenti scopo in ordinem redigendis; quo toto labore per præsentium Exemplorum selectum & narrationem sublevaris. Quod si tamen adhuc in tua opinione persistas, lege pro libitu ipsos Authores, & hocce compendium aliis, qui aut occasionem aut voluntatem illos lust andi non habent, relinque.

S. August. apud Beirlinck in Festo S. Jo. Evang. S. Greg. l. 11. mor. Seneca l. 2. ep. 6. Bruner. in Excub.

IDEA I.

ILLUSTRIA CHRISTI, B. Virginis, & S. Joannis, morientium exempla.

I. Dixerat quidem Christus ante mortem suam Discipulis suis: *Scitis, quid fecerim vobis? vos vocatis me Magister, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Verum hæc ipsa ultima verba potiori jure in cruce moriens ad omnes homines dicere poterat, utpote in qua perfectissimum nobis moriendi (sicut & prius vivendi) exemplum & modum reliquit. Quæ enim sanctior, quæ felicior, quæ optatior mors cuipiam obtingere potest, quam ut sanctissimam Dei voluntatem tam in agendo, quam in patiendo ita adimpleamus, ut cum eodem Christo in hora mortis cum veritate dicere possimus: Consummatum est: *In manus tuas, O Pater, commendo spiritum meum.* Quidni ergo hic potiori jure dicamus, quod paulo ante dictum est: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est. Jo. c. 13. v. 13.

II. De B. Virginis sanctissima morte, & gloriosa Assumptione sequentia refert Petrus Ribadeneira ex probatis Authoribus. Cum sanctissimæ vitæ cursum diu sanctissimam tenuisset (Christus enim publico Ecclesiæ suæ bono Matrem singularibus omnino suæ gratiæ præsidiis munitam sospitabat) sui filii doctrinam, sanctissimique Nominis ejus famam, in omnes orbis oras propagatam læta didicisset, ardentissimo videndi Filii desiderio accensa, enixis ab eodem precibus contendit, omni mortalitate corporis exui, cæloque subvehi. Audiit pias Matris preces piissimus Filius, votique mox compotem fore per cælestem Ephebum significavit. Miro Legatum hunc, legationemque gaudio Domina excepit, quam & S. Joanni dilectissimo filio mox exposuit, a quo paulatim ad omnes Christianos, qui Hierosolymis, vicinisque locis degebant, tam novæ & inexpectatæ rei famam dimanavit. Itaque maximus undique factus ad magnæ Matris exequias celebrandas concursus, certatimque itum in montem Sion, illæque ædes, quas suprema cœna sua, mysticoque Eucharistiæ epulo Christus consecrarat, quasque S. Spiritus in Pentecoste coruscantibus super Apostolos linguis igneis illustrarat. Ingens huc a piis collecta cereorum, unguentorum, aromatumque copia, quibus ex solemni gentis ritu, Dominæ justa persolverentur; Funebres etiam næniæ, threnique compositi, quibus funus honestaretur. Id quoque supremum in terris solatium Dominæ a Filio In vita Virg. 15. præfat.

Filio datum, omnes ut Apostoli varias in orbis oras Evangelii disseminandi causa divisi, subito Angelica opera Jerusalem translati, moriturae lectulo sisterentur: Affuere etiam præsentes viri prorsus Apostolici Hierotheus, Timotheus, Dionysius Areopagita, aliique qui Deum popofcerant, & impetrarant, huic ut spectaculo sibi adesse liceret. Porro Domina ut lectissimo tot piorum collegio sese vidit obvallatam, miris perfusa gaudiis, ingentes Filio grates egit pro tanto beneficio sibi collato. Tum placido vultu singulos intuita, & comiter affata dixit, hanc a Filio sibi factam gratiam, ut omnes eos præsentes supremum cernere, & alloqui liceret; jam dudum a cœlitibus sese desideratam, eorum tandem votis non annuisse tantummodo, sed a Filio etiam petiisse, ut aliquando sese corporis hujusce mortalitatis nexibus absolveret: Filium vero liberaliter annuisse, atque id nunc agi. Cubabat humili Domina grabatulo, accensos, ut quique circumstabant, cereos manu præferebant, quos illa ore comi, divinamque quodammodo Majestatem spirante contemplata, proprius adesse jussit ad accipiendam benedictionem. Qua data Filium enixe, submisseque rogavit, vellet eam in cælo ratam, vellet omnes præsentes olim supernis Beatorum cælitum choris adscifcere. Ad hæc omnes perinde ut pii adversus pissimam Matrem Filii, charum adeo funus certatim deflere, effusèque suam orbitatem deplorare. Quibus illa: Valete, inquit, filii longe charissimi, sistite fletus, facessant lacrymæ, cedant suspiria; quin vos potius mecum gaudeatis, mihi congratulamini, quod ad Filium meum, Dominum vestrum vado. Mox ad S. Joannem conversa, geminas vestes duabus adstantibus puellis, quibus familiariter usa fuerat, jussit erogari; cum ecce sibi Jesum Filium multis cœlitum legionibus stipatum, cæloque ad se delabentem conspicata, miris delibuta deliciis in hasce poces erupit: Salve benignissime omnis boni fons; salve lux omnis origo lucis. Quas ego satis dignas tibi gratias reponam, quod acceptam meo de corpore mortalitatem sis induere dignatus? Ecce me, Fili mi, tui securam promissi; Dixerat, cum toto porrecta lectulo, & decenter composita, sublatis in cælum manibus, fixisque in Filium ad cælestia gaudia invitantem, comiter oculis: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*. Et cum dicto simi!is plane dormienti suaviter, nullo dato doloris indicio sub vesperam, ad XVIII. Cal. Septemb. anno post Christum natum septimo & quinquagesimo, post eumdem in cruce damnatum tertio & vigesimo, Domina jam duos & septuaginta annos prope (nam secundum veriorem gravissimorum virorum sententiam dies quatuor & viginti desiderabantur, quamvis alii tribuant ei nonnisi novem & quinquaginta, alii etiam sexaginta annos) nata, placidissimo consopita somno sanctissimam animam ejus in manus edidit, quem ipsa olim in hanc lucem ediderat. Unde merito S. Bernardus ad fiduciam erga ipsam concipiendam sequentibus verbis hortatur: *Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis Mater, & Mater misericordiæ suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Quidni? siquidem nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est: Denique Mater est unigeniti Filii Dei; nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem*; aut dubitare quis possit omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

S. Bern. s. 1. de Assumpt.

III. De S. Joannis Evangelistæ morte (hunc enim, quia solus ex Apostolis siccam mortem obiit, solum quoque hic commemorare placet) sic scribit Idem Ribadneira: Denique cum S. Joannes jam esset omnino vetulus, multis & annis, & laboribus, & meritis cumulatus, ardentissimoque sui magistri videndi desiderio accensus, ipso revelante didicit, se paulo post hinc evocandum; cumque aliquando suos discipulos admonuisset, & congruis tempori præceptis imbuisset, cum iisdem montem, in quo suas ad Deum preces effunderet solitabat, ascendit, jussitque hic fossam cavari, qua suos artus componeret. Itaque signo crucis armatus cum dixisset: *Et tu mecum esto Jesu Christe*; circumstantes vero his verbis affatus esset: *Pax vobis, Fratres*; pallium in fossam primum, dein & semetipsum demisit, mox ingenti splendore circumfusus spiritum suum reddidit Creatori, discipulis ejus omnibus amare plorantibus, quod se tali patre, & pastore cernerent orbatos, solemque occubuisse, qui suis mundum radiis illuminarat. Porro etsi maxima de hoc Sancto Encomia a variis referantur, præcipuum tamen merito censeri debet, quod fuerit discipulus, quem diligebat Jesus, uti ex eo colligitur, quod adoptarit illum in fratrem, & sanctissimam Virginem ei tamquam Matrem donarit, cumque illo tamquam fratre natu minore suas facultates adeo liberali manu comminarit. Nam quidquid in altis Sanctis invenitur divisum, S. Joannes accepit totum. Ipse namque est Angelus, Patriarcha, Propheta, Apostolus, Evangelista, Doctor, Virgo, Martyr. Quam ob rem hortatur merito idem Ribadeneira, ut, quotquot Christiani audimus, gloriosissimo, & beatissimo huic Apostolo devotissimus. Huic optimo potentissimoque patrono nos magna pietate commendemus. Hunc Advocatum nobis adscifcamus, exempla ejus virtutesque imitemur; & vero cum non nesciamus Christianæ summam perfectionis charitate contineri sic, ut Christum diligamus, invicemque a Christo diligamur, ad hanc ille suo nos exemplo, suffragioque vel maxime promovebit. Quamvis autem decumana quodammodo porta, qua nobis ad Christum datur aditus, sit ejus benedicta Mater (quæ, ut ita loquar, mediatrix est totius humani generis, apud suum Filium, sicut & hic apud æternum Patrem) nihilominus ad ipsam Virginem optimus advocatus, & sequester erit S. Joannes, quoniam singulari prærogativa, privilegioque hanc habet tamquam Matrem, & hæc illum tamquam Filium.

IDEA

IDEA II.

ILLUSTRIA EPISCOPORUM
Morientium Exempla.

Ribad. 7. Decembr. I. INter hos primum merito locum sibi vendicant Ecclesiæ Doctores. Et quidem de S. Ambrosii morte hæc habet Ribadeneira: Cum Psalmi quadragesimi tertii explicationem inchoasset, antequam illam finiret, repente lethali correptus ægritudine, prolixaque decubuit, ingemiscente tota civitate, virisque prudentibus male metuentibus Imperio Romano, si subduceretur is, qui suis & meritis & precibus illud sustentabat. Quam ob rem Comes Stilicho, Polemarchus, & intimus Honorii Imperatoris amicus quosdam suos amicos ad virum sanctum misit, qui eum rogarent: ut qoandoquidem facile posset, a Deo suæ dilationem mortis impetraret, ne forte mortuo ipso, mala, quæ timebantur, evenerint. Legati Stilichonis suo fungentes *Possidon. in vit. S. Aug. c. 27.* officio, multisque eum urgentes nihil impetrarunt ab Ambrosio, nisi hoc tantummodo responsum, vel ab ipsomet S. Augustino laudatum: *Non ita inter vos vixi, ut vixisse me pudeat; nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.* Assistebat ex hac ægritudine decumbenti Bassianus Laudensis Episcopus, & cum aliquando invicem preces ad Deum funderent, vidit ille venientem Dominum, qui ad decumbentem invisit, eumdem læto ridenteque ore consolatus. Sabbato sancto cum Sanctus Ambrosius commissis inter se decussatim manibus precaretur, submissa voce sub creperam feri vesperis lucem S. Honoratus Episcopus Vercellensis, qui in suprema domus contignatione morabatur, tertium audilt hac voce se compellari: *Surge, festina, quia modo recessurus est:* ille mox descendit, moriturumque divino viatico refecit, quo, singulari pietate reverentiaque percepto, suum vir sanctus Spiritum suo reddidit Creatori, paulo antequam sol oriretur, ipso mane Paschatis anno Christiano CCCXCVII. prid. Nonas April. natus annos quatuor & sexaginta.

Ribad. 28. August. II. Cum S. Augustinus duorum & septuaginta annorum senio esset fatigatus, & duos ac triginta annos Ecclesiæ fuisset moderatus, affecta fractus ætate, studiisque & gravissimis per omnem vitam negotiis confectus, mire quietis, ac otii cupidus, ut sua revidere posset opera, ac ad excipiendam mortem sese comparare, & animam suam ad veram vitam componere, totoque voluntatis affectu Deo frui, Clericis & populo consentientibos (ut tunc in aliquibus Ecclesiis mox obtinebat) secundum suam mortem, qui succederet, Epicopum designavit Evodium Presbyterum, ut is esset arbiter omnium causarum & negotiorum, pollicitus in his etiam operam suam, si necessitas postulasset, & ita factum est. Secundum hæc cum quatuor adhuc annos fuisset superstes, animum precibus, divinarumque rerum commentationibus recreando, aspirandoque incredibili amoris affectu in Deum: cu- *Medit. c. ult.* jus videndi desiderio sic arsit, ut his ad eum vocibus erupetit: *Eja jam, Domine; eja appare mibi, & consolatus ero. Exbibe præsentiam tuam & consecutus ero desiderium meum. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum, sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitivit anima ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Domini? quando venies consolator meus, quem expectabo? O quando videbo gaudium meum, quod desidero? O si satiabor cum apparuerit gloria mea, quam esurio? O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro? O si potabis me torrente voluptatis tuæ, quem sitio? sint mibi interim Domine, lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mibi: Ecce Deus tuus, donec anima mea: Ecce Sponsus tuus: Pasce interim me singultibus meis, refocilla me doloribus meis.* Hæc sunt verba S. Augustini, de quibus colligere est, quantis affectibus, quamque ardentibus desideriis supernam patriam suspirarit. Interea dum talibus amoris ignibus arderet divino nutu Wandali, barbara atque atrox natio cum Gallis Hispaniam ingressa, hinc in Africam progressa, totamque longe, lateque regionem populata, crudele bellum movit. Hæc barbara colluvies Hipponem quoque arctissima obsidione pressit, eaque Virum sanctum molestissime affecit, quod gregem suum tot malis videret obvallari. Cumque obsidio hæc totum trimestre tenuisset, Vir sanctus Dominum submissis omnino precibus oravit, ut se vel ea miseria liberaret, aut potentiam donaret, aut mortalitate corporis absolveret, ne sui populi calamitatem cogeretur intueri. Atque huic ultimæ petitioni Dominus annuit, acutissimaque eum febri corripuit. Unde statim sensit mortem sibi proxime imminere. Porro quamvis ad hanc excipiendam adeo bene comparatus tantoque morienti desiderio flagraret, ut dictum, nihilominus septem sibi Psalmos Davidicos, quos a pœnitentia nominant, describi, & ad proximum lecto parietem jussit affigi, vetuitque quemquam se convenire, præter Medicos, aliosque obsequio suo necessarios. Atque hæc lex duodecim totos dies est observata. Crebro, magnaque pietate lacrymis irroratus Psalmos legens, Sacramenta suscepit, dicere solitus: *Post perceptum Baptismum etiam laudatos Christianos & Sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere.* Ut horam mortis suæ sensit, suis in Christo filiis, quorum multi copiosis irrigati lacrymis circumstabant, benedictionem impertivit, & ipse animam Deo cum tanto divinæ gloriæ incremento creatam V. Cal. Septembris reddidit, quo die S. Ecclesia agit anniversariam ejus memoriam, cum esset sex & septuaginta annorum, rexissetque Ecclesiam Hipponensem sex annis & triginta, anno Christiano CCXXXIII. teste S. Prospero S. Augustini discipulo, aut, ut vult Cardinalis Baronius CCCXXX.

III. De S. Gregorii Magni morte sic scri- *Ibid. 12. Mart.*
bit Ribadneira: Incredibile memoratu est, quam generoso tam publicas, quam privatas calamitates animo semper exceperit; Nam de seipso scribit in hæc verba: *Ecce jam biennium pene expletur, quo lectulo teneor, tantisque po-*

dagræ

dagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, missarumque solemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possum interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius; sed neque ita lentus, ut recedat; neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus; unde compellor exclamare: Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Et alibi ait: *Rogo, ut pro me peccatore enixius oretis, quia & dolor corporis ex podagricis & amaritudo cordis ex curarum afflictionibus; & immensa vastitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ beatitudinis, hanc me obtinere confido.* Quin & ex aliis litteris satis intelligitur, a Deo sic afflictum, morbisque adeo confectum, ut corpus, quod prius arat succosum, prorsus exaruisse, nec ei quicquam fuisse solatio, nisi solam citæ spem mortis. Eoque sæpius amicos appellat, ut sibi Numen propitient, impetreotque a mortali corpora missionem, dolorum interea tolerantiam, invictamque patientiam, *ne nimio* (ut ipse ait) *quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, & quæ curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure.* Pissimus ergo Deus cum S. Pontificam tot ærumnis defæcasset, precibus ejus damque annuit, & ex ægri corporis mortalitate missionem petenti dedit, ac ad æternæ gloriæ bravium, quod heroicis adeo virtutibus meruerat, percipiendum evocavit. Moderatus est Ecclesiæ annos duodecim, menses sex, dies novem. Obiit 4. Idus Martii, quem diem anniversaria Eccl. celebrat memoria Anno Christiano sexcentesimo quarto.

Ibid. 30. Sept. IV. S. Hieronymos cum gloriose cursum suom consummasset, suarumque virtutum, ac doctrinæ radiis mundum collustrasset, Ecclesiam S. Scripturæ thesauris opulentasset, sligii Draconis caput obtrivisser, tartareas belluas, videlicet hæresas domoisset, omnesque, qui vel his, vel suis cum vitiis oppugnaverant, triumphasset, pios Catholicos viam parfectionis, qua tenderetur in cælum, docuisset, jamque senio affecto, & annis, & laboribus, & studiis, & pœnitentiæ operibus esset confectus, adeo, ut neque se lecto commovera posset, nisi pensilis e lectica funiculi adminiculo attolleretur, febri correptus intellexit, affulsissa diem, quo carcere mortalitatis aduceretur, & ad beatam sublevaretur immortalitatem, quemadmodum ardentissimis omnino votis exoptarat. Incredibile memoratu est, quibus lætitiis animus ejus incesserit, quos tunc jubilos, quos plausus dederit. Et quamvis omnis ajus vita nihil aliud fuerit, quam meditatio, & ad mortem præparatio, nihilominus denuo ad confligendum cum stygio Dracona quem jam toties vicerat, sese præparavir. Inde suos consolatus est Monachos, & personas sibi devotas, quæ morienti præsentes multis lacrymis irriguæ, & certatim confluxerant, ut decedentem spectarent. Cumque omnes hortatus esset ad amorem Dei, mutuamque charitatem spiritum suum reddidit Creatori prid. Cal. Octobr. anno Christiano CCCCXXII. secundum Prosperi Chronicum, sed secundum Cardinalem Baronium anno CCCCXX.

Idem, Eusebio teste, morti vicinus, ad eos, qui deplorabant, sa convertens ait: Me non tamquam morieutem lugaatis, sed mecum tamquam portum salutis attingentem gaudeatis. Quid imbecillius misaria hujus vitæ, qua tot dolorum & passionum agminibus circumdamur? *Ribad. 14. Jun.*

V. S. Basilius inierat amicitiam cum quodam Hebræo Josepho Medicæ artis peritissimo, quod oppido desideraret hunc virum Christo lucrari. Sed oleum operamque perdere visus, quamdiu sanus valensque perstitit. Cætarum cum jam vitæ meta propius adesset, mortemqua sibi sentiret imminere, jussit hominem acciri velut auditurus, quænam sibi spes esset super. Hebræus ut arteriæ tenui motu salienti manus admovit, protinus exclamavit, actum esse de vita ejus, sub vesperam certo decessurum. Tum vero Basilius: *Quid*, ait, *dicturus es, si usque in tempus matutinum supervixero?* Cui madicus: *Id quidem*, inquit, *mi Domine fieri nulla ratione potest, & si id video, polliceor me fore Christianum.* Itaque vir sanctus Deum supplex oravit, ur mortalis sibi tantisper vita prorogaretur, quo scilicet Hebræus animi vita potiretur, & ad Christum converteretur. Campos factus voti sui Basilius, & salutis Hebræo, qui miraculo omnes medicinæ regulas vincente victus ab ipsomet Basilio novis a Deo viribus aucto, publice in Ecclesia, cum omni sua familia baptizatus est. Secundum hæc Basilius lectulum repetiit, mortem porro præstolatus. Interea vulgante fama cum lethalem sui Præsulis ægritudinem didicisset, omnes perinde ut si natura singulorum pater esset, quemadmodum in Christo revera erat, uberibus irrigati lacrymis accurrare solliciti, si qua possent eum vivum retinere: eoque de suis aoois ejus annos augeri desiderabant. Enim vero plus apud Deum potuare Basilii merita & desideria, quibus ille jugiter cælestem patriam suspirabat. Qoam ob rem vir sanctus ad circumfusam piorum concionem conversus, gravissimis omnes verbis hortatus ad fideliter Deo serviendum. Hinc cælites ad se cælo sui in cælos deducendi causa delapsos intuitus, sanctissimam animam efflavit in hæc verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Decessit Calendis Januarii anno a partu Virginis CCCLXXVIII. cum octennium, semestre & dies sexdecim in Episcopatu exegisset. *Baron. t. 4. p. 282.*

VI. De morte S. Athanasii S. Gregorius Nazianzenus in hæc verba scripsit: *In bona senectute vitam claudit, Patribusque suis, Patriarchis, & Apostolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur. Atque ut Epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in discessu afficitur, quam quo in civitatis ingressibus ornatus fuerat. Sic videlicet e vita migrans ut multas* *Ribad. 2. Maji.*

la-

lacrymas excitaret, majoremque in rebus, quæ in aspectum cadunt nominis sui gloriam in omnium animis reconderet. Mox ad sanctum virum conversus: *At tu*, inquit, *charum, sacrumque caput, qui præter cæteras tuas laudes, sermonis & silentii modum eximie coluisti, orationi quidem nostræ finem hic constitue, si virtutum tuarum præstantiam haudquaquam assecutæ, ac nostris certe viribus minime inferiori. Nos autem ipse benignus desuper & placidus aspicias, atque hunc populum gubernes perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patris & Filii & Spiritus Sancti contemplatione intelligitur, & colitur, adoratorem; meque, siquidem respublica pacata futura sit, in vita teneas: sin autem Ecclesia bellis flagratura est, reducas aut assumas, tecumque & cum tui similibus colloces. Hactenus S. Gregorius Nazianzenus.* Porro decessit Athanasius anno Christi 372. sexto Maji, cum totis quadraginta sex annis Ecclesiæ præfuisset, grandibus illustris laboribus, angoribus, ærumnis, præliis, victoriis, trophæis.

Ibid. 27. Januar. VII. Memorabilis quoque est S. Chrysostomi mors in exilio sancte obita; missus enim cum esset ab Imperatrice Eudoxia miles, qui eum a priore exilio, Cucuso, ubi præter morem ab Incolis clementer habebatur, avulsum duceret Arabissum, indeque Pytiuntem extremos Euxini ponti limites. Hoc ultimum iter ultime Chrysostomum affecit, quod miles, a quo non tam ducebatur, quam raptabatur, Imperatorii favoris auceps exulem immensis itineris diuturni laboribus exhaustum porro semper urgeret, nec ulla nocturnæ etiam quietis parte impertitum respirare unquam sineret. Itaque si quod forte commodius hospitium, & a rebus viatori necessariis instructum occurrisset, inholpitalis omnino miles illud declinabat, magnisque ambagibus usus, ad avium, obscurumque aliquod gurgustium divertebat, cujus extincto foco culina algeret, cujus jejuna penus mulceret, cujus Archanæo textu tamquam peripetasinate paries undique squaleret, quod pro pluma terram, pro strato pavimentum fatigatis artubus ministraret. Tot ergo fractum laboribus & ærumnis, ardentissima febris & incredibili dolore tormina exceperant; quæ quamvis eum morti jam proxime admovissent, nullam tamen ægro neque nocturnæ quietis partem crudelitas inhumana concessit. Sed enim quamvis corpus adeo esset afflictum, iis tamen animi deliciis reficiebatur, qoibus Sancti reficiuntur, divinitusque recreantur. Carebat quidem medico, qui salutares herbarum succos temperaret, desolatumque comiter inviseret, sed mortales Æsculapii vires egerunt immortales, cælestesque, ut ita loquar, Phœbi, Petrus & S. Joannes Apostoli. Defecerat eum penus, sed Apostoli detulere cælesti annonam penu, qua refectus nullo corporis alimento deinceps indiguit. Institutum porro prosecutus iter ad S. Basilii Martyris & Episcopi tumulum pervenit, qui, cum spectabili forma sese Chrysostomo obtulisset: Macte animi, inquit, frater Joannes, crastina nos lux loco sociabit. Idem S. Episcopus & Martyr pridie apparuerat Ecclesiæ suæ æditio, his eum verbis allocutus: Vide, si locum fratri meo Joanni, qui paulo post affuturus est, præpares: Hisce prognosticis sese super optato vitæ mortalis fine consolatus Chrysostomus rogavit milites, vellent exiguam eo loco morulam sibi concedere, sed enim: *Nulla fides, pietásque viris, qui castra sequuntur.* Minus nihilo supplex exulis moribundi pietas apud impietatem valuit. Itaque institutum quantocius iter mutare coactus, ad eundem tamen locum vel invitis, ac frementibus militibus divinitus est relatus. Ubi perceptis Ecclesiæ Sacramentis, quidquid alimenti, vestimentive inhospita militum barbaries ei reliquum fecerat, id omne cum tenui ærario liberaliter in pauperes partitus, amicosque, quos individuos viæ comites habuit, consolatus, mortalitate deposita ad beatam migravit immortalitatem XVIII. Kalend. Octobr. qui dies S. Chrysostomo festus agebatur olim, sed nunc idem S. Crucis exaltationi sacer est, non sine singulari Numinis providentia, ut tunc tantus divinæ præco Crucis ad triumphos S. Crucis in cælo celebrandos evocaretur, qui fidissimus crucifixi Christi pedissequus suam quoque Crucem fortiter adeo, patienterque bajularet. Decessit Chrysostomus anno Christiano CCCCVII. imperantibus senioris Theodosii filiis Arcadio & Honorio, illo Constantinopoli, hic Romæ.

VIII. De S. Gregorio Nazianzeno sic scribit Ribadneira. Hic vir sanctus, quamvis divinæ semper esset paratus voluntati, continuusque suarum domitor affectionum, & omnis omnino perfectionis studiosus, tamen circa supremam suæ vitæ periodum ferventius in id studii genus incubuit, prudenter æmulatus lapidem, qui sublimi loco demissus, quo vicinior incipit esse centro suo, tanto concitatior est in motu suo. Atque hoc satis æstimare licet ex eo, quod ipse de semetipso scribit, cum se verbosiorem putaret (quamvis omnia ejus verba non nisi sanctitatem, proximique utilitatem, vel humanam necessitatem spirarent) nihilominus quo suæ cupiditati modum poneret, totos quadraginta dies pertinax adeo silentium tenuit, ut pisce taciturnior esse videretur. Postea autem fecit (ut monet Sapiens) ostia ori suo sic, ut hæc vel in Dei laudem deduceret, vel suo tempore obduceret. Denique cum jam gloriosus hicce Doctor sua tum vita, tum doctrina Ecclesiam mirifice illustrasset, annorum juxta, meritorumque plenus, nonagenarius ad Cælites subvolavit æterna perceptum præmia, tot ejus laboribus & sudoribus condigna; illius nempe porrigenda manu Domini, cui sollicite adeo, pie constanterque fuerat famulatus. Decessit VII. Non. Maji, Anno Christiano CCCLXXXIX. undecimo scilicet Imperii Theodosii. Ingemuit ejus occasu tota Catholica Resp. quamvis revera non occubuerit, sed mortem Libitinamque effugerit, ac etiamnum suis vivat in operibus, quæ posteritati reliquit, adeo consummata, suisque numeris omnibus absoluta, ut innumeris ea præconiis efferant posterioris ævi Doctores. S. Basilius Gregorio amicissimus, cum vas electionis vocitat, altumque *Ib. 9. Maj.*

que ſapientiæ puteum, & os Chriſti. Caſſiodorus autem ait, eum fuiſſe clariſſimam ſcientiæ doctrinæque facem, qui, quamvis in morte ſit viſus calligare, tamen hodieque vivit auctoritate ſua, vivit fide ſua: & quamvis multos jam annos ab Eccleſia ſit ſecundum corpus abſens, præſens tamen adeſt voce ſua, ſuiſque nos monitis atque præceptis, tamquam Magiſter regit, eruditque.

Ib. 8 Jan. IX. S. Laurentius Juſtinianus, cum jam primum & ſeptuageſimum ageret ætatis annum, laboribus exhauſtus, & meritorum plenus, arſit moriendi deſiderio, ſic tamen ut divinæ voluntatis arbitrio ſtaret, a qua fuit ancipiti morbo tentatus. Neque tamen interim perſuaderi potuit, ut ſanitatis recuperandæ cauſa, ſeſe ſineret ex aſpero ſtrato transferri ad minus aſperum durumque, quin imo ſe nimis indulgenter haberi queſtus ait: *En quanta ob hujus ſacci vilis ſanitatem parantur, quanta perduntur, cum interea pauperes Chriſti, non panem, non ſtratum, non ignem habeant, unde caleſiant.* Intellexit vir Sanctus imminere ſibi mortem, quam licet (ut erat revera modeſtus & humilis) ſubinde timere videretur, nec ſecuritatem ſibi polliceretur, continere tamen gaudium nequibat, quoties ejus meminiſſet. Atque ita nos docuit hujuſmodi vitæ actu timendum eſſe cum confidentia, confidendumque cum timore. Hinc ſuorum manibus in templum delatus, ut Euchariſtiæ viatico inſtructus fortius morti, ſtygiique colluctaretur. Mox divino viatico refectus, ſupremumque unctus, ſuaviſſime Chriſto colloquens: *Suſcipe, inquit, me, bone Jeſu, vita & ſalus animæ meæ; Neque enim in juſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Illa ego ovis amiſſa ad te Paſtorem redeo, peto Domine, ut ad ovile mi reducas, ſed neque felicem ſpirituum tuorum ſedes affectare auſim. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ poſtulat micas ſuaviſſimæ menſæ tuæ.* Poſtea ad circumſtantes converſus ait: *Vos interea, Fratres, ſervate Domini præcepta. Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni, contemplamini me. Ecce aruit fœnum, & flos decidit, horam hanc quis poterit evadere? ſed mihi credite, filii, nihil præſtantius, quam ſervire Domino.* Inde reipublicæ gubernatoribus commendavit juſtitiam, & erga pauperes miſericordiam, ſacerdotibus honorem Dei, cultum Eccleſiæ, & charitatem, rogavitque eoſdem, ut ſuis in precibus meminiſſent. Cæteris ea commendavit, quæ magis iis convenire videbantur, & univerſim cunctos admonuit, ut in primis Deum timerent, ejuſque obedire mandatis niterentur. Porro ſuis in Chriſto filiis, præſentibus & abſentibus impertitus benedictionem, ut ſuum corpus ſine pompa, ſumptuque in monaſterio S. Georgii in Alga humarent, imperavit. Denique in ſuorum Cœnobitarum brachiis ſuum Domino ſpiritum reddidit, quem ille pro tanta ſua gloria crearat.

Sur. 8 Jan. Idem S. Vir, Surio referente, in agone circumſtantibus dixit: Abite hinc cum veſtris lacrymis, tempus lætitiæ eſt, non lacrymarum. Pudeat vos mortem timere, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in cujus conſpectu decumbo, propter nos in cruce mori voluerit. Hunc diem ſemper ob oculos habui, tu ſcis, mi Domine Jeſu.

X. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, dum e captivitate redux, ſolitis ſe deinceps pietatis exercitiis, & Eccleſiæ ſuæ gubernandæ totum impendit, lethali correptus ægritudine, & a geminis Epiſcopis Simmacho ac Benedicto viſitatus, oppido eorum officio, congreſſuque recreatus eſt. Hinc in cubili ſuo aram juſſit erigi, ad quam collectis utcumque virium reliquiis magno pietatis affectu Miſſam fecit, duobus illis, quos memoravimus, Epiſcopis aſſiſtentibus. Abſoluto Sacrificio lectulum repetiit, percontatus. Ubinam ſunt Fratres mei? quidam famulorum ratus, eum requirere Epiſcopos, qui præſentes adſtabant, reſpondit: Ecce illos, Pater. Cui vir ſanctus: Non ego hoſce fratres requiro, inquit, ſed Januarium & Martinum, qui mihi præſentes affuere, mecumque collocuti, ſe redituros dixere. Fuit Sanctus Januarius Epiſcopus & Martyr, & Patronus Neapolitanæ Civitatis, ubi hodieque caput ejus religioſe ſervatur cum ſanguine, qui capiti appoſitus, quamvis antea concretus fuerit, ſolvitur, & ebullit uſitato perpetuoque miraculo. Sanctus Martinus autem fuit Epiſcopus Turonenſis toto terrarum orbe miraculis, ac fama ſanctitatis inclytus, cui Sanct. Paulinus notus fuerat, utpote cujus precibus adjutus unius receperit oculi incolumitatem, ſimul eum lampadis (quæ ſecundum ejus obitum ad tumulum ejus pependit) oleo, tamquam collyrio inunxit. Hi duo Sancti cælo delapſi ad moribundum inviſere Paulinum, qui cycnæum in morem, ſui quodammodo funeris cantator, mox cum Regio Vate canere occœpit: *Levavi oculos meos in montes.* Adſtitit, morienti præſens quidam Sacerdos Poſthumius admodum afflictus, quod quadraginta denariorum (quos ipſe jubente Paulino mutuos aliunde ſumpſerat, & in pauperes erogarat) æs alienum conflaſſet, eoque nondum diſſoluto Virum ſanctum mori cerneret, neque qui creditoribus faceret ſatis, modum reperiret. Paulinus hunc ita mœſtum forte conſpicatus, cum ei comiter arriſiſſet: *Securus, inquit, eſto fili, crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum ſolvat.* Vix ea fatus erat, cum ecce ibi bajulus adeſt, qui quinquaginta ei denariorum eleemoſynam deſert; e quibus duobus bajulo reddi vice mercedis, reliquis facta diſſolvi, & creditoribus ſatisfieri præcepit cum dicto: *Gratias tibi ago, Domine, qui non derelinquis ſperantes in te.* Interea diurnæ luci ſucceſſit acerba Viro ſancto nox, utpote quam diris omnino doloribus conflictatus exegerit. Simul autem prima creperæ auroræ lux erupit, matutinas Deo preces religioſe perſolvit, ſuos inde Clericos ad exhibendam Deo promptam, accuratamque ſervitutem, præſtandumque ſibimet ipſis mutuum caſtiſſimi amoris affectum, & ad ſervandam inter ſeſe concordiam ac pacem diligenter exhortatus eſt. Secundum hæc tacitus *Ribad. 31. Jan.*

tus

tus usque ad vesperam perdoravit. Hinc cum nox ingruisset, & lucernarum usus appetiisset, suavi submissaque voce in hæc Regii Vatis verba erupit: *Paravi lucernam Christo meo.* Porro cum divinarum rerum commentationibus usque ad quartam noctis horam vacasset, multis mortalibus stratum ejus circumstantibus repente cellula ejus ingenti terræ motu quati cœpit; Ingens ergo cum præsentes omnes facerque horror invasisset, in genua provoluti suis Deom supplicationibus propitiare studuerunt. Cæterum vir sanctus cum hoc terræ motu, sacroque fragore (qui tantummodo ejus in cellula exauditus est) corporis nexibus absolutus, ad cælites evolavit: Relictus est a morte vultus ejus omnino venustissimus, & nivis instar candidissimus; Unde facile esset æstimare, ad quantam subvecta esset gloriam illa anima, quæ tam casto, arctoque nexu fuisset illi corpori devincta. Ingemuit hujus tanti Præsulis occasu tellus, sicut contra valde gavisus Cælitum chorus. Mœrebat amisso Pastore civitas Nolana; contra jubilabat novo aucta inquilino civitas superna. Illa plangebat orbata Episcopo; hæc plaudebat ornata socio; madebat illa lacrymis, incedebat hæc lætitiis; illa tristabatur amisso cive, hæc lætabatur recepto municipe; hinc audiebantur lugubria epicedia, illinc lætissima epicinia; hinc tristia lamenta, illinc festa carmina; hinc omnia funebribus plena næniis, illinc natalitiis plena canticis; hinc ei funereum parabatur epitaphium, illinc ei gloriosum immortalis victoriæ erigebatur trophæum. Decessit Sanctus Paulinus anno Christiano CCCCXXXI. Theodosio juniore, & Valentiniano Imperatoribus X. Kalend. Julii, quo die celebrat Ecclesia anniversarium ejus, festamque memoriam.

Ib. 4. Apr. XI. Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispalensis Ecclesiam sibi demandatam quadraginta circiter annos sanctissime rexit, jamque sanctitate & meritis clarus, non ignarus se proprius meta mortis adesse (quamvis omnis ejus vita perpetua quædam fuerit meditatio, & ad mortem præparatio) tamen eidem sibi delegit semestre præparationi. Itaque ferventius in preces, aliasque corporis afflictiones incubuit. Hinc gravissimo implicitus morbo, evocatis ad se Joanne, Eparcio, & Episcopis sibi amicissimis, discipulorum humeris in Sancti Vincentii templum delatus, cinere & cilicio opertus, reverenti submissionis ac pietatis affectu, gestuque, publica peccatorum confessione expiatus, atque, sacræ mensæ epulo, ex more Christiano manibus Episcoporum refectus est. Mox veniam eorum, si quæ forte perperam commisisset, tum ab universo populo intermorientibus vocibus, tum a divino Numine ardentissima oratione, & humillimo totius corporis habitu precatus, mutuum eis amorem commendavit. Quin & sub ipsam mortem vaticinatus est gentis, fore, si ab iis, quæ tradiderat divinis præceptis, doctrinaque recederent, ut omnibus malis implicati scelerum pœnas exolverent, de rerum culmine deturbati, atque gravissimis ærumnis oppressi. Quod si his malis castigati ad sanitatem tandem revocarent animos, majori quam antea gloria parta cæteris nationibus superiores fore. In utraque re non inanem fuisse vatem superioris temporis memoria, & nostræ ætatis amplitudo ostendunt, cum Imperium Hispanicum olim a Mauris oppressum, nunc ab exiguis ioitiis profectum, atque a veteri calamitate reflorescens in eam creverit amplitudinem, quæ ipsius orbis ferme finibus terminatur. Denique cuncta pauperibus elargitus ioops æris, opulentus meritis, sanctissimam animam in Dei manus edidit, pridie Nonas Aprilis, anno Christiano DCXXXVI. Imperatore Heraclio. Corpus ejus Hispali conditum, cujus urbis, ut Mauri potiti sunt, Ferdinandus primus Castellæ Rex, multa prece, pretioque a Bonabetta Mauro, Hispalensi Rege redemit; indeque asportatum Legioonensem in urbem transtulit, & in magnificam omnino Basilicam reposuit, ubi hodieque aurea clausum arca religiose asservatur.

XII. Sanctus Ubaldus Perusinus Episcopus simul ad caoam pervenit ætatem, multis jam laboribus, jejuniis, & voluntariis corporis afflictionibus fatigatus, cruciabili morbo dejectus, atrocissimos omnino dolores sensit. Minutissimis namque ulceribus, e quibus fœda, continuaque sanies promanabat, toto corpore ejus pullulantibus ultime sanctus senecio fuit affectus. Hosce tamen dolores non modo patienter, sed & hilariter, continuis Numen hymnis, canticisque veneratus a verno jejunio usque ad Domini anastasin pertulit. Quo die rogatus a civibus, ut Missarum solemnia celebraret, cum negaret id a se posse præstari, denique a civitatis Rectore magis sollicitus assensit. Protinus ergo nullo prorsus humano adjutus auxilio, se se strato corripuit, Missam solemnster fecit, & secundum hanc, ad frequentissimam populi concionem, testamenti vice, ultimum peroravit. Hoc defunctus officio ad lectum reversus, febriumque rigore acriter concussus, altera Pentecostes die orans & psallens ad Dominum migravit. Cujus corpus hodieque non modo integrom, iocorruptumque durat, sed & miraculis claret, & ad exigendos Energumenorum corporibus cacodæmooes valet. Ibid. 16. Maji.

XIII. Sanctus Martinus Turonensis Episcopus sextum jam & octogesimum affectæ ætatis annum agebat, cum vitæ mortalis pertæsus, & immortalis, beatæque cupidus, divinitus intellexit, se vitæ meta propius adesse, quod ipsum clare suis etiam discipulis edixit. Neque tamen etiam ideo quidquam de cora boni Pastoris remisit, sed suo gregi diligenter attendit. Nam cum sub id tempus orta fuisset inter Condatenses Clericos lis, eodem concedere, discordesque sua præsentia pacare decrevit, ratus se non posse felicius vitam consummare, quam si relinqueret omnes suas Ecclesias omnino pacaras atque concordes. Ad hos Clericos ergo profectus, cum litem composuisset, & omnia ex animi seotentia expedisset, jamque suum mo- Ibid. 11. Nov.

nasterium repeteret, sensit se viribus deficere, coactisque ad se discipulis, dixit, luteam suam domum satiscere ruinamque minari, sibique e corpore migrandum. Tum vero cuncti sublatis io cælum vocibus ubere lacrymarum copia madidi dixere: *Cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim geegem tuum lupi eapaces & quis eos a morsibus percusso Pastore prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum; sed salva tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur. Nostei potius miserere, quos deseris.* Hisce flebilibus adeo, piisque suorum discipulorum vocibus motus vir sanctus non potuit non flere cum flentibus. Itaque oculis in cælum sublatis cum singulari dixit affectu: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Quibus verbis ostendit se se dubium, incertumque, utrum potius eligeret, an amore Christi terram relinqueret, an ejusdem causa diutius in terra remaneret. Itaque pulchrum nobis præbuit exemplum, quo totos nos divinæ voluntati resignemus, ut de nobis quodeumque ei libuerit, decernat. Atque hane resignationem S. Bernardus in hæc verba commendat: *Obtulisti plane Isaac unicum illum, quem diligis, quod in te est jugulasti, immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paeatus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo sustinere laborem, subire tribulationem, prolongare tentationem, dein differre adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate Beatorum Spirituum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari, postremo quod maximum est, a Christo suo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset.* Ardentissima febri torrebatur, neque tamen ab ardore precum suarum quidquam remittebat, stratusque humi, cilicio, cinerique, molli nempe lectulo incubabat, & vigore spiritus corporis infirmitatem fulciebat, dictitans, ita moriendum Christiano, militique, suis ut armis sit instructus. Cumque supinis oculis in cælum defixis jaceret, rogatus est, ut corpusculum lateris mutatione relevaret. At vir sanctus, *finite*, inquit, *finite me fratres cælum potius respicere, quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Sic effatus diabolum sibi vidit assistentem, qeem magnanimiter, & fortiter his affatus est: *Quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies, Abrahæ me sinus recipiet.* Ita dixit, vixitque. Sed quis nostrum securitatem sibi spondeat, si stygia hæc bellua etiam S. Martinum moriturum fuit ausa tentare? Quem nostrum morientem non assiliet ille, qui ne quidem ei pepercit, a quo toties, tamquam gloriose fuit triumphatus? Remansit ejus sacrum corpus omnino venustum, facie clara ac splendida, membris illis mortificatis, consumptis, aridisque adeo candidis, recentibus & mollibus, ut jam tunc induisse immortalitatem viderentur. Sub idem tempus in aere sunt auditæ cælitum voces, non tantummodo in conclavi, in quo S. Martinus decesserat, sed usque Coloniam Agrippinam cælestis sese musica diffudit. Atque hanc Severinus Episcopus ejusque Archidiaconus suis auribus auscultavit. Et idem S. Severinus divinitus intellexit, eam musicam totum tenuisse tempus, quo cacodæmones æternæ justitiæ administri S. Martinum morari, & examinare tentarunt.

XIV. S. Fulgentius Ruspensis Episcopus cum sanctis officii sui exercitiis assiduo vacaret, vitaque ejus omnis assiduissimam quasi meditationem mortis præseferret, sentiretque ipse, se vitæ meta propius adesse, voluit quodam modo obviam prodire morti. Quam ob rem cum nonnullis Monachis suis in Insulæ cujusdam vicinæ nemus, uno anno prius concessit, ut rigidioris pœnitentiæ operibus intenderet: sed suorum filiorum lacryois & preeibus expugnatus domum repetiit, ubi lethali correptus ægritudine, quadraginta dies ita decubuit, ut gravissimis omnino doloribus extorqueretur, & subinde sublatis oculis in cælum, vocibus hisce Dominum alloqueretur: *Domine, da mihi modo hic patientiam, postea indulgentiam.* Deoique ut adesse supremam sibi sensit horam, coactos ad se Clericos, & Monachos veniam supplex oravit, si forte re quapiam eos offendisset, Deum precatus, ut ipsis de bono Pastore provideret. Cumque hucusque fidelem plane reddituum Ecelesiasticorum dispensatorem egisset, sponte singulorum miserorum, pupillorum, peregrinorum, viduarum, aliorumque pauperum tam Ecclesiasticorum, quam secularium in civitate sua degentium numina recordatus, jussit suas facultates omnes in eos erogari. Inde suaviter Deo collocutus, & benedictione singulos impertitus, sui semper compos pacate, pieque animam suo reddidit Creatori Kal. Jan. Anno Christiano DXXIX. Episcopatus sui XXV. cum jam esset sexagenarius. Quo tempore quamvis ea provincia multas passa sit bellorum clades, utpote & incendiis vastata, Maurorum incursionibus, ac populationibus exhausta, postea tamen omnis illa Ruspensis Diœcesis suffragantibus S. Episcopi sui meritis multa pace floruit. *Ib. p. 2. 1. Jan.*

XV. S. Amdreas Corsinus Fesulensis Episcopus, cum jam septuagesimum uonumque ageret annum, sacratissimaque nati Christi nocte, divina Missarum solemnia celebrarer, denuo ei B. Virgo apparuit, & eum VIII. Idus Jan. decessurum significavit. Incredibile memoratu est, quantum hoc nuncio vir sanctus gaudii cœperit, qui quamvis jam satis esset morti paratus, magis tamen se præparavit. Postea cum res Episcopatus sui disposuisset VIII. Id. Jan. ipsis sacris Epiphaniæ solemniis Anno Christiano MCCCLXIII. suo reddidit spiritum Creatori. Visus est in ejus morte splendor ingens, qui lectulum ejus circumdedit, & corpus ejus suavissimam odoris fragrantiam expiravit. Nec defuerunt aliquæ visiones, & revelationes de gloria illius, ac beatitudine, sed & multis eum Dominus miraculis illustravii. *Ib. 6. Jan.*

XVI. S. Joannes Eleemosynarius Alexandrinus Patriareha omnigenis virtutibus copiosissime instructus, ad eas acquirendas oppido est adjutus mortis memoria, mane ratus, ad vesperam se non perventurum, sub vesperam *Ibid. 24. Jan.*

ram vero se posteram lucem non visurum. Atque ut hanc mortis memoriam omnino vivam, recentemque conservaret, jussit construi sibi sepulchrum, sic tamen ut imperfectum relinqueretur, atque hujus præfecti quotidie ad eum veotitarent, qui palam hæc ei dicerent: *Monumentum tuum est adhuc imperfectum, Domine; jube ergo, ut id finem accipiat. Incertum est enim, qua hora fur ingrediatur, nempe mors.* Erat igitur vita Joannis quasi continua mortis memoria, ad quam Dominus eum permovit, quo panderet veræ vitæ viam. Neque ille turbatus, sed lætatus, non nescius finito jam prælio proximam esse coronam, perennemque quietem. Porro mors ejus sic habet. Quo tempore Heraclius Imperator dimicaturus erat adversus Cosrohen Persarum Regem, qui vastarat Jerusalem, ablataque Domioica cruce, multis victoriis insolescebat, Nicetas Imperatori familiaris, Joanni venit Alexandriam multis eumdem rogatum, quo secum pergere Constantinopolim dignaretur, impertitum benedictione Imperatorem prius, quam progrederetur in aciem (tanta fuit Principum pietas & reverentia, qua Joannem prosequebantur) solvit Alexandria Constantinopolim cum Niceta, qui navigio fluctuante, per cæleste quoddam visum, noctu vidit Patriarcham cum pauperibus, aliquando quidem per totam navem circumeurfantem, quandoque vero manus extendentem, atque e cælis auxilia flagitantem. Rhodum appulsus S. Patriarcha, non in somnis, sed omnino vigil, virum splendidum, præferentem manu sceptrum, dicentemque audivit hæc: *Vocat te Rex Regum.* Intellexit vir sanctus a Domino, ad alteram vitam se evocari. Quam ob rem a Niceta se subito expediit, & in Cyprum profectus, Amathuntem, in patriam pervenit, ubi condidit in hæc verba testamentum: *Ago tibi gratias Deus meus, quod me dignum censueris, qui tua tibi offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud mihi reliquum sit, nisi tertia pars nummi, quam ipsam quoque jubeo dari pauperibus, qui mihi sunt Fratres in Christo. Quando enim Dei promissione creatus sui Episcopus Alexandriæ, inveni in Episcopatu meo circiter octo millia librarum auri, ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures; has pecunias, quas cum cognoscerem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam.* Decessit S. Patriarcha Anno Christiano DCXX. (teste Cardinale Baronio) Imperatore Heraclio, & Summo Pontifice Bonifacio nominis hujus V. Sepultus est ad S. Tychoois in duorum tumulo Episcoporum, quorum corpora haud aliter ac si viverent adhuc, invicem secessere, mediumque S. Joannis corpus recepere. Anima visa fuit cælum conscendere admirabili circumfusa gloria, cum innumera pupillorum, viduarum, & pauperum corona præcedente, & manibus ramos præferente, sacræ ejus reliquiæ suavissimum sudavere liquorem, morbis curandis opportunum.

Ib. 28 Jan. XVII. Sanctus Julianus Cochensis Episcopus, cum cælesti vita, doctrina, & miraculorum gloria floreret, jamque ageret LXXX. ætatis annum, visum Deo fuit eum gravi exercere ægritudine, qua se consummandum, atque ad cælestem patriam evocandum cognovit. Ergo Pontificalibus indutus & pallio, SS. Sacramenta suscepit; inde sibi cilicium asperrimum stravit, seque in terram abjecit, cinere aspersit, suo capiti lapidem supposuit, ut Servatorem nostrum quadantenus imitaretur. Cumque eum agon mortis exerceret, advenientem vidit Virginem pulcherrimam, candidissimis opertam vestibus, instar solis radiantem, roseo diademate redimitam, cælitumque & multarum Virginum choris comitatam concinentium: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.* Vir sanctus ut cælestem musicam audiit, genua humi fixit magno pietatis affectu, & pro tanto beneficio sibi collato gratias egit Deo, Deiparæque, quod ad se dignata fuisset invisere, quæ his eum verbis affata est: *Accipe serve Dei palmam symbolum Virgineæ integritatis ac puritatis, quam servasti semper illibatam.* Sic effata disparuit, totumque cubile fragrantia, & odore suavissimo plenum reliquit. Quam ob rem Vir sanctus, cum Deo gratias egisset, inter ipsas preces, quas fudit, sanctam animam efflavit, die Dominico V. Kalendas Februar. Anno Christiano MCCXXVIII. Simul ut expiravit, viderunt, qui morienti præsentes aderant, ex ejus ore procedere ramum palmæ venustissimum, omnique nive candidiorem, qui sublatus in aera visus patulum subire cælum, Angelica harmonia suaviter, clarumque concinente.

XVIII. S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, fuit extremis suis in doloribus adeo patiens modestusque, ut non Manlianis imperiis extorquere, sed humilibus precibus emendicare necessaria videretur, hac subinde formula usus: *Exhibe, aut fac mihi hoc, aut illud propter Deum, ut Deus hoc tibi retribuat in futuro.* Quod si quis eum vel levissime reprehendisset, seque in ejus famulatu, vel minimam molestiam passum significasset, mox percusso pectore illam solemnem pœnitentis formulam recitabat, cujus initium est: *Confiteor*, &c. Cumque jam morte propius adesset, quidam Comes intimus ejus amicus eum visitatum venit. Quem vir sanctus serio monuit, ne subjectos sibi populos nimiis vectigalibus, tributisque exhauriret, nisi severius a Deo puniri vellet. Quo audito Comes obstupuit, quod exigere ejusmodi tributa sibi tantum cogitando proposuisset, numquam tamen exegisset, neque deinceps exigere vellet, quod suas cogitationes ei divinitus esse revelatas agnovisset. Interea majora semper incrementa morbus suscipiebat, ægrumque graviores usque dolores excipiebant, cum denique ei felix hora mortis affulsit, qua eum Dominus ad æternæ gloriæ præmium evocavit. Itaque Anno Christiano MCXXXII. Kalend. April. die Veneris ante Dominicam Palmarum sub gallicinium sanctus Præsul Anno ætatis LXXX. Episcopatus L. decessit. Sacrum corpus ejus relictum est usque ad diei Martis vesperam sequentis hebdomadæ, & integrum, fœtorisque omnis expers duravit. Ad funus ejus inu- *Ib. 1. Apr.*

numera mortalium concio cum tribus Episcopis confluxit. Neque tantummodo Gratianopolitanæ Diœceseos homines, sed exterorum quamplurimi concurrere, qui sacris ejus pedibus oscula libantes, eorundem contactu suos annulos, & precatoria rosaria consecrarunt. Sepultus est ad S. Mariæ, ubi fuit, & est a Christianis cultus, & a Deo multis miraculis illustratus.

Fid. 11. Maj. XIX. Sanct. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cum jam septuagesimum ageret ætatis annum, religionis initæ quartum & quadragesimum, & Archiepiscopatus sui tertium decimum, lenta febri consumptus est. Et quamvis ei Medicorum nonnulli spem vitæ darent, ipse tamen illud Regii vatis oraculum reddidit: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Jussit omne, quod domi suæ superesset, pauperibus erogari, quod fuit adeo exiguum, ut subductis exequiarum sumptibus non nisi quatuor aurei fuerint reliqui. Sanctis ergo Sacramentis armatus, cum jam quasi vocis usu destitutus videretur, in has tamen voces erupit: *Servire Deo regnare est.* Plenam sibi prælegi jussit Indulgentiam, qua summus eum Pontifex eo tempore donarat, cujus etiam se participem fecit. Inde cum Religiosi commilites ejus, finitis matutinis precibus, Laudes (ut vocant) orsi fuissent, & Vir sanctus eo modo, quo poterat, versiculos aliquot repetiisset, crucifixum ferventer amplexus, & reverenter osculatus expiravit, noctu Dominicæ Ascensionis sub auroram postridie Kalendas Maji, anno Christiano MCCCCLIX. quo tempore sæpe beatitas ejus divinitus est revelata. Degebat Florentiæ, cum vir sanctus expiraret, Papa Pius II. qui, quod mortis ejus non esset commonitus, ægre tulit, jussitque eum magna solemnitate, pompaque humari, & ab omni sua curia exequias celebrari, sicut & factum. Itaque primo sacrum funus ad Ecclesiam Cathedralem, dein ad cœnobium S. Marci Ordinis Prædicatorum delatum, quo non tantum civitas omnis, sed confines etiam populi concurrerunt, ut sacrum corpus & contemplarentur, & oscularentur, & Indulgentias, quas Papa Pius concesserat, consequerentur. Fuitque concursus tantus mortalium, ut nonnisi octiduo elapso potuerit sepeliri. Cæterum hoc octiduo sacrum corpus semper integrum, bella facie visendum duravit, artubus omnibus mollibus, flexilibus, suavissimamque fragrantiam spirantibus. Sepultus, ut jusserat, in Ordinis sui cœnobio, ad S. Marci pone suos religiosos Fratres, ubi Dominus eum multis miraculis illustravit.

Ib. 15. Jun. XX. S. Prosper Episcopus Aquitanicus Rhegiensis Pontificatum (teste Baronio) gessit annos omnino quatuor ac viginti (quamvis aliqui nonnisi duos & viginti ei tribuant) sub quorum finem, Dominus ei gravium, prolixarumque, & perutilium ærumnarum, quas ejus unius amore sustinuerat, mercedem redditurus, eum lethali morbo dejectum lectulo affixit; unde cum se corporis ergastulo emancipatum, atque in cælum sublatum iri propediem præscisset, admodum lætus, hilarisque familiam sui Præsulis, sanctique Patris casu mœstam, convocavit, rogavitque ne suo discessu dolerent, sed sui causa potius gauderent, neque inviderent suam sibi beatitatem, maxime cum se nossent eo concedere, unde posset eis opitulari. Deinde, cum suisset benedictionem Sacerdotibus & Clericis, & multis civium ad eum videndum congregatis impertitus (comprecantibus omnibus, ejusque agonem juvantibus) facies ejus mira gratia & claritate resplenduit, & spiritum Deo reddidit, qui pro tanta sua gloria eum crearat, omni populo piissimis, & uberrimis lacrymis prosequente tam sancti Pastoris mortem, quæ incidit VII. Kalend. Julii, Anno Christiano CCCCLXVI. cum rerum potirentur Papa Hilarius, & Imperator Leo. Extra civitatem solemniter ad S. Apollinaris humatus, cujus honori templum hoc ipse consecrarat. Multis Dominus hunc sanctum Pontificem miraculis illustravit, omnibus ad ejus tumulum impetrantibus quæcumque postulassent.

XXI. S. Malachias Episcopus Hyberniæ aliquando familiarius suos Cœnobitas allocutus, cum forte mortis mentio incidisset, & singuli, quo loco, quave hora decedere gestirent, significassent, interrogarus etiam vir sanctus: *Si hinc migro*, inquit, *nusquam libentius, quam unde una cum nostro Apostolo resurgere, possim* (dicebat autem ad sanctum Patritium) *si peregrinari oportet, & ita permittit Deus, Claram Vallem delegi*: Interrogatus etiam de tempore: *Diem*, inquit, *solemnem omnium Defunctorum*, propter plurima suffragia, quæ pro iis tunc ab Ecclesia offeruntur. *Si simplex votum putatur, impletum est; si prophetia, ne jota præteriit.* *Ib. 3. Nov.* Cupiebat S. Malachias, ut Summus Pontifex Hyberniæ Archiepiscopus Ardamacanum scilicet Primatem, & alterum a Celso constitutum, & ab Innocentio II. confirmatum, pallio impertiretur, quo facilius commissos sibi populorum greges gubernarent. Quam ob rem Concilium convocavit, ut Cleri, totiusque Insulæ nomine id a Papa (sic enim decretum fuerat, cum vir sanctus esset Romæ) flagitaretur. Atque hoc oneris, itinerisque ipse Vir sanctus suscepit certus ire Romam, Papæ, (qui tunc erat Eugenius IV. S. Bernardi discipulus, & olim Monachus Claræ Vallis) supplicatum. Claram Vallem appulsus a S. Bernardo, Monachisque ejus exceptus est, ut veterem amicum electumque Dei vas decebat. Quarto, aut quinto die post, cum sacra Missarum solemnia singulari pietatis affectu publice celebrasset, die, S. Evangelistæ Lucæ sacer est, febri correptus, se decessurum propediem divinitus intellexit, prædixitque. Aucta febris vi, divinissimum Eucharistiæ viaticum, extremamque Unctionem reverentius percepturus de sublimi sua cella, quam habitabat, ad Ecclesiam descendit, & eodem rediit semper, quamvis jam morti proximus esset, nullam supercilii nubem, nullum frontis sulcum, nullam oculorum cavitatem, nullam narium rugam, nullam dentium ariditatem, nullum labiorum livorem, nullum vultus pallorem, nullum languorem, nullumque lethale signum præseferens. Illuxit interim festa Sanctis

ctis omnibus solemnitas, quam cum mira animi lætitia exegisset, & convocatis Cœnobitis suo satisfactum divinitus desiderio, quo decedere illi ambierat, dixisset, pollicitus, eorum se memorem in cælo futurum, impertitus eosdem benedictione, secundum noctis medium Anno Christiano M. CXLVIII. ætatis vero suæ quarto & quinquagesimo feliciter expiravit, loco, dieque, quem sibi delegit, ac prædixit. Restitit sopito, quam mortuo similior, vultuque adeo nitido, sereno, Angelico, ut morte plus formositatis accepisse videretur.

Ibid. p. 1. 4. Nov. XXII. Sanctus Carolus Borromæus, Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis decurso augustissimo vitæ stadio, triumphatis vitiis, conquisitis ad unam omnibus masculis, nobilissimisque virtutibus (eas quippe Beatus Archiepiscopus, quo satis muneri suo pastorali faceret, prosecutus fuit) non potuit enim vero alium sibi finem, quam longæ feriei sanctissimarum actionum debitum polliceri. Quam ob rem propinquante obitus hora, quasi eam præsagisset, visitato primum devotionis, ac reverentiæ indicibili affectu Jesu Christi Redemptoris nostri sacrosancta syndone, montem Varallum adiit prope Novariam: Coram sepulchro, quod ibi visitur Servatoris nostri quindecim dies insumpsit asperrimis pœnitentiæ operibus, vigiliis, oratione: & animam cælesti gloriæ per generalem totius vitæ confessionem, testibus suspiriis, & profluvio lacrymarum aptavit: Etsi vero tertiana febre correptus esset, scilicet mortis nuncia, nequaquam tamen intermisit sancta exercitia (sed tantum moderatus fuit) aut quotidianum Missæ Sacrificium, quia totis præcordiis ad supremam rerum experientiam anhelabat: Hinc deinde iter flexit Aronam versus, & ingressus lacum majorem contendit Asconiam in dominio Helvetiorum, ut ibi Collegium quoddam studiosorum adolescentum nutu Summi Pontificis ordiretur. Ubi vero ingravescere morbum sensit, incunctanter cœpit Mediolanum regredi, & totum profectionis tempus exercitiis spiritualibus fefellit, utputa orando, naucleros ad portum perennis patriæ dirigendo, inflammando socios, & vectores omnes, qua pollebat ardentissima charitate, ad supremam felicitatem: idque sermonibus de gloria Beatorum, adeo ignitis & penetrabilibus, ut ex oculis auscultantium manantes lacrymæ corda eorum intime vulnerata probarent. Mediolanum appulsus circa vesperam Commemorationis Fidelium Animarum alteræ die quæ fuit tertia Nonas Novembris Anni MDLXXXIV. ubi eam colloquiis apprime salutaribus traduxisset, sub tertiam noctis horam, perceptis admiranda devotione, & profundissimo humilitatis sensu Ecclesiasticis Sacramentis, oculis in pictura sepulturæ Christi mortui defixis, coopertus cilicio, aspersus cinere; velut alter Martinus, cujus virtutes sollicite vivens sectatus fuerat, tranquillissimo omnium membrorum situ dilectam Deo animam consignavit, ultimo anno Pontificatus Gregorii decimi tertii, ætatis suæ quadragesimo septimo. Difficile dictu est, sanctissimi Pastoris inopinata mors, quem luctum, quæ lamenta, quos gemitus inter inopes pariter & opulentos pepererit. Deplorabat Ecclesia vigilantem Episcopum, Tribunal incorruptum Judicem, pupilli strenuum defensorem, egeni liberalissimum Mecænatem; breve faciam, universa tristabatur civitas, quia neminem in tanta hominum frequentia invenire erat, quem non Cardinalis Carolus aut reduxisset errantem, aut sustentasset debilem, aut rudum imbuisset scientia salutis, aut inopem atque afflictum more Medici, & Patris optimi restaurasset.

XXIII. Sanctus Franciscus Salesius Episcopus Gebevensis cum in morbo extremo constitutus esset, & quæsitum ex eo fuisset, num pharmaci nescio quid hausturus lubenter esset; & num ignium vim, novaculæque sentiret, quibus corpus lancinabatur? *Sentio enim vero*, inquit, *veruntamen ægrum habere, ut lubebit*. Quod si ad ista sensus supererat, omnino confirmare possumus, illum etiam tum longe vehementius ignes persensisse divinos, quorum vis adigebat ad pia suspiria, & ex ejus ore verba eliciebat plena charitatis tum erga eos, qui opem ferebant, tum erga eos, qui officii causa alii ex aliis adventabant. Rectori Collegii Societatis Jesu, miranti, miserantique vim morbi tam inexpectatam, tamque repentinam. *Expectans*, inquit, *expectavi Dominum, & intendit mihi*. An non vero, perrexit Rector idem, si Domino Deo visum esset te in præsentia evocare, voluntatem tuam ad ejus beneplacitum conformares? *Tam mihi accepta*, subjecit Religiosus æger, *hæc hora, quam aliæ quævis; Dominus est, faciat, quod bonum est in oculis ejus: de me statuat, ut sibi placuerit, quidquid sancta ejus dextera porrexerit, æquo animo excipiam, & lubenter*. Atque hic professionem fidei emisit, eaque absoluta, addidit de suo hæc: *Si mille essent in terris religiones, ego unam, & solam approbo Catholicam, Apostolicam, Romanam: atque in ea profitenda emori volo, quascumque tandem in contrarium suggestiones adversarius immiserit*. Hortanti idem, ut illud Christi Domini usurparet: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*; subjecit: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: Addiditque: *Ex quo tempore Salvator meus calicem cruciatuum, & mortis in passione bibere animum induxit, calix idem, ad electos quod attinet, suavitate & consolatione plenus est, nec quidquam habet amaroris*. Quæsivit idem Rector: Numnam sanctissimæ Trinitati dedicare se vellet? Atque hic æger ardorem intendens, totusque charitate æstuans hæc firma voce pronunciavit: *Quidquid in me est, vovio & consecro Deo, memoriam factaque Patri; intellectum, cogitationes, verba Filio; voluntatem, affectusque Spiritui sancto; cor, corpus, linguam, sensus dolores omnes meos sacrosanctæ humanitati Christi Jesu, qui mea causa non dubitavit prodi, trahi in manus iniquorum, & crucis subire tormentum*. Interea rumor de instante morte Francisci, omnium animos incredibili mœrore opplevit: ac Vicarius quidem Generalis Illu- *Vita p. 2. c. 10.*

strictissimi Archiepiscopi Lugdunensis ejus causa Orationem indixit horarum quadraginta, sanctissimo Sacramento exposito: & quoniam gravissimo sopore deprimebatur æger, ad eum excitandum varii varia percontabantur, quibus ille sic satisfaciebat, ut non aptius vigil quilibet, & facultatum animi sui plane compos mirabilem quemdam in modum sui erat: neque enim ejus amorem ad æternitatem tendentem intercipiebant lethalia illa symptomata, quibus corpus atterebatur: animus in res caelestes erectus, aut, ut dicamus aptius, Spiritus Dei, quo agebatur sancta quadam metamorphosi rerum omnium creatarum voces mutabat in sonos, quos facile ardens ejus charitas intelligentia comprehendebat. Cum Sacerdos quidam ex venerabili Patrum Fulliansium Ordine suggessisset, futurum forte adhuc, ut in throno Genevensi sedens cerneretur. *Ego*, inquit, *numquam concupivi thronum Genevensium; unam salutem eorum expetii*. Quærenti alteri num sic carissimas filias suas Ordinis Visitationis orphanas relinqueret? ter illud Sancti Pauli iteravit: *Qui cœpit opus perficiat*. Famula autem quædam Monialium Ordinis ejusdem, earum, quæ ultro citroque mandata, responsaque peiferunt, rata exhilaraturam se officioso mendacio ægrotum, nunciavit adesse Illustrissimum Episcopum Chalcedonensem, cum Joanna Fremiorta. At his collectis in exclamationem viribus: *Neutiquam*, inquit, *soror mea: numquam plane mentiendum, quidquid demum inciderit*. Item ab alio quopiam invitatus, ad illud Sancti Martini usurpandum: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; At ego*, dixit, pluries, *servus maxime inutilis sum*. Atque hic demum Medici ipsum sensim deficere, atque adeo abesse proxime ab exitu conspicati, tempus esse pronuntiarunt Sacramentum extremæ Unctionis, quod jam pe[?]tierat, adhibendi: id vero dum fit, ipse qui inungebatur, respondens ad singula, fecit, quod in se fuit ad indulgentiam eo in articulo solitam proponi, lucrandam pie & religiose: tum illud Psalmographi adjecit: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me*. Sacrosancto corporis viatico incredibili suo dolore caruit, ob crebram vomitionem: quo quidem incommodo vix accidere quidquam gravius tunc potuit Viro sancta dilectione æstuanti: Unde voces eæ, quas tunc mittebat, dolore & amore permixtæ: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me; renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum*. Et Archiepiscopo Damasceno, profitenti advenisse se, ut opem ferret, illudque Salomonis afferenti: *Frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma*; subjecit æger: *& utrumque Dominus salvabit*. Perrexit Archiepiscopus: *Jacta super Dominum curam tuam*. Et confertim deinceps: *Cor meum*, inquit, *& caro mea exultaverunt in Deum vivum*. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. *Quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Interea cum didicisset Dux Nemorosius, qui ex podagra decumbebat, Genevensem Episcopum in extremis versari, jussit se ad eum deportari; & ubi ad lectum pervenit, provolutus continuo in genua, lacrymisque perfusus, sibi ut benediceret, itemque filio, Principi Genevensi flagitavit. Fecit Franciscus, ut potuit, brachium efferens & extendens: sciscitantibusque quibusdam, num eum Principem agnosceret? *Agnosco*, inquit, *Dux Nemorosius est; ego illius cliens suum*. Advenit postmodum Archiepiscopus Ebredunensis, invenitque occupatum prorsus in Deo: hæc inter cætera audivit, ingenti quodam mentis ardore ingeminantem: *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus, Deus meus & omnia: Desiderium meum, desiderium collium æternorum*. Addidit deinde sancto quodam impetu Trisagium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt cæli & terra Majestatis gloriæ tuæ*. Hymnumque reliquum gratiarum actionis prosecutus est; tum adjunxit Psalmum quinquagesimum cum gratiarum actione ex imo corde proficiscente, de beneficiis omnibus, quæ Dominus Deus in se contulisset. Post amicorum cujusdam adstantis manum prehendens, stringensque, *advesperascit*, inquit, *& inclinata est jam dies*. Et quærenti ex ipso cuipiam: Timeretne eo extremo momento dæmonum conatus. *In Domino confido*, *subjecit*, *ipse deducet de fovea laquei*. *Qui cœpit*, *perficiet*, quas voces cum ingeminaret, ad animæ usque interclusionem, vox denique eum deficit, Sacrum Nomen Jesu finientem: clausula utique tanta virtute digna: ut quo modo infans linguam primum in ea voce solvit, *Deus meus*, sic vivere desierit in Jesu Nomine: quasi voce illa priori agnoscere principium suum; posteriore Redemptorem veneraretur; mox siquidem inter Sanctorum Litanias, quæ a circumstantibus recitabantur, ubi ad illa verba ventum est, *omnes Sancti Innocentes*, dum iterantur tertium, beata illa anima corpore soluta est, sidusque illud militantis Ecclesiæ extinctum terris, micare cælo cœpit, ubi radii gloriæ, ad quam evectus est, nullam unquam defectionem patiemur. Obiit Anno sæculi hujus secundo & vigesimo exeunte. V. Kalendas Junii hora VIII. vespertina, Anno ætatis LVI. Episcopatus XX.

XXIV. Alanus de Solmini ac Episcopus Carducensis nulla infirmitate fuit correptus, quæ præcursor mortis esset ex mera virium imbecillitate, roborisque defectu hunc mundum deseruit, continui labores, jejunia, vigiliæ, aliæque mortificationes eum ita debilitaverunt, ut sibi ipsi vix amplius hæreret, nihilominus mutuato e sua imbecillitate robore VI. Idus Septembr. Anno MDCLIX. visitationem in Figea, censi tractu reassumens, magno animo munus suum peragebat, prædicabat ubique, Confirmationis Sacramentum conferebat, Congregationibus Foraneis assidebat, & reliqua non aliter perficiebat, quam si in primo vigore esset; Nemo non judicabat, Vita l. 2. c. 22.

eum

eum nec diu ita perseveraturum, nec longius vitam suam protracturum; ipse solus hoc scire dissimulabat, ita nimirum ad labores incumbebat: Rogatus fuit, ut parum illud virium, quod superesset, Dei servitio dicaret, & aliquantulum a labore remitteret; verum cum vigor spiritus, carnis infirmitatem fortiter sustentaret, anima nullam ejus imbecillitatis curam habente, nihil hoc esse dictitabat: Fateri tamen denique coactus fuit, haud amplius loqui se posse, eaque propter in sui locum unum e Missionariis substituit qui in Ecclesiis, quas lustrabat, concionaretur. Viribus tandem adeo defecit, ut ad Aram faciens, quinquies subinde, vel sexies considere debuerit; & qui in comitatu erant, formidarint, ne porro Cadurcum visurus esset: Certe reapse desiderabat ipse, visitationi immori, & centies iterabat, tali morte nihil honorabilius Episcopis accidere posse. Ut ergo animadvertit, se plane deficere, quo minus amplius gregi suo deservire queat; sub medium Octobris se Mercuesium deduci curavit, quo etiam hic fortissimus Athleta e medio certaminis palmis ac lauris onustus, laboribusque exhaustis translatus fuit. Cum in arce sua existeret, vires magis ac magis ipsum defecerant, quo tamen nihil prohibente eximiam vultus hilaritatem, quam alias unquam præseferebat, ne filios contristaret, & singulis diebus usque ad Festum Dei Parentis sine macula conceptæ Missæ Sacrificium peregit. Post hunc vero diem ob sacri Mysterii reverentiam non amplius ausus est ad Aram accedere, quod pedibus insistere nequiret; interim vero non omisit, quin in dies in Sacrarium domesticum se conferret, ibidem sacra Synaxi reficiendus, quamdiu videlicet pedes promovere posset; quinimo cum eo forte pergeret, lapsus oculi dextri pupillam læsit. Difficulter admittebat, ut in suo cubiculo Altare erigeretur, assensit vero denique dicens: *Episcoporum cubicula Sanctitatis esse Sanctuaria*, & hoc quinque circiter diebus ante mortem accidit, sub quibus ad suppedaneum Altaris sacram Communionem sumpsit, nec ullum Sacrum audivit, neque SS. Sacramento in strato suo refici voluit, nisi eo die, qui ipsi supremus illuxit. III. Kal. Januarii die vitæ ipsius penultimo sub vesperam plane defecerat; etsi nullum sentiret dolorem, utque impediretur Canonicum Officium recitare, quod hactenus numquam intermiserat. Breviarium ipsi subducendum fuit; institerunt deinde sui, ut lectum peteret, & quieti tantisper indulgeret, attento, in quo versaretur, statu, respondit ille: *Facite, quod vobis libet, neque enim propriam voluntatem amplius possideo*. Sustinere noluit, ut vestibus exueretur, dicens, eas ob longam consuetudinem sibi nec quicquam incommodo futuras, & certe quadraginta annis in lectum concedens vestes numquam exuit; verum a R. P. Dumas Secretario admonitus, quod, cum propria voluntate careret æquum esset, ut alterius sequeretur, obsecutus illas deposuit. Sub noctis medium animadversum est, eum ad extrema devenisse, unde significatum ipsi fuit, jam jam imminere mortem, quod nuntium gaudio singulari perfusus excepit, volensque linteamine faciem sibi cooperiri, sanctissimam Triadem invocavit; animam suam tribus Divinis Personis consignans, ut eas æternum adoraret, glorificaretque indistincte, hæc ex ejus ore verba prodierunt. *Sanctissima Trinitas, tibi animam meam commendo; Sanctissima Trinitas, miserere animæ meæ: Sanctissima Trinitas, tibi animam meam dono*: Post hæc conatus est omnia vitæ momenta, quæ adhuc supererant, bene collocare. Unum suorum Canonicorum Regularium proxime monuit, ut hora quarta matutina se confitentem audiret, & deinde Missam legeret: verum tantum temporis expectare noluit, nam una post hora, exomologesi ordinaria expiavit animam; hanc Missa subsecuta fuit, sub qua SS. Sacramentum per modum Viatici recepit; Patri illud non nisi modo ordinario ministrare volenti semel iterumque dixit: *Per modum viatici, per modum viatici*, maximum æternitatis iter mox se ingressurum probe gnarus. Facta gratiarum actione confessionem generalem de tota vita, licet cæteroquin innocentissima instituit, memor illius, quod S. P. Augustinus dicebat, ne Sanctissimos quidem ex hac vita discedere debere, quin prius convenientem pœnitentiam egisset. Paulo post declaravit, qua ratione bona sua temporalia pro suis fundationibus perficiendis applicanda essent, & expresse voluit, ut, quidquid haberet supellectilis, ad utriusque sexus orphanos pertineret: quo sic ordinato se non amplius ejusdem dominum considerans ad Matrem Superiorem puellarum orphanarum misit, linteum per eleemosynam rogaturus, in quo tamquam Christi pauper terræ mandaretur. Consignata Sanctissimæ Trinitati anima sua, suisque bonis pauperibus transcriptis, non aliud ipsi superfuit, quam corpus, quod filiis suis Canonicis Regularibus Cadurci a se fundatis reliquit, & Priori injunxit, ut eum sine pompa velut simplicem Religiosum sepelirent, damnans exemplo suo plures mundanos, qui post mortem quoque fastum suum continuantes honorem quærunt in funeralibus, quæ omnes mundi honores claudunt, voluntque splendide eum in locum deportari, ubi putredine consumendi sunt. Cum ita rebus omnibus sancte providisset, non sine fervore Vatis Regii Psalmum intonuit: *Misericordias Domini in æternum cantabo*, cælestem illam Jerusalem, quo spiritus properabat, sibi ob oculos ponens, in qua oti Rex ille Sanctus dixit, æquum est, ut hymni ad Dei gloriam decantentur, nostraque illi vota persolvantur. Hæc eadem verba crebrius repetebat, non sine manifesto cordis sui jubilo, ardentissimoque desiderio, quo unice ad unionem cum summo bono anhelabat. Voluit postmodum a Curione Mercuesiano oleo infirmorum ad supremam luctam fortiter cum inimico subeundam inungi, sub qua inunctione ad preces omnes magna cum fide, & devotione respondit. Tum aliquantulum quietis ipsi indultum fuit; quod

quod admodum debilis, & viribus plene destitutus esset. Post hæc ei insinuavi, Illustrissimum nostrum Antistitem, ejus dignissimum successorem mihi scripsisse, ut suo nomine benedictionem illius postularem: mox is protracta e lecto manu plane tremula, eidem suaviter renitens bene precatus est, testatus, se non absque gaudio ex hoc sæculo migrare, quod a Deo talem Successorem, qualem desideraverat, obtinuisset, quod alias sæpius nobis dixerat. Deinde instar alterius Jacobi Reverendissimo Patri Garato Cancellatæ Abbati, & universim omnibus Canonicis Regularibus sub sua Reformatione degentibus ceu filiis charissimis suam benedictionem largitus est, quem ipsum favorem domino de la Serre Conques Generali Vicario, & officiali suo exhibuit, qui eumdem submisse petiit, & postcaquam suum animi dolorem ex ejus e vita decessu testatus est, instanter illum rogavit, sui, suæque Diœceseos apud Deum in cælis meminisse dignaretur, id quod sanctus Præsul ipsi pollicitus est, suaviter in eum intuens, suoque capite præbens annutum. Desideraverat etiam præsentiam dominorum Canonicorum Capituli sui Cathedralis; verum nonnisi post ejus obitum Mercuesium adventarunt. Circa nonam antemeridianam eum plurimum deficere animadverrens signum Christi e cruce pendentis sumpsi, dixique felicissimum illud momentum imminere, in quo *Sacrificium consummandum esset;* utrum non mori vellet, quemadmodum in unione Ecclesiæ vixisset, & actus exercere cum primis in hora mortis necessarios; tunc moribundus manus protrahens, jungensque, & oculos cælum versus attolens Symbolum Apostolicum integre, & distincte recitavit. Actus deinde Fidei, Spei, Charitatis, Adorationis & Contritionis elicuit tanta cum devotione, ut omnium adstantium oculi lacrymas ubertim funderint. His actibus completis illi crucifixum deosculandum, & adorandum obtuli; noluit vero ipse nisi extremæ solum pedis crucifixi parti osculum infigere, cum manibus prehensum conatus est ad se intra lectum assumere, dato signo, ut linteum attolleretur. Cum quæsitum fuisset, utrum crucifixum supra pectus collocare vellet, secundum respondit, hunc ipsissimum illius locum esse; re ipsa pectori suo impositum tam fortiter sibi adpressit, amplexusque fuit, quasi eum cordi suo imprimere, vel cum ipso cruci affigi concupisceret, ut cum S. Paulo dicere posset: *Christo confixus sum cruci:* voluit illum ceu myrrhæ fasciculum inter ubera sua collocare, & inter brachia patientis Jesu mori; vel ceu quodam epithemate adhibito, hoc pacto cordis sui corruptionem impedire; vel denique ceu tutelam contra nostros in hora mortis aggressores adhibere; Suum ergo Dilectum ita penes se retinens petiit, ut sibi linteo facies obtegeretur, sicque quieti induigere posset, quod uni jam Deo adhærere vellet: perseveravit in hoc statu horam circiter, nullum interea verbum elocutus, sub horam decimam dixit, se in meridie consummandum, quo se moriturum innuebat, modum videlicet loquendi priscorum Thebaidis Religiosorum secutus; hi namque se tamquam hostias considerantes mortem suam consummationem appellabant, & si Deus aliquem avocaret, talem non mortuum, sed consummatum dicebant. Post hæc parum cum hominibus, plurimum vero cum Deo egit: quando propius ad lectum accedebamus cum ipso collocuturi, non aliud quam de Sacrificii sui consummatione respondebat: *Consummo Sacrificium meum*, ajebat: *consummo Sacrificium meum; vel potius Deus est, qui illud consummat; oportet ergo, ut illud consummare permittatur*. Rogatus fuit, ut aliqua documenta suggereret; ad quod respondit: *Non possum loqui, nisi quod Dominus posuerit in ore meo*; & utcumque urgeremus, haud tamen aliud responsum retulimus: numquam ne minimam displicentiam, vel inquietudinem præsetulit. Fervens desiderium abeundi ad Deum, qui est unica felicitas, & perfectio Sanctorum, & centrum eorum quietis; hæc ex ejus ore verba vitæ omnino postrema expressit: *Et quando liberabor de corpore mortis hujus?* atque mox agonem ingressus fuit, qui horæ quadrantem non excessit; sub quo oculos in cælum continue fixos habebat: eodem etiam tempore legi cœpta fuit Passio Dominica a S. Joanne Evangelista descripta, & eo momento, quo hæc verba prolata fuerunt: *Et inclinato capite tradidit spiritum:* suam etiam animam ipso omnino meridie Deo tradidit, nullo amplius signo alicujus motus edito, id quod ab omnibus, qui adstabant, notatum fuit.

IDEA III.

Illustria Religiosorum morientium exempla.

I. Sanctus Antonius Religiosorum Fundator, cum jam quintum supra centesimum annum ageret, postquam inclyta sui Nominis fama, & innumerabilium miraculorum gloria, & eximia sanctitatis existimatione omnes orbis terrarum oras implesset, suisque eas domita carne, victa styge, debellataque hæresum impietate magnificis trophæis insignisset, Deo revelante didicit, adesse sibi metam laborum, suos igitur supremis allocutus verbis, ad omnigenæ studium virtutis incitavit, monuitque cane pejus, & angue caverent familiares hæreticorum congressus; esse nimirum juratos Jesu Christi hostes, & Catholicæ prædones veritatis. Hinc a duobus adstantibus, sine funebri pompa, loco nulli mortalium noto suas humari jussit exuvias, nempe veritus, ne quid eis honoris deferretur. Hinc & singulari cura cavit, ne post obitum suum, in Ægyptum referrentur, ne scilicet (quod erat Ægyptiis solemne) balsamo, & aromatibus conditæ, multis incorruptæ sæculis durarent. In hunc enim Ægypti morem vir sanctus acribus sæpe verbis fuerat invectus, non dubia spe, de resurrecturi corporis sui gloria in œcumenico illa mortalium omnium anastasi reddenda securus. Eoque, quo- Ribad. 17. Janu.

quovis loco mortuus sepeliretur, nihil angebatur. Secundum hæc testamentum condidit, id est, paucules, easque centunculetas pannucias in pauperes erogavit. Binæ vestes de caprarum textæ viliis erant adhuc super cum cilicio. Quarum alterem S. Athanasio (a quo recentem dono perceperat, quique eam pretiosissimi muneris inster affervevit) legavit: Alterem Episcopo Serapioni: cilicium denique duobus discipulis. His ita compositis ad universum discipulorum cœtum conversus: Velete, inquit, viscera mee. Antonius enim migrat, etiam non erit in præsenti sæculo vobiscum. Hæc locutus casta singulis oscula blande divisit, protensisque peululum pedibus imminentis fati punctum lætus expectavit, ut ipse vultus hilaritate cælitum, qui animam ejus cælo subvecturi descenderent, præsentia facile agnosceretur. Hos comiter intuitus, non quen moriturus, sed migraturus placide in mortem consopitus, relictis mortalibus, ad cælestie subvolevit. Corpus ejus perinde, ut si vivum foret: integerrimum, pristinique tenax coloris, nihil corruptionis, nihil putoris, nihil gravis odoris spirevit.

Idem 21. Mart. II. S. Benedictus eodem anno, quo decessurus erat, & in cælum migraturus, ipse suum Monachis obitum, diemque mortis indicevit; altum tamen præsentibus silentium indixit, & absentibus nuntiavit, se suum eis obitum certis indiciis tempori significaturum; cumque jam morte proprius abesset, sex ante diebus recludi tumulum jussit. Hinc ardentibus cœpit æstuare febribus. Jamque sexto die appetente suæ certus mortis, morboque confectus in Ecclesiam sese jussit deferri. Hinc sacre Synaxi refectus humeris Monechorum acclinatus, menibus, oculisque in cælum sublatis, una cum precibus animam benedictam Benedictus suo reddidit Creetori, quem tantum ille suæ gloriæ propagatorem crearat. Simul vir sanctus expiravit, quidem Monechorum eum in cælum vidit evolentem. Sanctus enim Meurus ejus discipulus in Gelliis vidit stratam pelliis atque innumeris coruscam lempadibus viam, quæ recto Orientis tramite ab ejus conclavi in cælum sese porrigebet, cui venerando ciarus habitu vir assistens, cujus esset via, quem cerneret, percontatus est? Ille se nescire professus, audit: *Hæc est via, quia dilectus Domino Benedictus cælum ascendit.*

Idem 20. Aug. III. Sanctus Bernardus Abbas, cum jam esset affecta senecta fatigatus, exhaustusque voluntariis corporis afflictionibus, infirmitatibus, itineribus, & gravissimis (quibus toto vitæ decursu fuit obrutus) negotiis, cælestis petriæ, summique boni fecie ad faciem videndi desiderio inflemmetus, denique periculosa stomachi debilitate fractus, nihil alimenti potuit retinere. Accessit eo dolor extremus, fœdusque pedum tumor. Atque has corporis afflictiones tanta exporrectæ frontis hilaritete, tenta totius oris comitate vir sanctus excepit, similis ut esse videretur navarchi, qui multas perpessus infeni maris procellas, securo destinatoque sese portu propius adesse conspicatur, & lætatur. Ipsemet vir sanctus ad emicum Arneldum Abbetem scribens, morbum suum significat in hæc verba: *Suscepimus charitatem vestram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, ubi totum sibi amaritudo vendicat. Nisi quod solum nihil comedere, utcumque delectabile est. Somnus recessit a me, ne vel beneficio sopiti sensus, dolor unquam recedat. Defectus stomachi, fere totum quod patior, est. Frequenter in die ac nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. Nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum, quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit, sed timet graviorem, si se vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet, & in his omnibus, ne quid lateat amicum de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promptus est in carne infirma: orate Salvatorem, qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat; curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is, qui insidiatur, invenire non possit, unde figat dentem, ut vulnus infligat.* Hactenus S. Bernerdus supremam suam recensens, describensque infirmitatem, collatamque a Deo tot inter corporis ærumnas, animi fortitudinem, & æquitatem. Cum jam morte propius abesset, ad eum certatim confluxerunt Episcopi provinciales, multique Abbates, quos tanti Petris sui jacturam querentes ipse comiter solatus (ut eret modestissimus) ait, inutilem se esse servum; par esse, ut aliquando arbor sterilis eradicaretur. Denique inter suorum manus lacrymasque filiorum purissimam animam suo reddidit Creatori XIII. Kal. Sept. Anno Christiano MCLIII. natus annos quatuor, & sexaginta.

IV. S. Dominicus celebreto Bononiæ altero Generali Conventu (qui fuit ei supremus) *Idem 6. Aug.* lethali correptus est infirmitete, que se corporis ergastulo absolvendum, & ad cœlites evocandum cognovit. Nem heud multo ante, cum pro solemni suo precibus vaceffet, apparuerat illi Dominus his eum verbis allocutus. *Veni, amice, veni vera gaudia possessurus.* Quibus e verbis ut imminere sibi mortem perspexit, nequit conceptam animo lætitiam dissimulare, quod abesse jem proprius illa se meta sentiret, qua cum vita finiuntur ærumnæ. Quem ob rem jussos adesse Cœnobii illius tyrones (quos non paucos ea domus numerabat) ex aggestis illis asseribus, quibus incubabat (nem lecto non utebatur) velut quodam suggestu comiter affatus, ed amorem Dei, cœptæque religiosæ vitæ perseverantiam adhortatus est. Hinc apud ejus Cœnobii Præsidem totius vitæ peccata recensuit; dein senioribus domus in hæc verba veledixit: Filii & Fratres mei, quos animo impressos circumtuli semper, & porro quoque feram, ne dolete discessu meo, nam fructus hic est contempti propter Deum mundi, sic posse decedere, sicut me decedere videtis, quanto minus terræ nobis adhæserit, tanto me-

melius suerit, & ut æternæ vitæ potiamur, hujus est facienda jactura. Ultima nunc imminet mihi vitæ linea; quam ob rem pro vestro solatio majoreque Dei gloria secretum quoddam vobis communicabo. Hucusque pro sua misericordia Deus virgineam integritatem, quam ea utero matris accepi, servare mihi dignatus est illibatam. Porro quemadmodum effusa fuit adversus me Dei liberalitas, ita confidite, filii, eamdem vobis non defuturam. Sed qui quæstum hunc vult, sumptum faciat oportet. Opus est huic thesauro servando vigiliis, precibus, & familiaris cum mulieribus congressus fuga. Nullus integritatem suam periculo committat; quævis occasio satis esse potest ad hanc corrumpendam: nulla major est negligentia sine securitate, quæ propriæ aut alienæ virtutis confidentia fundatur. Venerabile, sanctumque castitatis nomen est instar vitæ, quæ facillime amittitur, nec ullo potest modo recoperari. Hinc eos ad amorem Dei, regularumque observantiam & Ordinis incrementum suavibus, ardentibus, & cælestibus quodammodo verbis, tamquam verus pater a suis filiis avellendus, adhortatus, insuper precatus est, ut ad suorum fratrum jam defunctorum pedes sese sepelirent. Et vero quamvis arcanum de virginea integritate sua rectissimo fine, soliusque divini honoris, & filiorum suorum cautelæ causa, nullo vanæ gloriæ cupidine ductus, manifestasset, nihilominus hanc arcani sui revelationem sibi postea religioni duxit, accitoque Cœnobii Præside, culpam fassus est haud aliter, ac si gravissimo crimine se impiasset. Tanta fuit ei conscientiæ poritas, & verborum cautela. Hinc cum sibi SS. Eucharistiæ viaticom, & Unctionis extremæ Sacramentum petiisset afferri, utraque singolari pietatis affectu percepit, sic, ut ipsemet Sacerdoti responderet, & cum Religiosis præsentibus Psalmos pro solemni Ecclesiæ ritu morituris dici solitos distincte pronunciaret. Porro cum præsentes ejus filii tenere lacrymas nequirent, etiam ipse ubertim flevit, & quam suos diligeret, significavit. Itaque eos consolatus, majusque ab se mortuo quam vivo præsidium expectare jussos Domino commendavit. Porro cum fraternum amorem, submissionem voluntariam, Evangelicamque pauperiem identidem inculcasset, jussit eos incipere officium, quod agonizantibus, & morti colluctantibus recitari solet. Illis imperata Sancti Patris eaequentibus, sub illa verba: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi*; Animus custodia corporis absolutus, ab Angelis est in cælum ad æternam quietem sublatus. Decessit vir sanctus feria sexta, Anno Christiano MCCXXI. VI. Augusti. Anno LI. ætatis suæ.

V. Sanctus Franciscus Seraphicus multo ante quam decederet, suam sibi mortem a Domino revelatam, tempus quoque mortis, & diem certam suis cœnobitis edixit. In ægritudine illa, quæ fuit illi suprema, se deferri jussit ad S. Mariæ de Portiuncula, jamque moriturus, tamquam verus paupertatis amator, quo similis esset Christo, qui nudus in cruce mortuus est, totum se vestibus nudavit, seque humi prostravit, & ne forte stigma lateris videndum circumstantibus exhiberet, id manu sinistra texit. Tum vero omnes ubertim flere, suamque orbitatem lugere. Ad quos ille conversus ait: *Ego, quod meum est feci; quod vestrum, Christus edoceat*. Intellexit ea verba quidam de cœnobitis, quem vir sanctus Antistitem, sive Quardianum suum vocitabat, arreptamque veterem lucernulam, tortumque funem viro sancto obtulit cum dicto: *Hæc tibi tamquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato*. Incredibili lætitia vir sanctus gestiit, ut vidit, se mendicantem mori, mendicatoque amictu morientium involvi. Quam ob rem meritas Deo grates egit, & in virtute sanctæ obedientiæ suis imperavit, ut, simul ac sese mortuum jam sensissent, se tantisper nudum reliquerent, dum mille passus conficerentur. Secundum hæc suos ad amorem divinum, sanctamque pauperiem, pœnitentiam, mortemque pro fide S. Romanæ Ecclesiæ subeundam hortatus, commissis decussatim brachiis, præsentibus & absentibus sois benedixit, & valedixit in hæc verba: *Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio, & tribulatio appropinquat, felices, qui perseverabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero, cujus gratiæ vos omnes commendo*. Sic effatus sibi prælegi jussit historiam Christi passi in Evangelio S. Joannis scriptam, cœptamque ab hisce verbis: *Ante diem festum Paschæ &c.* Hisce prælectis ipse quoquo modo potuit, illum Psalmum recitare cœpit: *Voce mea ad Dominum clamavi, Voce mea ad Dominum deprecatus sum*, totumque absolvit in hæc verba: *Me expectant justi, donec retribus mihi*: In quæ verba suum reddidit Spiritum Creatori, Sabbato IV. Non. Octobr. sub occasum Solis, Anno Christiano MCCXXVI. conversionis suæ XX. ætatis suæ XLV.

Idem 4. Oct.

De eodem sic scribit S. Bonaventura: S. Franciseus Seraphicus cum gravissimis arderet corporis doloribus, nullum aliud habebat fomentum eorum dolorum, quam ut & ipse divinas laudes caneret, & alios canentes audiret. In quo cum ab Elia pene objurgaretur, quod potius præstaret extremum illud tempus lacrymis, & pœnitentiæ impendere, respondit, non licere sibi aliter facere, cum sciret, se brevi cum Deo fore.

S. Bonav. in vita.

VI. S. Thomas Aquinas cum imminere jam mortis horam tantopere sibi desideratam persentisceret, SS. Eucharistiæ Sacramentum sibi deferri rogavit, qood ille cernuus, humique prostratua adoravit, eumdem præsentem sibi Dominum precatus, ot, siquidem probe scripsisset, operam suam qualemcumque propitius acceptaret; sin, suæ veniam daret ignorantiæ, quod numquam sibi propositum fuisset, vel unguem latum a divina declinare voluntate, eoque omnia sua scripta divinis ejus plantis subjicere, Romanæque Ecclesiæ (cui & vivens olim, & nunc moriens morigerus

Ribaden. 7. Mart.

esset

esset) censenda submittere. Hinc Eucharistiæ viatico instructus, extremoque ad ultimam luctam oleo munctus, cum quædam ejus cognata percontatum misisset, ecquid opus haberet: Nunc, inquit, nihil, sed paulo post omnium rerum desiderabilium copia affluam. Denique cum religiosis illis cœnobitis pro collatis in se beneficiis, officiisque hospitalitatis grates egisset, veniamque, quod eis ægritudine suo fuisset oneri, petisset, &, ut mutuo se fraternoque amore complecterentur, rogasset, fixis in cælum oculis, sublatisque manibus sereno prorsus ore sanctam animam exhalavit Nonis Martii sub auroram, Anno Christiano MCCLXXIV. quinquaginta natus annos.

Idem 13. Junii. VII. S. Antonius Paduanus, ut se laboribus exhaustum, viresque voluntariis etiam pœnis jam fractas, & ægrum se denique persensit, paululum quietis sibi capturus, seque arctius Deo uniturus, & morti (quam sibi sciebat imminere) sese præparaturus assumptis duobus comitibus, Viris admodum religiosis, in solitudinem, locumque procul a multis tumultibus, ac arbitris remotum secessit. Hic cum corpusculi affecti languor quotidie auxisset, perceptis Ecclesiæ Sacramentis, & alternatim cum Sodalibus, prædictis septem Psalmis, quibus olim S. David pœnitens usus est, ipse solus Hymnum: *O Gloriosa Domina, &c.* recitavit, invocavitque Deiparam Virginem, cujus favore meruit videre aspectabili, & amabili forma præsentem Christum, qui cum suaviter, semperque sui compos collocutus placidissime quasi consopitus sanctissimam animam in Dei manus edidit, qui ad tantam sui Nominis gloriam, & ad tantum totius Ecclesiæ suæ eam crearat emolumentum. Corpus velut in soporem solutum, vivo perinde colore rubuit, ejusque artus omnes adeo visi mobiles, ac flexiles, ut vivere adhuc, & spirare censeretur. Decessit anno Christiano MCCXXI. Idibus Junii, anno ætatis suæ sexto, & trigesimo, quorum quindecim, apud suos parentes, undecim in Ordine Canonicorum Regularium Sancti Augustini, decem denique in religiosa Franciscanorum Familia sanctissime exegit.

Idem 2. Apr. VIII. S. Franciscus de Paula Fundator Ordinis Minimorum cum tres regulas suis Monachis viris æque ac virginibus, & tertiariis ab Apostolica itidem sede confirmatas præscripsisset, unum & nonaginta jam natus annos, simul exilii sui metam, & laborum palmam sensit adesse, die Jovis sanctioris hebdomadæ, quam plurimis suorum religiosorum, qui ad eum supremum salutatum convenerant, præsentibus in templum descendit, multisque lachrymarum imbribus irroratus, sacro Eucharistiæ viatico refectus, suos Religiosos comiter amplexus, eosque ad mutuum amorem, concordiam, submissionem, aliasque id genus virtutes cohortatus, & benedictione impertitus, proximo statim ejusdem hebdomatis sanctioris die, piissime aliquoties crucis effigiem exosculatus, cum dixisset: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, sublatis in cælum manibus, oculisque sanctam animam suo reddidit Creatori, eadem hora, qua ipsemet Dominus pro nobis redimendis suam in æterni Patris manus ediderat. Obiit vir sanctus Anno Christiano MDVII. Turonis. Corpus ejus quamvis undecim dies inhumatum, adeo perstitit integrum, ut si adhuc animatum videretur, suavissimique odoris fragrantiam exhalavit.

IX. S. Nicolaus Tolentinus sex mensibus, antequam moreretur, Angelicam musicam singulis noctibus audivit sub auroram, præscivitque suæ mortis horam, quam suis etiam fratribus prædixit. Quin & ægritudine correptus, crescentibus morbi doloribus eos ad se convocavit, suorumque erratorum veniam eos oravit, rogavitque cœnobitarcham, ut se suorum peccatorum venia, & Sacramentis impertiret. Atque hæc ille magno pietatis affectu multis lacrymis irroratus suscepit. Porro quoque petiit afferri sibi crucem, cui Dominicæ particula crucis erat inclusa. Hanc cum magna submissione suisset veneratus, Dominum oravit, ut suæ virtute crucis ab omni se periculo in agone mortis salvum atque incolumen præstaret. Gestiebat animus ejus incredibili lætitia, miroque tenebatur desiderio emigrandi de corporis ergastulo, Deumque videndi. Interrogatus a suis fratribus, cur ita gaudio gestiret, ait: *Dominus meus Jesus Christus suæ Matri, & nostro Patri Augustino innitens, dicit mihi: Euge serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.* Ille vero dicens hæc: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: sublatis ad crucem manibus, & oculis mira tranquillitate reddidit animam suo Creatori V. Id. Septemb. Anno Christiano 1306. *Idem 10. Sept.*

X. S. Hilarion Abbas in latrones lapsus cum interrogaretur, num mortem timeret? *Ribaden. 21. Oct.* respondit: Mori non timet, qui semper mori paratus est. Ille octogesimo ætatis suæ anno ad Hesyhium discipulum suum, quo ille vehementissime delectabatur quasi testamenti vice brevem manu propria scripsit epistolam, omnes divitias ei suas derelinquens, Evangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullum & pallium. Venerunt ad ægrotantem multi de Papho religiosi viri, & maxime, quod eum dixisse audierant, jam se ad Deum migraturum, & corporis vinculis liberandum. Quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem horæ post mortem reservaretur, sed statim eum in eodem hortulo, terra operirent, sicut vestitus erat in tunica cilicina, cucullo & sago rustico. Jamque modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quidquam vivi hominis superarat, & tamen apertis oculis loquebatur: *Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta prope annis servivisti Christo, & mortem times?* In hæc verba exhalavit spiritum, statimque humo obrutum, ante urbi sepultum, quam mortuum nunciaverunt.

XI.

Idem p. 1. 20. Maji. XI. Sanctus Bernardinus Senensis cum plerasque Italiæ Urbes, & populos suæ doctrinæ radiis illustrasset, jamque laboribus exhaustus, & grandævus esset, concionandi tamen munus non omittebat (quia charitas ei suggerebat vires, quas grandæva senectus ac debilitas minuebant) certus in regnum Neapolitanum transire atque hic Evangelii sementem facere, sicut in aliis Provinciis fecerat, Aquilam Aprutiorum metropolim profectus, loco prædictæ civitatis proprius disjuncto, ubi peramœnus erat fons, ægritudine correptus, Sanctum Petrum Cœlestinum (qui se summo Pontificato abdicavit, & tamquam Patronus ejusdem civitatis colitur) aspectabili specie apparentem vidit, qui comiter eum, ut proximam suæ mortis horam fortiter exciperet, horratus est. Hoc nuncio Sanctus Bernardinus oppido exhilaratus est, quia dudum nihil magis optasset, quam discedere ex bac misera mortalitate, summoque illo bono frui. Quapropter Religiosos comites suos ad perfectam suæ regulæ observantiam hortatus, Sacramentis Ecclesiæ magno pietatis affectu perceptis, curavit humi se deponi tamquam germanum Sancti Francisci filium, sublatisque oculis in cælom, lætari cœpit, & subridere suaviter, tamquam qui desideratum dudum portum portamque beatitudinis æternæ prospiceret, atque ita cum risu migravit in cælum, cum Deo regnaturus æternum, ipso Dominici Ascensus profesto die Mercurii, sub vesperam 13. Kal. Junii Anno 1444.

Ibid. 20. Jul. XII. S. Arsenius cum qoinque, & quinquaginta annos in ea solitodine, non ut mortalium quispiam, sed ut Angelus cælo demissus vixisset, exegissetque vigesimum, & centesimum ætatis annum, ab omnibus omoino morbis, quibus obnoxia esse grandæva senectus amat, liber, quamvis oppido debilis, multoque senio enervis, divinitus intellexit, se propediem ad cælestem beatitudinem evocatum iri. Quod cum suis discipulis exposuisset, eosdem consolatus, & ad religiosæ perfectionis studium cohortatus oravit, ne cuiquam suum corpus donarent honoris ergo, sed alligatum resti ad montem raperent. Tanta fuit ejus modestia. Porro cum jam morti propius adesset, timere cœpit, tremere, ubertimque flere. Quod ut discipulos advertit, dixere: *Et tu Pater, times mortem?* Quibus ille: *Revera*, inquit, *numquam hic metus, quo me oppressum cernitis, a me recessit, ex quo primum Christianæ militiæ ex animo nomen dedi.* Hæc effatus placide expiravit.

Ibid. 16. Aug. XIII. S. Hyacinthus Ordinis S. Dominici annis, sanctis operibus, meritisque cumulatus, miro videndi Domini, & hujus exilii adeo ærumnosi, prolixique finiendi desiderio accensus, suam divinam Majestatem supplex oravit, ut sese mortalitatis hujus exilio educeret, & in patriam admitteret. Annuit oranti Dominus, eique revelavit ipso B. Virginis ad cœlites assumptæ festo die (cujus solemnitati erat apprime devotus) ejus desiderio satisfactum iri. Quapropter postridie anniversariam, festamque S. Dominici memoriam ardentibus æstuare febribus cœpit, a quibus non respiravit, donec expiravit. Pridie Assumptæ in cælum Virginis solemoitate, ut se jam viribus defectum sensit, convocatis ad se senioribus Cracoviensis Cœnobii Religiosis commendavit eorum, quæ a S. Dominico didicerat, eosque docuerat, observationem, mutuam benevolentiam, charitatem, comitatem, mansuetudinem, sanctam paupertatem, omniumque rerum caducarum, fluxarumque oblivionem: Hoc namque est, inquiebat, æternæ vitæ testamentum, tutaque semita, quæ ducit ad beatitatem. Sic effatus conticuit, & postero die, cum magno pietatis affectu canonicas preces Assumptæ Virgini solemnes decantari audisset, perceptis Sacramentis, & oculis in cælum sublatis, tricesimum magno servore psalmum recitavit, cujus initium est: *In te, Domine speravi*, & simul ad hæc verba pervenit: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: suum Domino reddit, quem pro tanta suæ gloria crearat 17. Kalend. Septemb. Anno Christiaoo MCCVII. ætatis suæ LXXIV.

XIV. S. Vincentius Ferrerius Ordinis Prædicatorum, cum perseotisceret, se propediem a Domino evocandum, idipsum suis sodalibus indicavit, quibus Auctor fuit, ut quiescerent, neque divinæ voluntati repugnarent. Sic lætus urbem lætantibus omnibus ingressus paucis post diebus graviter febriit. Quare quamvis semper morti paratus esset, & omnis ejus vita, continua mortis meditatio fuisset, tamen cuidam Ordinis sui religioso Sacerdoti, de suis peccatis, universim sigillatimque confessus, a Martino V. Summo Pontifice, plenissima indulgentia est impertitus. Hinc Episcopo, Magistratui, Principibusque, civibus supremum vale dixit, eosque monuit, ut, quæ biennio ultimo publice docuisset, recordarentur, & exequerentur. Sic enim cælestibus a Domino savoribus cumulatum, suisque de cælo precibus adjutum iri. Postea fores occludi jussit, ne a conferta multitudine, quæ percipiendæ beoedictiooıs illius ergo, certatim confluxerat, pietas ejus, & pax, & animi quies impediretur. Decreverat enim supremos illos ægritudinis suæ dies in sui dilecti complexibus exigere, sicut & fecit. Nam velut ecstasim passus, in summi boni contemplatione defixus hæsit; illam suspirans Patriam, ad quam gigantæis adeo passibos festinarat. Denique fusis ubertim lacrymis, eximium pietatis affectum præseferens, Sacramenta percepit, Christique passi historiam ab Evangelistis conscriptam sibi prælegi, septem Psalmos Davidicos ad pœnitentiam pertinentes, itemque Litanias recitari curavit, postea, incredibili corporis animæque lætitia, manibus oculisque in cælum sublatis, animam Deo reddidit, qui pro tanta sua gloria eam crearat, die Mercurii, ante Dominicam Palmarum. Anno P. C. N. cIↄ. CCCCLXVIII. *Ibid. 5. Apr.*

IDEA

IDEA IV.

Illustria Clericorum sæcularium pie morientium exempla.

Ribaden. 9. 1. Februar. 1. I. S. Ephrem virtutum, magnorumque plenus meritorum simul ac sensit a Domino evocandum sese ex hoc mortalitatis exilio, ad beatam perennemque immortalitatem mirabilem illam scripsit exhortationem, quæ quia ab eo jam moriente composita fuit, dicitur testamentum Ephrem, in quo signate vetuit se pretiosis vestibus indui, seque lacernis jussit indutum sepeliri, quod si vero funeri suo pretiosas jam vestes aliquas præparatas haberent, jussit eas vendi, partumque pretium in pauperes erogari. Cum vero nobilis quidam potensque vir suæ pietati erga virum sanctum satisfacturus, pretiosum stragulum, quo corpus ejus involveretur, emisset, ratus facturum se Deo gratius obsequium, si stragulo hoc viri sancti exuvias veneraretur, quam si pretium illius pauperibus impertiretur, obluctatus hac in re desiderio, extremæque voluntati illius, mox eum cacodæmon invasit, vexavit, dilaniavitque, donec agnitam culpam fassus, pedibusque ejus advolutus veniam poposcit. Unde vir sanctus miseri vices miseratus, ei manus imposuit monito, ut servaret, quæ erat pollicitus. Similiter vetuit honoratione suum corpus conditorio inferri, vel in Ecclesia, templove humari, sed in communi cum aliis peregrinis, pauperibusque cœmeterio sepeliri. Deinde circumstantes exhortatus ad amorem, sanctumque Domini timorem, omneque virtutis genus, animam suam reddidit Creatori, quam ad tantam gloriam procrearat. Decessit Imperatore Valente, & (teste Baronio) Anno Christ. CCCLXXVIII. Martyrologium Romanum meminit S. Ephrem Kal. Feb. Græci in Menologio V. Kal. Feb. Fuit Ephrem vir admirandus, divinus, a Deo singulariter illuminatus, & a Sanctis Patribus admodum laudatus. S. Gregorius Nyssænus, qui res ab eo gestas condidit, eum comparat Abeli, Noemo, Abrahamo, Moysi, Samueli, aliisque Prophetis, & veteris Testamenti Sanctis. Eum quoque S. Basilius allegat, & ait, tanto remotiorem fuisse a sapientia mundi, quanto propior fuit cælesti. S. Joannes Chrysostomus vocat Magnum Ephremum desolatorum consolatorem, Ducemque pœnitentium. Theodoretus eum appellat virum mirabilem, & excellentissimum. S. Hieronymus ait, eum complura scripsisse opera idiomate suo Syriaco, tantæque existimationis fuisse, ut in aliquibus Ecclesiis post sacram Scripturam, ejus etiam scripta legerentur. Metaphrastes, Sosomenus, Nicephorus, Callistus, aliique historiæ Ecclesiasticæ Scriptores, inter quos S. Athanasius Synaita, Photius Patriarcha, Gregorius Cedrenus, & Theodorus Prodromus de Sancto Ephremo disseruot, tamquam de viro sublimi, imo excellentissimo, & divino. Opera illius admodum spiritualia sunt, & in ipsis velut in clarissimo speculo S. Ephremi virtus, eloquentia singularis, alta præcepta, maximeque quidam spiritus cælestis, supernus, suavis, & efficax (quo Dominus eum singulariter impertiverat) mirabiliter elucet. Hæc ejus opera sancti Patres, Græcique Sapientes adeo admirati sunt, ut illa ex idiomate Syriaco in Græcum converterint, & per divinam bonitatem ad nostra quoque sæcula sint propagata beneficio Gerardi Vossii Germani, qui hæc eadem opera collegit, & in Idioma Latinum transtulit, doctissimisque illustrata notis Romæ typis excudit.

II. Venerabilis Beda cum feliciter vitæ suæ cursum consummasset, ægrotare paulo ante anniversariam festamque Dominicæ Anastasis solemnitatem, cœpit laborare omnis esculenti nausea respirandique difficultate, quæ tenuit usque ad Ascensionem Domini, quamvis, ut erat fervidus, otiique hostis, nec suas in choro canendi, nec suas in schola docendi vices omiserit, suis discipulis, cum dictaret, subiode dicere solitus illa S. Pauli verba: Horrendum est incidere in manus Dei viventis, quo scilicet eos excitaret ad Dei timorem; sed & alias iisdem dictitabat: *Discite, quam potestis ocyssime, quia nescio, quam diu sim vobiscum mansurus.* Cum gravissime eum morbus urgeret, illud divini codicis oraculum crebris sermonibus usurpabat: *Flagellat Deus omnem filium, quem recipit.* Et illud S. Ambrosii: *Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* Similiter eum vaticinatum tradunt de suprema, quæ imminebat, orbis Christiani calamitate, nisi flamma sopiretur, quæ cœperat accendi, quamque quibusdam Principibus sibi familiaribus indicavit. Ita paulo post ingruit horribilis illa tempestas a Saracenis, a quibus eversa, vastataque est Europa. Atque hoc suum vaticinium complexus esse fertur hoc versiculo: Regna ruent Romæ, ferro, flammaque, fameque. Denique cum supremam sibi mortis horam sensisset imminere, videndique sui Domini in gloria, eoque, qui vera est vita fruendi percupidus, dum caneret: Gloria Patri & Filio &c. spiritum Deo reddidit in anniversaria festaque Dominicæ Ascensionis solemnitate. *Ibid. 25. Maji.*

III. S. Philippus Nerius post varia medicamenta in morbo adhibita ad suos conversus, si alia, inquit, vobis medicamenta non suppetunt, manete, quippe quia cum morte jam luctari incipio; quibus dictis, ut sibi ipsi vacaret, conticuit. Verum quo plus supremis appropinquabat, hoc magis se mortem contemnere palam indicabat astantibus; super lectulum enim, ubi jacebat, quasi eam ad pugnam provocaret, sedentis instar allevat sese: duravit tamdiu in eo habitu corporis, in quem se tum composuerat, dooec spiritum exhalavit. Aderat jam Philippo suprema hora, cum Patres omnes accurrunt, & quem paulo ante vivum, atque incolumen reliquerant, pene mortuum præter opinionem offendunt: Hinc lacrymæ illico cunctis cadere incipiunt præ dolore, quasi pueris. Tanti viri jacturam, nullus erat, qui non lugeret; & *Vita fol. 411.*

quis

quis morientem Philippum intuitus lacrymas tenere potuisset? qui sui ipsius oblitus, nihil amavit magis, quam aliis prodesse. Interea Patribus communem parentem insolabiliter plorantibus, ejus animam Cæsar Baronius lacrymas precibus miscens Deo, Sanctisque de more commendat: quo peracto admonitus a Medico, Philippo mortem instare, ad illum mox conversus; heus tu, Pater mi? clamare cœpit: Quid causæ est, quod nobis nullum verbum dicis? Alloquatur, quæso, Pater filios, quos Christo tanto labore genuit: eripiat, rogo filiis tantum dolorem, aut minuat saltem: Ubi benedictionem filiis tribuerit Pater, tum eorum minuet dolorem. His Philippus auditis, oculos confestim in cælum tollens, aliquantulum oravit pro filiis: supplicatione completa astantes intuitus quasi sua eos benedictione muniret, nullam passus vel minimam membrorum distorsionem, fine ullo molestiæ signo, ipsa jam morte, cujus cæteri vel nomen horrent, fortior, placidissime efflavit animam, octavo Kallendas Junias: erat eo anno dies sacri Corporis Christi solemnitate celebris, intra horam sextam, ut prædictioni responderet eventus, Anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quinto.

I D E A V.

Illustria Sæcularium SS. Laicorum pie morientium exempla.

Eus. Nierenberg. virgo coronata c. 4. §. 1.

I. PHilippus II. Hispaniæ Rex, magnum Regem in vita, Christianum insignem in morte repræsentavit. Multis morbis ac doloribus singulari cum patientia per vitam exantlatis, atque hos inter longævis podagræ cruciatibus exercitatus fuit. Totum illa corpus perrepsit, ea cum carnis ac nervorum convulsione, ut neque admoveri tenuissimos pannos sit sæpe passa, nec non singulariter affici delicatam complexionem oportuerit. Non fuit tamen audire lamentantem, non impatientem, non molestum intervientibus: quinimo solari eorumdem de sua molestia afflictionem, Deum identidem laudare, & divinæ se voluntati conformare. Erat sane istud agere gloriosius aliquid reportatis e bello victoriis, ditionibus in potestatem redactis, regnis Monarchiæ additis, aut pari cum Alexandro fortuna mundo sibi subjugato. Quis dicendo pro dignitate exequatur fortitudinem, ac constantiam, qua vultu immoto, ne suspirans quidem, incisionem alterius genu admisit, & toleravit? Ægritudine confectus & fractus languoribus, non lacrymam misit, non significationem edidit sensus perculsi; leniendo dumtaxat dolori postulavit, ut Confessarius elevata voce Dominicæ Passionis ex Evangelista Matthæo historiam legeret, signanterque verbis insisteret, quibus in horto Getsemani usus erat Salvator: *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Expertus ab hoc consilio, & facto cæleste præmium & conversus mox ad Confessarium profunda cum demissione monuit, ut gratias Deo referret: suppressa lætitiæ causa, ne in animis circumstantium aliqua sui existimatio proveniret; ita gloriam qua apud Deum fuerat illustris, Christianæ demissionis velo obtegens, ex ea virtute cæterarum basi, imo coronamento impulsus, animi magnitudinem, ac robur singulare moriens explicuit. Pluribus ante mortem diebus de imminente obitu factus certior nullo metu, aut tristitia, sed festivo, ac gaudenti obtutu nuncium accepit. Mox ad complectendum amicum hospitem pro dignitate se comparaturus expiationem conscientiæ, quam diligentissimam, & frequentem præmisit. Diebus quinquagenis eodem situ supinus strato incubuit, virium lapsu, ac vi dolorum mutationem, & innovationem loci prohibentibus. Unum tunc Regis desiderium audiebatur; ut fiat Dei voluntas; Una hæc cogitatio, ad bonam mortem comparatio. Accidit, ut e cubiculariis quidam lætior nunciaret; judicio Medicorum ex eo morbo Philippum adhuc biennio superstitem fore. At Rex nihil ad ista animadvertens; cum mortuus, inquit, fuero, imaginem Deiparæ, quam vidétis, quondam meæ Matris donum, quam ego quinquaginta sex annis mecum de collo circumtuli, filiæ meæ date. Intentus in finem vitæ pie decurrendum, quæ ad eum facerent, quidque deinde suo corpori præstandum, sapienter ac provide præordinavit. Collo meo, inquiebat, cruculam ligneam a filo appendite, ut pectori insistat. Mori volo, crucifixum tenens manu, quo cum mortem obiit Carolus Imperator progenitor meus. Adsunt ibi binæ candelæ ad Aram divæ Virginis de Monte Serrato benedictæ, unam de iis habete in promptu, præsentandam, cum opus fuerit, sarcophagum, & sepulturam ratione, quam edico, instruetis. Agens super negotiis animæ cum Confessario; Pater, ajebat, Dei apud me vices agis: promitto tibi, præstiturum me singula, quæ suggesseris, saluti meæ opportuna; per te stabit, si quidquam necessariorum abs me omittetur; Ad universa paratum habes. Voluit ut Philippus filius adesset, cum extrema Unctione erat inungendus. Hac expedita subdidit: Petii, ut interesses præsens huic functioni, ut inspicias, quo res humanæ fine terminentur. Tum sollicite inculcavit, & iterato commonuit, ut cordi unice haberet Religionem Christianam, defensionem fidei, & curam Justitiæ: ut conatus omnes per tempus vivendi, ac regnandi eo dirigeret; ut, cum ipse quoque mortis articulo appropinquaverit, securum in conscientia se experiatur. Mandavit subinde, ut vulnera nudarentur, quæ ex morbi, & curationum tractu acceperat. Ea filio commonstrans: Ecce, inquit, fili, quomodo a mundo & tempore Reges tractentur, ecce, quam pariformiter ad cæteros homines mundi capita miseriis subjaceant! Vide, quam severe, sed juste delectus meos, per quos minus, ut oportuit, Deo servivi, ipse in me nunc vindicet: nec adhuc scio, quid in futurum mecum disponat. Hinc velim ut concludas quid futurum sit iis, qui Deo negli-

gen-

gentius parent: Tum Christi de cruce pendentis effigiem, & flagellum sanguine cruentatum protulit; & hoc signo, inquit, manus obarmatu diem obiit Carolus Imperator Avus tuus, ut nunc ego Rex Catholicus; hoc idem in pignus salutis assumo, dum morior; non aliter ages fili, & reverenter, ut decet, semper habebis imaginem Christi Salvatoris: Ita exemplo tibi Carolus, & ego præivimus; meritum tibi nobiscum commune exinde spera. Sanguis hic flagello aspersus, non est meus, sed Caroli Imperatoris, ac Domini mei. Tibi hunc asservavi, ut memineris nos præ cæteris indigere, ut simili modo sanguinem fundamus. Accipe donum, & pretiosarum Reliquiarum loco conserva, atque in pretio habe. Deo conjunctus vive, a quo tibi benedictionem opto, quam paterne & ego impertior. Simul benedictione amanter impertita Philippum dimisit, nec ultra vidit. Moriens, cereum benedictum Deiparæ Monserratensis dextera tenuit; tam arcte complexus, ut mortuo vix potuerit eripi. Diebus, quibus quinquagenus decubuit, decies & quater Sacro epulo refectus fuit. Conversatio sub id tempus omnis de morte. Capi mensuram jussit feretri, quo elatus fuit Carolus; quo item amictu involutum sarcophago intulerint explorari, ut non dissimili apparatu concederetur. Funebria sibi alia instrui vetuit, quam quæ Religiosis Conventus S. Laurentii impenduntur. Mortem Regis omnis Christianitas luxit.

Jo. Rho l. 1. c. 1. n. 6. Fere consonant his, quæ de eodem Joann. Rho scripsit, quod scilicet approximante mortis hora, filio suo Philippo III. ad se accersito, rejecta stragula veste, pectus reginarum olim curarum hospitium nobile tunc ebullientibus, ac stabulantibus fœdiculis horridum, ostendens, dixerit: vide Princeps, quo tandem recidant utriusque solis divitiæ, & territo concussoque bellis veteri, novus orbis sub jugum missus. Morimur.

Ribadn. p. 2. 20. August. II. S. Stephanus Hungariæ Rex post filium amissum, ægritudine correptus, eaque paulatim fractus est adeo, ut insistere pedibus nequiret. Atque hinc sicarii aliquot arripuerunt ansam sese vindicandi, quod ab eo sese severius habitos existimarent. Itaque quatuor in ejus caput conspiravere Palatini, qui prius eum perimere decreverunt, quam naturali morte defungeretur. Quapropter unus eorum vel maxime audax, sub primas ingruentis vesperæ tenebras, antequam cubili Regio lumen inferretur, stricto ferro, quod pallio abscondeat, parricidii certus, irrupit. Sed Dei, qui suos tuetur, nutu, simul pedem cubiculo intulit, gladius manibus ejus excidit. Rex tinnitu ferri cadentis excitus, percontatus est, quid sibi tinnitus ille portenderet; Tum vero sicarius metu propemodum exanimatus, Regisque vestigiis advolutus, & cur advenisset fassus, destinati parricidii veniam poposcit. Ille supplici veniam impertitus, in reliquos conjuratos repente comprehensos capitalem tulit sententiam. Crescebat in dies infirmitas, unde prudenter vir sanctus colligebat ex hac valle mortalitatis ac mœroris se propediem ad Regnum gloriosius evocatum iri. Quare cum magno pietatis affectu omnia SS. Sacramenta percepisset, ad se coactos Episcopos, Regnique Dynastas, ut fidem Catholicam tuerentur, & justitiam moderarentur cohortatus, designato sibi successore, cum suos omnes singulari pietatis affectu Sacratissimæ Virgini Mariæ commendasset, eamque supplex orasset, ut suum spiritum suo Filio offerre dignaretur, expiravit 18. Kalend. Septembris qui dies ut est Assumptæ B. Virgini in cælum, festus, sic & eodem defungi summis ab ea precibus contendit, & impetravit.

III. Homobonus fuit in fundendis ad Deum precibus pius adeo, ut iis non tantummodo diei, sed pleramque etiam partem noctis impenderet. Semper matutinas preces adibat, tamque diligens quavis nocte ad Sancti Ægidii ventitabat ad eas audiendas, ut Parochus nomine Hubertus, simul campanulam insonuisset, subito ad referandas Ecclesiæ valvas se proriperet, ut Homobonum admitteret. Idem virum sanctum reperit in templo sæpius orantem, quamvis ipse fores ei non referasset. Nam cum maturius adveniens portam sensisset occlusam, Deus eam miraculo pandebat. His atque id genus miraculis, & sua sanctitate multos convertit, etiam pertinacissimos Hæreticos, quos admodum docti religiosique viri variis argumentis, ac rationibus incassum tentarant. Denique Anno Christiano MCXCVII. cum pro suo solemni matutinis precibus interfuisset sanus & incolumis, secundum has fixis humi coram crucifixi Domini icone genibus in preces sese dedit, eoque corporis situ duravit usque ad Missæ Sacrificium, in quo cum Sacerdos hymnum, cujus initium est: *Gloria in excelsis, &c.* recitaret, ipse protensis & invicem commissis decussatim brachiis nulla prævia ægritudine tentatus, nullo strepitu edito placidissime animam exhalavit Id. Novembr. In hunc modum mortuus est inventus, editaque per urbem mortis ejus fama, mox innumera concio ad eum videndum, venerandum, tangendum, pretiosarumque reliquiarum ejus quidpiam referendum confluxit. Porro multis lacrymis, & magno pietatis affectu fuit ad S. Ægidii humatus, ubi Dominus eum multis miraculis illustravit, claudis pedes, cæcis oculos, linguam mutis, aures surdis, salutemque ægris impertitus. *Ibid. 13. Nov.*

IV. S. Hubertus cum multa Monasteria, in quibus etiam ipse propriis manibus laborarat, fundasset, tandem optata dies affuit, quo Dominus eum exilio mortalitatis educere, & in patriam evocare destinarat. Cujus divini consilii præscius, misit rogatum S. Antistitam Aldegundem, quo sibi linteum, quod suis ipsa manibus concinnarat, concederet suo funeri accommodatum. Antequam tabellarius eodem destinatus, fuisset appulsus, jam S. Virgo cælesti viso didicerat, quid S. Huberto esset futurum, moxque funebria ei lintea destinavit, quibus exanime corpus ejus involveretur. Hæc vir sanctus vix accepit, cum spiritum in Dei manus edidit. Itaque his linteis in- *Ib. 4. Dec.*

involutus, perhonorifice a suis discipulis ubertim collacrymantibus in Sacello, quod ipse construxerat, humatus est. Centum quinquaginta annis ab ejus obitu Abbas divinitus admonitus corpus ejus transtulit adeo recens, & integrum, ut eo primum die videretur expirasse, quod Arabicos odores, & Pæstana rosaria redolebat. Eadem lintea, quibus exuviæ sacræ fuerant involutæ, nihil tabis, nihil vetustatis contraxerant. Flores etiam herbæque, quibus sacrum funus fuerat aspersum, pristinum odorem, viroremque retinuerant haud aliter, ac si tunc primum decerpta fuissent.

Vit. c. 24. V. S. Elzearius ultima ægritudine correptus, dehinc nihil ulterius cum mortalibus fabulatus, gravissimos inter & continuos dolores, animum ad æquitatem & spem debitæ sibi mercedis exstimulabat. Oblectabatur continua Christi Domini cruciatuum recordatione; quorum memoriæ assiduos interpretes adesse sibi voluit. Multa etiam ex Davidicis carminibus memoriter decantans, illud in primis ex Psalm. 40. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus &c.* Cum ad extremum certamen sacrosancto ceromate inungeretur, ad Divinæ Crucis mentionem dixit: *Hæc est sola spes mea; in hac emori certum est.* At cum jam ad duellum accessit, oris habitu terroris, horrorisque pleno esse cœpit, quasi perquam difficili gravique sibi labore objecto. Perstitit in hoc aspectu aliquantisper; cum derepente exclamavit: *Magna est vis orci, sed tam Christi Jesu vis ex adverso longe valentior fregit, & obtrivit.* Neque diu postea: *Plane vici.* Et denique: *Me totum æquitatis Divinæ judicio submitto.* Ac statim color, & suavitas oris ejus rediit, addita venustate, & splendore quodam. Atque sic exhausit animam Anno salutis MCCCXXIII. V. Kalend. Octobr. cum ageret ann. XXVIII. neque olla postea mortalis species, aut pallor vultum ejus deformavit.

Tur. 19. Sept c. 23. Audiamus Surium, his egregie concinnentem, quando ita scribit: S. Elzearius Comes illustris, sed vir sanctissimus, & qui cum uxore nobili perpetuam virginitatem coluit, in mortis articulo positus, jubebat, sibi Christi Domini passionem legi; lingua ejus a divinis non cessabat laudibus, crebro repetens illum versum: Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. Sumpto autem Dominico Sacramento, cum sacro oleo ungeretur, & versum illum dicerent: *Per crucem & passionem suam libera eum Domine*; Ipse eumdem tertio repetivit, & addidit: Hæc est spes mea, in hac volo mori. Ad extremum jam in agone positus, vultum præ se tulit valde terribilem, unde colligi liceret, eum in magno versari labore ob quædam illi objecta; atque sub ejusmodi conflictu exclamavit: Magna est dæmonum vis, sed ea penitus enervarunt virtus & merita sacrosanctæ Incarnationis & passionis Jesu Christi. Et post paululum rursum exclamans: Plane, inquit, vici. Post aliquantulum temporis spatium cum ingenti clamore dixit: Totum me divino Judicio committo. Atque his dictis reparatus est vultus ejus, & quodam rubore atque splendore, multaque elegantia perfusus, atque ita reddidit spiritum.

VI. Erat quidam Sanctus Eremita, qui inter cæteras virtutes magnam habebat gratiam infirmis ministrare. Hic admonitos per visionem ivit ad proximam civitatem, & dum venisset ad portam, vidit quemadmodum horribilem infirmum, & fœtidum, quem etiam leprosi inter se sustinere non valebant. Huic cum sanctus Eremita inservire cœpisset, eum in Domino confortans, respondit infirmus: *Sit Deus altissimus, benedictus, qui hanc mihi donavit infirmitatem. Sed timeo, ne Deus minuat mihi præmium in cælis propter tuum servitium humile.* Et ille: *Non est ita, sed pro mea mercede jussus sum huc venire.* Sic sancta lis quotidie inter eos oriebatur, & quanto plus Eremita serviebat, tanto plus servire affectabat, & infirmus eum servire non sinebat, ut plus sustinendo, plus præmiaretur. Tunc post annos quindecim expletos infirmus deosculari cœpit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietate sibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum, ut ostendere dignaretur, qualiter hæc anima sancta de corpore egrederetur. Et ostensum est. Cum enim ad horam novissimam devenisset, audivit vocem dicentem: *Veni dilecte mi.* Tunc illa felicissima anima ad omnes sensus corporis dicebat: *Vobis regratior, quia mibi obedistis. Oculi vanitatem non concupivistis; aures vanitatem non audistis; manus in deliciis delectatæ non fuistis: pedes ad vana non cucurristis; olfactus delicias contempsisti; gustus aliquid delicate non edisti. Tu igitur, o corpus mecum in pace quiesce, ut tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem.* Et hoc dicto, cum conventu Angelorum Sancta anima evolavit ad cælum. *Spe. Ex. v. Infirmitas ex. 13.*

VII. In ea porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est pervia, fuit, quidam Servulus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt, ait Sanctus Gregorius rebus pauper, meritis dives, quem longa ægritudo dissolverat. Nam a primæva ætate usque ad finem vitæ paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non poterat, qui numquam in lecto suo surgere, vel ad sedendum valebat, numquam manum suam ad os ducere, numquam se potuit in latus aliud declinare. Huic ad serviendum mater cum fratre aderat, & quidquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus, pauperibus erogabat. Nequaquam literas noverat, fed Scripturæ sacræ sibi codices emerat, & Religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Factumque est, ut, quantum ad mensuram propriam attinet, plene sacram Scripturam disceret, cum sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis, Deo, ac laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum jam tempus esset, ut tanta ejus patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumque se jam morti proximum agnovit, pere- *Ribad. p. 1. 21. Dec.*

gri-

grinos viros, atque in hospitalitate susceptos admonuit, ut surgerent, & pro expectatione exitus sui cum eo psalmos decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente compescuit cum terrore magni clamoris dicens: *Tacete, numquid non auditis, quantæ resonent laudes in cælo?* Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aures cordis intenderet, sancta illa anima a carne soluta est. Sed exeunte illa tanta illic odoris fragrantia aspersa est, ut omnes illi, qui aderant, inæstimabili suavitate replerentur, ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laudes, quas audierat, in cælo suscepissent.

Jo. Nadast Ibid. 40. VIII. Dom. Joannes de Vilela majorum in Aragonia Sancti Jacobi Equitum Commendator post plurima & maxima magnificæ pietatis officia, hoc etiam perfusus lumine, ut morientes præcipuo juvaret studio, in lectulo mortuali statuit ut pro Biscaja patria sua tota, suis impensis quasi pro testamento morientibus omnibus a se moriente relicto, imprimeretur praxis quædam juvandi ægros ad bene moriendum, & per omnem Biscajam ad suas rationes distraheretur, ut omnibus ad manum esset. At videamus, qui adeo sollicitus de moribundis fuit, qualis ipse fuerit in agone, quæ pretium tulerit operæ adeo pretiosæ. Primum generali vitam omnem exomologesi ad exemplum Sancti Dominici expiavit, & quod illa testatur, & nos ipsius praxis verbis latius referemus, frequentissima se confessione parabat ultimo tribunali Dei. Deinde cælesti quadam exundantis lætitiæ suavitate delibutus, in illa conscientiæ serenitate, quasi sudo cælo in aprico exultabat, quod per dolores venientem mortem persentisceret. Absorptus est in illis mille lætitiis dolorum sensus: neque sapiebat audire quidquam, quod cælum non saperet. In sacrosancto Viatico, & suprema sacri ceromatis unctione spem ultimam reponebat: Ideoque non ultimo expectato illo, & conclamato animæ se e mundo jam proripientis articulo, mature particeps esse voluit utriusque: hoc tantum, sed brevi tunc mœrore nonnihil subveritus, ne quia melius sibi & in corpore, & in animo esse susceptis illis Sacramentis manifeste sentiebat, iterum convalesceret, & invitus defereretur in vita. Evidentibus æternæ salutis pignoribus cumulatum ajunt, qui morienti adfuere. Quo a morte propius aberat, eo magis liquida mortem exoptantis animi dulcedine ibat in jubilum. Ultimum illi vitæ triduum totum inexquisite altis & sanctis mori desiderantium Sanctorum suspiriis atque lætitiis fluxit. Hausta e Christo fiducia non timere se, ajebat, agonem mortis: imo ex omnium jucundissimarum quas unquam habuisset, horarum cumulo sibi esse unam, eamque jucundissimam eam, quæ ultima esset vitæ, seu mortis, horarum. Regio Confessario & alteri cuidam, e Primoribus viro, interrogantibus, qui valeret. *Expecto*, inquit, *alacer, donec veniat immutatio mea.* Vitæ spem oggerentibus respondit, se mortem efflictim, tametsi anni adhuc sibi offerrentur, & publicis officiorum, & a privatis morborum perturbationibus liberi, & omnibus, quæ quidem excogitari possent deliciarum ac recreationum commoditatibus affluentes. Solebat dicere; nunc demum se penetrasse ad suavem fundum cælestis illius dicti, *Melior est misericordia tua super vitas!* Quotquot vitas haberet mundus, meliorem esse plenam vitæ æternitate misericordiam Dei super omnes vitas. His effusæ in Deum mentis affectibus intermicabant selecta quædam ad cælitum Reginam, & omnem beatorum regiam, Angelosque suspiria, pretiosa cordis contriti, & Deo plene immolati Sacrificia, & holocausta, indulgentiarum usus diligens, & quidquid demum utile esse videret ad optime moriendum; id quod optime consecutus est anno 1630. 3. Januarii magno spei præcipue argumento illos demum felicissime emori, qui morientium auxilio sese omni, qua possunt, opes operaque impendunt.

IX. Rogerius in Annalibus Anglorum de Henrico II. Rege insigniter pœnitente ait. Qui cum sensisset mortem sibi imminere, convocatis Episcopis, & viris religiosis primum secreto, dein coram omnibus sua peccata confessus est, & suorum peccatorum absolutionem accepit. Deinde depositis mollioribus indumentis cilicium induit, & ligato fune in collo suo, dixit Episcopis, ac cæteris Religiosis: *Trado me peccatorem indignum, culpabilem, per funem istum vobis Ministris Dei postulans, ut Dominus noster, qui latroni in cruce confitenti peccata dimisit, per preces vestras, & suam ineffabilem misericordiam misereatur infelicissimæ animæ meæ*; & responderunt omnes. *Amen*. Et ipse ait illis: Trahite me e lecto isto, per hunc funem, & impone lecto illi cinereo: & fecerunt sicut præcepit illis; & apposuerunt capiti & pedibus suis duos lapides magnos quadratos. Et omnibus rite peractis præcepit suum corpus deferri in Nortmanniam Rothomagum usque. Et his dictis ipse SS. Viatico munitus in timore Domini emisit spiritum. *Vosd. as c. 21.*

X. Ferdinandus Rex Castellæ advertens diem mortis adesse, die S. Nativitatis Domini Missam cantari præcepit, sub qua & communicavit. Sequenti die vocans ad se Episcopos & Abbates, in templum se deferri jussit, regio cultu & ornatu indutum, ibique fixis genibus Deum universi Dominum confessus, regnum suum, quod administraverat, reddidit: tum chlamidem regalem exuens, & coronam deponens, cilicio indui, cinereque conspergi voluit, & sic post duos dies inter manus Episcoporum Spiritum Deo reddidit. *Baron. to. 11. ad an. 1605.*

XI. Joannes Rex Aragonum ex hac vita migraturus, cum mortis metu lacrymas solveretur, fuse ad aulicos perorans ostendit, nihil sibi regnum, nihil honores profuisse, sanctiusque se victurum fuisse, si non Rex, sed agricola fuisset. Demum ad Christum Crucifixum conversus, inter pia suspiria expiravit.

XII. Juvenis quidam Dux Lotharingiæ cum esset in extremis, respiciens domos suas & castra dicebat: O Domine Deus, quan- *Bellar. spec. mor. p. 1. l. 2. disp. 4.*

 tum

tum contemnendus eſt iſte mundus, quando ego, qui tot habeo caſtra & palatia, & tot potui, hoſpitare neſcio, quo adhuc in nocte iſta debeo ire, aut apud quos hoſpitari.

Bellov. ſpe moral. 666 diſt. 3. XIII. Rex Franciæ laborans ad mortem, & deſperatus a Medicis, & poſitus in cinerem, vocavit omnes adſtantes, dicens: Ecce ego, quia ditiſſimus eram, nobiliſſimus de mundo, pro omnibus divitiis meis, & potentia, & amicis non poſſum extorquere e morte inducias ab infirmitate per unicam horam. Quid ergo valent iſta omnia? Et hoc dicens, omnes audientes concitavit ad fletum.

Marulb. lib. 2. XIV. Ludovicus Quintus Gallorum Rex cum ingentibus copiis ad recuperandam Jeruſalem profectus, partes; jam regioni illius occupata, febris morbo interceptus, nequivit præſtare quod promiſerat; dum autem ægrotaret, non in ſericis, ſed in cinere jacere voluit, & extenſis ad inſtar Crucifixi manibus animam efflavit. Sic humiliatus regnum deſeruit terrenum, & cum Chriſto regnare cœpit in cælo.

Bern. ſ. 26. in Cant. XV. De Gerardo fratre ſuo teſtatur D. Bernardus, quod media nocte moribundus in illam ex pſalmo vocem eruperit. Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelſis. Jam tibi, inquit, frater mi, nocte adhuc media dieſcebat: nox ſicut dies illuminabatur. *Pſ. 148.* Accitus ego ſum ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, inſultantem morti. Ubi eſt mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, ſtimulus tuus? jam non eſt ſtimulus ſed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo, cantat.

IDEA VI.

ILLUSTRIA MULIERUM
Pie morientium exempla.

Ribad. p. 2. 22. Jul. I. S. Magdalena poſt expletos triginta annos ipſamet quemdam Sacerdotem rogavit, ut adiret S. Maximinum, ſuoque ei nomine diceret, ut ſequenti Dominica ſub auroram ſolus in templo compareret. Paruit ſanctus Epiſcopus, & Magdalenam in aere pendulam ſublatis in cælum manibus precibus intentam reperit. Hic magno pietatis affectu fuſis ubertim lacrymis S. Synaxin percepit, & haud multo poſt ſuum ſpiritum in amantiſſimi Sponſi, ſuique Magiſtri manus edidit, quem ſuorum peccatorum cauſa ſenſerat olim ſuum in cruce cæleſti Patri commendaſſe. Sanctiſſimam ejus animam cælites in cælum feſtivis plauſibus & jubilis ſuſtulere; corpus eodem loco conditum, & honorifice ſemper fuit habitum.

Ibid. 29. Julii. II. De S. Marthæ morte ſic ſcribit citatus Author: Simul illud tempus advenit, quo Dominus hinc evocatam cæleſti præmio donare decrevit, uno anno prius, quam decederet, felicem vitæ finem ei prænunciavit, voluitque anno toto prius eam febribus decoqui. Sed octo diebus antequam moreretur, ſuaviſſimam in cælo muſicam, cantanteſque audivit Angelos, a quibus anima Magdalenæ ſororis ejus in cælum fuit ſublata, quæ etiam ipſa ad Martham cum Chriſto apparens, inviſit, & ab hoc audiit: Veni hoſpita mea dilectiſſima, quemadmodum tu quondam tua me domo recepiſti, ſic ego te recipiam in cæleſtem domum meam. Hinc in pavimentum cineribus aſperſum, impluviumque, e quo cælum contemplari poſſet, voluit deponi. Sic depoſitæ petenti, manuque crucem præferenti, ſacra Domini paſſi hiſtoria, quam S. Lucas conſcripſit, eſt prælecta. Simul ad ea verba ventum: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum:* ipſa quoque ſuum Domino reddidit. Ait præterea S. Antonius S. Frontino Petragoricenſi Epiſcopo (quem Petrus Apoſtolus Petragoricis Antiſtitem præfecerat) ſacris Miſſarum ſolemnia operanti Angelum apparuiſſe, & ut ad exequias S. Marthæ properaret, imperaſſe. Itaque Taraſium cæleſti vi tranſlatum, morienti aſtuiſſe, ipſumque Chriſtum funebres ejus exequias celebraſſe. Sic Deus honorat honorantes ſe; ſic invicem ſibi præſtita obſequia reponit.

III. De S. Petronillæ ſingulari pulchritudine cum quidam Flaccus homo nobilis, ac potens forte reſciſſet, tanto ejus amore ſuccendi cœpit, ut ejus in matrimonium accipiendæ certus, eamdem magno militum præſidio obvallatus, convenerit, ſuique adventus cauſam recenſuerit. Cui illa: Ecquid opus armis, Flacce, ad imbellem mulierculam debellandam? Animi puellarum non expugnantur armis, ſed donis; non terrore ſubjungantur, ſed amore. Quod ſi me vis uxorem, tridui inducias concede, ut ad nuptias me comparem. Elapſo triduo nobiles mihi mitte matronas ac virgines, quæ me ſolemni pompa (quemadmodum tuam decet nobilitatem) tuas in ædes deducant. Placatus hiſce Flaccus, ita ſe facturum recepit. Verum enim vero S. Virgo, quæ perpetuam Chriſto virginitatem dedicarat, tridui inducias precibus, jejuniiſque impendit cæleſtem enixe precata Sponſum, ne ſuam periclitari ſineret integritatem, ſolius ejus amori dicatam tamque ſollicite hucuſque ſibi conſervatam. Jam induciarum dies abierat, cum Sanctus quidam Sacerdos Nicomedes ejus in ædes forte delatus, ibidem Miſſam fecit, & S. Virginem ſacra Synaxi refecit. Hoc igitur cæleſti viatico præmunita, ſuo ſeſe lectulo compoſuit, puramque animam in ſui manus Creatoris edidit. Affuere præſtituta die Virgines ac Matronæ a Flacco ſubmiſſæ, ejuſque in ædes Virginem deducturæ: ſed eum eam repeiſſet extinctam, vice nuptiarum funebres ſolemniter exequias celebrarunt. Deceſſit pridie Kal. Junii, quo die anniverſariam ejus Eccleſia memoriam agit. Corpus ejus via Ardeatina conditum poſtea ſolemni pompa in Baſilicam Principis Apoſtolorum Petri tranſlatum, Paulo hujuſce nominis primo Eccleſiam moderante. *Ibid. 30. Maji.*

IV. S. Maria Ægyptiaca cum a Zoſimo, qui eam in ſolitudine SS. Euchariſtiæ epulo refecerat petiiſſet, ut ſequenti anno iterum rediret, ille conſtituto tempore revertens, & ad locum, ubi prius eam viderat, progreſſus, nonnullos inde radios ſolis inſtar ſplendidos emi- *Ibid. p. 2. April.*

care fensit; quos, ut proprius acceffit, fanctam jam defunctam, corpus ejus humi ftratum, modeftèque verfus orientem compofitum vidit, cum verbis his in arena exaratis: *Sepeli Abba Zofimæ, miferæ Mariæ corpufculum. Redde terræ, quod fuum eft, & pulveri adjice pulverem. Ora tamen Dominum pro me transeunte V. Id. Aprilis, nocte falutiferæ potionis poft divinæ & facræ cœnæ communionem.* Ex his caracteribus Zofimus collegit nomen fanctæ fuiffe, Maria, eamque anno præterito, una hora poft acceptam Eucharistiam, eo loci deveniffe, quem ipfe diebus omnino viginti vix adiiffet. Dein acceffit facrum corpus, pedefque ejus reverenter ofculatus Officium Defunctorum, ut vocant pone recitavit, eique folemnibus Ecclefiæ Pfalmis & hymnis parentavit. Cumque nefciret, quemadmodum facrum corpus humaret, mox accurrentem ferociffimum leonem Sanctæ pedes lambentem vidit, quem fibi tamquam pollinctorem fubmiffum divinitus intellexit, ut effodiendo tumulo operam navaret. Itaque figno crucis armatus leoni præcepit humum pedibus eruere, foffamque effodere humani corporis capacem. Getula bellua fancti Viri juffibus obfecuta cavum fatis capax effodit, in quod Zofimus facrum thefaurum depofuit, eique vetus illud pallium, quod olim ei præbuerat, quo fuam tegeret nuditatem, abftulir, fibique tamquam facras illius Sanctæ pœnitentis reliquias affervavit. Cæterum leo facrum corpus humo obruit, fuoque perfunctus officio mitis inftar agni difceffit, & fuum ad monafterium Zofimus reverfus miracula divina prædicavit, fuifque cœnobitis quid fibi contigiffet, enarravit. Illi rebus enarratis obftupefacti, Deo, qui fuis in Sanctis mirabilia operatur, grates, & S. Mariæ Ægyptiacæ anniverfariam, feftamque memoriam egerunt.

Ib. p. 1. 13. August. V. S. Clara vixit in fuo monafterio duos & quadraginta totos annos, idque admirabili vitæ fanctimonia rexit, fed eximiam omnino fuis virtutibus quafi coronidem adjunxit patientiam atque lætitiam, mediis & atrocibus in doloribus ægritudinis, quæ Sanctam Virginem octo & viginti annis exercuit. Nam quamvis extremos plane cruciatus perpeffa fit, tamen ejus ferenitatem vultus nulla triftitia obnubilavit, nullus querulas voces ullas, aut ulla fufpiria dolor expreffit. Nimirum Dominus eam tamquam fponfam probabat, mediafque inter ærumnas roborabat, & cæleftibus folatiis cumulabat. Aliquando eum feptem, decemque totos dies omnino jejuna duraffet, omnes fefe invifentes animavit, & lis invicem, Spiritum, quo illa abundabat communicavit. Auxerat interea morbi vis adeo, ut imminere fibi fupremum non dubitaret diem totis fibi votis exoptatum; quo nempe corporeis expediri vinculis, & in cæleftis Sponfi complexus fubvolare geftiebat. Accepit de Provincialis Miniftri manu Dominum, Sacramenti fpecie velatum, quem videre defiderabat in patria revelatum. Eodem die Innocentius Papa nominis hujufce quartus fama fanctitatis ejus excitus eamdem vifitavit, fuaque benedictione plenaque indulgentia impertivit.

Lohner Biblioth. Tom. IV.

Quam ob rem miris illa gaudiis in Domino geftire vifa, convocatas ad fe Religiofas filias fuas oravit, ut in agendis Deo gratiis fociam fibi navarent operam, quod & Sacrofancto Domini fui corpore refecta fuiffet, & ejufdem Domini fui fupremus in terris Vicarius ad fe invifere fuiffet dignatus. Erat inter alias Monachas Agnes S. Claræ germana Soror, quæ cum Sorori, fuæque in Chrifto Matri morituræ præfens adeffet, multis lacrymis oravit, ne fe relinqueret in terris, fed in cælum profectura fe comitem affumeret, quando adeo unanimes in communis Domini obfequio convixiffent. Sic orantem confolata negavit effe Domini voluntatem, ut jam fe comitaretur, neque tamen ambigeret præeuntem brevi fubfecuturam. Vaticinium id fubfecuta haud multo poft Agnetis mors comprobavit. Interea circumfufæ filiæ ejus omnes jam jamque morienti fuæ parenti fufis ubertim lacrymis parentabant, & illa defolatas blando fermone confolata ad omnium virtutum, in primis ftudium humilitatis, fanctæque paupertatis animabat. Hinc ad fuammet animam converfa, his eam verbis affata eft: *Vade fecura, quia bonum habes itineris conductum: Vade quoniam, qui te creavit, fanctificavit, & cuftodiens te femper, velut mater filiam, tenero amore dilexit.* Mox ad Dominum converfa: *Tu*, inquit, *Domine benedictus fis, qui me creafti.* Interrogata, cuinam colloqueretur, comiter ait: *Colloquor animæ meæ, quam prævenit Dominus in benedictionibus dulcedinis fuæ.* Ad emorientem Dominus, & Deipara Maria multis candidatarum, auroque coronatarum Virginum choris circumdata invifit. Atque hifce cæleftibus inundata favoribus cum Dominicæ paffionis hiftoriam prælegi fibi juffiffet, fanctam animam edidit in manus fui Creatoris, & cilicium, cinerem pœnitentiæ, labores, lacerulamque mortalitatis cum ftola immortalitatis, & paupertatis ærumnas cum fempiterna beatitate commutavit.

VI. Sancta Catharina Senenfis, cum tres & triginta compleffet annos, vitamque duxiffet virtute pleniffimam, & Chriftianæ reipublicæ utiliffimam, incredibili fuccenfa videndi cæleftis Sponfi defiderio defeeit, in lectulum viribus defecta decidit, fingulari pietatis affectu Sacramenta percepit, coactas ad fe fpirituales filias, fociafque fuas monuit, ut toto amoris affectu in folum Chriftum ferrentur, nullis rerum mortalium tricis intricarentur, nihil de proximis unquam mali fufpicarentur; itaque veniam focias, fi forte quampiam offendiffet, precata, plenam fufcepit indulgentiam a Summis Pontificibus Gregorio XI. & Urbano VI. fibi liberaliter impertitam. Cæterum diu morti colluctata, generofiffime ftygi conflixit, quam non modo vivens, fed & moriens gloriofiffime triumphavit. Hoc in agone mortis, eam quoque ftygius accufator arguit vanæ gloriæ. Cui Virgo: *Quid? vana gloria? Apage fis. Nunquam hæc obrepfit, femper cura mibi fuit fola, veraque Dei gloria.* Hoc agone perfuncta, mox ad preces converfa, cæleftemque Sponfum fuum fuaviter allo- Ibid. 30. Apr.

cuta, fimul dixit: *In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum*; Ad cælites evolavit tertio Kalend. Maji aooo a partu Virginis 1380.

Id. p. 2. 26. Jan. VII. De S. Paulæ morte piiffima fic fcribit S. Hieronymus: Sentiebat prudentiffima fœminarum adeffe mortem, & frigente aliqua parte corporis, atque membrorum, folum animæ teporem in facro pectore palpitare, & nihiluminus quafi ad fuos pergeret, alienofque defereret, illos verficulos ufurpabat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*. Et: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum concupifcit, & deficit anima mea in atria Domini*. Et: *Elegi abjecta effe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Cumque interrogaretur a S. Hieronymo, cur taceret, cur nollet refpondere, an doleret aliquid? Græco fermone refpondit, nihil fe habere moleftiæ, fed omnia quiete & tranquille perfpicere. Poft hæc obmutuit, & claufis oculis quafi mortalia defpiceret, ufque ad expirationem animæ eofdem repetebat verficulos, ut, quod dicebat, vix audiri poffet, digitumque ad os tenens, crucis fignum pingebat in labiis. Defecerat fpiritus, & anhelabat in mortem, animaque erumpere geftiens ipfum ftridorem, quo mortalium vita finitur, in laudes Domini convertebat. Aderant Hierofolymarum, & aliarum Urbium Epifcopi, & Sacerdotum inferioris gradus, ac Levitarum innumerabilis multitudo. Omne Monafterium Virginum, & Monachorum chori repleverant. Statimque ut audivit Sponfum vocantem: *Surge, veni proxima mea, fpeciofa mea, columba mea; quoniam ecce hyems tranfiit, & receffit, pluvia abiit*. Læta refpondit: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Ex hinc non ululatus, non planctus, ut inter fæculi homines fieri folet, fed Pfalmorum linguis diverfis examina concrepabant. Cæterum illa implevit curfum fuum, fidemque fervavit, & nunc fruitur corona juftitiæ, fequiturque Agnum, quocumque vadit. Saturatur, qneis efurivit, & læta decantat: *Sicut audivimus, ita vidimus in civitate Domini virtutum in civitate Dei noftri*. O beata rerum commutatio! flevit, ut femper rideret, defpexit lacus contritos, ut fontem Domini reperiret; veftita cilicio eft, ut nunc albis veftimentis uteretur, & diceret: *Scidifti faccum meum, & circumdedifti me lætitia. Cinerem ficut panem manducabat; & potionem fuam cum fletu mifcebat*, dicens: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*; ut in æternum pane vefceretur Angelorum, & caneret: *Guftate, & videte, quoniam fuavis eft Dominus*.

Idem 14. April. VIII. Sancta Lyduvina mortem fuam divinitus intellexit, ad quam quo melius fe compararet, ab omnibus notis veniam demiffe flagitavit; fi qua forte eis offenficulo fuiffet. Ita cum folemnis Pafchæ dies illuxiffet, Chriftum, Chriftiparamque, Apoftolis aliifque cælitibus cinctos, in fuo cubili vidit. Hic eam Dominus confolatus, adeo pretiofis & fragrantibus unguentis unxit, ut etiam poftridie odoribus omnino cæleftibus fragraret. Tertio fecundum Pafcha die circumftantes, ut fecederent, feque folam cum puerulo cognato relinquerent, oravit; Sicque cum totam fe cæleftium rerum commendationi dediffet, Chrifto piiffime collocuta, vehementiffimos omnino dolores perfenfit, in primis a luculenta pectoris plaga, quæ fic eam affecit, ut cum vomitu fellis particulas ejectarit. Secundum hæc aliquæ perfonæ, quibus illa fingulariter erat curæ, cum Presbytero, qui erat ei a facris Confeffionibus, a puerulo advocatæ, conclaves fubeuntes, eam jam defunctam, afperoque cilicio (quod nunc energumenis liberandis adhibetur) cinctam repere re. Porro fecundum animam gloriofe beato cælitum domicilio exceptam fuiffe, variis in locis divinitus eft revelatum. Corpus ejus, quod dum viveret, fuerat informe, totumque ulceribus obfitum, poftea vifum fuit integerrimum pulcherrimumque, facie adeo ferena & nitida, ut nec Apelles ei plus elegantiæ, aut nitoris addere poffe videretur.

IX. Sancta Clara de monte Falconis ante mortem toto feptennio diu noctuque horrendis eft exercita cacodæmonum fpectris. Sed illa ftabilis omnino petra fuit in Chrifto fundata, femper invicta, fraudumque ftygiarum extitit triumphatrix; quantoque duriores fuerint ejus pugnæ, tanto gloriofiores etiam fuerunt victoriæ & coronæ. Interea affulfit hora, qua fuorum præmia laborum a cælefti fponfo reciperet, quam divinitus etiam intellexit. Unde quo fe melius compararet ad hoc adeo felix iter, lætitiæ cæleftis exordium, convocatis ad fe facris Virginibus fe commendavit, eas hortata, quod meminiffent, quantas earum caufa fuftinuiffet ærumnas, patientiæ ac modeftiæ mutuæ ftuderent, fuperioribus obedientiam deferrent, fefe arctiffima invicem charitate complecterentur, ne forte redemptionis opus, quod tanto fuæ vitæ pretio ac lytro Chriftus in eis operatus fuiffet, earum culpa deftrueretur. Deinde perceptis Ecclefiæ Sacramentis divinitus intellexit, impetrata peccatorum venia, fe gloriam manere fempiternam. Hoc cælefti vifo fuit incredibilibus inundata gaudiis, ruptoque, quod ufque huc fervarat, filentio, his amantiffimum fuum Sponfum fuit affata: *O dulciffime Jefu, quanto dignaris præmio tibi fervientes, quorum funt ærumnæ leves*. Inde cum magno fervore fubjecit: *Magnum, magnum, magnum, Domine pretium eft mihi paradifus*. Subinde veluti Angelis, cælitibufque collocuta dicebat: *Abducite me*: Putarant adftantes, eam expiraffe; quapropter eam humatam abftulere, fed illico redanimata reclufit oculos. Cumque collætantes ei dicerent, videri rectius eam valere, Chrifti fponfa non nefcia, horam fuæ mortis imminere dixit: *Dilectæ mihi difcipulæ meæque forores, mundum relinquo, ad Chriftum me vocantem vado, cui me vofque commendo*. Sic effata (nullo edito doloris indicio) fanctam animam fuo reddidit Creatori, quæ priftino imbutum colore, candoreque corpus reliquit, haud aliter ac fi fpiraret, ocu-

Idem 17. Auguft.

oculis in cælum sublatis , vultu splendido & roseo , qui repente subiit , visendum.

Idem 19. Julii. X. S. Macrina Virgo Sancti Basilii soror , matre defuncta , in dies ad perfectionis apicem anhelavit , & quamvis degeret io terris , sæpe tamen cælestis beatitudinis cupedias libabat , suoque exemplo & hortatu reliquis Virginibus Domino devotis , desponsisque , quibus convivebat , tamquam mater earum , magistraque animos addebat , donec germanus ejus Frater Gregorius Nyssenus Imperatoris Valentis hæretici Ariani imperio ab Ecclesia sua exul , & ab Antiocheno Concilio redux , divinitus instinctus ad eam , quam toto octennio non viderat , invisere decrevit . Igitur eam convenit , venitque morti proximam . Unde cognovit eodem se divinitus esse destinatum , quæ morientem juvaret , mortuamque suis manibus humaret , eique tamquam sorori natu majori , imo matri , suæque spirituali magistræ parentaret . Cubabat sancta fœmina humi non innixa lectulo , sed duræ tabulæ rudi sacco stratæ , vicemque cervicalis asser consimilis subibat . Cæterum ut germanum fratrem vidit , Deo grates egit quod pro sui desiderii causa suscipere id iter esset dignatus . Cumque invicem aliquandiu divinis de rebus disseruisset , ut adesse mortis agonem S. Virgo sensit , pie prolixeque Deum precata pro collatis in se beneficiis grates egit , quod a mundi laqueis animum suum dilaqueasset , & omnium rerum creatarum pedicis expedivisset , rogans , ne suas noxas , ac peccata respiceret , sed animam suam velut incensum divinæ charitatis igne liquatum suscipere dignaretur . Secundum hæc cum signum sanctæ crucis suis oculis , ori , cordique impressisset , medias inter preces illa sancta anima suo corpore evolavit , quod perinde compositum , venustumque reliquit , ut erat vivum . Tum vero cunctæ Parthenonis illius Virgines ubertim flere , flebilibusque aera questibus implere ac dicere : *Extinctum jacet , oculorum , animorumque nostrorum lumen , duxque , comesque fidelissima a nostro latere evulsa , abstractum nobis vitæ præsidium , abolita vivissima puritatis incon , solutum concordiæ mutuæ vinculum , eversum , quod reliquerat nobis religiosæ perfectionis columem* . Omnis defunctæ thesaurus , omneque ærarium fuerat , pallium unum , velumque unum , duoque annosi detritique calcei . Neque mirum videri possit , ei nil præterea thesauri fuisse reliquum , quæ suum cor uni Deo devovisset , atque in eo suo thesauros omnes reposuisset . Appensam collo gessit crucem ferream , digitoque similis materiæ annulum , cui quoddam Dominicæ crucis lipsanum erat inclusum . Corpore ejus exanime tanta charitate luceque splenduit , ut meros evibrare radios videretur .

Ibid. 31. Dec. XI. S. Melania Vidua , ut sese vitæ meta propius adesse divinitus intellexit seque propediem a Domino evocatum , coronatumque iri sensit , singulari affectu pietatis , profusis ubertim lacrymis Jerosolymis ad omnia sacra loca prius invisit . Simul ergo gloriosa Dominicæ Nativitatis dies illuxit , S. Specum præsepii ingressa , nepti suæ significavit , se cum eis nullum porro Pascha celebraturam . Mox congregatis sacris Virginibus migraturam se dixit , sic esse Domino visum , cujus ut se voluntati resignarent , & accomodarent , oravit . Dein monuit , ut cælestem Sponsum diligerent , colerent , viverent , ut vivere amant , qui Deum cordium intima prospicientem sibi semper ob oculos ponunt . Dein prolixe piissimeque Deo collocuta , supplex oravit , ut se suscipere dignaretur . Sic precantem , ubertimque lacrymatam morbus invasit , animamque absolvit nexibus corporis , quod adeo prudenter ac fortiter rationi subjungarat , ac triumpharat .

XII. S. Chunegundis olim Imperatrix , & uxor illibata Henrici Imperatoris , postea vero Monialis , cum totos quindecim annos in sancto proposito exegisset , reliquis Virginibus Deo devotis rara religiosæ perfectionis exempla præluxisset , admiratione mundum defixisset , S. Imperatrix gravi dejecta morbo , supremum sibi sensit imminere diem . Cumque extremos halitus duceret , ac funebris promeretur apparatus , ut suo feretro aureum insterni peristroma vidit , ad circumstantes conversa : *Tollite* , inquit , *illud velamen non meum , quia nuda matris utero egressa , nuda revertar in sinum matris meæ , terræ . Operite meum corpus paupere , vilique lacernula , illudque communi tumulo condite juxta Dominum , Fratremque meum Henricum , qui me vocat* . Ita dixit , vixitque . Corpus ejus eo loci conditum , quo mandavit , multis urbibus ad ejus exequias confluentibus , quo sacras , Virgineasque exuvias aspicere , & contingere feretrum ejus possent . Tantus fuit mortalium concursus , ut toto triduo sacrum funus inhumatum relinqui debuerit , quod tot , & tantis miraculis Dominus illustravit , ut innumeri languentes ad ejus monumentum supplices pristinæ restituti sint sanitati . *Ibid. 3. Mar.*

XIII. S. Lutgardam Virginem Ordinis Cisterciensis , undecim annis antequam moreretur , Deus corporeo oculorum lumine orbavit , ut patientiam magis exerceret , & clausis corporis oculis , animi magis aperiret , & purius divina luce frueretur . Quinquennio ante mortis suæ diem dixit , unoque anno ante , ei cælestis Sponsus apparens ait : *Imminet jam dies , quo laborum dolorumque tuorum tibi merces reponatur , æternumque mihi socieris . Quare tria volo facias hoc anno . Primum , ut multas mihi crebrasque grates agas pro collatis in te beneficiis , rogesque cœlites , ut idem factitent . Alterum est , ut pro mortalibus peccati mortalis reis , magno pietatis affectu æternum Patrem preceris . Tertium , ut omissis omnibus omnino curis magnum concipias desiderium ad me veniendi* . Alias etiam alios certosque mortis suæ nuncios habuit , & quindecim diebus antequam decederet , apparuit illi SS. Christi Mater & S. Joannes Baptista , cui fuit devotissima , a quibus suæ mortis horam didicit . Denique lethali ægritudine correpta febriens , omnibus Ecclesiæ Sacramentis armata , a cœlitibus , inter quos erant multæ Monachæ Monasterii illius jam Deo *Ibid. 16. Jun.*

fruentes visitata spiritum suo reddidit Creatori 16. Kalend. Julii, Anno Christiano MCCXLVI. ætatis suæ 64.

Ibid. 15. Oct. XIV. S. Heduvigis Ducissa Poloniæ annis meritisque cumulata, se morte propius adesse divinitus intellexit. Quam ob rem valde læta desiderio cælestem Sponsum suum videndi, sese, quemadmodum tota vita fecerat, ad iter æternitatis comparavit, Sanctiss. Sacramentis armavit, seque sacro ad supremam luctam oleo inungi curavit citius, ut id Sacramentum majore pietatis affectu susciperet. Cumque magis in horas auxisset ægritudo, filia ejus Gertrudis, Parthenonis Antistita interrogavit eam, quonam loco vellet humari; cui illa ut erat submississima, & paupertatis amantissima, respondit, in communi reliquarum sacrarum virginum cœmeterio. Sed inferente filia; Rectius fore, si in templo, eodemque cum Duce Henrico, Mausolæo conderetur, rogavit, ne fieret, aitque se nullo modo velle suum corpus quamvis emortuum, uniri conjugis sui corpori, quod ab hoc jam dudum, dum viveret, & valeret, fuisset castitatis amore separatum. In hac ægritudine supremæ multis fuit a Domino solatiis inundata, & a Cœlitibus visitata, præsertim die Nativitatis B. Mariæ sacro, cum sacræ Virgines in templo vespertinas preces persolverent, ad eam comiter invisere SS. Maria Magdalena, Catharina, Thecla, Ursula, aliæque sacræ Virgines, quas illa latine resalutavit. Sed & alia cælesti visione, huic simili recreata fuit, festo Apostolo Matthæo die, & Idibus Octobris, spiritum reddidit ei, qui pro sua tanta gloria eum crearat, & gloriæ coronam, quam Dei gratia meruerat, recepit.

Idem 7. & 15. Oct. XV. S. Theresia ingravescente ad interitum morbo, ita ut se in lecto loco movere nequiret, sanctissimum viaticum diu desideratum dum adferretur, commissis manibus, dulcissimis ac postremis verbis sic Virgines alloquuta est, & rogavit: *Filiæ meæ, ac Dominæ per Dei amorem obsecro in Regulæ & constitutionum observationem, & obedientiam Superioribus debitam impense admodum incumbant: quod vobis iterum atque iterum testamento relinquo; neque culpas hujus indignæ monialis pensitent, sed mihi potius ignoscant:* Confestimque sine ullius adminiculo se valide erigens summa cum veneratione & reverentia divinum Sacramentum miro splendore perfusa suscepit; & in præsentia dilecti sui junctis manibus, animi fervore, ac lætitia summa, amore languens dicebat: *O Domine, o Sponse mi, accessit tandem tempus exoptatum: æquum est, ut videam. Tempus est, mi Domine, ut ex hac vita discedam. Fiat, obsecro, juxta placitum tuum. Venit demum hora, qua hoc exilio eripiar, teque fruar, quod tam ardenter concupivi.* Et immensas gratias agens, quod eam in Ecclesiæ, ut ajebat, Filiam adoptasset & in tantæ Matris sinu animam efflaret, miro cum sensu repetebat dicens: *Sum certe, Domine Ecclesiæ filia.* Peccatorum veniam impensissime precabatur, & ob Redemptoris nostri Jesu Christi merita salutem se sperare asseverabat; & ut id obtineret, adstantium Fratrum, & Sororum preces postulabat. Frequenter habens in ore (donec animam efflavit) versus illos: *Ne projicias me a facie tua &c. cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Et tandem Sacramento extremæ Unctionis, quod eadem reverentia petierat, & respondens precibus suscepit, dum finiretur, easdem gratias Deo agebat, quod illam in Ecclesiæ Filiam admisisset, tandem sequenti die 4. scilicet Octobris anni 1582. in latus incubuit eo modo, quo imago B. Mariæ Magdalenæ exprimi consuevit, & Christi effigiem manu tenens nec usque ad obitum deponens, vultu flagranti orans cum maxima quiete, & immota qua in extasim rapta permansit usque ad noctem, in qua meritis onusta die 5. sanctissimo vitam claudens evolavit ad coronam. In cujus felicissimo transitu cælum & terra exultarunt, & suæ lætitiæ varia signa dederunt; plures enim sanctitate, ac virtute conspicuæ Virgines ea nocte, & proximis aliis obitum illius præcedentibus, varia cælestia lumina supra templi tectum, & in choro, & in cella ejusdem Beatæ per fenestram transeuntia conspexerunt. Alia spectatissimæ virtutis, & Beatæ familiaris socia, antequam Virgo animam efflaret, vidit Christum Dominum magno splendore præfulgentem, & Angelis comitatum prope lectum dilectæ Ancillæ suæ assistentem. Alia in puncto obitus ingentem strepitum plurimorum audivit, quos & amictos vestimentis candidis ingredientes cellam S. Virginis, & lectum ambientes vidit, & statim ipsa Beata ad cælum migravit. Hos decem mille Martyres fuisse, quorum festum Theresia religiosissime celebrare consuevit, qui & ei polliciti fuerant hora sui obitus se accursuros, & eam in cælestem Aulam comitaturos, omnes crediderunt. Alia similiter mortis ipso momento quasi columbam nive candidiorem ex ore ipsius prodeuntem; alia lucem crystallo persimilem; aliæ ipsam eamdem nocte gloriosam sibi apparentem viderunt. Quibus illud manifestavit, se non vi morbi, sed ex intollerabili Divini amoris incendio vita excessisse. Terra etiam in honorem Theresiæ exultavit; dum mortem ipsa obeunte arbor sicca in campo respondens ad cellam ejus per autumnum repente summo mane, & referta floribus albis visa est. Demortuæ corpus, ut Spiritus sancti sacrarium, & sapientiæ Arcam decebat, candidum & formosissimum remansit, ac cute tensa, cum jam senectus illam contraxisset; membra omnia flexibilia, & tractabilia, odoremque mirificum aliis odoramentis absimilem, quem adhuc vivens beata effundebat, non modo corpus, sed vestes, & panniculi, quibus ægra utebatur, spirabant.

XVI. Salaberga apud Lugdunum Abbatissa, cum diem clausura esset extremum jucundissima visione, ne mortem timeret roborator. *Marull. lib. 1.* Vidit enim se ad locum immensi fulgoris adductam, & in eo pratum multiplici florum pictura decoratum, mirabilique odoris suavitate fragrans, & id sibi præparatum audivit, dormienti quoque zona, qua cingebatur soluta, neque usquam comparens, ipsam a corpore

pore solvendam portendit. Nam & vox audita est quæ diceret: Die tandem ducentesima hoc eventurum. Dehinc Sancta & prudens fœmina, ut veniens Dominus vigilantem inveniret, Psalmos legere non cessavit, nisi cum etiam vivere cessasset, ea quidem visione confidentior facta; Neque enim tale quid apparet ut certiore præmii expectatione operationis ardor in nobis languescat, sed ut accendatur.

Idem. XVII. Trasillæ Beati Doctoris ac Pontificis forori in visu Sanctus Felix Pontifex apparuit, qui sedem illi ostendens multa luce nitentem. Veni, inquit, te enim hæc sedes manet. Postera die Trasilla febri implicata ægrotavit, jamque in ipsius morbi accessione vehementer anxiabatur, cum Christum vidit, atque ad eos qui aderant. Facessite hinc ait abite, ecce Dominus Jesus venit. Itaque ad eum, quem videbat, toto animi affectu anhelans expiravit, Odoris insequuta suavitas fidem fecit, vere ibi affuisse Christum & illam una cum ipso abiisse.

Idem. XVIII. Musa tenella adhuc & nondum adultæ ætatis virgo, Virginem Deiparam cum multarum virginum glorioso comitatu ad se venisse conspexit, & admonita est, ne quid ultra puellari more leviter sive inconsiderate ageret, die trigesimo inter ipsas, quas videbat virgines, ad eadem cæli regna feliciter admittenda. His visis vitam mutavit, quintoque & vigesimo die in febrim incidit, trigesimo vero eamdem Beatam Virginem cernens dicere cœpit: Venio Domina mea, venio & in hæc verba de corporis carcere exiit.

ACCIDENTIA MORTIS.

Qualitas.

S. Aug. s. 19. ad fratres. I. SAnctus Augustinus de se ipso sic scribit: Ductus sum cum cæteris ad videndum cadaver Cæsaris in sepulchro: & Vidi, quod omnino esset livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, & vermium per illum catervas transeuntes prospexi. Duo quoque famelici in foveis oculorum pascebantur; crines ejus non adhærebant capiti, dentes ejus apparebant labiis consumptis, & intuens matrem Christianissimam, dixit: Ubinam est Cæsaris corpus præclarum? ubi magnitudo divitiarum? ubi apparatus deliciarum? ubi multitudo Dominorum? ubi caterva Baronum? ubi acies militum? ubi lectus eburneus? ubi thronus Regalis? ubi thronus Imperialis? te verebantur homines, te timebant Principes, te colebant urbes, te timebant omnes. Quo ivit tua magnificentia? Respondit mater pietate plena: Fili, omnia pariter defecerunt, quando defecit spiritus ejus, & reliquerunt eum captivatum in sepulchro trium brachiorum, plenum fœtore & putredine.

Mansi tr. 10. disc. 27. n. 6. II. Josephus Mansi narrat, se a persona quadam fide dignissima audivisse, quod, cum sub Pontificatu Clementis VIII. infirmus quidam hic Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Monticelli sepultus fuisset eo quod mortuus esse credebatur; cum tamen solum ex accidenti quodam deliquium passus fuisset, tandem ad se reversus, in lecto suo se positum esse credens, cum altum clamasset, nec esset, qui responderet, in obscuritate illa palpando circuiverit, ossaque mortuorum inveniens, se in sepulchro positum esse agnoverit; cumque qua egrederetur ignoraret, bona ejus fortuna accidit, ut sepeliendo alio mortuo, idem sepulchrum apertum fuerit, moxque, qui mortuus credebatur, vivus agnitus inde ereptus, fuit: Interrogatus autem, quid eo tempore, quo velut mortuus jacuerat, somniasset, aut qualia in mente habuisset phantasmata, respondit, quod quia in juventute sua certum quemdam hominem occiderat, visum ei fuerit, hoc homicidium sibi incessanter improperari, dicique: O traditor, jam tempus est, pœnam exsolvendi. Unde colligitur, quod in extrema mortis hora omnes scelerum nostrorum lineæ ad centrum sint terminandæ id est, quod ante faciem miserabilis animæ præsentabuntur, ut in ejusdem perniciem, quæ facta sunt, testificentur.

III. B. Catharina Adorni dulcibus & suavibus verbis morti ablandiri solebat, frequenter dicendo: O mors dulcis, gratiosa, suavis, opulenta, digna, fortis & speciosa; Unicum dumtaxat in te invenio defectum, scilicet quod te fugientibus præsentiam tuam nimis benigne exhibeas, te vero sequentibus & desiderantibus nimis avara existas. *Mansi discu. 34. n. 4.*

IV. Cum aliquando B. Felix Capucinus morti vicinus interrogaretur, num aliquas a dæmone pateretur tentationes ex humilitate respondit: Dæmon tentat homines sanctos, me autem non aggreditur, qui sum hujus mundi quoddam peripsema. *Idem disc. 87. n. 7.*

Mors bona.

V. S. Dionysius Areopagita capitis jam damnatus, feralem sententiam Christiana generositate excepit, & adstantium probra contemnens dixit: Ultimum verbum Domini mei in cruce, sit & mihi ultimum in hac luce: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Drex. in prodr. c. 3. §. 40.*

VI. Quidam Senex cum in agone risisset, causam quæsitus respondit: Primo risi, quia omnes timetis mortem. Secundo risi, quia non estis parati. Tertio risi, quia de labore vado ad requiem. *Vitæ PP. l. 3. c. 17.*

VII. Moriente quodam Fratre perfectionis valde studioso, Abbas in somnis vidit duos speciosissimos Juvenes pavimentum rosis, & liliis sternentes, quos, cum causam hujus sacri quæreret, responderunt illi, sequenti die magnam solemnitatem celebratum iri, scilicet translationem moribundi ad cælos, uti ex morte postero die secuta intellectum est. *Sp. Ex. infirmit. ex. 13.*

VIII. Morituri cujusdam homini patientissimi anima post triginta annos in infirmitate exactos gratias egit omnibus membris & sensibus, quod delicias nullas concupierint, sed fideliter ei in omnibus acquieverint. *Sp. Ex. infirmit. ex. 19.*

IX. Quidam Frater cum a S. Bernardo ad mor- *Ibid. tit. mors ex. 22.*

mortem fortiter obeundam animatus, dixisset, se certo confidere, quod ad cælum esset transportandus, prædictus sanctus, eum ad pœnitentiam potius, & humilitatem animavit. Verum quia is respondit, se propterea tantopere lætari ac confidere, quod a S. Patre regnum cælorum obedientiæ virtute potissimum obtineri audivisset, huic autem ipse singulariter semper studuisset, dixit S. Bernardus ad illum: Vere beatus es, fili carissime, quia caro & sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc, sed Pater cælestis ipse te docuit. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua. Defuncto itaque Fratre venerabilis Pater sermonem ad Fratres habuit, dixitque, magis se super ejus obedientia lætatum fuisse, quam si miracula fecisset.

Sp. Ex. distin. 1. ex. 22. X. Quidam de spiritualibus filiis Reverendissimi Patris Roberti, cum vitam angustam, & arduam, quæ ducit ad vitam, declinabili studio cucurrisset, tandem placuit Domino laboribus ejus finem imponere, ut in pace in idipsum dormiens requiesceret, unde numquam esset recessurus; cumque jam instaret bona hora, in qua de hujus mundi stadio evocandus, & ad cæleste bravium esset invitandus, Dominus Abbas cum cæteris fratribus gratia quietis in lectulo suo se collocaverat, & ecce sopor Domini irruit super eum, viditque in somnis duos pulcherrimos adolescentes vultu & habitu insigniter relucentes, qui quasi lilia, rosas & violas, ac diversi generis flores in choro Claravallensi copiose spargebant, ita ut pavimentum omne pictum ac variis coloribus venustatum esse videretur: quo viso miratus est, & quasi simplicitatem Ordinis zelans dixit ad eos; Quid vobis visum est (o boni juvenes) contra consuetudinem nostram pavimentum hoc floribus sternere & Monasterio hujusmodi novitatem inducere? Illi vero dixerunt ad eum: Noli ista mirari, neque molestus nobis sis in executione hac officii nostri, quoniam modo jam in choro isto celebrabitur nova cujusdam novi Sancti Festivitas, de cujus solemnitate gaudebunt Angeli, & hymnus Domino decantabitur in Sion. Adhuc loquebantur illi, & animum videntis & audientis hæc in admirationem rapiebant. Tunc ecce, concitatus tabulæ strepitus excitat dormientem, & ut festivitatem, quam celebrandam intus in spiritu cognoverat, foris secundum dignitatem officii sui exequeretur, signo consuetudinario invitatur. Accurrens ergo cum cæteris fratribus, properanter venit ad eum, & cum magna devotione commendavit animam ejus, certissime credens atque confidens, quia hic erat novus ille sanctus, de quo in requiem assumendo, Angeli sancti novam festivitatem, & novum gaudium essent illico celebraturi.

S. Anton. ssio. s. p. 2. 6. 2. §. 2. XI. In gravi infirmitate constituto S. Bernardo supervenit sibi tentatio desperationis de sua salute, considerans se in multa negligentia Deo servisse, & se nihil quasi boni fecisse, unde tantum præmium gloriæ recipere deberet; sed illustratus a Deo, respondit tentatori: Fateor, me nihil fecisse dignum tanto præmio, sed Christus Dei Filius duplici ratione illud obtinet, scilicet merito passionis, & ratione hæreditariæ successionis, quia naturalis Filius Dei; ipse una ratione possidere contentus est, scilicet quatenus Filius; merito autem passionis spero mihi certitudinaliter ipsum velle largiri, sicque confusus est inimicus, & non prævaluit.

Mors mala.

VII. Fuit quidam vir temporibus Conradi, qui post Edilredum regnavit, in laico habitu, atque officio militari positus, sed quantum pro industria exteriori Regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo, ut confiteretur, & emendaret, ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis interventu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verum ille licet frequenter admonitus spernebat verba salutis, seseque tempore sequenti pœnitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex (diligebat enim eum multum) hortabatur, ut vel tunc, antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondebat, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret, ne forte exprobrarent sibi consodales, quod timore mortis faceret ea, quæ sospes facere noluerat; fortiter quidem (ut sibi videbatur) locutus, sed miserabiliter, ut postea patuit, dæmoniaca fraude seductus est: cumque morbo ingravescente denuo ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamavit statim miserabili voce: Quid vis modo? quid huc venisti? Non enim mihi aliquid utilitatis aut salutis potes ultra conferre. At ille, noli, inquit, ita loqui; vide, ut sanum sapias: Non, inquit, insanio, sed pessimam conscientiam mihi certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulo ante, inquit, intraverunt domum hanc duo juvenes pulcherrimi, & resederunt circa me, unus ad caput, & unus ad pedes, protulitque unus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi legendum dedit in quo omnia quæ unquam bona fecerim, intuens scripta reperi, & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicem; neque mihi aliquid dicebant. Tunc subito supervenit multitudo malignorum, & horridorum vultu spirituum, domumque hanc mox & exterius obsedit, & intus maxima ex parte replevit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrosæ faciei, & primatu sedis major videbatur esse eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis pene importabilis, jussit uni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cum legissem, inveni omnia scelera, non solum, quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccati, manifestissime in eo tetris esse litteris scripta. Dicebatque ad illos, qui mihi assederant, viros albatos, & præclaros; Quid huc sedetis, scientes certissime, quia *V. Beda ap. Mansi dis. 27. n. 9.*

no-

noster est iste? Responderunt, verum dicis: Accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite; quo dicto statim disparuerunt. Surgentes vero nequissimi spiritus, habentes in manibus candens ferrum, percusserunt me, unus in capite, & alius in pede, qui videlicet in magno tormento irrepunt interiora corporis mei; moxque ut ad se invicem pervenniunt, moriar, & paratis ad rapiendum dæmonibus in inferoi claustra pertrahar. Sicque loquebatur miser desperans, & non multo post defunctus, pœnitentiam, quam ad breve tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis addictus facit.

Bellov. l. 7. c. 96. XIII. Cuidam Parochiæ præerat Presbyter in sæculo, potens & gloriosus, sed non minus vitiis, quam divitiis plenus; huic sub cura sua habebat divitem nobilem, & paupercolam viduam: qui uno tempore decumbentes, responsum mortis acceperunt in semetipsis. Vocatus est Presbyter, ut morientem divitem visitaret, & accepta Confessione, data Communione, exituram animam Deo commendaret; qui de rapienda solummodo lana, non de ove curanda solicitus, ut divitis nuncium vidit, ire festinavit. Intravit palatium, penetravit cubiculum, ubi jacebat dives, purpura & serico circumdatus, auro & gemmis ornatus, super plumarum molitiem resupinatus. Ibi invenit circumstantium multitudinem, seductoria adulatione diviti solatia persolventem, conjux, & filii, atque omnis familia lamentabatur dominum, sed & quamplures ex ipsis ad rapiendam hæreditatem suspensi, licet verbo tenus mortem audaciæ, & præsumptionis damnaret, eam tamen tacito cogitationum æstu precabantur citius venire, & hominem de medio tollere. Itaque Presbyter secretum petit, & qualemcumque Confessionem extorsit; Deinde sessione firmata, nummi captator charitatis affectum simulans, compati cœpit, & condolere, quærere, quid vellet, quæ pars corporis gravius se haberet. Inter ancipites gladios securitatem, & pacem falsus Propheta pollicebatur, verbisque mendacibus liniebat parietem, cui Dominus ruinam minabatur. Interim supervenit quidam ex parte viduæ, qui diceret, eam in extremis agere, & Christianæ salutis remedia postulare. Sed Presbyter cum se totum daret ad lactandum peccatorem, nihil respondit. At Diaconus prope assistens, pro muliere desolata ad cor ejus loquens ait: Grande nobis piaculum est fœminæ periculum, si nostra negligentia sine Confessionis, & sacri Mysterii participatione eam migrare contigerit. Requiretur enim a manibus nostris sanguis ovium nostrarum, quæ nobis a justo Deo Judice creditæ sunt: nec minus pauperum, quam divitum curam habere nos oportet, nec minorem de illis, quam de his rationem sumus reddituri. Properemus ergo, ne nostra culpa sine viatico hinc paupercula illa recedere compellatur. Cui felle commoto Presbyter ait: O sani capitis consilium, pro vili vidua nobilem relinquere Patronum! Ne turberis, inquit Diaconus, ego si jubes, infirmam visitabo. His favente Presbytero, Diaconus discessit cito, sumptaque salubri Hostia ad viduæ tugurium pervenit, quæ rebus quidem vacua, sed bonis operibus plena, super humum duram, & parvo stramine constratam collidebat membra exesa jejuniis. Ille itaque interno lumine oculos levans, famulæ Christi in cœno jacenti vidit existere excubias de cælo. Mater enim Jesu Maria assistebat cum choro virginali, quæ præferebat linteolum, & vultum ægrotantis a sudoribus mundans, satagebat circa frequens ministerium. His visis Diaconus stupens, stetit eminus. Sed cæli Regina suo Filio toto corpore in terram prostrata, adoravit eum cum suis Virginibus. Quibus erectis, data fiducia, vir Dei intravit, Maria etiam sedem parante, ac, ne timeret, hortante. Sedit, Confessionem Viduæ accepit, Communionem dedit, & Psalmis obitum ejus præmunivit. Deinde cum gaudio ad domum divitis properavit, astansque in limine vidit nigros cattos circumvallantes lectum divitis. Quos miser ille videns, & nimis infestos sentiens, rugiebat, clamans: Tollite cattos, tollite, misero subvenite. Unus tandem Æthiops voce minax, vultu terribilis, uncum, quem in manibus gestabat, faucibus immersit peccatoris. Infelix anima nullum in tota conversatione sua refrigerium conscientiæ reperiens, pavet, & trepidat, miserum mors paulatim occupat. Denique Æthiops ille furens uncum violenter de palpitantibus faucibus extrahit, & ille horribilem dans vocem, infelicem spiritum dedit. Irruerunt cæteri complices, & peccatricem animam flagris & vulneribus afficientes, immergunt in locum tenebrarum, & lacum mortis æternæ. Cum hoc aspiceret Diaconus, tremor tenuit eum, & cadens factus est in mentis excessu. Sed mox ei apparens Mater Regis gloriæ, ne timeas, inquit, charissime, non tibi diabolica nocebit malignitas, cui parata est Beatitudo cælestis. His blanditiis recreatus, postquam ad se rediit, consolatrici suæ gratias rependit, & ex his revelationibus non parum profecit.

XIV. Referet Robertus de Licio in suo Quadragesimali, quod in civitate Spoletana puella quædam formosa fuit, quæ vanitatibus semper intenta, nil de futura vita cogitabat. *Sp. Ex. dist. 9. Ex. 111.* Hæc infirmitate percussa monitiones, & hortamenta salutis abhorrebat, sicut mihi retulerunt, qui audierunt illam. Tandem invalescente morbo, cum cerneret infelix juvencula, de proximo sibi imminere mortem, rogavit instanter matrem, ut eam vestiret pretiosis vestimentis, quæ ferre consueverat, ornaret, poliretque illam, tamquam si ad nuptias esset accessura. Annuit ei mater, fecitque quod filia volebat. O terribile judicium! O stupendum & admirabile dictu! sic ornata clamare suspirando cœpit juvencula: Heu! moriar ego sic pulchra? moriar ego sic decora? moriar ego in ætate tam tenera? Dicebant illi circumstantes: Committe te Deo, filia, quia benignus, & clemens est. At illa magis lamentabiliter respondebat: Et quid mihi cum Deo? veni, o diabole, suscipe t

ani-

animam meam. Inter quæ verba expiravit damnata, & desperata.

XV. Criforius avaritiæ, aliisque vitiis nimium deditus cum ad extrema venisset, a nigerrimis spectris usque adeo territus est, ut toto corpore ac artubus tremens, miserandum in modum clamaret: Inducias usque mane, sed mox ab iis avulsa anima in infernum deportata est. *Sp. Ex. sit. mors ex. 5.*

XVI. Hunnericus Vandalorum Rex cum jamjam de Christianis, quos extreme persequebatur, triumphum agere pararet, subito a Deo immissis in corpus vermibus tam graviter tortus & corrosus est, ut præ fœtore, & dolore ipsemet membra sua dentibus laniaret, & tandem inter hos cruciatus animam infelicem evomeret. *Baron. t. 6. ann. 486. & 484.*

XVII. Antiochus Rex ob nimiam in Judæos exercitam crudelitatem tam gravi infirmitate a Deo punitus est, ut ex corpore impii vermes scaturirent, ac viventes in doloribus carnes ejus affluerent, ipseque fœtorem tolerare non posset; quousque tandem homicida & blasphemus pessime percussus, ut ait Sacer textus, in montibus peregre miserabili obitu vita functus est. *2. Mach. cap. 9.*

XVIII. Nantius Comes Engolismensis cum Sanctos Dei Ministros graviter vexasset, paulo post ardentissima febri correptus exclamare cœpit: Heu heu! ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor: atque inter hæc verba misere expiravit; corpus vero usque adeo denigratum est, ut a prunis superpositis combustum videretur. *Baron. t. 7. ann. 583.*

XIX. Hermanus e Monacho Lutheranus Præco effectus cum annis triginta eo munere functus esset, ac ingentes divitias, & prædia comparasset, tandem morbo gravi correptus, horrendum exclamare cœpit, se damnatum esse, secumque omnes sectæ suæ asseclas eidem damnationi obnoxios esse. Quibus dictis, torvo aspectu, oculisque flammarum instar lucentibus, desperabundus infelicem animam efflavit. *Bredenb. l. 7. collat. c. 11.*

Mors desiderata.

XX. S. Paulus ipse de se scribit: Coarctor autem a duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Hinc & alibi exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Phil. 1. v. 23. Rom. 7. v. 24.*

XXI. S. Cyprianus audita mortis sententia dixit: Deo gratias, qui me a vinculis hujus corporis dignatur absolvere. *Fab. conc. 4. in festo S. Jacob.*

XXII. Domina quædam subito fœdissima lepra correpta, cum alios fortem ipsius deplorantes audiret, in risum effusa, aliis causam risus quærentibus dixit: Si quis in carcere detineretur ea conditione, ut non eriperetur, donec muri carceris undique corruissent, nonne si videret muros ad ruinam inclinatos, imo paulatim jam ruentes, gauderet potius, quam fleret? Quare, cum anima in corpore velut carcere sit constricta, merito gaudere debet, si corporis parietes concidere & dissolvi, mortemque fores carceris effringere videt. *Ib. n. 3.*

XXIII. S. Gregorius Nazianzenus assiduo clamabat ad Deum: Domine, solve hanc tunicam adeo mihi gravem & ponderosam (nempe centonem corporis) & da mihi leviorem (scilicet gloriæ vestem). *Ib. n. 5.*

XXIV. Ursinus Sacerdos in morbo cælestibus visis recreatus, sæpius exclamavit: Venio, venio, gratias ago. Cumque adstantibus, quos cœlites videret, exposuisset, easdem voces iteravit: Ecce venio, ecce venio. Inter quæ verba abiit e vita. *S. Greg. l. 4. Dial. c. 11.*

XXV. Pater Alphonsus Rodriquez de quodam tradit venatore, quod, cum prædam suam insequeretur, humanam quamdam audierit suavissime resonantem vocem: curiosior itaque accedens, ut, quis esset, inspiceret, leprosum reperit, cujus caro putrefacta membratim diffluebat. Quo miserabili obstupefactus spectaculo, præsertim ob associatam cantus harmoniam, miserum, quare cantasset, interrogavit. Cui ille: Deum inter & me nihil mediat, præterquam luteus iste murus, scilicet hoc corpus meum, quod mox ut corruerit, me altera in vita semper gavisurum spero, nonne igitur lætandi causam habeo, dum murum hunc ruinam proximam minari video? Penetrarat utique leprosus iste in abditissimo solitudinis suæ recessu, illius Apostoli textum: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. *Rodrig. p. 2. Tr. 8. c. 21.*

XXVI. Cardinalis Baronius cum admoneretur a Medico, ut ab assidua ille meditatione mortis temperaret, ne scilicet ea ratione illam accerseret, aut acceleraret. Quidni ego, inquit, de morte cogitem? Numne timere me putas illam, cum qua quotidie familiariter ago & loquor? Apagesis, haud equidem timere illam possum, quam, ut sororem charissimam diligo. *Vit. l. 2. c. 9.*

XXVII. Cardinalis Reginaldus Polus, cum ei annunciaretur, Henricum VIII. Angliæ Regem Ecclesiæ rebellem, vitæ ipsius insidiari, & mortem machinari, respondit: Jam dudum hujus vitæ tædio affectus mortem optavi, tanto eam studio afficere cum contendat, nihil aliud facit, quam si eunti dormitum vestimentum detrahere conetur. *Sanderus l. 1. schis. Anglic.*

Mors metuenda.

XXVIII. Christus ardentissimo redemptionem nostram cupiebat desiderio, quam per mortem suam operaturus erat; ac proinde Discipulo suo illius vitam pro triginta denariis vendere volenti dixit: Quod facis fac citius. Ideo Apostolis suis sic dixit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; Denique ob eamdem rationem, Petrum passionem suam sibi dissuadentem acriter reprehendit, dicens: *Calicem quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum?* Et tamen quando in horto Gethsemani mortem sibi ante faciem obversari vidit, adeo contristatus & commotus est, ut agonizans sanguinem sudarit. *Mansi dl. 21. n. 1.*

XXIX. Elias Propheta ob mortis metum solas libidinosæ ac nefariæ mulieris minas veritus, in fugam se contulit; Et qui cælum clau- *S. Chrys. Epist. 1.*

clauserat, & tot miras res effecerat, fermonis terrorem minime tulit; verum excelfum illum, atque ad cælos ufque fublimem animum pavor ita perculit, ut poft illam fiduciam, poft tantam in loquendo libertatem, poft tantum virtutis fpecimen editum, & patriam, & tantum populum, cujus caufa tot pericula audax adierat, repente linqueret, & quadraginta dierum iter folus obiret, & in defertum locum migraret.

Ifaiæ 38. XXX. Ezechias quamvis fanctitate polleret, nihilominus in mortis difcrimine, propter infirmitatem periculofam conftitutus, & ab Ifaia ex Dei præcepto admonitus: Difpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives: in amarom prorupit planctum, dicente Scriptura: *4. Reg. 20. v. 3.* Flevit Ezechias fletu magno; Sicque per ferventiffimas preces, & copiofas lachrymas, ut vitæ fuæ dies prolongarentur, Divinæ inftanter fupplicavit Majeftati.

Vit. l. 2. fol. 167. XXXI. In vita fervæ Dei Joannæ Franciscæ de Cantal, quæ primogenita fuit S. Francifci Salefii filia fpiritualis, & prima fundationis inftitutæ vifitationis petra; narratur, quod morti vicina circumftantes, ut fibi per abfentiam eorum tantifper quiefcere liceret, rogavit; Omnibus itaque egreffis monialibus, & ipfo Jefuitarum Rectore, qui ei affiftebat in extremis, fubito hunc ipfum revocavit infirma, præfentemque affari cœpit: O Pater mi, formidabilia judicia Dei. Cui Pater: Idne te affligit? Ad quem illa: Nequaquam, fed te affecuro, quod formidabilia valde fint judicia Dei, Huic fervæ Dei fanctus Præful, & Epifcopus in hora mortis fe obviaturum fpoponderat, quemadmodum, & in re contigit, ficuti ex ejus vitæ hiftoria liquet; & nihilominus tremendam effe dicebat mortem.

Sp. ex. vit. mor. ex. 18. XXXII. Cum Cuno Caftri Malburgenfis Dominus, triennio ante mortem habitum religiofum fufcepiffet, adeo in perfectionis ftudio profecit, ut cælefti præmio dignus vifus Deo fuerit. Cum ergo mortem, quam triduo ante prædixerat, fancte obiiffet, eo tempore dæmon mulierem obfeffam relinquens, & poft reverfionem fuam quæfitus ubi fuiffet? refpondit, fe cum quindecim mille aliis dæmonibus ad Cunonem oppugnandum accurriffe, fed Monachorum circumftantium precibus impenditos nihil efficere potuiffe.

Ib. ex. 19. XXXIII. Venerabilis Pater Eufebius duabus horis ante mortem tam horrendos actus exercuit, ut circumftantes præ timore in terram conciderent; nam quandoque tranfverfis oculis, junctis manibus, facie terribili, diraque voce clamabat: non faciam. Mox: adjuvate me, Fratres, ne peream. Interrogatus, cur ita clamaret? Dæmones terribili afpectu ad blafphemiam invitantes adftare dixit. Quare iterum priores clamores repetens, tandem a Sancto Hieronymo adveniente liberatus eft, ad quem cum dixiffet: Cur tam diu moratus es Pater? Refpondit ipfe intelligibili voce: Ne formides, Fili, non te deferam, quem tantum diligo. Qua voce recreatus paulo poft expiravit, & cæco cadaver tangenti vifum reftituit.

Ibid. ib. Varias Aemonum. XXXIV. Religiofus quidam cum ad extrema deductus, horribili voce primum clamaffet: Maledicta hora, in qua Religionem intravi: Sed paulo poft iterum dixit: Imo benedicta hora, qua Religiofus fum factus, & benedicta Mater Dei, quam femper dilexi. Interrogatus, cur ita clamaffet? Refpondit, ab initio dæmones tam terribili forma fibi apparuiffe, ut mallet ignem ufque ad finem mundi extenfum tranfire, quam iterum eos afpicere: & hos primas a fe voces expreffiffe, fed poftea fanctiffimam Dei Matrem adveniffe, dæmonefque fugaffe, quam proinde merito benedixerit. Quibus dictis feliciter expiravit.

Mortis memoria.

Leontius Epifc. in vit. c. 18. XXXV. S. Joannes Eleemofynarius adhuc fanus monumentum fibi extrui, fed non abfolvi ideo juffit, ut diebus folemnioribus, præfente Clero, rem facram facturus ab aliquo moneretur: Domine, fepulchrum tuum imperfectum eft: jube igitur inchoatum abfolvi, nefcis enim, qua hora fur veniat.

Beffaus in conc. de mort. p. 1. XXXVI. S. Bafilius quoque, quoties Epifcopali habitu prodibat in pompam, ne aliqua gloriolæ titillatio fubiret animum, a certa perfona ad id conftituta fibi in aurem dici jubebat: Pater fepulchrum perfici jube.

Galenus in filva concept. tit. mors. XXXVII. Majolus Epifcopus Vultuarienfis cum vix ex Ephebis exceffiffet, adeo mortem meditari cœpit, ut pro memoria hac refricanda ad omnia conclavis latera calvariem feu larvam mortis appenderit.

Drex. in prodrom. cap. 1. §. 23. XXXVIII. Carolus V. diu ante Imperium abdicatum Sarcophagum fibi cum funebri fupellectile conftrui juffit, &, quocumque peregrinatus eft, fecum deportavit. Admirantibus vero aliis, & thefaurum latere fufpicantibus, ipfe fubridendo dicere folebat, in rei chariffimæ ufum, eam fibi arcam deferri.

Fab. conc. 2. in Dom. 1. Adv. XXXIX. Idem Maximilianus primus Imperator fecit, qui & moriens præcepit, ut cadaver fuum poft mortem omni hominum forti confpiciendum proponeretur, ut vel fuo exemplo difcerent omnes, nulla diademata, nullas opes, nec ulla imperia a morte eripere poffidentem.

Sp. Ex. & f. Cl. gr. 6. XL. Quidam Monachus fat negligens cum ad horæ fpatium migraffet a corpore, rediens ad fe, duodecim annis cellæ fe inclufit, cum nemine locutus, folo pane, & aqua vivere folitus, & in agone accurrentibus Fratribus dixit: Nemo, qui mortem ferio cogitat, peccare poterit.

Platus l. 1. de bo. ftat. rel. cap. 18. XLI. Adolefcenti cuidam vaniffimo nullam rei piæ mentionem admittenti cum vir quidam Religiofus hanc fententiam ingeffiffet: Subter te fternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes: adeo permotus eft, ut fequenti die ad Religionis portum confugerit.

Canon. f. de morte XLII. Similem effectum experta eft Domicella, quæ nullam aliam pœnitentiam in confeffione admittere volens, tandem hanc fufcepit, ut quoties manus lavaret, fibi ipfi tacita diceret: Hæc caro vermium efca erit; nam obi eam femel, iterumque explevit, fic immutata eft, ut, quam antea fuerat mali exempli, tam fuerit poftmodum boni.

XLIII.

Balde-sen. l. 2. Silm. virt. 19. XLIII. Alius quidam adolescens jussus a Confessario lectum conscendere, ac per horæ quadrantem sibi imaginari, quod aliquando sic io lecto forte agonizans decubiturus sit, miram vitæ emendationem instituit.

Cæsar. l. 4. cap. 4. XLIV. Lissardus Monacuus & Janitor Monasterii, cum tædio religiosæ vitæ suboriente, reverti in mundum cogitaret, a sene quodam ad cœmeterium de nocte ductus, & aperto sepulchro cadaver inspicere jussus, in proposito firmissime confirmatus est.

Mansi disc. 4. n. 3. item Fol. landus in Jon. XLV. B. Margarita de Cordona, ut Annales traduot Ecclesiastici, lascivam & carnalem longo tempore in concubinatu traduxerat vitam, nobili cuidam deserviens populari suo. Qualiter autem eam ad pœnitentiam divinitus perductam, & tandem ad sublimem sanctitatis gradum sublimatam fuisse arbitramini? Ipsamet, auscultate Annalium verba: Carnis illecebris dedita nobili cuidam servieos adhæsit. Cum is domo sedens catellam secum duxisset, illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens, Margaritam veste apprehensam extra domum protrahere conabatur; quæ admirans catellam sequitur, donec ad quamdam lignorum congeriem veniens catella substitit, ligna respiciens, & attingens: quasi Dominam, ut ea amoveret, admonens; Margarita itaque cum aliquot ligna amovisset, dominum suum mortuum, jamque vermibus scatentem videt, quo spectaculo adeo commota, ut anteactæ vitæ pœnitens, domum paternam repetierit &c. vitam aggressa valde asperam, assiduis vigiliis, orationibus, jejuniis, cilicio induta, humi cubans &c. Postque viginti in austeritatibus, & perfectione traductos annos, obiit sanctitate, ac miraculis clara. Postquam decem defunctis vitam, sex cœcis oculorum lumen, tribusque mutis loquelam restituisset.

S. Ambr. prec. 2. ad bis. XLVI. S. Ambrosius sic precatus est. Illud etiam magnopere peto, ut idem obitus, diem extremi judicii, damnationem æterni supplicii, beatitudinemque regni futuri semper meminerim, quod nemo indesinenter potest, nisi qui ad vitam præordinatus est æternam; indesinenter, Domine, recolenda est dies illa, in qua lux cum tenebris pugnat, misericordia cum crudelitate desudat, in qua adversarius noster, mala, quæ fecimus, locuti sumus, vel cogitavimus, violentissimus accusator retexet, justitiam suam ad hæc punienda deposcet.

Vit. Patr. l. 3. Libel. lo 3. n. 5. XLVII. S. Arsenius priusquam monachum indueret, in humanarum felicitatum dejiciabatur exuberantia, apud Principes & Imperatores in honore habitus, postmodum maxime austeram exorsus vitam sancto fine quievit, mortem meditabatur quotidie, ideoque ad eum agonizantem veniens Theophilus Patriarcha Alexandrinus ait: Beatus es, Abbas Arseoi, qui semper hanc horam ante oculos habuisti.

Ibid. l. 10. cap. 137. XLVIII. Duo aliquando Philosophi venerunt ad senem, & rogabant eum, ut eis verbum ædificationis diceret. Senex vero tacebat. Rursum Philosophi dicebant: Nihil nobis respondes, Pater? Tunc senex dixit eis: Quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quod autem non veri sitis Philosophi, affirmo. Quamdiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? sit ergo Philosophiæ vestræ opus, semper meditari mortem.

Vit. l. 3. c. 2. XLIX. Cardinalis Baronius nihil unquam habuit aotiquius, quam ut de tabernaculi sui depositione aut dissereret, aut cogitaret, & quod alii fere exhorrescunt, hoc ille maxime delectabatur. Itaque & in sigillo, quo litteras ante Cardinalatum obsignabat, non aliam, quam mortis effigiem incidi jussit, & ubi cum viris religiosis privatim agebat, absolutis negotiis, hæc statim subjiciebat. Nunc vero, quæso, illum de morte sermonem iostituamus. Ut propterea Augustinus Cardinalis Valerius Verooensis Episcopus, vir doctrina, & pietate spectabilis, non immerito dixerit, usquam alibi Baronium, nisi in contemplandis feretris, sepulchrisque oblectari; Hinc etiam quotidie antequam lectulo se componeret, animam Deo commendare consuevit iis precibus, quibus Ecclesia moribundos rite commendat.

Mansi d. n. 7. L. Neque minus hoc in praxi zelosum se præbuit, atque indefessum S. Ludovicus Episcopus Tolosanus, qui, eum filius Regis esset, Mooasticen amplexus, in Ordine S. Francisci rigorosissimam traduxerat vitam, numquam mortis immemorem; de eo namque Annales Ecclesiastici sequens perhibent testimonium: Anniversarium suum vivus, & sanus plus quam ad quatuordecim annos ante mortem suam instituit, & ejusdem celebrationi cum candelarum accensione, & campanarum pulsatione, quæ coosuevit funere Episcopi, vigiliis & Missis, annis singulis interfuit. Truncam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus funeralibus ibidem impositis, in memoriam continuam mortis suæ, per eosdem annos habuit locatam a latere lecti sui.

Bell. l. 1. p. 1. dist. 4. LI. Bellovacensis divitis cujusdam adducit exemplum, qui confessus, dum pœnitentiam acceptare juberetur, se illi imparem asserunt, imo numquam pœnitentiam a se adimpleri, & fieri solitam. Tandemque post longam pugnam tantum effecit Confessarius, ut quotidie summo mane dum surgeret, & omni nocte, dum ad quietem se componeret, hæc altis suorum domesticorum vocibus faceret intonari verba: Domine, vos moriemini. Cui præcepto postquam aliquamdiu paruisset, tandem conversus, resipuit; prout ipse Author in hæc commemorata verba: Tandem divino nutu compunctus expavit: advertens, quod indubitanter decederet; sed ignorabat quando, vel quomodo ex hac vita migraret; hoc autem constabat ei, quod nisi vitam suam corrigeret, sine fine periret. Confestim igitur confessus, omnibus se mandatis Confessoris exposuit, vitamque suam in melius commutavit.

Vit. l. 2. c. 6. n. 3. LII. In vita S. Philippi Nerii sequentia leguntur verba: Quemdam dissolutum convertit juvenem rogando, ut quotidie septies diceret, Salve Regina, postaque terram oscularetur, dicendo: cras mori possem. Quod adolescens iste acceptans, & perficiens, tandem ad optimam conversus in melius est vitam.

LIII.

S. Petr. Dam. l. 4. ep. 16. **LIII. Novi fratrem in Christo, qui distri-ctam hanc mentis suæ regulam jugi ac pervi-gili servat intuitu;** ut quotiescumque libidi-nis suggestio subrepit, mox cogitationi suæ, velut expeditus ad proficiscendum, dicat: Eamus ad circam. Illico omnia cœmeteria, ac sepulturas imaginando perlustrans, putrescen-tium virus, saniemque cadaverum, scatentes quoque vermes, & fœtentium jus carnium curioso rimatur intuitu, cumque considerat, quia olim carnes illæ in sua viriditate floren-tes, his subjacuere molestiis; corpus etiam suum paulo post futurum esse non ambigit, quod illas esse jam cernit; compendium dat luxuriæ, qui præbet oculum corruptelæ, nec est libidini diversorium, in qua versatur men-te sepulchrum.

Menol. d. n. 8, 3. LIV. Vita B. Jacoponi Tudertini actionem nobis quidem prima facie ridiculam, sed in substantia admodum mysteriosam, atque pro-ficuam commemorat in hunc sensum. Civis quidam aliquot sibi comparaverat pullos, di-cto Dei servo obvius, confidenter ob noti-tiam, quæ mutua inter ipsos vigebat, ut eos pullos, in ædes suas deferre dignetur, rogat; votis prompte annuit Jacoponus; moxque em-ptor tradit pullos rogato bajulo, sed in ipso consignationis actu, ne sibi in quopiam sup-plantet, obtestatur. Fidem itaque spondet, & recedit Jacoponus, recta Ecclesiam petens S. Fortunati, ubi dictus emptor suam habebat sepulturam, inque hanc projicit pullos. Do-mum redux emptor, num quippiam nomine suo tulisset Jacoponus, interrogat, responso-que negativo accepto, conqueritur adversum infidelem bajulum, qui indignationem hanc injustam penitus esse respondit, siquidem ordi-nem sibi commissum adamussim executus fue-rit; Utque verbis fidem daret, principalem suum ad Ecclesiam deducit S. Fortunati, ubi aperto sepulcro stridor insonuit, latitantium pullorum, & strepitus; tuneque Jacoponus in suam subjecit defensionem, dicens: Nonne mi-hi, ut eos in domum tuam deportarem; jus-sisti: Ecce domum tuam; Sepulchra eorum domus illorum.

Jo. Rho. l. 3. c. 3. n. 8. LV. De Innocentio IX. scribitur. Nondum hoc nomine Pontifex erat, cum vitæ innocen-tiam mortis contemplationi commisit custo-diendam, quæ, ut facilior esset, excitato pi-ctis argumentis animo, geminas pictas tabel-las habuit, invicem commissas, plicatilesque, in quarum altera nuda humani capitis calva-ria, in altera funeris pompa videbatur. Has ille in interiori cubiculo pretiosa cum supel-lectile collocatas habebat, ad quas in qua-cumque deliberatione oculos, animumque con-verteret, ac salutaria æternitatis ab ipsa mor-te caperet consilia.

Ibid. n. 9. LVI. Paulo etiam accuratior Alexandrini Olivæ Cardinalis Ord. Eremit. diligentia fuit, qui veritus, ne purpura, quam Pii III. bene-ficio induerat, animo obesset, eam sepulchro addixit; Etenim scrinii instar sepulchri mo-dulum sibi affabre fieri voluit, qui levi manu apertus tumuli ostenderet interiora, inibique seipsum in purpura jacentem ad vivum expri-*Eccl. 44.* meret, circumposito Ecclesiastici saluberrimo illo carmine: In omnibus operibus tuis me-morare novissima tua, & in æternum non pec-cabis. Hoc ille quum in preces incumberet, aperiebat, ea mente, ut dejecti per ea simu-lacra animi oratio, obstantibus nequicquam nubibus, in cælum evaderet, quod divinis Oraculis traditum est. Verum ne popularis auræ favor pulverem hunc plusquam Mathe-maticum, in quo cælestia describimus, im-portune confunderet, eam rem clam omnibus habuit, pistore, qui sibi operam locaverat, ad silentium jurejurandi religione adacto. Et vero, nescio quo pacto; sepulchrali etiam e pulvere fœdus gloriolæ vermis enascitur, sem-per redivivæ, & numquam satis mortuæ hæres superbiæ.

LVII. Solitarius quidam Thoribiticus in Choreb nullam animæ suæ curam penitus ge-rens in omni negligentia semper degebat. *S. Climac. gr. 6.* Extreme igitur aliquando infirmatus corpore, quasi unius horæ spatio perfecte migravit a corpore. Et in semetipsum iterum rediens deprecabatur quidem nos omnes confestim rece-dere, portam vero cellæ obstruens, intus an-nis duodecim mansit, cum nullo colloquium nec parvum, nec magnum habens, nil aliud præter panem, & aquam gustans, tantummo-do sedens, & ea, quæ viderat in exstasi, stu-pens, sic mœrens intendebat, ut nunquam deinceps proprium morem commutaret, atten-tus, intendens, existens, & excedens, cali-das lacrymas sine strepitu semper fundebat. Cum autem migraturus esset ad Dominum, portam destruentes intravimus, & multum de-precantes hoc solum ab eo audivimus: Indul-gete mihi: Nemo memoriam mortis noscens, poterit aliquando peccare. Nos vero stupeba-mus, ita prius negligentem videntes beata mutatione, & transformatione sic repente mu-tatum, & transformatum, sepelientes vero eum sancte in propinquo castri monasterio post diem sanctas illius reliquias quærentes non in-venimus.

Mors repentina.

LVIII. Eremita quidam Turonensis in Vi-varets quadam die monitus, ut ad Comitem Turonensem excipiendum se pararet, qui po-stero die ad eum visendi causa venturus esset, dic Comiti, inquiebat Nuntio hodie, si quid a me velit, jubeat, nullus enim mihi crastinus dies. Hæc sanus dixit, & vegetus, sed postea a Comite adveniente mortuus repertus est. *Pedag. Christ. p. 2. c. 3. §. 2.*

LIX. Cheremon Abbas, dum opus facit, dum sedet, dum omnia pro sano agit, mori-tur, atque ita sedens, ac opus manibus te-nens repertus est. *Pallad. hist. c. 73.*

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Placuit hæc exempla pro solatio Sodalium meorum in separato Paragrapho enarrare, dum tam pretiosas eorum mortes sub uno aspe-ctu propositas considerant, ad imitationem ef-ficacius excitentur, dicantque cum Balaam: Moriatur anima mea morte Justorum, & fiant novissima mea horum similia. *Num. 23. v. 10.*

I. De S. P. Ignatii morte sic scribit P. Joan-nes *Jo. Nadaß. f. 24. n. 6.*

nes Nadasi in pretiosis cogitationibus morientium: Sciebat Ignatius, ut patuit variis argumentis brevi se e vita discessurum. Poterat absque ulla gloriolæ colligendæ suspicione dicere suis id, quod in charo suo Apostolo, & Medico Petro legerat: *Justum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod D. N. Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Leonoræ Mascaregnæ ita scripserat: *Hæc est postrema epistola, quam ad te scribam. Rogabo Dominum pro te in cælo brevi (ut spero) ardentius.* Polanus etiam testatur se ab Ignatio reliqua omnia moderate affirmante nihil adeo affirmate, asseveranterque dictum audivisse, quam quæ de futuris collegii Romani, quos videmus, successibus, & de sua morte, uno ante illam obitam anno dixit. Atque hac ille scientia non ad aliud, quam ad felicem obitus optimi apparatum uti voluit, humilis vere in finem usque Ignatius. Poterat aut veterum, aut etiam novi Testamenti Patriarcharum exemplo, inter convocatorum, qui ab Urbe vicini aberant, & eorum, qui Romæ aderant, filiorum corona, & complexu emoriens illa docere, quæ nos avidi legissemus; poterat suo, suorumque solatio, *salve* illis ac *vale* supremum dicere, paternaque illos benedictione prosequi, sed vincente intimum paternæ charitatis impulsum studio modestiæ singularis, maluit quasi occulte emori potius, quam diu animam agere, in sacra illa pompa eorum, qui circumadesse poterant, filiorum, geminæ uno in actu virtutis palma nobilis, & quod de solatio illo fraudaret, & quod omnem a se gloriæ fumum averteret. Atque hæc illi virtus jam inde a prima melioris vitæ ætate ad mortem præparatio fuit. Maresæ enim aliquando ab extremo vitæ periculo respirans, eos, a quibus officii causa visitabatur, sublato etiam clamore obtestari non desiit, ut sibi, si forte iterum in extremis laboranti adessent, illa identidem in aures valde serio inculcarent: *O miser peccator! O infelix! etiam atque etiam cogita, quibus te sceleribus obstrinxeris, quibus Dei in te iram provocaveris.* Neque tamen eorum, quæ necessaria fuere, negligens, aut improvida fuit ista humilitas. Parebat ille Medicorum dicto: migraturum tamen animum ad æternitatis itinera componebat. Anno 1556. 13. Julii, ut se adventanti jam decretorio suo diei pararet, circumspectare cœpit de iis, quæ occupationem illam omnium occupationum maximam, quoquo modo interpellare posset. Primum ergo ab omnibus mortalis vitæ occupationibus ita se absolvit, ut rerum administrationem in Polaocum, & Madridium inclinaret: ipse vero vel omnino nihil, aut summa tantum ac breviter expediret, absque jactura temporis curis jam cælestibus transcribendi: *ut quod supererat usuræ lucis mortalis, Deo, sibique vacans, in adorando ad lucem immortalem transitu collocaret.* Quo circa turbidis ea tempestate inter belli strepitum Romæ rebus, sancto receptui canere constituit ad Sanctam Balbinam: ita illius valetudini jam amplius immunitæ expedire judicante Medico. Illinc ergo secessit Ignatius, ut quem locum recreandis Collegii Romani sociis paulo ante construxerat, & in quo sæpe (id quod me a senioribus audisse non semel commemini) labentibus per genas tranquillis lacrymis cælum aspiciens, identidem exclamaverat: *Heu! quam sordet terra, dum cælum aspicio!* ibi se ad suprema solus secum, & cum Deo componeret. Eo in loco, sive ab æstivi, cæli, sive ab ædificii insalubritate, sive inclinata jam, & morbis fracta ætate, subcrescente Ignatii morbo domum est relatus: Ubi Medici securos Ignatii esse jussere domesticos, languorem esse citra periculum. Solebat æger Ignatius, quoties ipse pro aris hostia cælesti litare haud posset, litationis loco, conscientiam expiare, atque Sacrificii loco, Sacramenti illius communione sese reficere. Ita pane recreatus Angelico, horam sibi a Deo indictam oppetiens, in Medicorum se potestate reliquit, obediens usque ad mortem 30. Julii die jam exeunte, Joanni Polaco ad se accersito, sine arbitris aperte affirmat, adesse jam sibi propinquum diem, qui morbis ac diebus vitæ suæ supremam imponat manum. Adiret Summum Christi Vicarium, peteretque supplex, ut Ignatio, ac alteri cuidam in domo ex hac vita jam ad profectionem accinctis bene precatus, e Christi ac Ecclesiæ totius thesauro plenam indulgentiam largiatur. Distulit in crastinum, non valde abnuente, ne importunus esset, Ignatio Polancus inter spem a Medicis, & metum ex Ignatii verbis conceptum ambiguus. Imo consultis iterum, & spei, quam timori propiora respondentibus Medicis, intendente se nocte, etiam de Romano Collegio, supremam negotiorum lineam, aliquid cum Ignatio peregit, Medicos periculum non videre dicens: *Ego vero*, ajebat Ignatius, *adeo ad ultima sum redactus, ut jam nihil sit super, nisi ut animam exhalem.* Quare faceret ille quidem arbitratu suo id, quod videretur, sibi tamen impetratam a Sanctitate sua Benedictionem atque Indulgentiam, quo magis tempestiva futura sit, eo magis opportunam, & gratam fore. Qua in re non Polanci tantum, ut modeste dicam, inconsiderantiam, verum etiam Ignatii patientiam, & hanc præ illa magis admiror, quod non porrexerit urgere hominem procrastinatorem judicio Medicorum plus nimio affixum. Interea fluebat Ignatio suprema nox, quæ illi summo mane in diem æternum diluxit. Tota illi ea nox inter exaggeratos divini amoris actus per jaculatorias precum ignitarum faculas, & crebra suspiria explicatos facta est illuminatio in deliciis vicini jam Paradisi. Audiebantur ab iis, qui in proximo habitabant, inflammatæ supra quam alias consueverat, suspirantis, faque in Deum vibrantis voces. At illum non animam agere, verum divina pati existimabatur: adeoque ante noctem fere exeuntem adfuit nemo. Sexta hebdomadæ feria erat, & ultimus Julii, atque adeo vitæ Ignatii dies, cum Polancus atque Madridius tempestive

ma-

matutini adfuere, ut ægrum inviserent sub solis exortum. At jam Ignatius morti propior, quasi in aurora erat illucescentis æterni diei. Tum propere quædam reficiendis viribus opportuna illi oblata sunt. Sed horum tempus jam esse negans, interea dum Polancus cum impetrata a Summo Pontifice Benedictione atque indulgentia revertitur, postulato emortuali cereo (cujus ceram Bruxellis religiose postea asservatam fama est) sublatis in cælum placide oculis, manibusque, supremis suspiriis *Jesum*, iterumque, *Jesum*, & *Jesum* ingeminans, altera necdum expleta a solis ortu hora, explevit supremum, & prævisum, quem semper in oculis ac desiderio habebat, mortalitatis diem Ignatius, grande vitæ ad mortis Senatusconsultum comparatæ, pulchrum mortis cum insigni plane animi demissione, providentia, & pietatis ardore obitæ documentum.

Id. c. 19. n. 20. II. In Insula Sanciano, ubi in omnes Regnum Chinarum ingrediendi occasiones intentus operiebatur, posteaquam religiosissime ultimum Sacris Xaverius operatus fuisset, idque pro quopiam vita functo; febris vehemens repente increvit, & Xaverium prostravit. Quæ duo autem ægris maximo solent esse solatio, loci hominumque opportunitas, illud utrumque defuit Xaverio morienti. Locus erat Insula sterilis, & neglecta, ideoque pauperrima, cum nihil ab ipsa terra, nihil ab hominum industria illi provisum esset. Nulla ibi domus, stabiles cives nulli. Talem ergo locum elegit Deus exercendo suo Xaverio morienti. Homines vero, qui cum Xaverio erant, non animo, non corpori levando, & juvando erant idonei. Nemo, qui Sacramentis, & sacris officiis ægrum recrearet, Sacerdos; nemo, qui corporis, quoquo modo curandi curam haberet, Medicus; nemo, qui fidelem, & peritam illi operam suam in extrema rerum omnium penuria præstare posset. Adde, quod eo temporis articulo mortifera illum febris invasit, quo ille totos in Sinarum salutem, & proxima Regni limina desiderio hians delusus est, & nobilem spei, quam de ingressu illo conceperat, ramum, seu palmam, sibi in manibus velut infringi vidit. In hoc animi desiderio tanto, spe tanta repente frustrati, & destituti statione, tametsi Deo se jungeret, intimo tamen quodam igne, velut a gravi plaga accepta, urebatur Xaverius: ut jam videas illum in eo rerum articulo a morbo, & morte fuisse deprehensum, in quo vulgari rudium æstimatione, mors judicari posset infelix. At conscius venientis horæ, serenus animo, ac ore toto Xaverius, jam antea se brevi e vita discessurum prædixerat; & alias fassus est, sibi in locum desiderii animarum, desiderium videndi Dei sensim in animo succedere, atque illam flammam ab hoc igne absumi. Ergo in navi paupere (nam opulentæ jam abierant) sese inter ægros, illis levamento futurus, æger ipse collocatur Xaverius. Verum ubi morbus jam gravior vires exeruit, in terra, in publico jacere maluit, quam in navi. Lusitanus quispiam Georgius forte viri tanta a morte proxima æstuantis miseratus, illum domo sua, seu mapali potius recepit. E sarmentis, & arborum ramis tentam casulam facile perflabant rigidi venti; neque lectulus alius, aut pulvinar fuit morienti, quam terra modico stramine cooperta. Ferebat morbum nihil his turbatus Xaverius, ea gratæ erga paternam Dei providentiam mentis tranquillitate, qua decebat sanctum, & jam in cæli limine constitutum. Ipse etiam desiderii morsus, quo non piam tantum in Domino, sed cruentam pro Domino mortem oppetere appetebat, divinæ voluntati subjugatus, ab illo in holocaustum martyris, sive occisæ in Dei obsequium voluntatis, Deo est oblatus a desiderante martyrium, sed præ illo se divinæ voluntati addicente Xaverio. Post septimum morbi diem triduo jacuit absque facultate loquendi. Supremum vero vitæ biduum inter ardentia cum Deo colloquia fluxit Xaverio. Etiam cum mente nonnihil aberraret, cælestia loquebatur. Nihil ad venam bis ab homine rudi, & infeliciter apertam, nihil ad alia perturbatus, jacebat projectus in sinum providentiæ Dei, quanto destitutus magis Sacramentorum ope fratrum comprecantium corona, & aliis, quæ domi morientibus adesse solent, solatiis, tanto magis exaggerate affixus Deo: *Jesu, Jesu, Filii David, miserere mei*, ajebat. Et eum, quem e collo ad cor gestabat Crucifixum exosculatus dicebat: *Tu, peccatorum meorum miserere*. Inde familiarem sibi precem ingeminans inquiebat: *O Sanctissima Trinitas!* Ad magnam vero, cujus maternam opem expertus frequenter fuerit, Dei Matrem conversus suspirabat: *Monstra te esse Matrem: Mater Dei, memento mei!* contentus illam uno, sed summo, & augustissimo titulorum omnium Matris Dei titulo compellare. Denique moriens, ultima suspiria in hæc ad Crucifixum verba effudit: *Jesu; Deus cordis mei:* & lacrymis aspersit. Deinde ultimos morientium oculorum obtutus, vires ultimas cruci affixo Jesu consecravit, & Jesum, Mariam primo integris, ac postea intermortuis vocibus ingeminans 55. ætatis anno, Indicarum ærumnarum 10. & mense 7. post dulces lacrymas, & sereno vultu pronunciata illa verba: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum*: altera post meridiem hora, feria sexta magnam animam a corpore multa gloriose perpesso, cælo coronandam dedit: ac ostendit, etiam eos, qui omni humana ope, atque adeo ipso desiderato Sacramentorum præsidio, destituti sunt, a Deo, nisi velint deseri, deseri non solere, ac sancte mori posse; Et tum ligneum Christi Crucifixi simulacrum, quod paterna in domo Xaverii ultimo ejus vitæ anno sexta quavis feria, & alias, si quid præter solitum pateretur Xaverius, largo sudore perfluebat, a sudore cessavit: quasi diceret, jam post mortualem sudorem in domo quietis æternæ non sudare, verum coronari, ob sudores suos, Xaverium.

III. S. Franciscus Borgia sentiens, sibi finem vitæ instare, Ludovicum Mendozium Societatis Presbyterum ad Pontificem remittit, qui *Vita l. 4. c. 21.*

benedictionem supplex postularet. Ille vero ac libenter indulsit, & ex thesauris Ecclesiæ liberaliter: hoc addito elogio: miserari se Ecclesiæ Catholicæ vicem. Magnam enim morte Francisci jacturam facere, quæ tali, tantoque ministro orbaretur. Cardinales aliquot, & Regum, Principumque Legati salutatum Officii gratia gratulatumque de adventu accesserant. At modeste ille: Intempestivum non videri: Darent itaque hanc veniam. Uni enim Deo, vitæ mortisque arbitro, dandam esse operam. Sacramentis Ecclesiæ omnibus rite munitus, dum oleo sacro de more migraturus inungitur, Litaniæque recitantur, ad singula ipse respondit pietate singulari. Patres e consiliis assistere soliti, illud postremum rogare, unum e corpore Societatis, qui vices, interregni tempore, digne sustineret, ex animi sententia pronunciaret. Is renuit, quod neutrum eorum, qui antecesserant Ignatium & Laynem morti vicinum nominare voluisse meminisset. Mox quietis avidus, orationi se dedit, ac meditationi: ductisque imo e pectore suspiriis, spiritum Deo reddit pridie Kalend. Octobris, qui dies B. Hieronymo anniversario ritu sacer est, anno MDLXXII. paulo ante tertiam noctis vigiliam: aonos natus cum esset duos fere, & sexaginta.

Nadasi c. 11. prat. ergit. IV. B. Aloysius uno, & amplius ante felicem hinc migrationem anno intellexit in oratione matutina Mediolani suggerentem sibi Deum, ut se ad mortem ardentius hoc demum anno componeret. Jam enim ultima sibi tempora instare; nec annos victurum. Mediolano Romam redux, pro primo ad mortem instantem apparatu, se scriptis plane spoliavit, & quidquid Asceticorum, quidquid Theologicorum in S. Thomam, etiam quæ suo ingenio deprompserat, scriptorum habuit, ad Collegii Rectorem detulit; eo ad oppetendam mortem expeditus magis. *Prima* ergo, & remota ad mortem se a longe ostendentem apparatio fuit *nuditas paupertatis*, in deponendis etiam minimis, quibus affici videbatur. *Secunda* fuit, *moriendi desiderium*; moriente quodam e fratribus, qui tabem e Nosocomio inter mioistrandum contraxerat, suspiraos Aloysius, Patri cuidam: O quam libens, inquit, cum fratre Tiberio commutarem, si hac Deus gratia dignaretur! quia nunc judicia quædam suppetunt, quibus me Dei gratia præditum esse confidam; incertus, qualis posthac sim futurus. Obtinuit, ut & ipse lue communi opressis ægris in Nosocomio serviret. Serviebat vero iis, qui omnium teterrimi, & horridiores erant, morbo, pædore, &c. quidquid ad corporis, & spiritus solatium pertinebat, faciebat Aloysius una cum Sociis, totus in illorum obsequia effusus. Et vero humilitatis, & charitatis actus obedientiæ ductu suscepti pulchra ad mortem præparatio sunt, communi jam illo Sancti Hieronymi proverbio, qui ajebat; se non vidisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Martii tertio die, morbo jam vires superante, decubuit Aloysius, & ipse malo illo contactus. Morbum lætus, & quasi postremum accepit seque in illo ita gessit, atque si illi vere succubitura esset vita. Sacramenta petiit, & ne quam ulli scandali ansam relinqueret, cum recordaretur sibi a nonnullis dictum, fore ut corporis afflictiones, quas quidam nimias putabant, sibi morienti scrupulo forent, ita ut S. Beroardo fuisse ajunt: post sacrum Viaticum acceptum, Rectorem rogavit, ut præsenti Patrum, & Fratrum coronæ suo nomine diceret, se in ea re nulla religione, nullo scrupulo tangi, quod excessisset. Molestius sibi esse, quod potius defecisset in iis, quæ in hoc genere per obedientiam facere licuisset. Deinde se, consulto, in nullam unquam legem, quod quidem sciret, peccasse. Denique nihil afflictationis, nisi Superioribus annuentibus suscepisse. A præsente P. Provinciali petiit, & institit primum, ut sibi potestas ab eo fieret, sese flagello cædendi, seu disciplina. Illi vires ad id faciendum non sufficere dicenti Patri, ostendit, sufficere sibi ad id patiendum vires; petivitque ut saltem ab alio quopiam fortiore a capite usque ad calcem flagellaretur: idque valde serio. At nec ibi auditus, repulsam etiam in tertio tulit, cum humi stratus mortem oppetiri voluit. Ergo dolorum loco, succedaneæ instar hostiæ, suam obedientiam, & voluntatis ad id, si liceret, paratæ obsequium Deo sacrificavit. Ut sese quibus posset modis seu ultro venientibus, seu quæsitis affligeret, sine ullis contra nauseam condimentis potionem nauseæ valde obooxiam, sine ullo molestiæ signo oon repente glutivit, sed ad vexandum palatum, & guttur, sensim & cum sensu, quasi optatissimum gulæ irritamentum demisit. Et si duo essent, quorum alterutro uti deberet, id, quod minoris erat pretii, medicamentum elegit. Petenti autem, quid ita non alterum potius, quod præstantius esset, eligeret? quia hoc, inquit, pauperi magis convenit. Pro aliis in agone constitutis Deum ardenter precari, bona pro agonis oostri felicitate præparatio est. Aloysio certe præclaram, id agendi, occasionem obtulit Deus, in morte P. Corbinelli, de quo alias. Nostro agoni consulimus cum adeo insigni charitatis actu in ultima, & maxima necessitatum omnium necessitati omni ope, qua possumus, alios in difficili illo agone sudantes, in duello illo pro vita æterna contra omnem dæmonum, & peccatorum turbam confligentes, singultibusque ultimis migrantem animam agentes adjuvamus. Longus, & molestus Aloysii morbus: nihil tamen sibi displicere unquam ostendit, non personam, non ullum personæ ullius factum, aut verbum, non cibum, non lectum, non quicquam. Gratias pro omnibus composito semper animo quietus agebat. Præparatio est pretiosa, inquieta usque ad finem patientia migrantem animam possidere. Nullos nisi de Deo, de vita beata sermones admisit, etiam cum a Cardinalibus visitaretur, quos dulcissime afficiebat illa Juvenis cælestium adeo gnari sapientia. Si quid aliud diceretur, animum avertebat: Si sancta, verbo & signis id sibi valde placere ostendebat. Ajebat non *formale* solum, sed & *materiale*, ut dicimus debere esse Sanctum, quidquid agitur, vel dicitur

tur apud ægrum. Cor in cælum præmittit æger, dum ait cælestia. Audiebat periculum subesse Aloysius, ne in urbe lues in pestem erumperet. Cum ergo videret, se necdum mori, sese obtulit ad serviendum peste infectis, si forte a morbo respirare liceret, idque adeo solide, ut a P. Generali, qui ad eum visitandum advenerat, sibi obtinuerit potestatem voto concepto sese ad infectorum obsequia devovendi. Et votum illud magno animi sensu, magna eorum, qui rei conscii aderant, voluptate nuncupavit. Desideriis tunc agendum: & porrigendum cor ultra, quam vires possint. Inde accensa non in lecto, sed in cruce, vel gladio, aut aliter pro Christo moriendi desideria sunt seminarium triumphorum. Pretiosissima æstimabat singula momenta residui sibi adhuc temporis: eaque ita sibi a Deo concessa accipiebat, ut nonnisi rebus pretiosissimis impenderentur. Videndum ergo, quæ sint omnium pretiosissimæ occupationes, quibus tempus illud impleri possit. Nunc illæ præparandæ, ut nos tunc paratos expectent. Ita nulla ultimi, & optimi illius temporis particula nos præteribit sine lucro. Nonnumquam veste postulabata sensim ad mensam, in qua erat crucifixus, adrepebat: illum amplexabatur, osculabatur magna reverentiæ ac pii sensus significatione. Tum ad amplexus, & oscula, & salutationes Sanctæ Catharinæ Senensis admirabilis Virginis, cujus ibi imago erat, procedebat; tum ad alias Sanctorum, quæ circum in cubiculo erant imagines. Non esse necesse lectulo consurgere, dicente valetudinario, & se crucifixum, atque imagines ad lectum apportaturum promittente, perrexit tamen idem agere quotidie usque dum per vires id licuit. Frater, ajebat, hæ sunt meæ stationes. Cum Patre spiritua li tractare sæpius, res est necessaria morienti. Loquebatur sæpe de rebus Dei, & animi sui Aloysius cum Patre Bellarmino Confessario suo, qui interroganti aliquando Aloysio, num putaret aliquos a morte statim cælo recipi, absque ulla in purgatorio mora; respondit, omnino esse quosdam, & magnis argumentis in ea spe se esse, fore illum etiam unum ex illis, utpote magnis divinæ beneficentiæ donis ornatum, & a lethali labe semper immunem conservatum; quæ res Aloysium tantis gaudiis perfudit, ut abscedente Bellarmino sibi relictus, intraverit gaudium Domini sui quodam mentis excessu gustandum, sensu tanto dulcedinis impletus in illa cælestis Jerusalem gloria quasi per rimam spectata, ut tota prope illi mox instar brevissimæ morulæ visa fuerit, absorbente noctis longitudinem cogitato æterno illo die. Putatur etiam in pleno illo dulcedinis cælestis deliquio suæ mortis tempus distincte didicisse: nam id quod hactenus adeo expresse non fecerat, dixit pluribus & sæpius, se octavo a Christi corporis festo die diem ultimum obiturum; & fidem dicti morte implevit. Accepto mortis nuncio, lætus fratrem, ut se in dicendo SS. Ambrosii, & Augustini Hymno juvaret, rogavit, in gratiarum actionem. Et una *Te Deum laudamus* dixere. Alteri Patri intranti ad se; *Pater mi*, inquit latine, *lætantes imus*, *lætantes imus*! Tum ad tres Patres *vale* illis dicturus, ac eorum preces expetiturus, litteras aliena manu dedit; & nominis loco, cruce sua manu, sed aliena ope subscripsit. Amicum quemdam Patrem oravit, ut supremis illis octo diebus vitæ suæ, quotidie tertia ante solis occasum hora in cubiculo apud se adesset, ad recitandos septem Psalmos Pœnitentiales. Veniebat condicta hora Pater: & Aloysius solus sibi tunc cum Patre illo relictus, clauso ostio, petebat sibi super lectulum poni crucifixum. Pater vero lecto proximus, nixus genibus septem Psalmos lenta pronuntiatione legebat. Subsistebat nonnumquam tantisper in versibus quibusdam, & Aloysius affixis crucifixo oculis hærebat in illo aspectu semper attentus, & hians, ita ut ipso sui aspectu eos, qui eum observabant, ad lacrymas promoveret. Ipse vero immotus quieto vultu oculisque tacebat, una illi alterave nonnumquam ex oculis lacrymula placide delabente. Orationi miscebat lectionem, & huic rursus orationem. Aliis diei horis legi sibi petebat, & attente, quæ ipsemet designaret, audiebat. Ultima fuæ vitæ hebdomada, perpetuæ fere contemplationi se dabat; modicum nonnumquam de divinis rebus interloquens, & sæpe jam latoriis, quasi faculis, animo in cælum emicans. Ultimo vitæ triduo æreum crucifixum indulgentiis nobilem pectori tenebat admotum. Veræ ac sanctæ fidei protestationem fecit sæpius, eo ordine, quo in Romano Rituali præscribitur. Magnum sæpe desiderium ostendebat ad Deum festinandi, seque illi penitus conjungendi, sæpius ingeminando: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo:* & plura hisce similia. Ipso jam octavæ Corporis Christi, id est, ultimo vitæ suæ die, cum plures dicerent, adesse octavum diem, & tamen illum, contra quam toties affirmarat, vivere; Patri cuidam respondit: Necdum præteriit hodiernus dies. Alteri teneram erga Aloysium a longo situ altero latere misere affectum commiserationem monstranti, Aloysius respondit: Hac nocte moriar. Negante altero, ita morti proximum videri, bis repetiit: Hac nocte moriar: Et matutinum tempus omne variis fidei, & adorationis actibus, aliisque precibus impendit. O quam pretiosa præparatio, ita diem occupare, quasi sint diei ultimæ occupationes. Sub meridiem diei ultimi precibus acrius institit petere viaticum, quod ac ipso diei principio postulaverat. Neganti valetudinario id illi jam dari posse, cum bis eodem in morbo viaticum dari non debeat; id quidem de extrema Unctione, non vero de viatico verum esse, dixit Aloysius. Interea Gregorius XIV. Pontifex illi benedictionem pro felici morte misit, quam ille multa cum submississimæ modestiæ significatione accepit. Tandem viaticum impetravit; & cum Patre quodam Litanias de Sanctissimo Sacramento dixit, voce clara præeunti respondens. Accepto e P. Rectoris manu Viatico, more eorum, qui peregre veniunt, vel discedunt, amplexu singulis, qui aderant, valedixit, datis pretio-

tiosis ad ea, quæ dicabantur, responsis. Patri Provinciali mox ingresso, & dicenti; Quid fit, Frater Aloysi? *Imus*, inquit, Aloysius. Et quorsum petente Patre, respondit: *Ad cælum*. Quomodo ad cælum? inquit Pater. Et Aloysius: *Nisi mea me peccata impediant, spero in Dei misericordia fore, ut illuc vadam*. Una ante solis occasum hora, detracta e capite vita, cum eamdem, ut sibi reponi pateretur, diceret nonnemo; respondit, oculis in Christum, quem tenebat, conversis: Christus cum moreretur, caput opertum non habuit. Vale omnibus dixit, promissa omnium in cælo recordatione: & precatus est omnes, ut se in difficili, & supremo illo puncto precibus adjuvarent. Quædam etiam nonnullis suggessit, quæ ab iis pro se statim a morte fieri desiderabat. Commendationem animæ mox adjecit. Cum duobus Patribus relictus Aloysius, selecta quædam e sacra Scriptura interdum promebat, ut: *In manus tuas, Domine &c.* nunc aqua lustrali aspergebatur, nunc orantes audiebat, nunc porrectum ad os crucifixum exosculabatur; & actus, qui suggerebantur, eliciebat. Tum livida facie mortuales illi guttulæ defluebant, & moveri petens e latere, in quo triduo toto jacuerat, in latus alterum, crucifixi mentioni factæ acquievit, oculis in illum defixis. Mox loqui jam non potentem cereo benedicto, & ardente in crucis formam super eum ducto, signavere, & cereum in manum dedere: quem ille manu strinxit; & post paululum, dulcissimum Jesu Nomen exprimere conatus, motis ad ultimam labiis instar plura dicere mollientis, inter secundam, & tertiam a nocte inchoata horam octavæ Corporis Christi in feriam sextam euntis noctis, quæ inter 20. & 21. Junii diem intercedebat, tres & viginti annos, tres menses, & 11. dies natus morte placida in Domino requievit. Beatæ Magdalenæ Florentiæ postea in sublimi gloriæ gradu conspectus est, eo quod internis actibus frequentandis fuisse impense addictus.

Ribad. in Flor. SS. in fin. V. De morte Beati Stanislai Kostkæ sequentia habet Ribadeneira in Floribus Sanctorum: Ipsa porro ex hac vita migratio duo habuit singularia. Primum non vi naturali, sed divino præter ordinem jussu existimata est contigisse. Deinde & præsensit eam, & prædixit Stanislaus, imo etiam impetrasse conjectura est. Dies appetebat Sancto Laurentio sacer, qui inclytus ex more Societatis nostræ in menstrua sortitione Stanislao patronus obvenerat: Quam ob rem celeberrimum optans agere eum diem tamquam ad stolam pretiosam, & vario distinctam ornatu parandam pridie institit a Rectore, multa sibi ut liceret effectu pia, perpessus aspera suscipere: Ex quibus levissima quædam concessa; inter cætera ut publice sese in cœnaculo verberaret. Ipso mox die festo post obita rite divina, omne matutinum tempus, coquo administer exegit, sancto humilitatis charitatisque negotio religiosum diei otium colens: quæ sunt feriæ Beatis in primis acceptæ. Secundum prandium interrogatus publice a Novitiorum Magistro, quid interim mente agitasset; respondit: Ex ignis præsentia succurrisse sibi ignem infernum, quem se ajebat commeritum, & ignem, quo Beatus Laurentius tostus fuerat. Paulo post male incipit habere, jubeturque collocari in lectulo. Commotiuncula erat non febris, aut quicquam cura dignum, tamen Stanislaus lectulum inscensurus, cum super eum benedicens salutare signum crucis manu figurasset, solemni sua hilaritate adjecit: Si Deo cordi est, ut hinc numquam exurgam, fiat ejus voluntas. Subinde febri corripitur, quasi Laurentii Patroni sui flammarum particeps factus. Cæterum perlevis fuit febris tertiana, tertioque ejus accessu mors consecuta. Itaque cum altero ante obitum die ad cubiculum superioris contignationis deduceretur, post gratias Deo, & Societati de cura, quæ ipsi adhibebatur, actas, affirmans ibi decessurum, aliquam admirationem iis, qui aderant, movit: Ideoque subjecit, si tamen Deo placitum fuerit. At postridie cum affirmaret, ea se nocte obiturum, suscepere Fratres veluti joco, non esse id verosimile, nisi forte cæli Regina, cui assumptæ sacer instabat dies, secum assumeret. Post meridiem languore, ac sudore gelido occupatus, Patre Facio nihil id esse, ut assolet, dictante, affirmavit diserte adesse jam haud dubie clausulam vitæ suæ mortalis. Fecereque tandem fidem tum adeo constantia dicta, tum vires statim collabi vehementer cœptæ, atque deficere. Inde institit, uti finerent humi sese abjectum ultimum exhalare spiritum: Quod cum primo Rector negasset, iterum instanti ex parte indulgendum ratus, hactenus concessit, ut humi cum culcitra sterneretur. Ita humi jacens divinissima mysteria, & sua, & circumstantium consolatione magna suscepit, ad preces, quæ adhibebantur, attente, pieque respondens. Sed illud fuit spectaculum fratribus perjucundum. Cuncti animadvertere, ubi primum in cubiculo Sacrosanctum Domini corpus apparuit, tanquam gestiente ad dilecti sui conspectum animo, dulcissima quadam amœnitate, & pulchriore solito hilaritatis flore virgineum ejus os explicatum. Sub hæc ad Rectorem conversus: Tempus breve est, inquit, & Patre prosequente illud Apostoli, reliquum est, ipse subjecit: præparemus nos. Ac velut de integro ad momentum illud æternitatis arbitrum se comparere exorsus, bis repurgavit confessione animum, veniamque ex Fratribus cœpit rogare, quod minus recta eis præbuisset exempla, ita ex animo, ac si vere exempla talia, non optima præbuisset. Cæterum quanto brevior usura vitæ restabat, tanto eam occupabat intentius. Multas precationes a sanctis Viris compositas ei tempori accommodas ultro exequutus, sacram Crucifixi effigiem petit, eam statim porrectam manu tenens, ac peramanter intuens ore, uti semper erat, lætissimo, plenum pietate ex cordis sui sinu colloquium instituit: de beneficiis acceptis gratias benignissimo Domino agens, qui se procreasset, qui proprio sanguine redemisset, qui ad Religionem vocasset, ac cætera ejus generis, rogans peccatorum veniam; spiritumque suum in manus

il-

tilius commendans. Tum exorsus a pedibus sigillatim sacras plagas summo cum sensu exosculatur, similique affectu oblatam, qua valens utebatur, Sanctiss. Virginis Matris suæ imaginem complexus, atque osculatus est. Inde ad alios cælites versus, quoniam tempus aderat, quo patrocinia maxime conquirenda, atque usurpanda sunt, voluit sibi Patronorum suorum e beatis cælis incolis nomina recitari, quos una cum iis, qui per singulos menses in Societate illi sorte obtigerant, ex ordine in libellum retulerat. Postremo de more interrogatus, numquid molesti resideret in animo? Nihil respondit: ac rursus, num esset paratus Deum avocantem sequi, jucundissime item respondit: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Atque ita sancto oleo jam inunctus, altera manu Rosarium, & quædam piacularia grana, altera sacrum cereum sustinens inter sanctissima Jesu, & Mariæ ingeminanda nomina vivere Deo cœpit, adeoque leniter felix ille animus ab suo corpusculo, quod fidelissimum socium, atque administrum habuerat, segregatus est, eique tam vividum colorem, oculos usque eo nitidos reliquit, ut adstantes migratio fefellerit, mansitque deinceps venustissima in ore demortui species, quasi leniter ac dulce renitentis.

Vita l. 3. c. 11. VI. P. Jacobus Laynes secundus Soc. Jesu Generalis, fractus tandem magnis, variisque laboribus, & ætate fessus, in morbum gravem, lentumque incidit, recrudescentibus malis, quæ tot itineribus, studiorum, concionumque pertinaci labore, cujus sollicitudine administrandæ Societatis, publicisque negotiis obeundis pridem contraxerat. Recreatus post meliuscule habere cœperat, cum iterum concionari, superioremque locum ascendere tentat: adeo juvandæ Ecclesiæ Catholicæ desiderio flagrabat; ut tamquam goavum militem mors pugnantemque opprimere. Invaluit iterum vis morbi gravior. Inaudierat tum forte pro incolumitate sua, vitaque producenda, non domi solum, sed publice etiam vota concepta, supplicationesque ad templa Sanctorum dictas, peregrinationes etiam religionis gratia ab iis susceptas, qui illius studiosissimi, salvum superstitemque vellent. Indoluit hoc nuncio Laynes, quod dissolvi cum Paulo corporis vinculis, eque custodia abire vehementer optaret: ut quem mortali in vita in speculo tantum & ænigmate vidisset, facie ad faciem aliquando cerneret, ubi beati ævo fruuntur sempiterno. Quare identidem illud usurpabat: *Ut quid ego adhuc terram occupo?* Societati enim se jam inutilem, minusque frugi servum appellans, alteri locum, qui munus id obiret, felicius concedendum. Postquam in dies dolores, febremque sine spe salutis augeri videt, nihilque reliquum factum ad sanandum corpusculum; summam ad hæc curam, diligentiamque socios in valetudine sua tuenda adhibuisse, consulendum sibi ratus, ante diem sextum decimum Kalend. Febr. de anteactæ vitæ erratis puriter confessus, cælestem Angelorum panem viatici nomine serio postulans, summa pietate ac religione sumit. Postridie ejus diei missis sociis Societatem Pio IV. Pontif. Max. qui ejus in patrocinium, ut dixi, libens, nolensque vita decedens, diligenter, pieque commendat: veniam quoque ex animo peccatorum postulat simul, & Apostolicam benedictionem. Dein oleo sacro inungi voluit, ut illo munitus Sacramento cum dæmone postremum luctaretur. Hinc immortalitatis spe, æternæque beatitudinis desiderio plenus, Deum vitæ auctorem precatur, & amice compellat, fusis etiam ubertim lacrymis, ut exulem se tandem aliquando in patriam revocaret. Patientiæ tunc ea documenta ægrotus dedit, ut quæ sanus, valesque vitæ præcepta dedisset, ea ad extremum usque vitæ diem tenuisse satis ostenderit. Seniores Societatis Patres, qui assistere in quotidianis deliberationibus soliti essent, orant, atque obsecrant, ut extrema voluntate, quem ex omni numero vicariam Societati operam dare vellet, nominarent. Renuit vero, facturumque se negat, sive modestia, qua virtute enituit, sive quod Ignatium Loyolam idem recusasse meminisset, seu utroque adductus. Rogatus ab iisdem, ut Societati, sibique benediceret, tendens in cælum oculos, & manus, patrem luminum, ut qui Societatis auctor esset, eamque stirpem, & vineam recens ortam in Ecclesiæ horto plantasset, simul & rigasset, perque terrarum orbem longe, lateque propagasset, idem etiam misericordiæ bono divinitus hodierno die benediceret, tueretur in adversis, & proveheret ad majora. Hinc sereno vultu ac placido, crucis ligno bene precatus cunctis, Patres, qui assistere de more solerent, sic appellat: *Vobis quoque Patres, hanc ipsam Societatem commendatam habetote; Ambitionem in primis fugiendam censeo, ut & discordiam, animorumque dissensionem. Conjunctionis enim civilis pestes hæ maximæ sunt, eruntque semper. Cavenda deinde nationum inter ipsas dissidia, & secessiones. Idem itaque omnes, nullo habito in Societate gentium diversarum discrimine, sapiant in Domino.* His fere verbis sui quemque officii admonens, voce intercepta, respirandique vi impedita, silentium tenuit. Notarunt curiosi ab illo Franciscum Borgiam, qui animam agenti astabat fixis continenter oculis, adeo spectatum blande atque hilariter, ut vel ea re Societatem illi satis commendasse munerique Præpositi Generalis successurum illum augurari videretur. Biduum fere amissa voce Laynes jacuit: animo tamen in res divinas intentus. Hora tandem noctis secunda, decimo quarto Kalend. Februarii, anni 1565. vita hac mortali decessit tertio & quinquagesimo ætatis anno: egregio Sociis dato morum, vitæque innocenter exactæ exemplo, quod non mirentur solum, sed & imitentur posteri: Romanis vero civibus luctum, suique ingens desiderium reliquit.

VII. P. Vincentius Caraffa octavus Societ. *Vita l. 1. c. 12.* Generalis, tanta cura pauperum, ægrorumque obsequio se addixit (nominatim in valetudinario S. Joannis Lateranensis) ut lethalem morbum contraxerit, quem præsentiscere cœpit 27. Maji 1649. nec tamen aperuit vel postridie, etsi ingravesceret, dolorem de more suo silentio tegens. Quippe necessitate coactus domesti-

cum Nosodochium ad sui curationem non subibat. Quod tempus vocare solebat *extremum pœnitentiæ naturalis*, quando ex debilitate, doloreve non valebat amplius incedere. Et duplex erat hujus consilii ratio: partim quod febricula sæpiuscule tentaretur, orta ex veteri humorum intemperie, quæ nativam ejus constitutionem vitiaverat: partim quod sibi metueret non insuetam nonnullis infirmitatem non tam corporis, quam animi, morbos ferre, prout timet, aut male constitutus est, corpori affingentis; quos virtus potius quam medica, aut delicata curatio sanarit. Ejusdem mensis 29. quæ in Sabbatum Virgini sacrum incidit, non omisit dicatum eidem Immaculatæ Virgini obire culinæ ministerium; ac deinde de genibus triclinii medio prandit; at ægre & parce. Vesperi vix in pedes stare, aut se sufferre poterat. Quare tum demum eatenus morbo cessit, ut iis, quibus intererat, illum indicaret. Exinde deterius in dies se habuit, usque dum malignitas febris incertis indiciis manifesto deprehensa est. Lætissimus inter nos agebat, sane mœstos tam præstantis viri periculo pariter, ac universæ Societatis: neque ullum dabat unquam argumentum vel mœrentis animi, vel vim morbi non fortissime ferentis. Id tantummodo petiit, ut quo ad ejus fieri poterat, solus esse fineretur, quo scilicet vitæ residuum omnino cum Deo exigeret. Præsagiebat enim hanc invaletudinem supremam sibi fore, prout ex oraculo acceperat Neapoli Romam sibi migrandum, atque inde brevi in cælum. Quod augurium mortis, sermo illius cum quodam e Patribus confirmavit. Cum enim hic arbitratus, Vincentium æquo crebriores litteras publicas, legesque Provinciis Societatis præscribere, objiceret illi antecessores Generales in eo genere moderatius egisse; sapienter illi subjecit Vincentius: *At mihi, qui citius hoc munere defuncturus sum, brevi, quod cogito, faciendum, ne numquam faciam*. Porro e lectulo semper oculos in signum Christi cruci affixi, vel B. Mariæ Virginis intentos ac defixos habebat. Quoniam autem suspirabat identidem, percontatus est nonnemo, ecquic male haberet: num quare indigeret. *Nulla*, respondit, *neque suspiria ista dolor, sed consolatio exprimit*. Nec vero causa fuit ambigendi: nam alias cum ad mortem laboraret, amico per familiari asseruit, sese ex conscientia tantillæ operæ, quam adhuc Deo impenderat, tantam haurire voluptatem, ut vix animo capere posset: *Quanta*, subjunxit, *futura est, quando post alios ejusdem Numinis gloriæ exantlatos, optimus Pater ac munerator noster morbum, quo extinguendus sum, servulo suo immiserit?* Quoniam vero nihil petebat, iis, quæ circa illum, aut ipsi fierent, contentissimus quondam familiariter illi diximus, fieri non posse, quin aliqua re, officiove quandoque opus haberet, cum tamen nihil unquam posceret; Ad quæ ipse: *Quid velle*, inquit, *potest, aut petere, cui adsunt omnia?* Deum innuens, qui unus est omnia illi, qui ipsum possidet, & possidetur ab ipso. Quod responsum dedit vultu & ore cælestem hilaritatem ita spirante, ut nos intimo pietatis sensu affecti, & in lacrymas effusi, nihil ultra reponere, aut fari possemus. Medico morem gerebat ad nutum, & quamquam non sine gravissimo labore surrigere sese e strato valeret, ad nonnihil cibi, potusve sumendum; quamdiu tamen collectis viribus potuit, quidquid præbebatur, sumpsit. Cum quis aliquando Medicis suggessisset hæc & ista illius gustui magis arridere, ipse homine placide & sine interruptione audito, conversus ad Medicos: *Domini*, ait, *quidquid lubet, præscribite, nullius rei habito respectu; siquidem Numine propitio, quidquid nomine vestro mihi porrigetur, hauriam*. Et observatum est, si quis per immodicum amoris affectum, aut ignorantiam importunior illi foret, nullum molestiæ signum ab eo præbitum fuisse, tametsi, qui præsentes aderant, nonnisi gravate intempestiva illa officia spectarent. Sub vitæ finem cum mente aberraret, quod B. Xaverio contigisse ferunt, illud quoque Vincentio usuvenit, ut sermo illi omnis de rebus Divinis, atque ad regimen spectantibus esset. Nimirum insitæ sanctimoniæ radii, ut sæpe nolenti, atque invito, ita & mente destituto foras erumpunt, virtutis habitu, quem piæ cogitationes, probæque actiones peperere, natura agente, atque ad similes impellente. Cæterum proxime ante aberrationem, quotidie SS. Eucharistiam exceperat, ac postremo in Viaticum: quo postremo tempore, qui aderamus, omnes mirifice ad pietatem, amoremque sui permovit. Præfatus enim est, antequam Divino pane se reficeret, sed de sacro Viatico sumendo magna sua voluptate monitum maxima participaturum: quando sanctissimum Eucharistiæ epulum vitæ quidem tempore ejus amaritudinem mitigat, sub mortem vero in Viaticum acceptum, vere viaticum est, viaque ad beatam æternitatem. Deinde habere se, agereque bono Deo gratias, æternasque acturum, quod eo loci ac temporis eum adduxisset. Præterea semper destinasse, quæsisseque illud impense, ut omnes solaretur, quantum el fas esset. Denique ne post mortem quidem quidquam adeo cordi habiturum, ut secundas, adversasque res Societatis. Hæc cum pronunciaret, satis apparebat, illum loquendo non parum laborare. Et certe peregre sensa sua exprimebat propter summam imbecillitatem. Itaque rogatus est ab aliquo assistentium, ne ultra se torqueret. Cui Vincentius: *Non molestiæ*, ait, *sed magno solatio mihi illud est*. Tum iis, qui aderant, universæque Societati bene est precatus. Quod ut rite faceret, brachium illi attolli oportuit: vel enim nec ad hoc sat supererat virium. Simul missus, qui a Summo Pontifice indulgentiam, bonamque precationem postularet: quam ipse cum singularis in Vincentium benevolentiæ significatione illico concessit, ut qui ab ipso morbi primordio corporis illius valetudinem medico suo sedulo commendarat, abituram animam votis, & quo licebat favore prosequeretur. Cum igitur a Pontifice rediisset Italiæ Assistens, ægrum eo nuntio recreavit; qui & grates sanctiss. Patri maximas habuit, confirmavitque precaturum se Numen, ut eum, ejusque regimen prosperis rebus ad uni-

ver-

versæ Ecclesiæ bonum cumularet. Et quia ¡dem Italiæ assistens per absentiam suam faustis Vincentii precibus impertitus non fuerat, petiit, ut ne iis frustraretur: quare & illi, & nobis qui in conclavi reliqui eramus, majore etiam quam prius vigore prospera comprecatus est. Demum morbo in dies invalescente post elusa omnia remedia humana, die 8. Junii, qui in feriam tertiam incurrebat, ad dimidiatam octavam matutinam, quarto, & sexagesimo ætatis anno, Christi 1649. inter suorum lacrymas, precesque totius domus, & Societatis Romæ degentis, mortem tamdiu, totque votis expetitam placidissime oppetiit, ut vitam immortalem navi omnis exortem Deo viveret.

Nadas. c. 22. pret. cogit. n. 11. VIII. P. Franciscus Piccolominius nonus Societatis Jesu Generalis erat, cujus dolores cotis instar erant ad illius ingenium, cor, verba mirifice acuenda, & inflammanda, cum admirabili virtutum solidarum exaggeratione suam patientiam cumularet suspiriis gratiarum & amoris plenis: *Non meum*, ajebat, *Domine, sed tuum est dicere: sufficit. Domine, sis benedictus! Hæc mea viscera debent liquefieri, dissolvi, sis benedictus!* Commendationem animæ recitari petens dicebat: *Eja ponite animam meam in manum Angelorum. Veni Domine, noli tardare.* Convenit etiam cum uno & altero, ut ad signa, quæ daturus erat, absolveretur, cum loqui non posset, id in agone fecit. Petebat postea lætior dolores sibi alios aliis addi, ad illos exantlandos paratus in milliones annorum. Jo. Card. de Lugo illi a Pontifice benedictionem attulit. Preces pro se fieri non aliter voluit, nisi ut moreretur benedicens Deum. Inter dolores, qui tota illi viscera exurebant, dicebat lætus cuidam Patri: Morimur, & ridemus. Aquam, quæ illi recreando illata fuerat, ut biberet, aliquando totam effundebat, & dicebat: *Libemus Deo: hoc enim esset quærere delicias in cruce, in qua me posuit Deus. Serva mihi aliquam angulum in tua cruce, crucifixe mi Jesu: Ecce me ad patiendum amplius, etiam per totam æternitatem, si tibi sic placeat, Deus.* Dixit cuidam hilariore quadam spe undequaque perfusus, quod, cum Deus incipit auferre timorem quemdam (uti ipse tunc experiebatur) pati sit res longe dulcissima. Animabus etiam, quæ in Purgatorio patiuntur, se crebro ardenterque inter dolores, ac æternæ felicitatis desideria commendans dixit, se omnia ea Sacra, quæ ad intentionem Generalis fiunt quot hebdomadis, illis transcripsisse: nempe ut illæ apud Deum optime omnia expedirent negotia, pro quibus illa Sacrificia destinari possunt: quæ ars felici successu solet a Deo coronari. Cum actus fidei faceret, rogabat Beatissimam Virginem, ut, in quo ille deficeret, e suæ fidei plenitudine illa suppleret. Post Communionem auditus est aliquando dicere: *Domina, patete, quæso, ut merita tua offeram Deo meo, cum enim propriam non habeam, nisi tua offerrem, vacuus in conspectu Domini apparerem.* Cum id per vires adhuc posset, per quartam horæ partem nudis humi genibus perstitit petens, ut B. Virgini dedicato die Sabbati mori posset.

Obtinuit, 17. Junii anno 1651. extinctus. Desiderabat per morbum aliquando videre cælum e fenestra, & dicebat: *Heu, quam sordes terra, dum cælum aspicio!* Tum Deum cæli coram tota ejus curia adorabat, sæpe illi in ore illa: *Paradisus! Brevi, brevi! spero istic erimus. Magnificat* sæpe, ac tenere secum repetebat; illa potissimum: *Et exultavit spiritus meus, &c. Dolores*, ajebat, *pro amore Dei cum patientia tolerati sunt mensura itineris sursum. Quare oportet mensuram istam habere bonam, confertam & coagitatam.* Voluit Sacrum in S. P. Ignatii cubiculo celebrari & per illud petiit animam suam immergi in sanguine Salvatoris. Quo pius patiebatur diros illos, & longissimos calculi cruciatus, eo se magis ad reddendas Deo, quasi pro novis beneficiis, gratias effundebat confessione quotidie sæpius instituta; quousque denique expiravit.

IX. P. Alphonsus Salmeron unus ex primis S. Ignatii Sociis, sentiens vitæ finem imminere, libris clausis, rebusque aliis omnibus valere jussis, hoc agebat unum, quasi jam universæ carnis viam ingressurus, medicis, ut solent, animum blandis verbis ægroto addentibus, bono ut animo esset, non adeo cito interiturum: Constanter ille, quod evenit, fore, ut vivorum e numero brevi eriperetur, affirmabat. Dicente altero: Confide, Pater, equidem dabo operam, quo adjicebit, ut convalescas. Ad hæc ille: *Da potius operam bene ut moriar, cælumque petam: Id enim mea peemagni refert; quoniam melior est misericordia Domini super vitas.* Interrogatus a Socio Sacerdote, ut haberet, hilari vultu respondit: *Oblatum est de præterito, præsenti, & futuro.* Alio quærente libenterne mortem obiret, dictum illud Episcopi cujusdam apud Augustinum insulit: *Si aliquando, cur non modo?* His persimilia mentem animi testabatur, quidque illo fieri vellet Deus. Igitur licet rite confessus ægrotans sacra divinæ hostiæ mysteria sumpsisset, iterare tamen Sacramenta, totiusque anteactæ vitæ errata, in tutis Sacerdotis auribus deponere voluit: Allato itaque pane Angelorum viatici nomine; *Expectate*, inquit, *venit Deus*: cumque virium imbecillitate membris uti non posset, in cubitum tamen nixus, admirantibus, qui aderant, sociis assurrexit pieque est epulatus. Sociis obnixe rogant, ut vita migrans, bene illis dicendo crucis signo precaretur; recusarat enim, qua erat animi modestia, usque ad eum diem, victus tandem precibus, subiatisque in cælum oculis Deum venerans bene precatur Sociis. Latine locutus hisce verbis, ut, qui aderant affirmarunt: *Patres, inquit, mei optimi, & Fratres in Christo charissimi, semper ego vos dilexi, & nunc maxime diligo; etsi non habuerim intimam conversationem cum omnibus vobis; tamen ego semper vos dilexi, & desideravi vos pervenire ad eam vitæ perfectionem, ad quam vocati estis in hac sancta Societate Jesu. Ego jam meæ conversationis, & vitæ rationem redditurus, decrevi novo modo vos alloqui. Propterea quando Deus pro infinita sua bonitate voluit me vocare, decrevi vos benedicere nova benedictione. Precor igitur Dominum nostrum Jesum Christum,* *Vit. f. 240.*

ſtum, ut dignetur vos protegere, manu tenere, & benedicere, ut poſſitis reſpondere huic beneficio veſtræ vocationis, & pervenire in regnum cælorum. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Gratiam quoque implorat, qua ratam Dei vocationem habentes, ſalvi fiant. Mox ſeſe colligens, & blande ſuaviterque cum Deo colloquens, verſus aliquot e Pſalmis uſurpabat, ut illum: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Et: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Et id genus complura: Crucis ſigno ſeſe frequenter muniebat, aqua item luſtrali aſpergens: Nihil vero cruciare, animique tranquillitatem labefactare, ita vixerat, videbantur. Rogante Socio, meminerisne rogare pro Sociis? *Dubitare mihi videris*, inquit, *quaſi vero tam ingratus ſim futurus.* Oleo jam ſacro cum inungeretur, ſedato animo ad ſingula reſpondit; rogavitque, *Ecquando octavus eſſet a B. Agathæ feſto dies*, cras, inquit ſocius; tum ille: *Hic vitæ noſtræ terminus eſt.* Nocte, quæ ſubſecuta eſt, identidem illud balbutiens iteravit: *In vitam æternam.* Et: *Hodie vitæ ærumnis tandem eripiar:* Uſurpabat & illud: *Lætabitur anima mea in Deo meo.* Quid ita hilaris eſſet interrogatus: *Quod*, inquit, *miſericordiæ vias patefacere incepit Deus.* Sanctorum Litanias frequentius recitari juſſit, quodque attentiſſime auſcultavit, de Chriſti cruciatibus Evangelium: In quo repetere quædam loca anagnoſten recitando juſſit. Cum vox jam defeciſſet, labia agitare crucique ſignum manu effingere, deficientibus tandem membris, oculos in Chriſti de cruce pendentis, Deiparæque Virginis effigiem defigens acquievit: quibus tandem oculis fractis clauſiſque placide in Domino obdormivit, ut ſomno captus videretur, juxta illud Prophetæ: *In pace in idipſum dormiam, & requieſcam.* Erat is dies Iduum Februarii anni 1585. ætatis vero ſeptuageſimi.

V. [illegible] X. P. Petrus Faber itidem unus ex primis S. Ignatii Sociis vel eo ex capite morte pretioſa defunctus dici poteſt, quod cum Chriſto humiliaverit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem. Poſtquam Gandiæ primum pro Collegio ædificando lapidem poſuiſſet; inde profectus, Barcinonem ubi attigit, æſtuare febribus cœpit. Dumque ne ipſe quidem in confeſſionibus, ac concionibus parcit ſibi, ſed honeſtæ quoque piger quietis, & otii, cui ſatis exhibebat tertiana negotii, ſerius convaleſcit, ſeriuſque in urbem intrat. Fervebant jam caloribus omnia, infeſto caniculæ ſigno. Nec probabat Ignatius eo articulo in urbem ingreſſum. Sed cum adhibiti in conſilium patres contra cenſerent, vimque elevarent diſcriminis, uti his Ignatius, ita Faber utriuſque, pio, ac cæco quoquam obtemperandi ſtudio ceſſit. Romam, quo non raro vel valentibus mordente ſidere peſtifer eſt acceſſus, imbecillus, ac prope æger accedit. Exhilaravit omnes tanti Patris aſpectus, de quo, dum octavum jam prope annum tam longe, lateque peregrinatur, tam multa audierant. Exhilarabant inde magis ſpirantes Deum voces, & exempla vitæ conſentanea famæ. Geſtiebat vero gaudio, & ipſe, tum Ignatii adeo ſibi chori, venerandique Patris uſu fruens, tum gratias Deo agens de Societatis incremento, quod tanta in urbe reperit, deque pietatis diſciplina, quæ in illa, quaſi totius Societatis parente, domo florebat. Sed gratulatio brevi vertit in luctum octavo die tertiana corripitur duplici: ex eaque octavo item die, qui Dominicus fuit, cum ſacroſancto Viatico eodem die mane, poſtea ſacro Oleo rite munitus eſſet, ſub meridiem multa, quæ vitæ anteactæ ſanctitatem, & ineuntis beatam æternitatem declarabant, argumenta relinquens, ad Dominum emigravit. Alibi de eodem memoriæ proditum leges, quod Hiſt. Soc. l. 6. n. 89.
poſt mortem viſus eſt in cælo cum magno ſplendore conſpicuus, eo quod ex obedientia mortuus fuiſſet, in ſummis caloribus Romam intrare juſſus.

XI. P. Petrus Caniſius quam pie ſancteque Vita l. 2. c. 10.
obierit, vita illius ſequentibus verbis teſtatur. Pedes quarto ante ſupremum ejus diem menſe, ſuffuſa intercute unda, intumeſcere cœperunt, qui & ſenſim reliquum corpus in eamdem labem traxere: ſtomachus averſionibus laborare, & crebros ciere ructus, ut etiam fauces exulceraret. Crebrius tamen ſedebat per diem, quam lecto decumbebat, quo maxime urebatur, nec morbi genus ſine gravi labore lectum admittebat, quod in hydrope non ignotum, quando humoris copia jacentis cor petit, & meatus pulmonum liberos intercludit. Viſerat ad illum paulo ante Joannes Comes Turrianus, Epiſcopus Viglianus, quocum multa familiariter tractarat: a cujus digreſſu mox fatali ægritudine contactus, & ſacras ex ritu Eccleſiæ preces recitare prohibitus; quod unum ægro relinquebatur, animum cæleſti contemplatione paſcebat, ſeſeque Numinis curæ totum permittebat, cum ſubinde dictitaret, magnas te Deo gratias debere, quod extremos vitæ dies more Majorum & SS. Patrum exemplo, non ſine magno corporis cruciatu tranſigeret: ſingulis mortalium æterna lege præſcriptum, quibus initiis vitam ordiantur, qua forte ſpatium ævi decurrant; quo denique lethi genere ad metam perveniat. Triente anni in hoc morborum conflictu jactatus, cum, qui medicinam illi faceret, deſideraretur (quod anno ſuperiore Petrus Quintius diſciplinæ medendi in paucis gnarus, & Caniſii ſtudioſiſſimus fatis conceſſiſſet) nihil, inquit opus ſilicernio medicamentis, ad plures eo. Pridie ergo ejus diei, qui S. Thomæ ſolemnis eſt, Martino Lycio Collegio Moderatori animadvertenti Caniſium collapſis viribus etiam linguæ uſu ex diſtillationibus prope deſtitutum (quod ægre loquentis vox ægrius a circumſtantibus acciperetur) admonenti de animo ad extremam mortis luctam confirmando, videri ultimum illi vitæ diſcrimen imminere: promptus annuit, imo ultro petiit; & poſtridie, qui Dominicus erat cæleſti Synaxeos epulo paſtus jacuit ſupinus in rerum divinarum meditatione uſque ad meridiem aſſidue defixus. An cæleſti aliquo Virginis ac Matris Dei (cujus laudes ingenti volumine celebrarat) viſo exhilaratus, in certum; oculis certe in eam gratulantibus intentus, renitente vultu, cœpit illam Angeli verbis ſalutare, &

eo-

coronam legere. Intervenientem postea virum clarum, & Canisio familiarissimum Joannem Wildium hodie Prætorem, seu Duumvirum, & secundum hunc, Sebastianum etiam Veronium prope lectum assistentem preces ad Deum pro se vivo mortuoque fundendas poscit, nec verbum amplius adjecit; sed ex libello precationum usu diuturno prope attrito, vota ad Deum ultima admodum attentus præ se misit, inter quæ cum & manus fluerent, & sensus omnis extingui videretur, rogatus, an sacro oleo, quod supremum depositis est præsidium, vellet, inungi? nutu affirmavit. Sodalibus ergo in decumbentis conclave coactis, lectumque certatim ambientibus inter vota precesque Patrum, duorumque e S. Francisci Sodalitate Capuccinorum, & Christophori Reiffil Viri Senatorii, Antonii Montenachil Archigrammatei, e fesso victoque laboribus ac morbis corpore, spiritum velut e vinculis expeditum Auctori vitæ, ante quartam pomeridianam commendavit, ipso die S. Thomæ anno partæ salutis MDXCVII. cum vixisset annos LXXVI. menses VII. dies XIII. Postridie funus in ædicula Collegii expositum totam fere urbem ad spectaculum adduxit, quæ velut communem gentis, & singularem civitatis patronum, ac parentem deploravit.

Vita c.42. XII. Robertus Bellarminus e Societate assumptus Cardinalis, ex Congregatione domum reversus, illico cœpit ex morbo periculose decumbere, & febri defatigari continua, quæ duplicis tertianæ, ut dicunt, proportionem habens vigesimo die ad extremum illum perduxit. At quo magis Roberti debilitaretur corpus, eo magis videbatur spiritus roborari, & inusitato ac maximo gaudio delibutus, quod ultimam sibi instare censeret horam commigrandi ad æternam vitam, quam domum ipse suam appellabat, ut cum Domino æternum requiesceret; adeo ejus ferebatur desiderio, ut terrenarum rerum nauseam habere, se satis diu vixisse, & domum suam frequentissime repeteret; Neque ab isto sermone cessare unquam audiretur, sive febris incederet, sive dolor affligeret, sive lassitudo dissolveret, sive æstu caloreque febris a mente aliquando aberraret, sive illius sanitate integra uteretur. Rogavit igitur, & efflagitavit enixis precibus, ne sibi occultaretur periculum decessus ex hac vita, qua maxime oneratus molestiam excipiebat, & ideo a Rev. Mutio Vitellesco Societatis suæ Præposito generali, quem semper speciali observaverat amore, fidem dari ultro sibi voluit, ne sibi ejus certitudo differretur. Ab iis vero, qui hostias & preces pro se offerrent, illud unum requirebat, ne vitæ suæ a Deo peterent inducias; imo Summum ipsum Pontificem, qui invisere illum accesserat, cum audisset Deum inter aras & Sacra pro se precari, rogavit humillime illo consilio imposterum facturum, ut a Deo gratiam obtineret, non ut a mortis periculo liberaretur, sed ut citius ab hujus mortalis vitæ vinculis posset dissolvi, & ad Christum ac patriam proficisci. Cum autem ministrantium circa se studium videret: En quanta dicebat ille, ob hujus vermis & vilis pauperis sanitatem patrantur, deturbantur quanta? Quare graves prohibuit sumptus, ne in se perderentur ea, dum Christi pauperes non panem, non stratum haberent. Adversus morbi contumaciam industriam in se non deberi, utpote qui jam nihilo inservire posset. Medicos ideo alloquebatur simul, quod ad suam progredi domum sinerent, neque impedire quærerent ne homo mortalis jam expleto vitæ suæ tempore moreretur: Minime tamen recusabat ipsorum acquiescere præceptis, cum se omnino divinæ crederet voluntati, & redderet e vestigio paratissimum non modo illorum, sed cujuscumque etiam ministrantium edicta exequi. At quam alte in se virtutes has defixas haberet, & innatas, illo præsertim apparuit tempore, quo sui morbi initio per aliquot horas ex gravioris febris infestatione delirans, inter sacras collocutiones & humilitatis, ac obedientiæ actus se continuo exerceret. Monuerunt interea medici illum melius se habere, ac communi gratulatione gestiebant, dum solus ipse altissima cordis mœstitia correptus, querebatur, quod a spe proxime commigrandi ad domum retraheretur. Quare lacrymosis sæpe singultibus cælestem Patrem exorabat, ut ad se illum juberet venire. Nescio ajebat ille, me adhuc ulli malum per Dei gratia dedisse exemplum: At quid imposterum mihi sit futurum, ignoro; Plurimos enim scio, & perhorresco ad hanc pervenisse ætatem Deo gratissimos, qui, cum diutius vixerint, salutis suæ dubium reliquerunt. Nec premi dolore, & intimis afflictari ejulatibus cessavit, quin prius in die B. Virginis Nativitatis dicata intellexerit tempus tam exoptatum appropinquasse. Quo contineri minime potuit, quin præ festinatione alta claraque voce ter repeteret hæc verba: O bonum nuntium! Sacratissimo igitur viatico pro sequenti die indicto; eadem enim mane & altera ex præcedentibus, venerabili cibo cum veræ pietatis significatione se recreaverat; S. Caroli Borromæi mortis lectionem audire voluit: Et quia jam per decem annos antea testamentum de humanis sapientissime condiderat cælestibus ideo tantum incumbens meditationibus & colloquiis, etiam de spiritualibus testaturus, medietatem unam animæ suæ dulcissimo suo Christo Jesu, alteram vero Sanctissimæ Virgini Mariæ legare, ipsemet ego audivi. Sequenti vero mane cum Dominum & Creatorem suum venire cognovit, summa cum devotione & humilitate e lecto surgens humi stratus, & genibus flexis (vires subministrante charitate) percipere voluit, illique ex toto corde agonem suum commendare. Gratiarum autem actione persoluta duo sibi promitti curavit, quæ testamento suo conscribebantur. Unum nimirum, quod sine ullo apparatu sepeliretur. Alterum quod efferretur in sepulchro Patrum suæ Societatis. Neque sex horæ elapsæ erant, quod Sacramentum Unctionis porrigi, instantissime postulaverit, ut in prælium cum morte descensurus, dum validis uteretur sensibus iis etiam armis muniri diutius minime protraheretur. Reverendum deinde Patrem Andream Eudemojoannem ejusdem Societatis, cujus doctas Scriptiones Robertus semper, summa veneratione suspexerat, rogavit, ut

ut litteris testaretur se per misericordiam Dei in Ecclesia Catholica, & ea fide decedere, quam semper animo & scriptis suis professus fuerat, ac ne de ea aliter morientem sentire, vel sensisse unquam, quam operibus docuerat suis. Dissolvebantur interea piissima illa vincula carnis & spiritus, dum ipse in cubiculo cordis sui, & intra se tacitus cælestia lætabatur mira cum pace meditari, & beatos affari spiritus, ac felicissimas audire voces videbatur, cum ministrantes observaverunt, quod aliquando plenus animi, & ardore quodam spiritus gestiebat ferri in cælum, & Deum obsecrabat, ut carnem (ajebat ipse) putidam & verminosam divelleret, quæ sibi ad ipsum commigrandi erat impedimento: Imo ipsammet etiam proprii brachii carnem altera manu desumens sic loquebatur; quid non disrumperis caro proditrix? quid agis? quid differs? Ad Deum vero reversus dicebat: Non mea, sed tua voluntas fiat. Aliquando vero in imum se humilitatis abjiciens videbatur pertimescere divinum judicium, & iis, qui in suprema Patria Deum pro se precari exorabant, respondebat. Nimis magna est res ista, non tam facilis est via, quæ ducit ad vitam: Magnum Dei beneficium in me futurum existimabo, Purgatorium etiam per multos annos obtinere. Addebat tamen, quod si salutis sedem fuisset adeptus, pro omnibus, ac pro Patronis, ac benefactoribus suis præsertim, minime orando defuturum. Suscepit postremam, & saluberrimam Pontificis benedictionem, ac ut majori perciperet veneratione & fructu, confessionis illam, aliisque orationum piis precibus voluit antevertere. Tandem Creatori suo spiritum redditurus, sacratissimam Christi e cruce pendentis effigiem per iteratos amplexus pluries exosculatus, labentibus brachiis capiti suo imposuit in supremæ devotionis signum; deinde vero ad pectus illa dulciter stricta, brachiis in ipsiusmet crucis figuram cancellatis, Apostolico Symbolo, Psalmo quinquagesimo, Orationi Dominicali, & Salutatione Angelica clare distincteque pronunciatis, semimortuis postremo vocibus Jesum trigesies invocavit. Et jam destitutus voce clauserat oculos, & membra cœperat explicare, cum in ultima conflictatione specie vultus hilariori in Redemptorem suum iterum defixis oculis, & ore ad loquendum composito placidissime tradidit animam hora secunda post solis ortum, feria sexta, quinto decimo Kal. Octob. anno post Christum natum 1621.

Vit. c. 51. XIII. P. Balthassar Alvarez post magnos in officio Visitatoris labores superatos, cœpit Vilarcii diligentias præscriptas adhibere, ad obtinendum magnum Jubilæum a Gregorio XIII. pro felici rerum Ecclesiæ progressu concessum. Jejunavit ergo cum magna severitate utraque septimana a Jubilæo præscripta, nemine potente illum impedire: quamvis ob suam debilitatem satis esset excusatus. Jejunio illo debilitatum est valde corpus; quamvis sensim spiritus ad id, quod illi imminebat, disponeretur. Accessit temporis illius magnus æstus, & o... in ipso itinere mense Julio sustinue... Quare cum ad Collegium Belmontense pervenisset, incidit in febrim: quam nec Medici, nec domestici magni faciebant. At Sanctus Pater intellexit horam suam advenisse & ita se ad mortem cœpit præparare. Confessus est generaliter Socio suo P. Alphonso Mentojo: communicavit magna cum devotione, petiitque valde tempestive, & accepit extremam unctionem, editis magnis indiciis reverentiæ, amoris, & æstimationis Sanctorum horum Sacramentorum, & gratiarum, quæ per illa sibi communicabantur; ac beneficii, quod accipiebat a Deo, volente ipsum ad se vocare. Nolebat visitationes admittere, ut eo esset expeditior ad orandum, & agendum cum Deo suo. Et cum ei Socius diceret, ut aliquem constitueret suo loco, respondit: Ne, quæso, de negotiis mecum agas; non est enim tempus. Medicus volebat ei periculum indicare, & quam prope finem ejus esset vita, cœpitque aliquid per ambages quasdam insinuare, nolens aperte id dicere: quem cum Sanctus Pater bene intelligeret, dixit valde expedite, & sine ulla hæsitatione: Non est, cur timeas, aperte mihi dicere imminere mihi mortem; quia nihili facio vivere, nec doleo, quod moriar. Quidam alius Pater videns pacatum animum, quem ostendebat, ad exeundum de carcere hujus corporis, interrogavit: An gauderet, & libenter moreretur? cui respondit: Si in aliquo tempore, cur non jam? quo responso bonæ suæ conscientiæ testimonium, & salutis suæ fiduciam indicavit. Sed quid mirum, quod eam habuerit in fine tam sanctæ vitæ revelationem, se esse ex numero Electorum ad cælum. Accesserunt omnes, qui in Collegio erant, ad hunc ejus transitum, multis profusis lacrymis. Et quamvis omnes optaret, in ea hora aliquid ædificationis ex ejus ore audire; vir tamen Sanctus, noluit eorum orationem interrumpere, nec suum internum cum Deo colloquium, in cujus præsentia cum magno silentio & quiete finem imposuit vitæ suæ, reddens spiritum suum Deo, septimo die suæ ægritudinis, hora quinta Vespertina, die 25. Julii, S. Jacobo Apostolo sacro, cui ipse erat valde pie addictus, anno 1580. ætatis suæ 47. & Societatis 25. De qua morte testatur P. Ludovicus de Ponte, quod quædam Dei ancilla insignis pœnitentiæ, & magnæ orationis, cum die quodam orationi vacaret, audierit sibi dici: Veni, ut intersis morti cujusdam fidelis mei servi. Et tunc rapta fuit in spiritu ad quendam ægrotum, ubi vidit circa ejus lectum multos viros Ecclesiasticos, magnum splendorem ex se ipsis emittentes, & cum illis magnam multitudinem Angelorum. Postea ingressi sunt quinque alii in habitu Ecclesiastico, sed cum majori gloria & splendore, quam priores, quorum unus claram adeo & splendentem habebat lucem, ut ipsa cogitaret, eum esse Christum Dominum nostrum: sed monita est, non esse. Hic ægrotum per manum dextram accepit, & erexit. Alii vero quatuor ad ejus latera, & reliqui circum circa, qui simul cum Angelis animam ejus in cælum magno cum gaudio, & musica deduxerunt, duo vero ex Angelis apud corpus remanserunt,

ungentes & thurificantes illud. Quæ Beata cum solemnes adeo exequias vidisset, animæque adeo gloriosum ascensum, existimavit esse quemdam Episcopum in Italia, magnum Dei servum, quem illa valde reverebatur, ac diligebat: sed revelatum eidem est, non illum esse, sed Provincialem Societatis Jesu Provinciæ Toletanæ. Statim autem post hanc visionem (quam ut diximus eodem die habuit, quo B. Balthassar obiit Belmontii) venit illa, ut eam suo Confessario referret, Patri scilicet Christophoro Riverio viro vera sancto, prudenti, magnique spiritus, qui & postea fuit hujus Provinciæ Præpositus Provincialis, qui sollicite examinavit, quæ illa retulerat; & quando nuncius venit de morte P. Balthassaris, facta omnium circumstantiarum collatione invenit, de eodem esse accipiendam hanc revelationem.

XIV. P. Ludovicus de Ponte processerat ad septuagesimum annum vitæ tam exhaustis viribus, ut miraculo videretur spirare, cum sæpe mentionem fecit sui diei, quasi jam de illo certior factus a Deo: quocum integras fere noctes agebat, vix horæ dimidio concesso quieti: modo gaudio exultans appropERantis, quam sperabat, beatitatis; modo timore perculsus imminentis judicii. Et gaudium quidem, cum a quodam Regio Ministro nomine suæ Majestatis invisERetur, dissimulare non potuit; sed dixit, idam sibi nunc evenire, quod leproso illi, qui a quodam, venationis causa nemus oberrante, repertus suaviter cantans dixit, se canere præ gaudio, quod videat parietem ex limo constructum, qui solus a Deo se diviserat hactenus, jam caducum rimas, & ruinam promittere. Timorem autem judicii multis modis ostendit, sive cum diffluens lacrymis ad pedes Crucifixi oravit veniam delictorum, sive cum ingeminavit sæpius illa verba: *Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare*: sive denique cum quinto decimo die ante ultimum, generali confessione omnium totius vitæ noxarum in tuto se collocare studuit, & cum Petro de Sandoval Confessario egit de transitu suo, paucis post diebus futuro asseverate dicendo: Tempus resolutionis suæ instare. Ultimo vero dia, dum adhuc aliqua dictaret voce minima moribunda, sæpius interrogavit, quænam sit hora, quasi præscius ultimæ, petiitque, nisi tali hora, quam nominabat, venerit Medicus, eo non expectato, sacro oleo inungi ad luctam supremam, nemine credente moriturum tam cito, cum etiamnum laboraret pro aliorum salute, neque fere debilior videretur, quam fuerit a multis annis. Quod autem præseiverit horam sui discessus, multi conjecerunt ex iis, quæ dixit, egitque. Nam cum, nescio quid eliquatum pro se inferri videret, dixit se citius vitam eliquaturum, quam illud absumat. Ultimo die, consumptis quinqua circiter horis in componendis suis chartis, opera Francisci Pellizeri, sub vesperam sollicitus de suprema Unctione, cum interrogasset, quota sit hora, & cognovisset esse quartam, respondit, superesse adhuc satis temporis: cum autem sexta esset, dixit Didaco Sosa Rectori, jam non amplius expectandum; & commodum supervenіente Medico, nihil de medicamentis agi voluit, sed ab illo petiit, curaret, ne differatur sacra Unctura. Is tametsi nihil admodum in ejus valetudine variasse notaret, nisi quod videatur paulo debilior, quam alias, magis ejus consolandi causa, quam quod crederet necessarium esse, censuit inungendum. Ludovico de Valdivia ultimo mane dixit: *Tempus resolutionis meæ instat, ora pro me*. Francisco Cachupino pro veteri confidentia quærenti, quid hic, da quo audiat, apparatus ad mortem sibi velit, oculis ad crucifixum conversis, aliquoties repetivit eadem verba Apostoli, addendo, ut se Deo commendet. Alias quærenti, ut valeat, dixit se tres aut quatuor horas extra se fuisse. At ille præ reverentia non ausus est interrogare, ubinam fuerit, & quid viderit. Eidam dixerat, se illo dia sacrosancto Sacramento jejunum refici vella, ut altero die post cibatum, possit eo frui pro viatico. Sexta igitur, qua diximus, hora cum ungeretur, animo præsente respondit ad omnia, ac postea voce submissa repetivit identidem illa Christi morientis verba: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*: neque alias preces fudit, quam quibus imploraret misericordiam Dei; & post consuetam commendationam animæ, cum jam sacris omnibus munitus desiderasset relinqui solus, non est auditus alia dicere, quam illa: *Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare*. Et pro consueta sua humilitate, imitatione S. Patris nostri Ignatii, nulla ad circumstantes adhortatione facta, satis habuit relinquere illis exemplum modestiæ. Cumque alias fere insomnes ageret noctes, ac dormiens quovis levissimo strepitu expergisceretur, tunc in somno (seu raptus mentis fuerit) tam alto jacuit, per duas fere horas, ut nullius ingressu vel colloquio excitaretur; donec hora decima velut e dulci quiete reversus ad se, cum aliquid ad restaurandas vires præbere vellent, negavit earum rerum tempus jam esse; sed petita & accepta in manus candela ardente, quales in monte Serrato consecrari solent, conversus ad crucem, submissa voce dixit iterum: *Domine, cum veneris judicare, noli me condemnare*: ac post ultima varba Christi spiritum exhalantis, capite inclinato ad crucem, vultuque in pulvinum cadente, quasi dormira vellet, sine omni convulsione membrorum, paulo post placidissime felicem animam reddidit Conditori, decima sexta Februarii millesimi, sexcentesimi vicesimi quarti, dimidia hora post decimam.

Vita l. 3. c. 1.

XV. P. Bernardus Colnagus non nescius Sacrum Missæ Sacrificium, cui se accingebat, sibi ultimum, adeoque pro viatico in cælum abeunti futurum, animam exhomologesi apud conscientiæ suæ, & simul Collegii Rectorem (P. Demetrius Licander is erat) de more expiare statuit: qui tamen, cui scilicet perspecta erat Bernardi anima, nitorque eximius, sine cura esse jussit. Iret modo, Sacrisque sine metu operaretur, expiatione nihil opus esse. At Bernardus contra modeste obniti, instare non levibus rationum momentis, ac supplicibus,

Vita l. 1. c. 27.

bus, votis rogare, se cætera semper dicto audientem fuisse: nunc vero, quo minus ad nutum pro more acquiescat, majorem Dei gloriam, & animæ suæ commodum postulare. Gratificaretur ergo hanc sibi operam, ac de noxis sese accusantem lubens audiret. Id ubi impetravit, sine arbitris magna accuratione ad Sacrificium augustissimum supra consuetam comparandi sui rationem semet accendit, idque inter suavissimos amati Dei amplexus eo usque produxit, ut solitos duarum horarum fines multum etiam excederet, exarsitque adeo manifestis in pectore flammis, ut ob sparsum toto vultu & corpore incendium chara Deo victima in cineres redigenda timeri posset. Exinde totum se gratiis agendis impendit, donec in concionem fuit prodeundum, de bono Pastore, ut verba faceret. Vix tamen ingressus erat ad dicendum, vix thematis verba paulo fusius explanaverat, cum Deo sic moderante, repentina capitis defluxio cor dicentis oppressit, simulque respirandi ac perorandi facultatem prope omnem abstulit. At ille nec quicquam territus, animos sibi sumere viribus majores, vim naturæ non modicam inferre, verba quidem ægre moliri, cœptam tamen dictionem, quoad licet, prosequi non destitit, donec novo irruente fluxu prostratus, pronus in suggestum incubuit. Tum exortus clamor Auditoris, mœror & sollicitudo concionis, commiseratio & pius in Patrem charitatis ardor. Accurritur, levatur, & alienis fultus brachiis ad valetudinarium a Patribus deportatur, ac ducitur; sequitur effusa populi multitudo, precesque ut impertiatur, jam non concionatorem, sed vatem obsecrat. Ille ut primum redeunte spiritu formare verba potuit, denuo exorsus prolixam de æternis gaudiis & cæli gloria, præmissque Beatorum sermocinationem, duas ipsas horas perorando, præsentibus flammas adhibuit, nec ante dolore & amore saucios a se dimisit quam tertium infesta capitis non jam destillatione, sed nimbo obrueretur; ita quidem ferebat opinio. Compertum autem postea fuit, extra se raptum esse, uti in tempore dicemus. Certe momento citius omnem sentiendi vim perdidit, neque aliud potuit, quam ut nutu extremum inungi postularet: quod ubi factum, erumpentibus extremæ febris indiciis sine voce, sine sensu a Medicis pro deposito est habitus. A quo tempore sine cibo, clausis plerumque oculis, dies adeo quinque velut in mortuum jacuit, nisi quod affluentem turbam, & sive manus ad osculum expetentem, sive aspectu tam feliciter occumbentis defixam, ipse quoque paternis interdum oculis serenitate frontis oppido exhilararit: alta potius contemplatione defixus, quam violentia morbi a sensu alienatus: qui enim attentius eum e vicino observabant, divinis occupatum colloquiis, psalmisque recitandis audiebant intentum. Appetebat interea dies, qua cum moriente Dei Filio se moriturum ante gestiens non raro cantillaverat, cum propior morti, dato æris campani signo inter consuetas Ecclesiæ preces, quas circumfusa Patrum Fratrumque corona recitabat, velut e gravi somno excitatus, ad se sensuumque officia revertit; & dum inter cælites, ut in extrema lucta certanti adesse dignentur, ex ordine compellatos, S. Agatha quoque, ceu Bernardi studiosissima ad nomen vocabatur, oculos, in cælum sustulit, vultum omnem serenavit, & blande subridens inclinato capite, divinam Martyrem, velut matrem, quam sexaginta amplius annis tenere dilexerat, salutaturus, puram in manus Conditoris animam exhalavit, idque tam celeriter, ut qui preces Litaneuticas fundebant, iterato *S. Agatha ora pro eo*, ingeminare, aut præeunti respondere non possent.

XVI. P. Leonardus Lessius tolerantiæ, quam doctrinæ, aut cujuscumque dotis laude certe non minor in sublimi patientiæ palæstra non ultimum nomen, eos, quos in diversorii lecto jam olim acceperat, corporis totius humores, & fœdam scabiem, exesarum tibiarum, intestinorum ac stomachi torminum, herniæ geminæ, tibiæ curru everso confractæ, duorum calculorum ovo gallinaceo parium, diuturnos, acutissimos, acerbissimosque dolores, ita generose tulit, ut gratias ageret. Aliquando æger inter tot, adeoque acerba tormenta respirans, conversus ad Deum: *Omnia*, inquit, *excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt, Domine*. Pleni dolorum dies, plenæ noctes: situs omnis absque requie ulla corpus miserum cruciabat, idque totis ultimis vitæ quatuor annis. Quis ego sum, inquiebat, amanter inter atroces dolores, quem Deus ad patiendum sibi elegerit? Miror non raro, ad tantum certamen Deo me tam imbellem athletam designatum esse. Sed, *Benedictus Dominus in æternum*. Ad alium; *Accipio totum*, inquit, *de manu Dei, qui memor erit in die visitationis hujus afflictiunculæ*. Sæpe illi in ore: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Dicebat, dulcissimi Nominis Jesu vi mellea sibi dolorem amaritudinem, & acerbitatem temperari. Ajebat ergo sæpe: *Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia! O bone Jesu, adjuva me! Amplius lava me, amplius, amplius lava me Jesu!* Et sæpe cum dolore crescebat illi sensus pulcherrimæ, ac non nisi a Deo dari solitæ voluptatis. Dicebat de suo corpore; jam inde a quadraginta annis incommodum animæ suæ lectum obvenisse, in quo numquam molliter quievisset. Gratias pro doloribus continuas, tenerrimas, effusissimas, tamquam pro paternis amoris benignissimis argumentis & beneficiis, quibus vere nec accipiendis dignus, nec pro acceptis gratus esse posse, agebat. Hinc illa illi e corde nata, & ore hilari dulciter pronuntiata e Psalmis: *Benedic, anima mea, Dominum, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini sancto ejus. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. Misericordias Domini in æternum cantabo. Benedictus Dominus Deus meus: qui docet manus mea ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Dicenti, quid si Deus illum ad hoc colicæ, herniæ, impetiginis, stomachi, calculi dolores, atque tristes cruciatus ad mille annos lecto damnaret? respondit: Agerem gratias; & pro patientia postularem. Res hæc finem caperet. Quam lætus nuntius damnatis foret,

Nadasi. in pret. cog. c. 10.

foret, si post centum annorum millia liberarentur? Dixit, & suavissime lacrymatus est. Neque unquam se vel vitam petere, vel dolores recusare velle, adjecit. Lætam patientiam esse unicum, quod suis, quod cælitum, quod amicorum precibus a Deo unice flagitaret. Perpetuæ illi ex ore hæ voces: *Jesu! Jesu mi dulcissime! Sancta Maria, ora pro me!* Sanctissimo Angelorum epulo quotidie reficiebatur: & illius desiderio diem desiderabat oriri citius, ajebatque: *Mi Jesu, quando venies, me lætum quando facies?* Demum dum requiescere putaretur, requievit in pace.

Ib. t. 11. XVII. P. Franciscus Costerus (qui dicebat se nolle morosum senem mori) anno 1619. ætatis 88. moriens, inter ultima Sacramenta dicebat: O quanta consolatio? Libenterne moreretur roganti respondit illud S. Ambrosii: *Ita vixi, ut me vixisse non pudeat; mori autem non timeo, quia bonum Dominum habebo.* Psalmum *Qui habitat*, cum mediate audiret, singulorum versuum sensum in divina beneficentia ajebat se cum bono Deo expertum. Tandem ubi lectum illud: *Ostendam illi salutare meum*: adjecit, Hoc adhuc superresse: hoc se sperare: Hoc a Domino expectare illum debere, ajebat quispiam: & ille hilari fiducia: *Nihil*, inquit, *dubito nihil dubito*, Et: *quantum erit gaudium cum Domino esse?* quæ illi suprema fuere, mox animam expiravit.

Ib. n. 17. XVIII. De P. Edmundi Augerii morte, Nicolina Orsolina magnæ pietatis ac patientiæ fœmina suo Confessario P. Bernardo Solabello, & hic P. Luduvico Richeomo Assistenti sic indicavit. Imminente illius mortis hora videbar nihil illum audire de rebus altissimis, ac mysteriis divinissimis alterius vitæ differentem. Hora circiter noctis altera duos Angelos animadverti hinc inde Patris lectum circumstantes, explicare mappam candoris eximii, dum tertius vestem pulcherrimam, ac splendidam tenebat eo fere modo, quasi ad induendum Patrem illius e vita exitum expectaret. Paulo post magnam Beatorum multitudinem aspexi cubiculum pulchro ordine, & admirabili pompa ingredientium. Circa septimam noctis tota illa Sanctorum divina cohors moveri cœpit, & incedere via lata, spatiosa, divite, & a terris ad cælum usque pertingente. Quod cum mihi stuporem attulisset, interogavi nescio quem mihi tum ignotum de tam magnifico, festoque apparatu, & quid tam lætæ ac solemnis pompæ scena significaret. Tum ille: statim intelliges, inquit; & protinus P. Edmundum vidi pleno majestatis gradu, & specie hominem superante venientem veste duplici magnifice coopertum, quarum interior altera nivem æquabat candore, altera superior omnium colorum pellucida varietate fulgurabat. Tumque cogitare subiit; candore puritatem illius, cæteris coloribus ardentem charitatem in Deum, & proximum repræsentari. Præcedebant ordine perelegantí, diversæ puerorum turmæ Patris laudes suavissime canentium: & sæpius in eum oculos, hortantium more, reflectendo ad maturandum, festinandumque invitabant. Præterea in cælo sese meis obtutibus obtulit mensa exquisitissimi operis, & pretii, in qua expectabatur ab omnibus Societatis Jesu Patribus, qui tum æterna beatitudine fruebantur. Accidit postea, ut huic revelationi non omnino fidem adhibens, quoties, pro ejus anima preces fundere vellem, & Psalmum in Ecclesia recitari solitum pro defunctis pronunciare; cum ad versum *Requiem æternam dona eis Domine*, ventum erat; numquam etiam adhibito conatu, illum pronunciare possem: sed illius loco in animum, linguamque recurreret: *Gloria Patri, & Filio, &c.*

XIX. P. Martinus Stredonius Brunæ Præpositi Provincialis munere, & vita defunctus Ib. 12. n. 8. est. Unum mensem ad obeunda S. Patris nostri exercitia petebat, pro præparatione ad mortem. Alterum præparationis adjumentum illi fuere preces, lectio, colloquia de gloria cælesti. Singulis noctibus per quinque ultimos vitæ suæ annos e lecto sese ad B. Virginis Imaginem conferebat. Ibi per B. Virginem pro felici morte supplex abjectus in genu se in eo statu collocabat, juxta S. P. Ignatii consilium, in quo ii esse solent, qui ultimo vitam inter mortemque singultu migrantem jam animam trahunt, & jacent ad fores æternitatis infinitæ: *Rex meus*, ajebat, *& Deus meus! dona mihi animam meam, pro qua oro, & beatam ex hac vita migrationem, pro qua obsecro.* Quatuordecim sui morbi diebus offerebat quidquid sibi non sapere advertebat, ad dandum Deo gustum, quod ajunt, seu ad delectandum Deum; peccata, morbum, ut peccati stipendium mortem ipsam, sacrificabat Deo ad exhibendam plenam divinæ illius justitiæ satisfactionem. Pro doloribus gratus, ac lætus gratias agebat. Altero morbi die, sancto migrantium viatico munitus, nullam postea diem sine illo epulo duxit. Sacro Missæ officio etiam quotidie audito, vel totum officium, vel aliquam ejus partem religiosissime recitabat. Meditationes, Litanias cælitum omnium, æque ac sanus fecerat, habuit quotidianas. Pro spirituali lectione quotidie sibi legi voluit aliquid de Imitatione Christi, & e piis Hagiophilæ affectibus, quos ille tenere ruminabat. Omnium se precibus enixe voluit commendari: Id quod etiam per pulpita factum a Concinatoribus. Ad Christi crucifixi effigiem consuetis S. Bernardi Rhythmis ad singula Christi membra pronunciandis prolixa exundantis animi suavitate horam pulcherrimam pretiose impendit. Jaculatoriæ admirabiles. Humi in lectulo stratus, in horas prope singulas agebat gratias, conceptis ad Interpretes cordis sensus verbis pro beneficio nobilis creationis, pretiosæ redemptionis, & sanctæ vocationis. Orabat centies, per amarissimas morientis dulcissimi Jesu amaritudines, ut illæ amaritudines mortis suæ omnia amarissima dulcorarent. Maximæ misericordiarum Matri, & per hanc misericordiarum æterno Patri, suum hinc exitum commendabat. Invitabat ad agonem suum felices Angelos, & Ignatium Parentem optimum, ac primus illos decem Societatis nascentis primores, ut agoni suo auxiliatores adessent. Gratiam in hac vita, gratiam consummatam flagitabat, & in æternitate viso-

visionem Dei beatam. Extremam Unctionem sæpius petiit; atque ubi demum impetravit, fessa jam & fracta voce *Deo gratias* pro Matre Ecclesia & Societate egit: utpote qui ab illa vasis misericordiæ Sacramentalis, suisset munitus: ab hac sinu amantissimo semper & ubique portatus. Dictavit Socio schedam verbis valde prægnantibus, sensu magno; ex qua se mortuo, venia pro erratis palam in triclinio peteretur. Vigesimo quarto Augusti vesperi ubi se jam mortis frigore occupari advertit, cereum accensum accepit, animæ commendationi recitatæ pie respondit; preces a domesticis pro se in templo, & sacello fieri postulavit, idque ardenter, & amanter maxime tunc fieri petiit, cum jam ultimum singultientem visuri essent. Id quod cumalate præstitum. Ultimis quinque vitæ suæ horis in singultiente illo mortis vicinæ silentio, signa, de quibus ante, quid indicatura essent, convenerat, edebat; quibus absolutionem, indulgentias, pias aspirationes legi petebat, & impetrabat, ita ut ante providerat. Incipiente vicesimo sexto die Augusti, post mediam noctem inter ultimos mortis anhelitus facie desiderio anhelante, erexit caput, manuum alteram cereum, altera coronam B. V. tenens, & utramque decussatam demisit in pectus, obversus cruci, quasi illi obviaret cum Andrea: & ivit obvius bono Jesu in amplexus æternos.

Vit. c. 22. XX. M. Franciscus Cajetanus advertens sibi agonem ultimum imminere, convertit omnes cogitationes ad Deum, frequentando actus contritionis, fidei, spei, & charitatis. Testis est valetudinarii Administer, a se, dum feria quarta excubaret præ foribus cubiculi, in quo æger decumbebat, sub horam sextam auditum fuisse suave quoddam colloquium, quod integris etiamnum sensibus habuit cum sacratissima Virgine, dicens: *Ad quid venisti Dei Mater? fac obsecro, ut animam reddam tuo Filio*. Dum ipsum post dimidiam, deinde horam adivisset valetudinarius, porrecturus illi modicum carnis in liquorem decoctæ, quæsivissetque ex eo, quale nam fuisset colloquium, quod audiverat, respondit: Cum vigilarem, fallendi temporis gratia, alloquebar iconem Deiparæ, dissimulato his ambiguis verbis favore Virginis, quam affectu singulari colebat post Filium. Feria quinta mane gratias acturus Christo Domino pro Institutione Augustissimi Sacramenti, denuo se eo refici petiit, quia arbitrabatur se non posse aliter respondere tantæ charitati, quam si eodemmet Domino animam suam cibaret: Priusquam autem illum susciperet, rogavit obnixe valetudinarium, ne ulli indicaret suum colloquium præterlapsæ noctis cum Beatissima Dei parente. Diem illum impendit contemplandis vulneribus Christi, cupiens mori & sepeliri in ejus pectore, indeque resurgere ad vitam immortalem, canens cum sancto Jobo: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*. Nocte obsecuta ipsum Infirmarius per quasdam rimas spectabat, non minori contentione, quam pietate, multis agentem cum Christo crucifixo, genua flectebat in lecto, licet esset debillimus, & quasi moribundus, atque sumpta crucifixi Christi effigie in manus petebat ab illo celerem vitæ finem in hæc verba: *Tolle me jam Domine ex hac vita mortali, & deduc me, pro tua clementia, eo ubi te fruar, tuaque sancta Matre*. Dum autem pectus vellet una manu pulsare, altera stringens crucifixum, destituebatur viribus ad eam sustinendam, ac attollendam. Feria sexta sciens ipsum Medicus lætari, quod in propinquo esset hora suæ mortis, illi dixit: Eja, mi Pater hac nocte liberaberis a corporis doloribus: Franciscus novam præsetulit lætitiam, actisque ipsi magnis gratiis pro felici hoc nuncio, promisit se pro illo oraturum, si Deo propitio, potiretur cælesti requie. Sub exitum diei, majori gestiebat gaudio, sentiens non longe extremam horam abesse, & rejecta cura corporis, securus de divina protectione, conversus ad valetudinarium, cujus dolebat vices ob toleratos sui causa labores: *Abi*, inquit, *cubitum jam sum Sanctis Sacramentis armatus, & omni metu liber*. Respondit Frater: Vis me fallere, & me absente decedere? *Quid refert?* respondit Franciscus, *opitulabitur mihi Deus, qui animam meam commendavi*. Adsunt mihi Regina cælorum cum Angelis, & sanctis meis tutelaribus. Verum animadvertens Frater, illum sensim appropinquare cælo, accivit Patrem Ministrum cum alio Sacerdote, ut ipsum adjuvarent precibus Ecclesiæ, quas, ne ei essent molesti, legebant submissa voce: At Franciscus illas petiit legi voce clariore, eo quod vellet capere solatium ex ruminatione mysteriorum, & affectuum contentorum in Ecclesiæ verbis: mansitque semper firmis sensibus, jam auscultans, jam alloquens Christum Crucifixum, & B. Matrem. Dicente postea Patre Litanias, voluit, ut subsisteret, ad invocationem S. Francisci, non solum quod illius gereret nomen, sed quod fuerit amantissimus Christi Crucifixi, deditque nunnihil temporis referendis ipsi gratiis pro beneficiis ab eo acceptis, & exorando ejus præsidio, in hac extrema necessitate. Convertit se deinde ad S. Patrem Ignatium, cui gratias egit, quod vixerit in ipsius Societate, & in ea moriatur: petiit quoque veniam ob non servatas regulas ab ipso scriptas, tot inter fusas ad Deum preces, & lacrymas: *Obliviscere*, ajebat, *mi Pater, erratorum meorum, & recordare me tuum esse filium, nunc tua mihi tutela est opus, intercede pro me, ut ad videndum tecum meum Jesum pertingam*. Meminit præterea nostri S. Patris Xaverii, cujus ut meritis, Dei frueretur conspectu, ardenter precabatur. Demum complexus manibus crucifixum; amanter Christum in effigie, pariterque intemeratam Virginem compellans, & magno affectu invocans, animam Conditori suo reddidit Anno Christi 1602. 20. Aprilis, sub exitum sacratioris feriæ sextæ, & initium Sabbati sancti.

XXI. Joannes Berchmannus Scolasticus Societatis dicenti valetudinario, videri sibi, e re fore, si mane sacra Eucharistia reficeretur. An Eucharistiam pro viatico sumendam suaderet, interrogavit Joannes: & illo affirmante, cum se tenuem de vita producenda spem su- *Nad. in prat. eog. c. 22.*

superesse videre diceret; Joannes experto cordis gaudio, explicatissima tenerrimaque hilaritatis ex intimo se superfundentis ubertate, valetudinarii mortem nunciantis collo sese exultabundus circumdedit, & arctissimo suavissimoque amplexu, quanta poterat, lætitiæ dulcioris significatione testatus est, quam charum, quam expectatum, quam plenum delicatum nuntium accepisset. Quæ sancta & simplex, ac sincera Joannis exultatio, & gestus præter solitum tener, valetudinario altas & uberes lacrymas excivit, adeo ut singultientem, & superfusis lacrymis repente impeditam vocem, in verba formare non posset. Quem suaviter solatus Joannes: Eja hilariter, ait, frater mi; præparemus nos: hoc enim nuncio nihil mihi melius, lætius nihil potuit accidere. Tum prehenso manu avida crucifixo, dicebat: *Domine mi! Tu scis, quod tu sis mihi, quidquid possedi, quidquid possideo in hac vita. Quare, Domine mi Jesu, ne me deseras.* Et plura dixit, quibus cor Jesu tenerum pulcherrime lacessebat, & suum in erumpentes ignes prope ultimos explicabat. Adfuit postea cum viatico Rector, & recentiores Collegiales, ac alii comites Sacramenti. Joannes vero sublatus in genua, inter brachia Sociorum, ubi confessionis formola pronunciata est, stante jam, etiam viaticum porrecturo Patre, latine ex improviso: *Protestor*, inquit, *hunc esse verum Filium Dei Patris omnipotentis, & Beatissimæ semper Virginis. Protestor, me velle vivere & mori verum filium sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ. Protestor, velle me vivere, & mori verum filium B. Mariæ Virginis. Protestor, me velle vivere & mori verum filium Societatis.* Tum Eucharistiam illi Angelica quadam compositione Deum suum expectanti porrigens Pater dixit: *Accipe, Frater, viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam, Amen.* Ibi dolorem aliorum non narro, in Joannam solum intentus; ut ex eo legam præcepta feliciter moriendi. Extremæ Unctionis Sacramentum ministranti Sacerdoti, cum alii præ lacrymis non integre responderent ad preces, Joannes junctis manibus, fixis cælo oculis, ex integro respondit. Inde potestate accepta, communi Societatis sese accusandi modo, suam, ut recepta phrasis ait, culpam dixit. Ita Domestici quotannis non semel ita fere in locum aliom profecturi facere solent. Num vero quid pro solatio suo velle, interrogatus, in aurem Rectori dixit, in illius se potestate relinquere, ut id diceret, vel taceret? cæterum sibi morienti hoc summo esse, solidissimoque solatio, quod toto eo, qoo in Societate vixisset tempore, numquam se nullo, etiam veniali, peccato, voluntate (ut ajunt) deliberata conscientiam contemerasse meminerit; neque ullam regularum, vel datorum a Superioribus decretorum, quod quidem sciret, fuisse transgressum. Visum ita Rectori perspectam Joannis virtutem habenti, pertinere ad exemplum, foreque citra vanæ gloriæ periculum, si id præsentibus ediceret. Eos, qui aderant, amplexu ultimo accipere illi concessum. Inter amplexus, innocenter ac simpliciter plura multis suggessit documenta virtutis; & quasi legatus ad cælum, supplices illorum preces, velut libellos, se eo, quo destinarentur, perlaturum recipiebat. Rogatus, num sibi aliquid legi vellet, respondit: *Caput de morte B. Aloysii*. Legente petitum illud caput Patre, cum illud legeretur, quod B. Aloysius in longo illo suo morbo nullum tamen unquam impatientiæ signum dederit; ad crucifixum vultu, & oratione conversa Joannes, Domine, inquiebat, si in hoc deliqui, id quod quidem non scio, ignosce mihi. Lectum deinde; Aloysium audito mortis nuncio dixisse: *Te Deum laudamus:* Imitari Beatum etiam in hoc voluit, & reliquos, ut *Te Deum laudamus* una secum dicerent precatus est; id quod factum. Deficiente in die vitæ pulsu: & valetudinarii curatore, qui illum exploraverat, dicente; Jam imus, & sini propinquiores simus; crucifixum poposcit, illique Rosarium (quo nocturni monilis instar torquatus jacere consueverat, cum somnum caperet) circumdedit: tum Regularum librum petiit, & crucifixo, rosarioque adjunxit. Atque hoc veluti fascicolo pretiose instructus, nobile illud acroama dixit: *Hæc tria mihi charissima: cum his libenter moriar*. Dixit; osculatus est, & pectori, veluti thesaurum imposuit: ut ibi thesaurus esset, ubi erat cor mortem expectans. His pietatis meditamentis, & suspiriis ad quartam usque noctis intentus, cum quiescere velle videretur, & se ad partem alteram convertere, repente se in lectuli medium convertit; & sublatis in cælum oculis cœpit turbato vultu, & labiis trementibus clamare ac dicere latine: *Hoc non faciam, ut ego offendam te, Domine? Maria, ego numquam offendam filium suum. Absit a me hoc, non faciam. Malo millies mori, decies millies, centies millies, millies, millies*, idque repetitis vicibus ingeminabat: *millies, millies, millies, millies*. Accurrere Patres, & Joannem brachia perturbate hinc atque inde jactantem repetere: cum ille, quasi finita jam pugna: *Abi*, inquit, *Sathana non timeo te*. Projecti nostri circa lectum in genua, & in preces effusi, lustrali aqua illum lectum, circa omnia, & cubiculum aspersere. Joannes vero crucifixum cum Rosario & Regularum libello, ac lipsanotheca manu tenens, ajebat: *Hæc sunt arma mea*. Et singula singillatim contemplatus laudavit singula. Mox rosario in collum reposito, in Regularum libello, ubi formulam votorum simplicium reperit, grandi sensu: *Omnipotens*, inquit, *sempiterne Deus, ego Joannes Berchmannus &c.* & reliquam formulam, veluti ultimo Sacramento se Deo in holocaustum devovens (illis tantum verbis prætermissis, *ut vitam in ea perpetuo degam*, cum jam se in meta vitæ videret) ita legit totam, prout bis quotannis coram augustissimo Sacramento illa in spiritus & votorum renovatione repeti solet. A renuvatis ultimum votis, Patrum nonnemo, quasi cantantis instar Litanias dixit; cui Joannes, vocem etiam in cantum flectens respondit. Et crucifixum in omnes partes versans, prout in missionibus per pla-

plateas urbis facere consueverat, ubi demum dici audiit: *Agnus Dei: Parce ei Domine &c.* subsistere tantisper jussit, oculis in crucifixum suavissima intimæ demissionis significatione conversis, magno & incitato sensu facile tricies repetivit: *Parce Domine, Parce Domine!* Vocatus cum aliis ad Joannem Rector, voluit, ut repeteret actus contritionis, fidei, spei & charitatis. Ajebat ergo Joannes: *Doleo, Domine! Spero, Domine! Amo, Domine! Paratum cor meum: Deus! Paratum cor meum.* Inter hos actus affixis crucifixo oculis, *Jesus Maria*, verba ultima, dixit; & ad utrumque abiit feriæ sextæ hora duodecima & dimidia ab hesterno Solis occasu, ætatis supra annum aa. mense quinto: & impressam animi quasi imaginem, etiam in amabili quadam cadaveris venustate reliquit.

Vit. n. 1. XXII. P. Claudius Aquaviva de morte admonitus, non timeo, inquit, mortem; bonum Dominum habemus.

Hist. Soc. l. 7. n. 30. & l. 2. n. 20. XXIII. Anima Hosii, dum S. P. Ignatius in missa confessionem dixit, visa est inter cælites præcipue radiare; simili modo etiam animam Joannis Codurii coruscantem in cælum evolare vidit.

Ann. Sicil. 1598. XXIV. Joannes Baptista Martinus Panormi rogatus a Sacerdote in extremo morbo, num B. Virginem agnosceret? sæpe, respondit, se mihi spectandam præbuit; dein illis verbis: Maria Mater gratiæ &c. prolatia sanctissime expiravit.

Ann. Tol. 1606. XXV. P. Joannes Ponces Ducis ad Arios filius, Rector Novitiatus Villaregiensis, cum in ultimo morbo phrenesin timeret, rogavit Deum, ne permitteret, ut quoad viveret, cognitione Dei privaretur. Rogavit, & impetravit, tam exigua enim phrenesis fuit, ut rationem non minueret. Prædixit obitus diem, & post mortem adhuc singularem in facie suavitatem retinuit. Ultima ejus verba erant: elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis Peccatorum.

An. Lith. 1606. Col. Kowov. XXVI. P. Joannes Gerardinus in agone dixit: non timeo mori, habens a Christo syngrapham ad cælum duplicem ejus sigillo munitam; intelligebat per hoc sigillum verba illa: Amen, amen dico vobis: per syngrapham autem verba illa: Qui reliquerit &c. Dein ad B. Virginem conversus, O Maria, inquiebat, tribulaiet certe nimium, si nescirem tuum Patrocinium: Quæso pia mater, clemens Patrona dulcis virgo, in hora mortis tuo dulci præsidio fulciar, tu quasi terebynthus extende ramos, & me lassum refice. Denique animam propriam sic alloquebatur: O anima mea, jam hic male tractaris, male pelleris, jam non nosceris, en domicilium tuum jam quassatur, bases nutant, fundamenta diruuntur, parietes finduntur, & per rimas & fissuras jam spiculis dolorum infirmitas te pellit; quid igitur moraris? exi ocyus, exi læta instar columbæ e cavea missæ, reditura cum virenti ramo olivæ.

Mors desiderata.

Hist. Soc. l. 26. n. 60. XXVII. P. Andreas Frusius cum graviter ægrotans, sub sacro verba illa audivisset, omne debitum dimisi tibi: tantum desiderium ob factam quasi de æterna vita promissionem concepit, ut sequenti mox die sanctissime fuerit mortuus.

Ann. Ro. 1594. XXVIII. Hieronymus Gualdio tantam sensit dulcedinem mentis, cum ad mortem ægrotare se vidit, quantam vix unquam tota vita sentiebat. Idem incredibiliter recreabatur, cum videbat lintea suo cruore infecta, quod diceret, ea esse mortis vexilla.

Hist. Soc. p. 2. l. 1. XXIX. Joannes Rodericus Grammaticæ Magister interrogatus a Rectore, an nihil conscientiam torqueret? respondit, hoc unum se timere, ne forte vita prorogaretur.

An. Lusit. Col. Ebor. 1610. XXX. Vincentius de Rocha Scholasticus, eum, qui mortem illi annuntiavit, amplexus est, proque tam optato nuntio cilicium e pulvinari extractum, quod numquam alias a se dimiserat donavit.

XXXI. Panormi cum Medicus Matthæo Gerardo mortem annuntiaret, præ lætitia is exclamavit: Gloria Patri, & filio, & Spiritui Sancto.

Vit. 1. de Ang. præfixa. XXXII. P. Franciscus Suarez in agone plenus gaudio cælesti, non putabam, inquiebat, tam suave esse, & tam dulce mori.

Ann. Bel. Duac. 1612. XXXIII. P. Henricus de Habspruck in ultimo morbo rogatus, num in Societate mori jucundum esset? respondit: superat hoc omnem cogitationem. Beneficium est beneficiorum. Nemo credit, nemo credit.

Annua 1602. XXXIV. Novitius annorum octodecim extremum inunctus ad fratres, quos Angelos rebatur, conversus, non possum, inquit, vobis explicare, quam solida voluptas, quam secura & tranquilla quies, quam profusum atque ad sensum pertingens gaudium sit animo cogitare, se mori in Societate, qua una cogitatione dolores omnes & mortem suavem duceret.

Ann. Boe. Col. Gr. 1612. XXXV. P. Ludovicus Poneius Ducis Archiobrigensis filius, cum illi mors denunciata est, nuntii manum arctissime complectens præ gaudio osculatus est. Inde tantis suavitatibus perfundi cœpit, tum ex cælestium gaudiorum desiderio, tum quod inter nostros moreretur, ut timendum sibi diceret, ne laborem in vita pro Deo assumptum, Deus jam totum in hac vita compensasse videatur.

Mors repentina.

Ib. 1598. XXXVI. Montellæ Antonius de Valentia Coadjutor septuagenario major, cum præsente Medico pleuritici alicujus Fratris sanguinem emissum videret, una cum alis sanus totus, ita depravati sanguinis aspectu territus fuit, ut ter Jesu nomen ingeminans mortuus conciderit, sicque compos sit factus petitionis, quia petiit a Deo, ut liceret sibi sine molestia domesticorum decedere.

Annua. 1604. fol. 332. XXXVII. P. Ludovicus Gagliardus Provincialis olim & Rector, cum Successoris sui sermoni cum socio interesset, finita concione sine sensu, & motu repertus est mortuus.

Ex relat. priv. XXXVIII. Quidam, cum sciret, plerosque Cognatorum suorum subitanea morte mortuos fuisse, diffidens sibi, quotidie confessus est, cumque aliquando in recreatione manum pro strophiolo in saccum immitteret, mortuus concidit.

XXXIX.

Hist. Tic. p. 2. l. 1. n. 162. XXXIX. P. Juvenalis Boterus noctu sanus cubitum iens mane mortuus repertus est, tam compositus, ac si dormiret.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Fab. conc. 2. in Do. 1. Adv. I. Aristoteles moriens dixisse fertur: Dubius vixi, anxius morior: nescio, quo vado, Ens Entium miserere mei.

Sen. l. de senect. II. Seneca de seipso dixit: Non me vixisse pœnitet, ut non frustra me natum existimem: & ex vita sic discedo, tamquam ex hospitio, non tamquam domo; commorandi enim natura diversorium nobis non habitandi dedit.

Erasmus l. 3. apoph. III. Socrates Critoni suadenti, ut, si vitam ipse suam negligeret, saltem liberis parceret & amicis ab ejus incolumitate pendentibus, respondit: Liberi, Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt: amicos hinc discedens vobis similes aut meliores inveniam, ne vestra quidem consuetudine diu cariturus, quandoquidem vos brevi eodem estis migraturi.

Xenop. in apol. IV. Idem advertens amicos ipsum in carcerem sequentes lugere, dixit ad illos: quid hoc est? nonne me jam, ex quo genitus sum, morti adjudicatum scitis? si bona mihi advenirent vitaque præriperetur, enim vero mihi benevolisque meis, lugendum foret; at malis impendentibus cum diem obeam, an non potius lætari mecum, gratularique mihi convenit?

Iachin p. 2. c. 21. V. Idem Platoni quærenti, an libenter moreretur) respondit: In juventute bene vivere, in senectute bene mori laboravi, atque ita interiore dolore seu cruciatu non afficior, nec mori recuso: nam vita honesta fuit: mortem cum hilaritate expecto.

Jos. Lanc. in Pol. V. mori. VI. Hadrianus Imperator in morte his versibus lusit:

> *Animula, vagula, blandula,*
> *Hospes, Comesque corporis,*
> *Quæ nunc abibis in loca,*
> *Pallidula, rigidula, udula,*
> *Nec, ut soles, dabis jocos.*

Stob. in en. conc. mor. VII. Thrassi, Causiani ac Getæ exequias cum hilaritate, natales cum fletu celebraverunt.

Drexel. in prod. c. 2. §. 15. VIII. Ludovicus Cortusius Jureconsultus Patavinus lamentationes, & lacrymas in funere suo fieri testamento suo vetuit, sed potius Auledos, Citharædos, & omnis generis Musicos numero quinquaginta, qui cum Clero candidati incederent, constitui voluit. Feretrum autem a duodecim innuptis puellis prasina veste indutis & læta carmina canentibus portari. Pro comitatu vero omnes etiam Religiosos assumi præcepit, exceptis iis, qui nigro habitu uterentur.

Mansi Bibl. s. v. 10. IX. In libro de septem donis legitur, quod Saladinus magnus Princeps Saracenorum fecit sibi portari sudarium suum, dum videret se propinquum morti, & fecit illud clamando per præconem deportari per civitatem: Tantum deportabit secum Princeps Magnus de omnibus rebus suis.

X. Mortuo Alexandro Magno, qui tam brevi tempore dominium orbis acquisivit, convenerunt Philosophi, & dixit unus: Iste, qui terram heri totam conculcabat, hodie ab ea conculcatur. Heri dominabatur ei, & possidebat eam, nunc possidetur ab ea. Heri non sufficiebat ei totus mundus, nunc sufficiunt ei quatuor ulnæ terræ. Heri premebat eam, nunc premitur ab ea; ducebat heri exercitum super eam, hodie ab exercitu ducitur sub terra. *S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 1.*

XI. Severus Imperator, qui suam sibi præparari fecerat mortualem urnam, intra quam cineres suos recludendos statuerat, frequenter eam attingens dicebat: Tu virum capies, quem totus Mundus capere non potuit. *Dio. Nic. in vita Severi.*

XII. Antonius de quodam Siciliæ Rege refert, quod, dum cuidam amico suo, qui ipsum felicissimum esse existimabat, suam vellet repræsentare infelicitatem, eundem ad Regiam mensam suam invitarit, superque caput ejus ensem acutissimum ex tenuissimo filo pendentem suspenderit; qui exinde nimio metu perculsus, vix bolum ex propositis sibi cibis deglutire potuit; cumque Rex id se admirari simulans, abstinentiæ suæ ab eo poposcisset causam, respondit, omnem cibi manducandi sibi evanuisse appetitum, utpote qui ob imminentem sibi gladium e tenui filo pendulum quovis momento vicinam sibi mortem expectaret; cui Rex opportune respondit, dicens: Si tu unum gladium, qui tamen erat affixus, licet tenuiter, ita timuisti, ut putares te infelicem & miserum, quæ felicitas potest esse mea, & quæ lætitia, qui tot pericula mortis habeo super me, venenorum, gladiorum, persecutorum, & hujusmodi. *S. Ant. l. c. §. 2.*

XIII. S. Petrus Damianus quamdam Imperatorum Græcorum consuetudinem in hæc recenset verba: Apud Græcos hæc teneri consuetudo perhibetur, ut, cum Imperator quis in dignitate creatur, mox ut imperialibus fuerit infulis redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, quidam sibi præsto fit obvius, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus, ac pulveribus offerat, in alia vero stupam lini subtiliter pexam, ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, & repente in ictu oculi flamma subito vorante consumitur, ut in altero debeat considerare, quod est, in altero valeat videre, quod habet; in cineribus siquidem se cinerem recognoscit, in stupæ igne colligat, in die Judicii quam subito Mundus ardebit; quatenus, dum se simul ac sua tam vana, tam flocci pendenda considerat, de Imperialis culminis ascenso fastigio nullatenus insolescat, & dum possessor atque possessio subjacere communi omnium casui non ambigitur, jam quasi de singulari dignitatis apice, qui ad summa provectus est, non infletur. *S. Petr. Dam. l. 1. ep. 17.*

XIV. De Epaminonda Thebanorum Generali Duce refertur, quod cum in prælio lethaliter fauciatus fuisset, sequentia interrogarit, Primum an clypeus suus salvus esset; Deinde an sui hostes penitus forent; quæ postquam ex animi sententia comperit, non finis, in- *Val. Max. l. 3. c. 2.*

quit, commilitiones, vitæ meæ, sed melius & altius initium advenit, nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur.

Memoria mortis,

Rho l. 3. c. 3. ex. 1. XV. De Peruvianis sequens traditur laudabilissimus usus: Itatini fera alioqui gens, & soli ac disciplinæ vitio ab humanitate abhorrent, hanc tamen partem sapientiæ, in qua impotenter gloriantur Philosophi, natura duce sunt consecuti. Qua die propagandæ soboli, regendæque familiæ in manus conveniunt, eadem sepulchralem vestem, & reliquum funeris apparatum, vel in mariti domum inferunt sponsæ, vel a sponso traditum accipiunt, in quo egregie memores esse videntur, ideo sufficiendo generi se comparari, quod fluxam plus æquo mortalitatem inopinato occupat mors.

Ibid. n 2. XVI. Regibus Æthiopum Abyssinorum hæc lex olim fuit, aut etiam nunc est, ut, cum Regiæ opulentiæ fercula inferuntur, vas vitreum cinere plenum in mensa non desideretur; quasi vero ea cinerum præsentia condiri possint dapes, aut convivæ admoneri, tantum cibi esse sumendum, quantum brevi morituris sit satis.

Mand. itin. 4. n. 8. XVII. In historiis Indicis Regni Mogor talis scribitur vigere usus; cum dies nuptiarum instat, nupturi cœmeteria & sepulchra obeunt, ac tandem referant, ut sic recordentur mortis, antequam aliis dent vitæ principium, ad conjugalem namque fovendam continentiam, priusquam ad copulam maritalem procedant, menti suæ cœmeteria & sepulturas imprimebant.

Bellarm. conc. de morte. XVIII. Brachmani pariter, ut Card. Bellarminus scribit, pro continentia tutanda sepulturas ante domus suas erigere, & conservare solent apertas, ut hoc fruentes spectaculo majori cum honestate vitam traducant, profitentes unanimiter, mortis memoriam efficacissimum contra carnalem concupiscentiam frænum esse.

S. Hier. in c. 10. Matt. XIX. Plato Discipulis suis hanc legem dedit, ut iter ingressi nunquam pedes operirent; quo ritu voluit extremum vitæ semper cogitandum, eo quod tanto quemque sapientiorem fore crederet, quanto vivacius mortem consideraret.

Radzio. ep 1. pag. 116. XX. Ægyptii prudentiores semper solebant oblonga ossa mortuorum sive vera, sive ex ebore ficta secum portare, &, ubi sibi occurrebant, eorum ostensione ad meditandum obitum exhortari.

Drex. in podr. c. 1. §. 16. XXI. Imperatorem Orientis recens creatum nemo prius alloqui audebat, quam Latomus diversi coloris marmora ei exhibuisset, quæsivissetque, ex quo genere sibi sua Majestas monumentum fieri vellet?

Ælian. l. 3. XXII. Philippus Rex Macedonum negotium dedit puero, ut quotidie e lecto surgenti diceret: Rex, homo es, vive memor lethi.

Plut. in conviv. XXIII. Ptolomæus Rex Ægypti semper calvariam pone se, vel in mediis etiam epulis habuit, ne mortis ipsi excideret memoriam. Quin & Ministrum sibi identidem occinere voluit: Rex, inspice, talis eris.

Bess. c. 1. de mort. XXIV. Agathocles Siciliæ Rex vasis figulinis æque ac aureis in mensam omnia inferri constituit, quo se ex figulo & limo natum, & Regem factum meminisset.

S. Hier. Epist. XXV. Romanis de hoste triumphantibus semper servus a tergo inclamare debebat: Hominem te mortalem memineris.

Mors incerta.

Drex. in podr. c. 1. §. 20. XXVI. Tarquinius pisciculi spina: Fabius spino cum lacte hausto: Aristides mustellæ morsu obiit: Anacreontem & Sophoclem uvæ acinus: Luciam Marci Aurelii filiam punctiuncula acus subito extingit.

Plin. l. 6. c. 7. & 53. XXVII. Manlius Torquatus, dum in cæno placentam appetit: Quintius Scapula, dum apud Aquilium Gallum cœnat: Saufejus, cum ovum sorbet: Æmilius Lepidus, dum egrediens liminis cubiculi pedem allidit: C. Ausidius, dum pedem in Comitio offendit: Bebius Pamphilus, dum a puero horas quærit: Juventius Talva, dum sacrificat: Bebius Judex, dum vadimonium differri jubet, repente extincti sunt.

Drex. in podr. c. 1. §. 43. XXVIII. Philemon Comicus jam Comœdiæ partem in scena repræsentarat, sed quia pluvia interveniens abrumpere tertium actum coegit, ad spectatorum preces promisit, se illum postero die absoluturum. Cum autem tempore destinato omnes jam convenissent, Philemon frustra expectatus, in lectulo mortuus inventus est.

Guido Bituric. in hist. Eccl. XXIX. Messadavus jam senex, cum ab Amico in crastinum invitaretur convivium: cur me in crastinum vocas, inquiebat, qui a multis annis crastinum non habui, sed mortis adventum in singulos dies expectavi: quæ nobis nonnumquam insidiatur, donec nos incautos tandem etiam opprimat.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Lud. Gra. in Duce pec. l. 1. p. 1. I. Sicut is, qui castrum vult expugnare, primo ruinam majoribus tormentis sternit, inde oppugnat, invadit, & occupat; sic ante mortem gravis infirmitas præmittitur, quia ita impugnat naturalem fortitudinem, ut nullam vel diurnam, vel nocturnam homini quietem permittat, sed ita concutiat singula membra, ut anima desperans de corporis castro amplius defendendo tandem fugiat, & in alterum mundum pergat.

Senec. de brev. vit. c. 9. II. Sicut vas liquore plenum non extrema gutta cadens exhaurit, sed quidquid ante decerptum est; sic ultima vitæ hora non sola mortem facit, sed sola consummat.

Stapl. in 2. Dom. 23. post Pent. III. Sicut is, qui eminus aliquid videt, confuse videt, nesciens, homone, an arbor sit; sic qui longam sibi vitam promittens, mortem quasi eminus & longe distantem respicit, eam, qualis sit, quam terribilis nempe & acerba, non videt.

Idem ib. 2. in Do. 23. post Pent. IV. Sicut vasa fictilia æque sunt obnoxia periculo, sive sint nova, sive diuturna; sic homines æqualiter sunt mortales, & interitus periculo expositi, sive sint adolescentes, sive juvenes, sive viri, sive senes.

V. Si-

Olymp. c. 22. in Ec. V. Sicut hydria juxta fontem contrita, aqua non perit, sed in fontem suum revertitur, eamque rursus, qui voluerit ex fonte haurire potest, ita corpus, quod in elementa velut fontem suum resolvitur, iterum resuscitari potest, quandocumque Deo placuerit.

S. Aug. in Ps. 109. VI. Sicut torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo cursum finit; sic nascuntur homines, & moriuntur; & aliis morientibus, alii nascuntur, succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt.

Idiota de contempl. mort. §. 1. VII. Sicut stellæ, quæ ab Oriente veniunt, quamvis sint magnæ celeritatis & virtutis, tendunt tamen ad occasum, & ibi secundum diversos circulos tardius aut citius se a nostris aspectibus abscondunt; sic Homines universi ab oriente, id est, Nativitate in mundum veniunt, sed omnes iterum, ubi aliquamdiu fulserint, per mortem ad occidentem tendunt.

Id. §. 10. VIII. Sicut aqua dilabens in terram ita absorbetur, ut amplius non appareat; ita homo in terram per mortem cadens ita absumitur, ut nulla ejus memoria extet, sed sicut ex oculis, ita & ex animo evanescat.

Cic. in Cato. Maj. IX. Sicut poma ex arboribus, si cruda sint, vi avelluntur; si matura & cocta, decidunt; sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas.

Drex. in prodr. c. 1. §. 99. X. Sicut is, qui e carcere ad mortem ducitur, non minus angitur etsi longiore via quam alius ducatur; ita cum nos omnes ad mortem damnati simus, parum solamur, etiamsi tardius eo perveniamus.

Eccl. 5. v. 14. XI. Sicut egressus est nudus de utero Matris suæ, sic revertetur, & nil auferet secum de labore suo homo.

Beirl. ec. 3. in festo S. Cath. XII. Sicut hyems hortos & vireta frondibus spoliat & foliis, nudamque humum reddit; ita mors importuna omne sacrum profanat, & quidquid in mundo admiratione dignum est, in momento dejicit, nudataque reddit regum sceptra, dum illos æquali falce, ac inopes ferit.

Mansi disc. 12. n. 7. XIII. Sicut in ludo Schaccorum omnia lusus hujus instrumenta suum in tabula locum obtinent, habet enim Regina locum suum, Rex alium, & alium pedester; & ita de singulis. Ludo vero terminato omnia simul in unam bursam mittuntur confusim, sine ullo ordine, adeo, ut nullius ibidem pro altero habeatur ratio. Ita quoque in hac præsenti vita contingit, in qua Deus ludit in orbe terrarum; unusquisque enim pro ratione dignitatis locum suum obtinet, Princeps videlicet hunc, subditus vero alium sibi proprium, at vero terminato hoc spatio, in quo unicuique vivendum est, secundum Divinæ providentiæ periodos, omnes in sepulchro, vel ut melius dicam in momento mortis omnes ex æquo habentur, nec habetur major unius, quam alterius ratio.

Bellov. sp. mor. p. 2. l 2. dist. 4. XIV. Sicut si intrares domum, & scires, quod aliquis in domo accederet, & occideret, procul dubio ad te omnes accedentes timeres, & suspectos haberes: Sic tu intrans in mundum hunc, certus esse debes, quod aliqua hora te occidet, & nescis, quæ sit illa, & ita omnes suspectas debes habere.

Idiot. de cont. mor. c. 10. XV. Sicut aqua congelata propter fervorem solis liquefieri solet, & in terram & lutum dilabi, sic utique nostra fragilis & aquea conditio, quæ nihil aliud est, quam carnea quædam moles aliquantulum congelata, quando fervore mortis percutitur & urgetur, necessario diffluit, & in terram decidit, & mutatur, ut dicere queat unusquisque: sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.

XVI. Sicut qui tenentur in carcere, semper quidem dejecti, mœrentesque sunt, maxime tamen sub diem illum, quo sunt educendi, & ad ipsas Judicis fores protrahendi, ac pro cancellis foris stantes Judicis vocem intus audiunt, examinantur metu, nihiloque melius efficiuntur, quam mortui; sic anima maxime quidem in ipso peccati tempore cruciatur, & angitur, multo tamen magis cum hinc avulsa abducenda est. *S. Chrys. conc. 1. de Laz. n. 9.*

XVII. Sicut ex captivis nonnulli longiori tempore vinculorum ærumnas sustinent, nonnulli citius e vinculis emittuntur; sic & animæ nostræ affectæ sunt, quorum aliæ multum satis temporis in hac vita permanent, aliæ vero citius ex hac vita migrant. *S. Ephr. orat. de morte.*

XVIII. Sicut vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, palpitat & festinat, tremit ac sævit, quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: Ita vir sanctus cum passioni propinquare se conspicit, & naturæ suæ infirmitate conturbatur, & spei suæ soliditate roboratur, & de vicina morte trepidat, & tamen quod moriendo verius vivat, exultat, ad Regnum quippe non potest nisi interposita morte transire, & idcirco confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit, & gaudens metuit, & metuens gaudet, quia scit, quod ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc, quod interjacet, cum labore transcendat. Sic nos cum morbos a corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus, certo autem de subsequente salute gaudemus. *Rabanus ap. Mansi d. 11. n. 3.*

Utilitas.

XIX. Sicut, quod ex viperinis carnibus potentissima contra venenum conficiatur Theriacæ medicina, ipsa nos docet experientia; Ita quoque peccati venenum, nobis mortem inferens, sanatur, atque extinguitur, nec non mortiferi hujus serpentis morsus sopitur per seriam mortis meditationem. *Ibid. d. 2. n. 2.*

XX. Sicut perdix dum aucupum patitur insidias, teste Plinio, insulco resupina, gleba se terræ pedibus apprehensa operit; Idem omnino anima Christiana, dum a dæmone in via voluptatum, aliarumque illecebrarum carnis, mundive tentatur, insidiasque patitur, præstare deberet, se nimirum infra terram abscondendo, id est pulverem, ultimumque hujus corporis nostri & mortalis vitæ finem meditando. *Plin. l. 10. c. 33.*

XXI. Sicut aspis, ne incantetur, suas obturat aures, ubi S. Augustinus inquit: Recusans audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, & cauda obturat alteram, atque ita voces illas, quantum potest evitans, non exit ad incantandum; ita & Christianus, dum a dæmonio ad voluptatum, de- *S. Aug. in Ps. 57.*

deliciarumque carnalium & terrenarum trahitur incantationes, aures ad terram applicet, id est, discursus audiat de morte, cinere, & terra; Pulvis es &c.

Mansi d. 3. n. 3. XXII. Sicut uno osse arido plurimos Philistinos occidit Sampson, ita per nostra quoque in tumulo resoluta ossa, modo illa, dum vivimus, meditamur, omnes spirituom malignorum atteremus exercitus.

Ibidem. XXIII. Sicut leonis quamvis famelici constans est iostinctus, ut non oppugnet eos, qui veluti mortui prostrati jacent in terra; Unde Poeta cecinit: *corpore magnanimo satis est prostrasse leoni*; Ita dæmon circa illos, qui se mortuos exhibent, omnem suum deponit vigorem.

Id. d. 4. n. 7. XXIV. Sicut damnati ad mortem quantumvis late habeantur, priusquam ad furcam abstrahantur, nihilominus propter justitiæ & condemnatioois suæ apprehensionem, ne minimum cum gustu deglutire possunt bolum; ita quoque qui mortem serio considerat, eamque vicinam (quemadmodum veraciter est) apprehendit, nollam in carnalibus deliciis satisfactionem habere potest, certus, hanc carnem suam vermium pastum futurum esse, hacque cum consideratione omnem carnalem fastidit voluptatem: Non est libidini diversorium, in qua versatur mente sepulchrum.

S. Ant. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 7. XXV. Sicut pavo, etsi viitis pennis suis pulchris eas extendit, & hinc inde se gyrat, de eadem pulchritudine superbiens, tamen ad pedes turpes aspiciens, eas continuo deponit, qoasi se humilians; sic homo attendens, ad finem vitæ, humiliabitur.

Mansi d. 8. n. 1. XXVI. Sicut ad abstergendas linteorum, vel cujuslibet alterius materiæ immundæ sordes, lixivium adhiberi solet; quod ex aqua & cineribus auxilio ignis componitur: eodem modo quisquis cor & animam suam a contractis culparum maculis purificare, eamque in conspectu Dei immaculatam reddere desiderat, memoriam mortis, aquam veræ compunctionis, divinique amoris ignem adhibere debet.

S. Ant. p 3. tit. 6. c. 1. §. 11. XXVII. Sicut effodientes thesaurum multum laborant, ut inveniant ipsum, quem summe desiderant, & quia antiqui in sepulchris suis faciebant thesauros abscondere, ideo tales effodientes, eum inveniunt sepulchrum, gaudent, nihil curantes de labores, sperantes quam citius ad thesaurum, quem optabant, pervenire viso sepulchro. Sic desiderantes thesaurum supernæ vitæ, cum considerant, quod per mortem cito ipsum consequantur, fortiores redeunt ad labores, intelligentes illud Apostoli: *Non sunt condignæ passiones hujus temporis &c.*

Mansi d. 17. n. 1. XXVIII. Sicut quando in lecto concutiuntur, tunduntur, moventur plumæ, quæ in lecto sunt, susque deque motæ molliores, & delicatiores evadunt, præbentque somnum suaviorem, qoia corpus mollius, & delicatius in eo conquiescit: Idem quoque animabus electis in infirmitatibus mortalibus contingit, per has namque mors illi præparatur, quæ est lectus quidam floridus & plumeus, ut in eo suaviter conquiescant, justa illud ejusdem Psalmistæ oraculum: *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.*

S. Chrys. t. 1. s. 29. XXIX. Sicut statua, quæ in fornace confringitur, haud deletur, sed renovatur; sic cum corpus nostrum moritur, non perit, sed instauratur. Cum igitur videris caroem nostram, tamquam io fornace liquescentem, ne commite, ut in hujus rei inspectione conquiescas, sed tantisper expecta, dum ea rursus conflata fuerit.

Mansi d. 19. n. 9 XXX. Sicut infans in utero matris constitutus, quamdiu imperfectus est, inde egredi non curat; mox vero ut ad perfectiooem pervenit, ibidem amplius subsistere nequit, quin potius vim adhibet, ut egrediatur, utpote locum desiderans capaciorem, copiosiorem cibum, aerem haurire liberiorem, clarioremque lucem: Ita quoque qui amore Dei ardent, & in ordine ad vitam futuram opera bona sibi accumularuot, hic in terris ingenti cum impatientia vivunt, dicentes cum Psalmista: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! vel cum Apostolo: Cupio dissolvi, & esse cum Christo.

Beirl. s. 1. in festo S. Jo. Ev. XXXI. Sicut Matres volentes ablactare Infantes, aliquid absinthli aut aloes mammillis apponunt; sic Deus a voluptatibus mundi abstrahere nos desiderans, amaram morti memoriam proponit.

Bess. con. 3. de morte p. 1. XXXII. Sicut Navarchus, ot navim bene dirigat, in puppi ad clavum sedet; ita ut homo seipsum bene dirigat, non tam ortus sui vitæque initium & progressum, quam finem & exitum considerare debet.

B. Alb. Mag. l. de veget. XXXIII. Sicut corvus numquam redit ad nidum, si cineres aut contriti pulveres in eo conspexerit; sic neque dæmones ad animam redeunt, si cinere, id est, mortis memoria conspersam advertant.

Bess. l. c. p. 1. XXXIV. Sicut hirundines, si corpori pertinacius adhæreseant, cinere superjecto decidunt; ita, ut homines a voluptatum & divitiarum concupiscentia abstrahantur, non aliud æque efficax remedium est, quam mortis memoria.

Id. p. 4. XXXV. Sicut illi, qui migrare cupiunt, omnia, quæ minus transferre possunt, in pecuniam redigunt: ita, qui mortis iter sibi propinquum credunt, omne studium in bonis operibus coacervandis impendant.

Drex. in prod. c. 2. §. 1. XXXVI. Sicot nemo prudens inter Oceani fluctus in tabula ludit: nemo ab ingenti præcipitio pendulus scelera meditatur: nemo inter medios armatos hostes internis hilarescit; ita, qui in perpetuo mortis metu versatur, numquam audebit ea perpetrare, quæ æternum infelicem afferunt mortem.

Stapl. s. 2. in Dom. post Pent. XXXVII. Sicut apes, cum vehementes inter se tumultuantur, jactu pulveris componuntur; sic homines torbulentis passionibus agitati mortis recordatione sedantur.

Beirl. s. 1. in festo S. Jo. Ev XXXVIII. Sicut cinis ignem sibi superpositum conservat; ita mortis recordatio ignem divini amoris fovet, ac nutrit.

Necessitas.

Jo. Clim. XXXIX. Sicut panis necessarius est homini præ cæteris alimentis; ita intenta meditatio

tio

tio mortis necessaria est homini præ aliis donis & exercitiis bonis.

XL. Sicut omnia flumina tendunt ad mare; ita omnes homines ad amaram mortem properant; mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum.

Mors libenter acceptanda.

Pl. in me. XLI. Sicut mutuata pecunia æquo animo reddenda est; sic vitæ munus, quod a Deo accepimus, sine querimonia est restituendum.

Idem. XLII. Sicut nemo miratur, liquefactum esse, quod potuit liquefieri, aut exustum esse, quod est exustibile; ita nec mirandum, aut ægre ferendum est, mortuum esse, quod mortale est.

Langius Pol.v.cod. XLIII. Sicut iis, qui scit, se in conducta domo habitare, minus moleste fert, si exire jubeatur; ita qui intelligit, domicilium corporis ad breve tempus sibi comodatum esse, non ægre id deferet, si Deus, qui illud concessit, jubeat.

Ibid. XLIV. Sicut nemo est, qui non gaudeat, si longa maris pericula emensus, ad terram ac portum feliciter appellat; ita nec tristandum, si post superata vitæ hujus pericula per mortem in Patria appellamus.

Ibid. XLV. Sicut felicior est, quem ventus acrior cito ad portum deportavit, quam is quem venti segnes, & longa tranquillitas lentissimo tædio delassarunt; ita fortunatior est, quem festinata mors cito his malis eximit.

Inebin. p. 2. c. 16. XLVI. Sicut, qui debitum contraxit, de quo magnum censum solvere cogitur, gaudet, si solutione capitis liberare se a censu possit; ita cum propter debitum mortis plurimis incommodis, puta famis, sitis, morborum &c. obnoxii simus, lætari merito debemus, si aliquando hoc debitum mortis naturæ solvere, & per hoc nos a miseriis istis absolvere possimus.

Bessaut conc.7. de mor. p. 2. XLVII. Sicut Apostoli navigantes viso Domino timuerunt omnes, & putabant phantasma esse; ita nos in hoc mari appropinquantem mortem, quæ adjuvet nos, arbitramur inimicam esse; cum vero ad litus Patriæ cælestis appulsi fuerimus, agnoscemus, vel maxime salutarem fuisse.

Id. conc. 7. p. 2. XLVIII. Sicut si duo sint in carcere, unus ob leve, alter ob capitale delictum; ille, quoties panditur carcer, gaudebit, quia se libertati restituendum putat: alter vero terrebitur, quia ad mortem eductum se iri timet; ita justus quisque gaudet morte adveniente, impius vero tremente animo eamdem excipiet.

§.IX. MOTIVA.

Ad expetendam mortem.

Sap. c. 4. v. 7. I. QUia a peccatis liberat; uti Salomon indicavit: *Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum; Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Hinc S. Ambrosius, raptus est, inquit, justus, *S. Amb. in Ps. 60.* ne malitia mutaret cor ejus. Mors ego ista magis peccati fuga, quam morientis est detrimentum. Et in capite 2. de bono mortis hanc instituit interrogationem: quod tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto majori oneratur sarcina peccatorum? nullus dies sine peccato nostro præterit. Et idipsum, confirmans Idiota, lucrum, *Idiota de contempl. mort. c.6.* inquit, est mori homini, qui bona morte moritur; nam per bonam mortem commutat homo timorem in securitatem, & ideo scribitur: Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Gloria cujuslibet hominis, Domine, est sanctitas vitæ, quæ gloria cito in hac vita fragili perdi potest, utpote per unum consensum peccati mortalis. Quamdiu igitur homo vivit, quantumcumque sit sanctus, in periculo est ut evacuetur gloria sua, id est, ut perdat sanctitatem suam; sed per bonam mortem evadit omne periculum amittendi gratiam suam.

II. *Quia portus est malorum ac diuturnæ & molestæ navigationis;* perfugium ærumnosæ vitæ, effugium miseriarum. *Ib. c. 8. Cic. l. 1. Tusc.* Seu, ut clarius dixit S. Chrysostomus, est somnus, migratio, *S. Chrys. h. ad pop.* translatio, & requies, & tranquillus portus, & perturbationis liberatio, & a vitæ curis absolutio. Hinc Idiota ait: Homo moriturus non magis contristari, aut conqueri debet, si ad mortem pervenit, quam navigans, si ad portum, ad quem navigabat, celerius, quam credit pertingit. Est enim mors portus ad quem continuo navigamus, & ideo si ventus, & casus fortuitus subito, & ex insperato ad illum portum perducit, dolere non debet homo. Et idipsum confirmans Bellovacensis: Nonne mors *Bellov. p. 1. Spec. l. 2. dist. 24.* inquit, humani generis terminus, non scopulus, in quem impingas, sed portus, quem libenter attingas, ad quem si quis intra primos annos applicuerit, non querimoniam agat, quod minus vixerit, sed gaudeat, quia citius navigavit.

S. Ambr. in c. 2. Lu. III. *Quia immunitatem a tentationibus præstat;* Hinc S. senex Simeon suo vicinus termino cantabat: *Nunc dimittis servum suum &c.* Ubi S. Ambrosius talem format discursum: Quasi necessitate quadam teneretur in hac vita, non voluntate, ita dimitti petit, quam a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret; sunt enim vincula quædam corporis hujus, & quod est gravius, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad injuriam captivitatis adstringunt quadam lege peccati. Qui idem Sanctus postquam illa Apostoli (*mihi vivere Christus est & mori lucrum*) considerasset verba, eadem ad nostrum interpretans propositum ita discurrit: Lucrum est evasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transiisse. Deinde capitulo sequenti hanc vitam nobis velut laqueis plenam ob oculos ponit, dum ait: Quid est aliud hæc vita, nisi plena laqueorum? Inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes.

IV. *Quia a visione multorum malorum liberat,* uti Bellovac. notavit dicens: Tertium, *Bellov. p. 1. lib. 2. dist.* propter quod justi mori desiderant, est fervor æmulationis; considerantes namque omnia mala, quæ sub sole geruntur, videlicet quod mul-

multiplicantur peccata, regnat injustitia, veritas conculcatur, dehonoratur Deus, animæ damnantur, pauperes opprimuntur, justi despiciuntur, & impii dominantur, dolent, gemunt, & dolore tabescunt, mori quam vivere præoptantes: unde unus eorum Mathathias dixit; 1. Machab. 2. *Væ mihi, ut quid natus sum videri contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ!* Hinc de S. Praxede scribit S. Gregorius, quod, cum tantam Christianorum stragem videre non posset, Deum precata sit ut, si mori expediret, eam a tot malis eriperet.

Rom. 7. v. 24. — 1. Philip. v. 23.

V. *Qui vincula dissolvit*, hinc Sanctus Paulos dicebat: *Infelix ego homo, quis liberabit me de mortis hujus corpore?* Et iterum: *Coarctor autem a duobus, desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo; multo magis melius, permanere in carne, necessarium propter vos.*

S. Greg. l. 4. mor. c. 12.

Super quæ verba S. Gregorius ait: Adhuc corruptionis suæ sarcinam portans vinctus clamat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, dissolvi enim non quæreret, nisi se procul dubio vinctum videret. Propheta veri Dei religionem tam indigne ab Achab & Jezabel tractari videns, petivit animæ suæ, ut moreretur: Et ait: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Alter ille Machabæus protestabatur dicens: *Melius est mori in bello, quam videre mala gentis nostræ, & Sanctorum.*

S. Ambr. ser. 42.

VI. *Quia est quies laboribus*; uti S. Ambr. notavit, dicens: Sapiens quisque intelligit, quod hæc vita homini non ad quietem data sit, sed ad laborem, hoc est, ut hic laboret, & imposterum quiescat, hic autem requies nulla; tantis enim malis repleta hæc vita est, ut comparatione ejus, mors remedium putetur esse, non pœna; nam ideo brevem istam vitam Deus fecit, ut molestiæ ejus, quia prosperitate non poterant, temporis exiguitate finireotur.

Tertull.

Hinc Tertullianus, non timendum est, inquit, quod nos liberet ab omni timore; longum Deus adimit tormentum homini, cum vitam ei concedit brevem. Quod etiam Henricus de Hassia confirmans ait: O homo, quid est tuum diu vivere hic quam diuturnis ærumnis & tediis in mortem ire? Quid tibi de hac vita, quam intrasti cum dolore, contrivisti cum labore, exibis cum tremore? Unde S. Bernardus in exequiis unice sibi dilecti charique fratris sui Gerardi adeo constans, intrepidusque perstitit, ut omnibus flentibus, ipse sibi solus fletum interdixerit, & coercuerit; ita enim in quodam sermone discurrit: Plorantibus aliis ego siccis oculis secutus sum invisum funus; Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur, quod non flerem ipse, Videmus mortuos quotidie plangere mortuos suos, fletum multum, & fructum nullum; non culpamus affectum, sed causam; Plorantur damna gloriæ carnis, vitæque præsentis incommoda juxta S. Bernardum, nam quisquis mortem plangit proximi, aliud non facit, quam dolere quod defunctus ab hac miseriarum, lacrymarumque valle ereptus sit, & turbidi homo maris delusis tempestatibus pertigerit ad portum: Plorantur vitæ præsentis incommoda. At, inquies, mortuus putrescit, corrumpitur, pulvisque & cinis fit. Quid tum inde, amice? Hoc nimirum illud est, ob quod maxime est lætandum; Etenim si quis veterem domum, ac conquassatam ædificaturus est, primum ejus incolas ea illa ejicit, deinde domum ipsam diruit, & eam magnificentius reædificat, quod quidem lætandum potius, quam dolendum ei est, qui ex veteri habitatione ejectus est; non enim præsentem ædium demolitionem spectat, sed domum, antequam videatur, animo concipit, ac comprehendit. Ad eumdem modum facturus Deus, corpus nostrum demolitur, & animam in eo habitantem ante, ut ea domo aliqua ejicit, ut, cum aliam magnificentiorem, & præclariorem opere exædificarit, illum majori cum gloria in eam introducat.

Henr. de Hassia in soliloq. animæ. — S. Bern. ser. 26. in Cant. — S. Chrys. t. 5. s. 39.

VII. *Quia nos aperit viam ad Patriam, & Amicos*, uti Cyprianus indicavit, dum dixit: Quid non properamus, & currimus, ut Patriam nostram videre, & Parentes salutare possimus? Ad horum autem aspectum & complexum venire, quanta, & illis, & nobis in commune lætitia est?

S. Cypr. Sim.

VIII. *Quia ad meliorem vitam est transitus*, Transitus, inquam, a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbatione ad tranquillitatem, teste S. Ambrosio. Hinc Plutarchus, nemo bonus, ait, lamentis, sed hymnis dignus, & laudationibus, non luctu; sed honorifica recordatione, neque lacrymis a dolore extortis; siquidem is, qui inter mortales esse desiit, divinioris cujusdam vitæ factus est consors, liberatus servitute corporis; ærumnosis istis sollicitudinibus, atque casibus, quos necesse est, ut perferant, quibus mortalis hæc vita obtigit, donec conficiant fato destinatum ipsis vitæ curriculum. Quod ipsum etiam afferens S. Bernardus ait: Si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit; Moritur quidem & justus, sed secure, quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mors si peccato moriaris, ut justitiæ vivas; Hæc mors necesse est, ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac vita, quamdio durat, compara tibi illam, quæ semper durat. Unde quando ad mortis adventum trepidamus, non mortis hoc est vitium; ut S. Ambrosius recte advertit, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quam voluptatis est.

S. Ambr. de cons. mort. — Plutar. de consol. ad Apoll. — S. Bern. ep. 105. — S. Ambr. de bono mort. c. 3.

IX. *Quia mors est debitum omnium solvendum*: atque adeo stultum est metuere, quod vitari nequit.

X. *Quia mors est exitus animæ e carcere*: quis autem e carcere, in quo summas est molestias perpessus, non liberari desideret?

Ad timendam mortem.

XI. *Quia est certissima quoad substantiam*; Hinc Seneca, certum est, inquit, mortem vitamque per vices ire, & composita dissolvi, & dissoluta componi. Omne humanum genus, quodcumque est, quodcumque erit, morte damnatum est. Quotidie morimur, quotidie

Seneca ep. ...

sidie etiam demitur aliquas pars vitæ, & tunc quoque, cum crescimus, vita excrescit. Infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum, quidquid transit corporis, perit: hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte dividimus.

Et magnos, parvosque terit, cum fortibus æquat.
Imbelles, populisque Duces, seniumque Juventæ,

ut non male canit Poeta quidam.

XII. *Quia est incertissima quoad horam*: nam, ut Poeta Tragicus canit:

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli jusso cessare licet,
Nulli scriptum proferre diem.

Sed.

Nemo tam divos habuit faventes,
Crastinum ut posset sibi polliceri.

Gen. 27. v. 2. Intellige de ordinaria lege. Hinc Isaac ad Esau, vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

XIII. *Quia est acerbissima quoad præsentiam*: cum, teste Aristotele, sit omnium terribilium terribilissimum.

XIV. *Quia est periculosissima quoad exitum*: ubi gravissimas tentationes dæmonum, qui, licet semper sint execrabiles, tunc etiam omnino sunt intolerabiles; quia tunc sciunt fluere illud momentum magnum, a quo tota æternitas pendet; æternitas enim a morte, mors a vita, hæc a momento pendet, nam perisse semel, æternum est.

Theoph. in Matt. XV. *Quia est contra naturam*, uti Theophilactus recte advertit, dum de Christo agonizante dixit: *cœpit tædere &c.* ut credatur verus homo; humanæ enim naturæ est, timere mortem, eo quod præter naturam ingressa est mors, & propterea illam fugit natura.

XV. *Quia judicii secuturi eventus incertus est*: hinc Sanctus Gregorius ait: Redemptor noster solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum servans speciem, factus in agonia cœpit prolixius orare; Quid enim pro se ille, cum in agonia esset, peteret, qui in terra positus cælestia cum potestate tribuebat? sed appropinquante morte nostræ mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris atque formidinis patimur; cum per solutionem carnis æterno propinquamus judicio; Neque enim tunc cujuslibet anima immerito teneretur, quando post pusillum hoc invenit, quod in æternum mutare non possit.
S. Greg. l. 24. mor. E. 7.

XVII. *Quia omnes sensus in morte destruuntur*; uti Sanctus Bernardus præter experientiam confirmat, dicens: Hic dolor tantus est, quod aufert, & occupat omnes sensus. In pedibus aufert potestatem gradiendi, a manibus & a corpore potestatem tangendi, ab oculis videndi, olfactum a naribus, auditum ab auribus, gustum a palato. Ideoque merito in persona moribundi ingemiscebat regius vates: *Timor & tremor venerunt super me & contexerunt me tenebræ*: Et iterum alibi: Vide quomodo mors te crucifigit, Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescit, facies exsudat, & morte tacta pallescit. Et utique, quæ videmus de foris, & quæ sentimus, lavia sunt ad ea, quæ intus anima miserabilis jam prægustat; Nam sensus a corpore cito recedit, animam sua mors comitatur euntem.
S. Bern. l. 24. art. in c. 9.
S. Bern. de vit.

XVIII. *Quia morbi perturbant*; uti Bellovacensis indicavit, dicens: In morte solent concurrere varia morborum genera, & membra sic occupare singula, ut plures quandoque sint morbi, quam membra; Dolores irruunt tam vehementer intensi, ut vires corporis enervent, somnum auferant, quietem impediant, animum inquietent, sensus omnes perturbent, appetitum destituant, obtundant memoriam, obnubilent intellectum, & sic animam totam occupent & distrahant, ut nihil aliud ei cogitare liceat, quam dolores.
Bellov. Spec. mor. p. 1. l. 3. dist. 3.

XIX. *Quia separationem ab amicis inducit*: Hinc S. Ephrem exclamat: Quam tremenda erit mortis hora! tunc non comitabitur filium pater, non filiam mater, non uxor maritum, non fratrem frater, sed solum opera, quæ quisque egit, sive bona, sive mala. Præmittamus igitur nobis ipsi opera bona, ut, cum hinc abierimus, admittant nos in civitatem sanctorum. Et Sanctus Antoninus, aliud, inquit, genus bellantium inimicorum est multitudo consanguineorum; de quibus dicitur Mich. 7. Inimici hominis domestici ejus. Durum est sibi, deserere filios & uxores, & alios quos inordinate diligit; Unde Augustinus de sero pœnitentes ait: Quem morbus urget, & pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maxime cum filii, quos illicite dilexit, sint præsentes, & uxor, & mundus ad se vocet, frequenter ex inordinato amore filiorum, potius volunt perdere animam, quam aliena restituere, ne pauperes remaneant. Coangustant tales inimici domestici morientem, in quantum unus quærit sibi legari tantum, alius tantum, & tota eorum sollicitudo est de lana, non de anima; aliquando etiam incipient evacuare capsas, quod videns infirmus non parum angustiatur.
S. Ephr. Paren. 41.
S. Ant. p. 2. tit. 9. c. 2. §. 2.

XX. *Quia bona temporalia deserenda sunt*; Hinc Siracides; *O mors*, inquit, *quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis; viro quieto, cujus viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum.* Quod confirmans S. Bernardinus: O quantus, inquit, mœror, cum conspicit se privari divitiis mundi, quas tanto labore acquisivit, tanto timore servavit, & nunc tanto dolore relinquit, quas tanto amore dilexit. Videt enim, quod nihil secum portare potest, nisi peccata sua, quibus ea indebite congregavit, juxta illud Job 27. *Dives cum dormierit, nihil secum auferet, aperiet oculos suos, & nihil inveniet*, id est, peccatum quod vere est nihil.
Eccl. 41. v. 1.
S. Bern. Sen. to. 1. ser. 24. a. 3. c. 3.

XX. *Quia difficilis est eo tempore pænitentia*; quia in mortis deprehensi articulo, inquit S. Laurentius Justinianus, atque languoris nimietate afflicti, pene nihil aliud, quam de se cogitare sufficiunt, revolventes animo sedulo, quibus remediis suis valeant mederi doloribus, protelare exitum, recuperare vires, atque optatæ restitui sanitati. Fit autem per-
S. Laur. Just. de contempl. mundi c. 13.

sæpe, ut circa talia occupati, interitus salutis propriæ minime recordentur, & absque ulla vera compunctionis dispositione deficiant. Hinc & S. Augustinus monet: Agite pœnitentiam, antequam mors inimica naturæ vos aggrediatur; nam cum in extrema ægritudine fueritis fratres, o quam forte, o quam durum & lacrymabile erit vobis pœnitere, & dolere de malis commissis, & de bonis omissis! Quare hoc erit, nisi quia illic capitur tota intentio mentis, ubi est vis doloris? Nam corpus dolet, pœna affligit, quia mors appropinquat; intrare filios, quos patres summe dilexerunt, pro quibus etiam se damnatos existimant, tenebroso oculo aspiciunt, uxores jam lacrymantes considerant, Mundus adhuc eis fiduciam præstat, diabolus, ne de peccatis doleant, fidem tribuit, chyrographum infirmantibus præbet; caro non deficere adhuc satis sperat; Medici adhuc, ut lucrentur, ipsum consortant, parentes applaudunt, Sacerdotes alliciunt, & sic divites moriuntur in inferno. Sed, & S. Ambr. illa verba: Orate autem, ne fuga vestra fiat in hyeme, explicans, hyemem intelligit non temporis, sed infirmitatis. Est hyems non terreni solis, sed hyems mentis, quando animo frigus illabitur, quando vapor animi evanescit, quando solvitur vigor sensus, quando nimius humor exundat, & mentem gravat, quando interior caligat aspectus, & ideo ait Dominus: Videte, ne fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato. Bonum enim, ut tunc dies judicii vel mortis adveniat, cum viget animi blanda temperies, cum cæleste mysterium serena luce resplendet, cum cor nostrum ardet in nobis. Accedit, quod ut S. Bernardinus notat, vix invenitur aliquis, qui de salute animæ suæ audeat sibi loqui. Executores sollicitantur circa divitias, Medici circa corporis medicinas, uxor, filii, amici consolantur infirmum, & sic miser non permittitur de peccatis suis cogitare, nec statum, & finem vitæ salubriter ordinare.

S. Aug. ser. 48. ad fratres.

S. Bern. Sem. f. 33. ar. 3. c. 3.

XXII. *Quia diabolus tunc maxime furit*; hinc S. Gregorius monet: Curandum nobis est, & cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus Princeps mundi hujus veniat, si etiam ad Deum carne morientem venit, & in illo illud quæsivit, in quo suum invenire nihil potuit. Quid itaque nos miseri dicturi, quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus? Quid requirenti adversario, & multa sua in nobis invementi dicemus, nisi solum, quod nobis est certum refugium, & solida spes, quia unum cum illo facti sumus, in quo Princeps hujus mundi, & suum aliquid requisivit, & invenire minime potuit? quoniam solus est inter mortuos liber. Rationem autem dat S. Antoninus dicens: Quia novit, se plus temporis non habere ad tentandum, ideo plus acuit malitiam suam ad decipiendum, vel per desperationem, vel per infidelitatem, vel per taciturnitatem alicujus peccati. Et præterea teste S. Cypriano: Adversarius vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus; sex millia annorum jam plane complentur (ut suo jam sæculo Cyprianus computabat) ex quo hominem diabolus impugnat, omnia genera tentandi, & artes atque insidias dejiciendi, usu ipso vetustatis edicit. Et tandem aspectus dæmonum est nimis terribilis, quod notatur, cum dicit: Præoccupaverunt me laquei mortis. Dæmones vocantur laquei mortis, quia infelicem animam illaqueant, ne pœnitere possit; dicit autem: Præoccupaverunt me laquei mortis, videlicet ante prolationem damnationis a Judice, & ante separationem a corpore: dæmones nempe sunt tantæ præsumptionis, & protervíæ, ut non expectent miserum peccatorem sibi tradi a Judice per sententiam definitivam, sed in eo dominium, & potestatem quasi de jure acquisitam usurpant. Unde merito S. Bernardus exclamat: Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quod tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam regionem, occursantia tibi catervatim ruere illa teterrima Monstra videbis?

S. Greg. ho. 39. in Evang.

S. Ant. p. 4. tit. 14. c. 2. S. 9.

S. Cypr. ad Fortunat.

XXIII. *Quia semel tantum statutum est hominibus mori, post hoc autem judicium*, inquit S. Paulus Heb. 9. 27. Postquam uno semel momento naturæ concedere, eodemque, Deo vitæ arctæ rationes dare concessum est, consulte ac prudenter factum fuerit, si crebro nobis moriamur, si morte quotidiana ad unam extremam nos præparemus, subductasque ad calculum rationes ita digeramus, & componamus, ut sub expirantis vitæ tempus tales dare possimus, quales optabimus. Quod enim semel tantum faciendum, id sæpe, ac sæpius ante exercitandum, ut recte fiat.

Mors commemoranda & consideranda.

XXIV. *Quia facit perfecte vivere*, ut S. Bonaventura indicavit, dicens: Facit seipsum despicere & propter resolutionem in terra, in sui ipsius cognitionem venire. Facit vitam præsentem perfecte regere, sicut enim gubernator navis se ponit in cauda, ut rectius gubernet navim; sicut qui in mari hujus mundi vult recte, & secure navigare, novissima sua debet recordari.

S. Bon. in Diet. tit. 7. c. 1.

XXV. *Quia humilem facit*, ut S. Laurent. Justinianus indicavit, dicens: Considera frequenter, o homo, te jam mortuum, quem scis te de necessitate moriturum. Dispice qualiter oculi vertentur in capite, vena rumpetur in corpore, & cor scindetur dolore. Talis exercitatio cogitationis fomitem magnum pariet humilitatis.

S. Laur. Just. c. de ign. vit.

XXVI. *Quia*, juxta S. Climacum, *mortis consideratio illos, qui sub religiosa disciplina vivunt, reddit laborum patientes, efficitque, ut magis ignominiis delectentur.*

S. Clim. gr. 5.

XXVII. *Quia peccata vitare facit*, uti innuit S. Laurentius Justinianus, dicens: Perfecta vita est mortis recordatio, quam dum justi sedula mente pertractant, culparum laqueos valenter evadunt. Hinc S. Paschasius ait: Filiorum debet esse ista perfectio, ut sic vivant quotidie, quasi mox morituri.

S. Laur. Just. ib.

S. Pasch. c. in Mat.

XXVIII. *Quia hæc memoria facit, ut suo tem-*

tempore libenter moriamur: ficut enim equus, ut non horreat ftatuam In hippodromo feriendam, prius fæpius per illud ftadium ducitur; ita, ut mortem non horreamus, frequenter prius per cogitatlonem animus ad eam confi-
Senec. de mor. ep. derandam impellendus eft. Hinc Seneca monet: Effice mortem tibi cogitatione familiarem, ot, fi ita fors tulerit, poffis illi obviam exire.

XXIX. *Quia facit etiam, ut bene moriamur*: quia, tefte S. Auguftioo, mors omnium vitiorum eft peremptoria, atque adeo, ficut beoe vivere, ita & mori facit bene.

Fab. conc. 8. in com. anim. XXX. *Quia faftidium rerum terrenarum parit*, ut in exemplo S. Francifci Borgiæ, & S. Elifabethæ, Hungariæ Regis Filiæ patet, quæ audiens Maritum vita functum effe, dixit: fi mortem Frater meus obiit, & mihi pofthac mundo, ejufque vanitatibus defunctæ morietur mundus ipfe.

ibid. XXXI. *Quia curas & follicitudines terrenas excludit*: ficut enim, qui Leonem aut Moooecerontem, fe infequentem adverteret, oon effet multum de pallio retinendo follicitus, fed de fola vita; ita, qui mortem fibi fingulis momentis imminentem videt, parum de bonis temporalibus coacervandis, aut retinendis follicitus erit, fed id ooice aget, ut mortis æternæ infidias evadat.

XXXII. *Quia à tentationibus diaboli protegit*: ut enim Perdices, ut Aucupis infidias evadant, gleba fe cooperiunt; ita qui dæmonum infidias effugere cupiunt, mortis memoria fe communiuot.

S. Cyp. l. 4. ep. 2. ad Anton. XXXIII. *Quia ad gaudium & folatium in mortem difponit*: ut enim, tefte S. Cypriano, non eft dignus in morte accipere folatium, qui fe non cogitavit effe moriturum; ita nullus hoc folatium plus fperare poteft, quam qui frequenter ejufdem memoriam renovavit.

§. X. MEDIA.

Cum à bona morte totius hominis felicitas dependeat (tunc enim de fumma rerum agitur, quando mors vocat) merito variæ induftriæ ad mortem pie feliciterque obeundam à variis perfonis excogitatæ funt, & adhibitæ, quas proin, ut quivis feligere fibi magis convenientes poffet, placet hoc loco paulo fufius referre.

Aliud B. Aut. Procemium.

Quantum interfit, mortem felicem ac beatam nanc̄ifci, jam pridem indicavit Antiftenes Philofophus, dum interrogatus, quid apud homines foret beatiffimum, refpondit, felicem effe mortem; cujus ne aliquando oblivifceretur Fridericus Imperator, id ipfum pro fymbolo ufurpavit: Morte beata nihil eft beatius: quod item Fridericus Tertius crebris folebat amplificare fermonibus, dicens: nihil effe felicius felice exitu. Unde Seneca recte monet: Vivere tota Vita difcendum eft, & quod magis fortaffe miraberis tota Vita difcendum eft, mori. Tot maximi Viri relictis omnibus impedimentis, cum divitiis, officiis, voluptatibus renunciaffent, hoc unum in extremam ufque atatem egerunt, ut fcirent; plures tamen ex his nondum fe fcire confeffi, e vita abierunt. Recte ab hac fiquidem una fcientia totius Vita felicitas dependet. De fumma rerum agitur, quando mors vocat. Nullum in omni vita graviorem, nullum magis ferium laborem habemus, quam hoc unum, mori. Merito ergo variæ a variis fanctis induftriæ ad fimilem mortem obeundam funt adhibitæ, quarum aliquas placet in hoc §. enarrare.

INDUSTRIA I.

Sæpe cogitate & loqui de morte.

INduftriam hanc noo parum proficoam effe ad mortem felicem obtinendam, jam olim fapienter advertit S. Gregorius dicens: Sic mors ipfa, cum venerit, vincitur, fi prius quam veniat, femper timeatur. Habet fe enim ut Gregor. Nyffenus ait: ficut Bafilifcus, qui perimitur, fi prius videatur, fecus ipfe perimit. Hinc Monachus quidam, tefte S. Maximo, fcifcitanti, quid maximum ad beate moriendum haberet momentum? Refpondit: Cogitare ultimum fibi hunc diem fore. Unde merito hæc induftria a pluribus fanctis fedulo eft ufurpata. S. Greg. in b. Aut Iambi. S. Greg. Nyf. f. in Dom. 11. post Pent. S. 2. S. Max. f. 14.

I. Et primo quidem S. Eligius Noviodunenfis Epifcopus, & S. Viocentius Ferrerius, qui de nulla re alia frequeotius, quam de morte loquebantur. Levator de imit. Christi l. 1. c. 1.

II. S. Guilielmus Bituricentium Antiftes exequias, funerumque comitatus diligenter obibat, in quibus crebriora de morte foleot effe colloquia. ibid.

III. S. Joannes Alexandrious Archiepifcopus, ne uoquam de morte differendi abeffet occafio, fepulchralem molem, quam fibi pridem vivo adhuc, fpirantique extrui jufferat, imperfectam relinqui voluit, ita tameo, ut quoque fefta luce, dum inter fummates, amicofque infulatus affideret, a machinario in hæc verba admoneretur: Monimentum tuum in hodiernum ufque diem eft imperfectum. Domioe, jube ergo ut id finem accipiat; iocertum eft enim, qua hora fur ingrediatur, nempe mors. Leontius in vita.

IV. Eminentiffimus Cardinalis Robertus Bellarminus, moriendi cupidus, tantum non formidabat mortem, ut etiam ultro accerferet. Quare dum remotis arbitris folus effe fibi videretur, pellem manu preheodens, ac vellicans, cum bile ac ftomacho ajebat: Quid agis caro putrida, ac vermium efca, cur adhuc hæres? quidni divelleris? cur me Impedis, quominus abeam ad domum meam: heu tandem aliquando abrumpere: Domine, non poffum diutius morari io terra, trahe me ad te, da mihi pennas ficut columbæ, & volabo, & requiefcam. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Denique quando Cardinalem domeftici confolari volebant, de morte cum ipfo fermonem habebaot. Vit. l. 4. c.

V. Mar-

Lyræus l. c. V. Margarita Austriaca Philippi III. Hispaniarum Regis conjux florentissimam suam fortunam, omnibusque blandimentis adulantem, hac eadem plusquam regia meditatione, in qua non segniter, sed seriose se exercebat, modestiæ sæpius admonebat: Utque altius in animum ea descenderet cogitatio, illatis crebro sermonibus, quasi incusso malleo adigebat, quin Regum sepulchra invisere ac subire non dubitabat, non sibi horrori, aut timori mortem esse arbitrata, sed ex ea potius animo suo præcepta desiderium, solatiumque creari.

INDUSTRIA II.

Mortem desiderare.

VI. Sapienter quoque dixit S. Franciscus Salesius: Ut bene moriaris, officiosa mortem pensatione ante concilies, necesse est. Nam, ut S. Augustinus ait, qui cupit dissolvi & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit & delectabiliter moritur. Et S. Climacus: Laude dignissimus est is, qui omnibus diebus mortem exspectat; sed ille sanctus, qui nulla non hora eamdem desiderat, uti plurimi fecerunt. *S. Aug. in Joann. S. Clim. grad. 6.*

Maff. l. 1. VII. S. Ignatius Loyola Christum Dominum ac liberatorem videndi, sicut est, tanta cupiditate flagrabat; ut eam ipsam ob rem solvi corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque si quando graviorem incidisset in morbum, concepta migrandi spes abstrahebatur illico a sensibus non sine magno valetudinis detrimento: quocirca mentem a cælestibus rebus interim avocare, etiam atque etiam a medicis jubebatur.

VIII. De S. Philippo Nerio Vitæ auctor tradit, die Festo Pentecostes tanto videndi Deum desiderio æstuasse, ut corde se movente, duas illi costulas perfregerit, crediderim, captivum imitari voluisse, qui ferreos carceris clathros diffregisse gaudet, ut in libertatem se vindicet, tanto siquidem fervore sancta hæc anima ad Deum suum rapiebatur, ut ejus potiundi affectu, quæcumque impedimento forent perrumpere non dubitaret, identidem exclamare folitus: Animæ Deum amanti vita hæc mortalis fastidio; mors autem in desiderio fit.

Corolus Bovillus in vita. IX. Raymundus Lullus, in nemorum, silvarumque recessus abdebat sese frequenter, ubi gemendi prolongationem incolatus sui, plangendi molestias carceris sui, quo detinebatur, finem nullum inveniebat. Cum ecce die quadam consueti stadii curriculum ingressus, atque amante has percitus impatientia commotior, in Eremitam incidit, qui forte silva in medio juxta fontis crepidinem, de via fessus somno obdormiverat, a quo, posteaquam evigilare hominem jussisset expetiit, qua demum ratione, modoque se carcere eximere posset? alter qui Deum juxta atque ipse pridem dilexerat, ejusque delicias penitus sectabatur, statim intelligens, quo ille tenderet, eadem se cum illo, sive dormiat sive vigilet, respondit custodia teneri, sed amboris carcerem esse, non vero timoris, invento homine, qui amoris linguam, sermonem calleret factus hilarior, una cum eo cœpit inter amoris lacrymas ad horam illam suspirare ferventius, qua de corporis hujus educti custodia dulcissimo nomini ejus plenissima posset voce confiteri. Tanto autem immodicæ hujus cupidinis æstu torrebatur Raymundus, ut dum sese corporis hujus nexibus ab amati præsentia adverteret detineri, ab se alienatus, palpitantis cordis concitatione motu, tantum non expiraret.

X. S. Theresia, quoties horæ signum dabatur, interna quadam voluptate is eam demulcebat sonus, quod hoc sibi pacto Deum crederet propiorem reddi. Imo vero retinere se ipsam non poterat, quin mortem ab Altissimo ardenter expeteret; accidit autem Salmanticæ, cum in aliarum Monialium ageret contubernio, carmen quoddam spirituale ab aliqua concini, cujus hoc erat Exordium: Videant te oculi mei, suavissime atque optime Jesu, cur hic statim non morior, quo illico tantis affici cœpit excessibus, ut velut exanimis efferenda cubiculo esset, atque in lectulum reclinanda; fuitque hæc piæ mentis alienatio tanta, ac diuturna, ut etiam die postera sui quodammodo impos manserit, & totamente absorpta. Alias ipsa amoris quoddam canticum composuit, cujus versus intercalaris hic erat: *Ribera l. 4. c. 10. vitæ.*

Vivo, non vivendo in me,
Et tam sublimem vitam spero,
Ut moriar, quia non morior.

XI. De B. Maria Ogniacensi scribit Laurentius Surius, vitæ exitu imminente tanto cordis jubilo eam exultasse, ut præ animi sui lætitia, trium dierum spatio, ac noctium, canendi finem nullum inveniret, usque eo, ut fauces ravim contraherent, nec cantui jam sufficere possent. *Surius in vita.*

XII. Stephaniam Soncitatem tradit Joannes a S. Maria paribus ad mortem votis anhelasse, non tam amore videndi Deum Deorum in Sion, cujus dies una in atriis ejus super millia, quam omni se metu liberandi, quo offendere timebat eum, quem tantopere diligebat; unde fieri amabat, quoties de morte alicujus nuntium acciperet, sacra quadam torqueretur invidia, doloreque tabesceret, quod se privatam eo bono conspicaretur, quo alium morte obita affectum inaudisset.

XIII. S. Catharina Genuensis totius vitæ decursu, maxime autem supremo biennio, tanta hinc emigrandi cupiditate exarsit, ut animus sæpe a sensibus alienatus videretur; mortem vel ut rem aliquam ratione præditam nunc alloquebatur dulcius; nunc questus suos coram exponebat acerbius, nunc crudelem vocitans, numquid, ajebat: O mors, quavis tigride crudelior es, quæ tui me desiderio tantum affligi permittis? Nunc iterum emice blandiens varios honorum titulos comminiscebatur, quibus velut aureis quibusdam officiis amasiam demereri gestiebat. Quam pulchra es, inquiebat, amica mea, quam pulchra es, quam decora charissima, tota, tota es desiderabilis: Unum est unum inquam quod te desicit. *Vit. c. 7. c. 7.*

Non

Heu quod surda cupidos averteris aure,
Et flentes oculos claudere sæva negas.

Dicebatque, si rei cujuspiam in hoc mundo libera sibi relinqueretur electio, mortem sibi primam & ultimam futuram, quam eligeret, cum ea sola atque unica foret, quæ cæli aditum aperiret: neque hoc se falli sensu existimabat, cum vitam hanc velut orci carcerem haberet, qui captivam animam suam in corpore vero ergastulo, languentem cruciaret.

Pet. Cantipratius in St. German.

XIV. B. Godefridus olim Comes Campergensis, consobrinus Henrici IV. Imperatoris, conjuge salutaribus adhortationibus permota, ut sacrum & ipsa velamen acciperet, Præmonstratensium Ordinem ingressus fuit, ac paulo post tanto moriendi desiderio affici cœpit, ut præter cælestis illius fontis aquas sitire nihil aut desiderare quidpiam videretur, adeo ut sæpe sociis ejus in itinere quiescentibus, supinus ipse jacens, manus & brachia componeret, uti solet funus componi, dum exequiæ celebrantur, & magno cordis suspirio exclamaret: O! si veniat hora illa nostri transitus! O! si ad hanc horam aptare ac præparare me Domine digneris! Cumque in ætatis flore ad exitum vi morbi raperetur, dolentibus & ubertim flentibus, qui adstabant, quamobrem, inquit, pœnitentiæ habitum induimus, nisi adspectantes, ut, quam primum liceat, evolemus ad Christum: optandum profecto mihi est, ut breviori, qua possim via, ad cælum conscendam.

INDUSTRIA III.

SS. Eucharistiæ Viatico muniri.

Conc. Nic. I. can. 13. S. Cypr. ep. 54.

XV. Hæc industria singulariter a Concilio Nicæno commendata est dicente: De his, qui recedunt de corpore, antiquæ legis regula observetur, ut si forte quis recedat ex corpore, ultimo, & maxime necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. Et S. Cyprianus, quos excitamus, ait, & hortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, sed protectione corporis, & sanguinis Christi muniamus, & cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra adversarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus; hinc plurimi specialiter hac industria, nec sine miraculo sunt usi.

Eusebius in vita.

XVI. S. Hieronymum scribit Eusebius sub vitæ finem, dum viaticum sumeret, se in terram abjecisse; tonsoque pectore, lacrimisque ubertim fluentibus, vivifico Sacramento refectum fuisse.

XVII. S. Augustinus viaticum sumpturus sic illud salutavit: Ave principium nostræ creationis, & reparationis: Ave sacrificium nostræ reconciliationis: Ave antidotum nostræ curationis: Ave viaticum nostræ peregrinationis: Ave solatium nostri laboris: Ave refugium nostræ tribulationis: Ave præmium nostræ expectationis.

Canisius l. 2. de Deip. c. 17.

XVIII. Hos imitatus S. Thomas Aquinas illustrem nobis suæ pietatis memoriam reliquit, qui cum ingravescente morbo sentiret paulatim se viribus destitui, pie admodum sacrosanctam sibi petiit Eucharistiam exhiberi; ut autem allata fuit, tametsi fractis jam viribus langueret, humi se prostravit, cum lacrymis & admirabili pietate Dominum adorans, atque ita viatico refectus est.

XIX. David quoque primus Scotorum Rex, cum vitæ terminum adesse sentiret, indignum se reputans, ad quem Christi corpus deferretur, duobus innixus sacerdotibus in templum venit, mox in genua procidens Christi corpus fide integra suscepit.

Bar. Lat. Scot. hist.

XX. Accedit Joannes Hunniades Hungariæ Rex, ingens ille Turcarum, hostiumque terror, quem Æneas Silvius scribit tanta religione animique demissione ad sacrum hoc sumendum viaticum se præparasse, ut cum sentiret extremum vitæ terminum imminere, nequaquam passus sit Dominicum ad se corpus afferri, indignum ratus servum a Domino visitari, sed ipse Dominum adire voluit; cum autem deficientibus viribus suis insistere pedibus non posset, vehi se in ædem sacram jussit, ubi post Sacramenta suscepta, placide vitam exhalavit.

Silvius l. 1.

XXI. Ad Laurentium Mediceum Florentinorum Ducem cum Sacerdos sacrosanctum viaticum deferret, jamque palatio imminere nuntiaretur, ille confestim exclamans, procul, inquit, a me hoc absit, ut patiar Jesum meum, qui me finxit, me redemit, ad usque cubiculum hoc venire. Tollite hinc, obsecro, me quamprimum, tollite, ut Domino ocurram, & cum dicto sublevans ipse se, quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem sustentans, inter familiarium manus obviam Domino ad Aulam usque processit, cujus ad genua prorepens, supplexque, ac lacrymans: tunc, inquit, mitissime Jesu, tu nequissimum hunc servum dignaris invisere; ac mox summa animi pietate eumdem suscepit.

Angelus Polit. l. 4. epist. 2.

XXII. De beatissima Virgine ac Martyre Syracusana Lucia tradit Ado in Martyrologio, quæ ignibus jam facta superior, ac gladio percussa in gutture, tantas martyrii sui impetravit indulgentias, donec Dominici corporis sumpto viatico robustior ad sponsum migraret.

Eyraeus l. 4. 1.

XXIII. S. Maria Magdalena vitam agens in deserto, cum sibi vitæ finem imminere cognovisset, Maximinum Episcopum accersivit, perceptoque ab eo sacrosancto corporis Christi viatico ad cælum migravit.

Ribad. in vita.

XXIV. Ad mortem accedebat Hugo de S. Victore Regularis Canonicus, cum stomachi nauseam non levem patiens, sacratissimi corporis Domini nostri Jesu Christi viatico instrui vetebatur; offertur simulata hostia a Sacerdote minime consecrata, sed Spiritu sancto mentem ægri illustrante, fraudem dignoscit, nec illud corpus esse Domini sui, cui verus ac Catholicus Christianus Sacramentali unione jungatur, exclamat: Ergo vera afferatur, quam cum neque propter stomachi indignationem posse tuto sumere videretur: ascendat inquit, filius ad Patrem, & servus ad Dominum suum. Quibus dictis, & S. Eucharistia disparuit, & ipse vir sanctus Deo spiritum suum resignavit.

Gargon. in vita.

XXV. Fuit juxta Massiliam vir quidam Nobilis,

Bellarm. in Catt.

bilis, ac singulari quadam in SS. Sacramentum prædiius religione, qui, dum gravi detineretur invaletudine, ac sacro muniri viatico unice desideraret, verum propter crebros vomitus ab eodem prohiberetur, adorare suppliciter petiit, quod sumere vetabatur. Paruit Sacerdos, adestque cum sacra hostia, qua dum eum consignare pergit, videt illico pectus ægroti aperiri, sanctamque hostiam e manibus suis evolare in cor ægroti, ac mox in oculis adstantium omnium regredi, comitante anima decumbentis ejus conspectum inæternum beanda.

Vualsinghamus l. c. XXVI. Auctor prætetea est Thomas Vualsinghamus in Hypodigmate Neustriæ, militem quemdam Anglum nomine Philippum de bona Villa, qui sub Ottone Imperatore multis annis militavit, sequentia magno animi sui sensu referre consuevisse: Cum instaret Ottoni dies ultima, morsque præ foribus imminerет, unice petiit Imperator, sacro viatico muniri, quod cum ob frequentes vomitiones fieri nequiret, saltem corpus Domini ad se deferri, & adorare optavit; factum id ex voto; & en, cum brachia diduceret, Christum velut amplexurus, pars ea pectoris, quæ cor obtegit, aperiri visa est, hostiaque e manibus Sacerdotis elabi, & in apertum, patensque cor, tamquam in paratam sibi sedem devolare, ac deinde rursum absque ullo cicatricis vestigio occludi.

XXVII. Mira quoque benevolentia, ac singularis illa Dei erga S. Bonaventuram sub mortem extitit dignatio; subito namque viribus destitutus in tantum vomitu fatigabatur, ut nihil sumptum retinere posset. Nihilominus ex Christiano more desiderabat enixius sacro viatico recreari: abstinuit tamen præ reverentia & periculi causa, jussit tamen corpus Domini adferri, cujus saltem præsentia, cum sumere vetaretur confirmatus, lætius, constantiusque excederet; pixidem quod ciborium vocant, in quo corpus Domini portabatur, lateri admoveri voluit; sumendi desiderium protestatus. Cum ecce sub pixide lateri apposita, in formam rosæ rubentis latus aperitur, qua Christi corpus e pixide in ejus cordis intimum se immisit, nullo post aperituræ relicto vestigio.

In anal. Ord. Servitarum. XXVIII. Juliana ex nobili Falconeritorum familia Florentiæ oriunda cum assidua jejunandi consuetudine, assiduisque vigiliis difficillimum stomachi morbum contraxisset, adeo ut jam cibum nullum retinere posset, læta nihilominus, atque omnibus benigna, unum tamen, quam maxime deplorabat, quod cælesti viatico refici non permitteretur; quapropter morti jam facta vicinior, deferri saltem ad se ciborium petivit: quo adorato, rogavit sibi pectus lavari, dein munda sindone insterni, super quam sanctissimum tantisper Sacramentum quiescere posset: quod simul ac factum est, radiare facies decumbentis, animaque corporeis vinculis excedere visa est, Sacramento nusquam comparente, creditus Sponsus in cælum voluisse comitari sponsam suam.

S. Chrys. l. 1. XXIX. Ut autem horum exemplum, quoad licet imitemur, merito movere potest notatu dignissima S. Chrysostomi sententia sic loquentis: Quidam mihi narravit, non ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod, qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi, cum pura, ac munda conscientia participes fuerint, spiritum efflaturi ab Angelis eorum animas satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum hinc recta in cælum adducuntur.

INDUSTRIA IV.

Suprema unctione mature se ad exitum comparare.

XXX. Quanta in hoc Sacramento eluceat benignitas ac liberalitas Dei, ac Domini nostri, facile intelliget, qui expenderit, quanta hominis infirmitas sit, quantave oblivio, quantæ hostium insidiæ, quaotus furor, quibus ea potissimum hora miser homo expositus est, quæ sane causa fuit, cur a Suario Sacramentum spei fuerit appellatum, quod a Concilio Tridentino hauserat, ubi magnam divinæ misericordiæ fiduciam dicitur excitare. Unde S. Thoma teste, manifestum sit hoc Sacramentum ultimum esse, & quodammodo consummativum totius spiritualis curationis, quo homo quasi ad participandam gloriam præparatur. Unde factum; ut quicumque animæ, corporisque salutem dilexerint, sollicite hoc Sacramentum sub mortem postularint, ac susceperint.

XXXI. Singulari id religione suscepit Vuazo Leodiensis Episcopus, qui morbo ingravescente, cum duobus tantum secreti hujus arbitris corpus lavit, ob reverentiam sanctæ unctionis, ac deinde solemniter inunctus est.

XXXII. De S. Adelardo scribit Surius, *Surius in vita.* cum vitæ termino instante rogaretur, num vellet oleo sancto perungi, erectis in cælum oculis obsecrasse, ut fieret, eoque munitum extendisse manus in cælum, dicendo: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia percepi omnia tui mysterii sacramenta, & nunc quid superest, nisi ut ad te veniam?

XXXIII. Lanfrancus Episcopus infirmitate *Lyraeus de imit. Ch. l. 7. c. 1.* correptus, convocatis ad se fratribus, cum omni pietate extremæ unctionis Sacramentum postulavit, cumque officium peragеretur, sedulus ipse cum aliis respondebat.

XXXIV. Otho Bambergensis laudatissimus Præsul, vitæ præsentis cursu ad exitum rendente, tanta virtute artus fatiscentes, spiritui servire cogebat, ut oleo sacro infirmorum ungendus, non jacenti, sed sedenti id sibi voluerit administrari.

XXXV. B. Maria Ogniacensis, dum B. V. præmonente, extremam unctionem acciperet, omnes præcipue affuere Apostoli, & eorum coryphœus Petrus, claves illi ostendens, pollicebatur se venienti cæli januam patefacturum. Porro Christus signum crucis, vexillum victoriæ suæ ad ejus pedes defixit, cumque in diversis locis ungeretur, in ipsa Sacramenti perceptione, sancti Spiritus operatio-

ncm

nem cum ingenti singulorum locorum illustratione persensit. Alias dum ea præsente, unctionis extremæ Sacramentum ægroti susciperent, illa Christum cum Sanctorum multitudine adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, seque dom membra ejus ungerentur, quasi in lumine, per totum corpus diffundentem videbat.

Vita l. 3. c. 11. XXXVI. Post diuturnam corporis ægritudinem tendebat ad finem B. Lyduvina virgo, cum vidit Dominum Jesum, non sine sanctissima Matre, ac duodecim Apostolis, & plurimis Angelis ad se ingredientem. Vidit mensulam instructam, & in ea, ceu sacri olei vasculum elegantissimum; crucem quoque pulcherrimam, & cercum valde luculentum, totum cubiculum mirifice collustrantem. Erat tum corpus virginis innumeris doloribus a vartice usque ad pedes oppressum, & acce sentit ab ipso Salvatore sacerdotalibus induto vestibus, loca corporis sui omnia perungi, quæ in morituris sacro olco inungi solent: Utique cælesti magistro reapse discipulam docente, quid eo potissimum tempore & fieri conveniat, & factum conducat.

Ribera l. 2. c. 13. XXXVII. S. Theresia tanto mentis ardore poposcit, tanta raverentia accepit, ac denique ipsa ad orationes singulas rite respondit, susceptoque denique Sacramento iterum supremo Numini gratias maximas, egit, quod in Ecclesia emori concessisset, identidem illud rapetens, tandem, Domine, Ecclesiæ sum filia.

Auct. vit. XXXVIII. Margarita de Arbonse ax Ordine S. Benedicti religiosissima Abbatissa, quæ sub ultimum vitæ tempus interrogata, an vellet sacro oleo innungi? ita, inquit, quam maxime, atque ex imo corde flagito; verum ad conscientiæ suæ arbitrum conversa: effectus unctionis hujus, quæso paucis edoca: quibus intellectis, adstantium precibus se commendans, uncta fuit, ad singulas sensuum unctiras, de peccatis, quæ aliquando per eos irrapserant, veniam quam demississime postulans.

In vita S.Jo. Dei. XXXIX. Quantopere varo noceat neglectus hujus Sacramenti, colligitur ex sequenti facto in vita S. Joannis Dei narrato. Decumbebat in Granatensi nolocomio, cujus curam Joannes gerebat, æger aliqois, cui sanctus extremam dari unctionem volebat: deprecabatur autem aam infirmus, needum afferens tempus venisse; valde enim mortem horrebat, Joannes na afflicto adderet afflictionem, annuit. Interim absente Joanne moritur, dumque eum cum suis religiosis sociis terræ mandaret, levavit se, & dixit clare, propter neglectam extremam unctionem ad annos se omnino viginti piacularibus flammis addictum esse.

INDUSTRIA V.

Animo ad mortem prompto vita excedere.

Tauler. XL. Quantopere hæc industria conducat ad mortem pie oppetendam, dilucide ostendit Taulerus ita loquens: Nullum exercitium in extremis utilius esse potest, quam ut quis Christi exemplo seipsum ex integro divinæ voluntati resignet: Fieri enim nequit, quin is qui ejusmodi vera perfectaque resignatione, cum sancta erga Deum fiducia ex hac luce discedit, confestim ad cælestia regna pertingat. Nam sicut omnino nihil pœnæ, nihil ignis purgatorii in Deum cadere potest, ita nec in hominem, qui eo modo per voluntatis cooformitatem, amoremque Deo unitus ast, dicens assidua cum Vate regio: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Psalm. 56. 8. hoc ait, axplanante Bernardo: Paratum ad secunda, paratum ad adversa, paratum ad sublimia, paratum ad humilia: addo ego paratum ad vitam, non alio fina, quam ut perfectior evadam, ut pro peccatis faciam satis: paratum ad mortem, ut finem peccandi inveniam, & felix amandi te initium ducam. Et fundamenti quidem loco, cui præcallans hæc, excelsaque virtutis machina innitatur, nostra, inquam, cum divina voluntate conformitas exurgat, requirunt Doctores, mortis nuntium imminentis, ea animi æquabilitate, & sensu a denuntiante suscipere, qua solet res maxima, longeque gratissima inter homines acceptari, cum certum sit, nullum in terris majus atque excellentius ab amico posse beneficium expectari.

XLI. Grande hoc mysterium non ita pridem, persona quædam pia ac prudens, quæ morti jam ex gravissimo quodam lapsu facta vicinior, dum multorum precibus ad concipiendum pro impetranda sanitate votum, instantius urgeretur, nullam, inquit, divinæ voluntati vim fecero. Dominus est, quod bonum videtur in oculis suis faciat. Aureum dictum! *Id. Ep.*

XLII. S. Bernardus de fratre suo Gerardo sic scribit: Accitos sum ego ad id miraculi, videre scilicet, eaultantem in morte hominem & insultantem morti. Ubi est mors victoria tua? obi est mors stimulus tuos? jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, & moriendo cantat, usurpatis ad lætitiam mater mœroris, usurpatis ad gloriam, gloriæ inimica, usurpatis ad introitum regni porta inferi, & fovea perditionis ad inventionem salutis, idque ad homine peccatore. Juste nimirum, qoia tu inique, in hominem innocentem, & justum potestatem temerariam usurpasti: Mortua es, o mors, & perforata, hamo quem incaute deglutisti, cujus illa vox est in Prophetis, o mors, ero mors tua, morsus tuus ero inferne, illo, inquam, hamo perforata transeuntibus per medium tui fidelibus latum, lætomque exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat, larvalis effigies, Gerardus per medias fauces toas transit ad patriam, non modo securus, sed & lætabundus, & laudans. *S. Bern. 126. in Cant.*

XLIII. Decumbere cœperat ex gravi morbo Stanislaus Hosius Cardinalis Varmiensis; cum ad audiendum Episcopum, publicas pro salute ejus preces, supplicationesque instituisse, magnas, inquit, gratias ago Episcopo, & virginibus istis, atque omnibus qui pro me miserrimo peccatore solicitudinem istam cœperunt, scioque magnum pondus habere apud Dominum castarum Virginum, & innocen- *In ejus vita.*

centium puerorum orationes: sed nihil aliud ego volo, quam quod tu vis Domine, fiat voluntas tua: ne momento quidem temporis vivere cupio, ultra quod constituit mihi Dominus. Paratum cor meum, paratum cor meum.

XLIV. Philippus II. Hispaniarum Rex in fatali morbo, divinæ voluntati devotissimus, illa Servatoris verba, pene infinities repetiit: Pater, non mea sed tua voluntas fiat: cumque ex sacro Evangelista Christi Domini passio ad apostema ferro secandum, prælegeretur, jussit Rex, ad illa ipsa Domini verba; pater non mea, sed tua voluntas fiat, Lectorem nonnihil subsistere. Tanti Regum iste maximus hanc mentem tam sanus, quam æger ac moribundus æstimavit.

Paulus le Jeusne in hist. relat. XLV. Paulus le Jeusne, in historica sua relatione sic loquitur plures in Kebecana residentia Neophytos ægros jam, & gravi affectos valetudine vidimus; quibus persuaderi non poterat, ut suam a Deo deposcerent sanitatem: hoc unum pro omni ratione caussati, is noster pater est; cui non segnis cura de nobis est, ac melius, quid nobis expediat novit: Fiat voluntas ejus. Cumque nostrorum aliquis uni eorum forte suggereret, votum S. Josepho faceret, cujus provinciæ tutelæ commissa est, ut meritis suis apud Dominum vitam illi ac sanitatem obtineat, responsum sane non jam Neophyto, sed vetere Christiano dignissimum retulit: morem tibi lubens gessero, sed si meæ relinquere me volueris libertati, unum id confestim postulato, ut eam mihi S. Josephus gratiam impetrasse velit, qua sanctissimam Dei mei in omnibus adimpleam voluntatem. Alias cum vegetus quidam ac robustus adolescens nosocomium perambulans, ad vicinos decumbentes sermonem converteret, peteretque quo pretio similem suæ, valetudinem mercari vellent? eorum unus illico, nec procul accersito responso inquit: Nollem ego profecto vel caput de uno in alterum latus contorsisse, pro universa totius mundi sanitate, bene autem pro absoluta mea ad divinam voluntatis compositionem.

XLVI. S. Gertrudis ex firma confidentia, quam erga Dei bonitatem habebat, sæpenumero mori desiderabat, & rursum divinæ voluntati ita erat unita, ut æque parata esset adhuc vivere, sicuti juxta Dei beneplacitum mori. Ipsa itaque aliquando iter faciens, dum conscenso monte quodam ad decliviora loca decidisset, exhilarata spiritu, dixit ad Dominum: O bone Jesu, quam bene mecum ageretur, si casus iste mihi dedisset occasionem celerius ad te perveniendi! Et his qui aderant percunctantibus; an non formidaret mori, non munita sacramentis, respondit: Ego quidem toto corde opto salutiferis sacramentis muniri, antequam moriar; verumtamen ipsis confidenter præfero Domini mei providentiam ac voluntatem; Et sive subita, sive prolixa morte ille me hinc exire voluerit, voluntas ejus mihi grata erit; nam qualicumque obitu ex hac luce migravero, spero Dei misericordiam nunquam mihi defuturam, sine qua consequi nequeo salutem. Hinc eadem Gertrudis ante mortem suam, Dominum allocuta legitur his verbis: Quamvis, Domine mi, præ omnibus deliciis mihi optabile, & jucundum sit, ut e carcere carnis educta tibi adjungar, si tamen velles me hic manere, eligerem usque ad diem judicii in extrema miseria ad laudem nominis tui degere. Quam voluntatis resignationem Dominus gratissimam habuit.

XLVII. S. Lyduvina omnigenis exercitata doloribus miserandum sui spectaculum dedit, ac velut omnium fere morborum conducta domus, cui mors ipsa imminebat habebatur ab omnibus, adeo tamen in Domino voluntatem suam defixerat, ut nihil interim neque cogitare neque dicere, neque facere, meditato liberet, quod cum divino minus congrueret, arbitratu, fertur cum Hussitarum regulo frequenter suspirasse: Hoc mihi Domine, acceptissimum erit, ut affligens me, dolori non parcas, cum tuæ voluntatis executio summa mihi futura sit consolatio.

XLVIII. Faustina Virgo, quæ posteaquam longis valetudinibus ac perpetua tabe ita esset exhausta, ut vix pelle ossa continerentur: roganti Patri spirituali; an satis adhuc dolorum esset? minime gentium, inquit, addiditque si vel efformato leviter crucis signo febrim, sanguinisque excreationem, qua conficiebatur, abigere posset, se manum, digitosque non esse moturam. *Cacciaveta in vita*

XLIX. Maria Princeps Parmensis, quæ cum ad eam felicitatem maturesceret, quæ fœminam beare potest, longa primum tabe acerrime consflictata, mox a Medicis conclamata fuit. Suprema itaque incumbente necessitate admonentibus, qui excedenti Principi aderant, ut a Christo Domino, cujus in cruce suffixi, atque trajecti sigillum ad complexum & oscula Christiano ritu postulatum acceperat, pro veteris pietatis familiaritate ampliationem postularet: egone inquit, respondit, ab hoc Deo meis sceleribus tam indigne habito, ullam a supremis hisce doloribus vacationem audeam postulare, non faciam, hic enim morientis Salvatoris habitu me patientiæ admonet, atque imitationis. Recte ergo concludit S. Hieronymus dicens: amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, & laqueis sæcularibus exolutos Paradiso restituit & regno cælesti.

INDUSTRIA VI.

Imminente morte totum agere cum Deo.

L. Hanc ob causam Christus eclypsis trium horarum fieri curavit, ut ante mortem cum cælesti Patre accuratius ageret, usque omnes suprema illa hora & solos esse, & soli omnium servare nos ipsos, quem ex omnibus nobis elegimus, edoceret, ut S. Bernardus notavit. Nec desunt plura hujus Industriæ exempla.

LI. S. Augustinus, ut supra dictum, morbo lethali correptus ante dies ferme decem, quam exiret e corpore, ne quis ad eum ingrederetur, nisi iis tantum horis, quibus medici ad eum inspiciendum intrarent, vel ei refectio inferretur, postulavit. *Possid. in vita.*

LII.

Jo. Molanus in vita. LII. Grimaldus Abbas Wintoniensis sacrosancto viatico jam instructus, a fratribus petiit, ut solus per triduum ad iter suum parandum relinqueretur, quo tempore in contritione cordis & lacrymarum imbre se Deo immolavit. Quarto autem die fratribus ad se revocatis, iisque bene precatus excessit.

Julius Sansed. in vita. LIII. Ambrosius Sansedonius infirmitate ultima correptus, ne a contemplatione divinorum impediretur, medici tantummodo visitationem admittebat, eademque de causa sæpius ad parietem se convertens, quietus orabat. Morti proximus advocatis patribus, ac fratribus vale ultimum dixit, magnaque admodum pietate spiritum dedit.

Marian. in Chron. LIV. Dominicus de Sancto Severino in Picenis magnæ virtutis Ascetes triduo ante obitum noluit a quoquam visitari, sed dictum omnibus voluit, se in animæ suo negotio occupatum esse, toto autem illo tempore ad mortem feliciter obeundam se expediens, tandem in Domini sui manus spiritum resignavit.

In vita. LV. Camillus de Lellis vir in ægrotorum subsidium factus, postquam sacro esset viatico refectus, noluit postmodum ullos in conclave viros nobiles admitti, dictitans, cum mors dumtaxat semel oppetatur, ut bene oppetatur, in primis curandum esse.

S. Ant. p. 3. tom. 15. c. 21. LVI. S. Elisabeth Thuringiæ Principis vidua correpta infirmitate, ultimum ante diem sui obitus tertium, jussit omnes cubiculo excedere, qui ad ipsam visendam convenerant, nullosque imposterum admitti volens, cupio, inquiebat, tumultus externi vacua meminisse judicis mei, terribilisque censuræ, quam per brevi habeo subire.

Brugm. in vita. LVII. B. Lydwina Schedamensis virgo Thaumaturga morti proxima Dominum rogavit, ut sola sine ullius mortalis solatio spiritum reddere posset. Et voti compos facta fuit. Quando igitur migrandi tempus advenisse intellexit, obnixe amicos omnes, uti recederent, obsecravit, si inveni inquiens, ullam apud vos gratiam, quæso, ut hac die patiamini me solam manere, unico apud me relicto nepotulo meo, per quem indicabo, si quid a vobis mihi præstari velim. Illis itaque abeuntibus cœpit virgo exitum suum Domino commendare, cumque subinde gravibus calculi doloribus urgeretur, neque jam loqui amplius posset, accersivit puer sacerdotem, & alios; sed accedentes in agone constitutam invenere, de quo illo mors victrix ad palmam feliciter evolavit.

In vita. LVIII. Venerabilis Joanna Annunciatarum Virginum fundatrix vitæ suæ mortalis exitu appropinquante claudi jussit cortinas suas, quasi lucem mundi hujus vitæque excludens, ad aliam maxime aspiraret, hoc præcavens, ne illius tenebræ hujus radios offuscarent. Nec opinione sua Princeps optima falli, fraudarique visa fuit; mox enim in sua hac solitudine ad Deum conversa, vidit lucem quamdam de cælo in pectus suum descendere, ac substare, qua suavissime expiravit.

INDUSTRIA VII.

Psalmis, & hymnis concinendis diem ultimum obire.

LIX. Quamvis id, quod suos olim docuisse Salvator auditus est, oportet semper orare, & non deficere, universum vitæ nostræ curriculum complecti debeat, præcipue tamen ejusdem terminum spectare mihi semper visum est, quando & ejusdem necessitas præsentior, & utilitas solet esse præclarior; quod Siracides Eccl. 18. his verbis testatus est, dicenss non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum, q. d. nec timor, nec pudor te abstrahant ab orando, quo usque vita comite id poteris præstare; ut idem tibi, & vivendi finis sit, & orandi; quamdiu namque halitus tibi supererit, tamdiu ex oratione fructum capies immortalem, quem denegare ille non poterit, qui se invocatum adfore promisit in tempore opportuno.

LX. Præbuit in hoc exemplum clarissimum Christus, qui teste Apostolo in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis obtulit. Et homo per ignaviam id negliget, quod Deus tanto affectu præeundo monstravit? *Heb. c. 5.*

LXI. S. Nicolaus Myrensium Antistes cum intelligeret, suæ migrationis horam adesse, in hymnos, & orationes diffusus, in cælum suspexit, & cum Angelos sibi occurrentes intueretur, Psalmo illo pronuntiato: *In te Domine speravi*, usque ad eum locum, *in manus tuas commendo spiritum meum*, omni lætitiæ significatione adstantibus vale dicto, in cælum abiit. *Sur. 6. 1.*

LXII. S. Franciscus Seraph. appropinquante mortis hora ipse, uti potuit Psal. 141. pronuncians, nempe: *Voce mea ad Dominum clamavi*, in eo versiculo, me expectant justi, donec retribuas mihi ad æternam retributionem in societate justorum percipiendam, commigravit. *S. Bon. in vita.*

LXIII. Sanctus Augustinus, ut supra dictum, mortem sibi sentiens imminere, septem sibi Davidicos Psalmos, quos a pœnitentia nominant, describit, & ad proximum lecto parietem jussit affigi, quos magna pietate lacrymis diffluens, legebat. *Poss. in vita.*

LXIV. S. Petrus Cælestinus morte appropinquante Psal. 150. instar cygni decantans, ultimis ejus verbis, *Omnis spiritus laudet Dominum*, mortuus est. *Petr. de Alliaco in vita.*

LXV. B. Albertus Carmelita, qui prope adesse cernens extremum suæ vitæ diem Psalmum exorsus est 53. *Deus in nomine tuo salvum me fac*, cui adjunxit trigesimum, *In te Domine speravi*, quibus dictis anima ejus instar columbæ candidissimæ visa est in cælum tendere.

LXVI. S. Archiepiscopus Antoninus febri correptus ultima, crebro audiebatur iterare postremum Psalmum, *Laudate Dominum de cælis*, quo in omni vita plurimum oblectari con- *Vincent. Mainard in vita.*

consueverat; si quid vero a psaliendo cessasset, complexus crucifixi imaginem tanto ardore osculabatur, ut, qui aderant, a lacrymis se continere non possent.

Molan. de gestis Pontif. Leod. LXVII. Sub extremam vitæ suæ horam, S. Hubertus Leodiensium Præsul viso dæmone sibi terribilibus minis illudente, Psal. 90. *Qui habitat* concinere cœpit, quo stygius nebulo depulsus procul abscessit.

Tritius An. 5. LXVIII. Adversa, eaque ultima valetudine correptus Sanctus Burchardus Herbipolensium Episcopus, tardantem, & migrare formidantem animam hortabatur, psalmographi canticis nempe Ps. 40. & 41. *Quemadmodum desiderat*, & Ps. 83. *Quam dilecta tabernacula tua*. Atque ita alacritate maxima spiritum exhalavit.

Baron. tom. 7. LXIX. Carilephus Abbas Madoalensis morti proximus, expansis in cælum manibus, hilari facie concinere cœpit illud Ps. 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, & illud Psal. 30. *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, sacratissimoque viatico munitus adjecit, ex Annæ cantico: *Confirmatum est cor meum in Deo meo*, inter quæ verba gaudens emisit spiritum.

Sur. t. 3. LXXX. Margarita Virgo Hungarica Ecclesiasticis jam munita sacramentis, ubi extremam diei horam, qua se morituram prædixerat, venisse cognovit, Psal. trigesimum concinere cœpit, *In te Domine speravi*, cumque dixisset, *in manus tuas commendo spiritum meum*, felicem animam in cælum transmisit.

Silvan. Razzius. LXXI. Verdiana Virgo ex ordine Vallis umbrosæ, dum in eremo triginta annos vixisset, diem supremum sibi instare cognoscens, Psalmos a pœnitentia vocitatos, genibus nixa recitare cœpit, ac tandem anima Deo reddita eo situ genibus flexis, & manibus ad cælum elevatis permansit.

Julius in vita. LXXII. S. Francisca Romana febri correpta dissolutionem corporis sui in horas singulas exspectabat, cum videns sibi aliquid etiam virium superesse, vespertinas Deiparæ preces voluit recitare, movebantur labia piæ matronæ, sed verba distincte audiri nequibant, quare dum sacerdos, quid ageret, inquirit, illa spiritum, qui minimus certe supererat, magno risu colligens, respondit, se numquam, ex quacumque infirmitate decumberet, officium B. V. intermisisse, cumque tunc foret vesperarum hora, eamdem in ultima vitæ periodo recitandis precibus, uti par erat, transigere voluisse.

INDUSTRIA VIII.

Sui ante discessum bene precari, & salutaria, monita dare.

LXXIII. Magno hic omnibus exemplo Salvator fuit, qui paulo antequam in agonem descenderet, *filioli inquit, adhuc modicum vobiscum sum: quo ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 13. 32. Mox sublevatis oculis in cælum *Pater sancte, inquit, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi; ut sint uni sicut, & nos: non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, sanctifica eos in veritate.* Quem non pauci ex sanctis hominibus sunt secuti.

LXXIV. S. Bernardus moriens hæc tria vobis commendo, quæ in stadio, quo cucurri, quantum potui, observavi. I. Minus sensui meo, quam alterios credidi. II. Læsus de lædente vindictam non experivi. III. Scandalum nemini facere volui, si quando incidit, sedavi, ut potui. *Lyraeus l. 2. dec. 7.*

LXXV. S. Honoratus Areiatensium Episcopus, ultima correptus infirmitate, cum a Præfecto cæterisque magistratibus visitaretur, benedictionem, & monita omnibus impertivit: videtis, inquiebat, quam fragile habemus hospitium, & post multa hanc vobis Honoratus vester hæreditatem relinquit, supremo halitu suo ad hæreditatem vos regni cælestis invitat, nullus mundi hojus amore nimium teneatur, optimum est, ut voluntate quisque id fastidiat, quo se videt necessario cariturum. *S. Hilar. in Vita.*

LXXVI. B. Paulus Leonensis in Britannia minore Episcopus, per Angelum vitæ suæ die intellecto, congregatis discipulis: filioli mei, inquit, novissima exitus mei hora appropinquat, scitis, quæ ostenderim vobis exempla vitæ, & quæ tradiderim dogmata cælestis disciplinæ, hæc facite, & Deus pacis erit vobiscum, quibus dictis elevata manu benedixit omnibus, dicens: Benedictio Dei Patris omnipotentis, Filii, & Spiritus Sancti super vos descendat; cumque respondissent omnes, Amen, in conspectu eorum vitam centenariam cum æterna commutavit.

LXXVII. Amasius Episcopus Theanensis humanæ peregrinationis suæ adesse finem intelligens, civium primoribus ad se congregatis cum monita multa dedisset, suam impertivit benedictionem, dicens: Senui, & incanui, filii mei, conversatus coram vobis, ab hora, quæ Deo placuit, usque ad hanc diem pro animabus vestris nequaquam laborem recusavi, nunc vero Dominus vocat me, cui præsto sum, estote ergo fideles, & operamini in dilectione Dei, & proximi usque ad mortem, & regnabitis in æternum. Benedicat itaque vobis Deus, & opus omne manuum vestrarum de excelso solio fortunet, & crescere vos faciat de charitate in charitatem, ut sitis ante faciem ejus in fine sæculi mundi, & immaculati. *Paulus Regius l. 2. de Nav.*

LXXVIII. S. Dunstanus adveniente obitus sui die, congregatis circa se filiis, de corpore exire properabat, & ecce cum lecto, in quo jacebat usque ad superiora domus elevatus est, sed trabibus obsistentibus, ne ultra veheretur, in terram leviter demissus fuit, idque tertio factum est, cum ad suos conversus, vos, inquit, oculis vestris, quo vocor, intuiti estis, & quo vadam. Nostis viam, qua incessi; nostis opera, quibus insudavi, dum vixi; quapropter breviter vos moneo, si quo vado, vultis venire; qua incessi, non pigeat vos ire; ipse benignus Deus, qui direxit iter meum ad se, dirigat ad omnem voluntatem suam corda, & corpora vestra in pace: Respondentibus cunctis, Amen, in pace quievit. *Bar. t. 10.*

LXXIX. S. Dominicus postquam sibi mortem

tem imminere conspexit, advocatis fratribus, & disciplinæ suæ alumnis, in hæc verba vale dixit, filii, & fratres mei, quos animo impressos circumtuli semper, & porro quoque feram, ecce nunc ultima mihi vitæ linea imminere videtur, quamobrem pro vestro solatio, majoreque Dei gloria secretum quoddam vobis explicabo: hucusque pro sua misericordia Deus virgineam integritatem, quam ex utero matris accepi, servare mihi dignatus est illibatam. Porro quemadmodum effusa fuit adversus me Dei liberalitas, ita confidite filii eamdem vobis non defuturam, sed qui quæstum hunc desiderat, sumptum facere non recuset. Opus est huic thesauro servando vigiliis, precibus, & familiaris cum mulieribus congressus fuga. Nullus integritatem suam periculo committat, quævis occasio satis esse potest ad hanc corrumpendam, nulla major negligentia est, quam quæ propriæ aut alienæ virtutis confidentia fundatur: venerabile, sanctumque castitatis nomen instar vitæ est, quæ facillime amittitur, nec ullo potest modo resarciri. Hinc eos ad amorem Dei, humilitatem ac paupertatem adhortatus, sublatis sursum manibus, dixit: Pater sancte, tu scis, quia libenter perstiti in voluntate tua, & illos, quos mihi dedisti, custodivi, ut nunc commendo eos tibi, tu illos serva, & custodi, ego ad te venio Pater cælestis.

Camil. in antiquit. c. 3. LXXX. S. Romualdus, diuturno jam languore ad extrema perductus, erigens se de lectulo, fratres suos magno istic numero circumstantes putenti sermone est allocutus. Tum summa humilitate inter eum, & fratres, alterna facta confessione, nec non precata peccatorum indulgentia; intimis suspiriis primum summo Pastori commendavit gregem sibi commissum, deinde fratribus valedicens ait: Abite fratres charissimi, & hoc ultimum senis memoriale pro benedictione habetote: In nomine Domini, salus omnium nostri.

LXXXI. S. Theresa moritura sic suas sorores adhortata est: Obsecro vos in Domino, inquiebat filiæ meæ charissimæ, ac Dominæ, ut primævas instituti leges, simul, & constitutiones, quam accuratissime, integerrimeque observetis; simul etiam pravum, quod hæc parum diligens vobis monialis exemplum dedit, neutiquam respiciatis, sed quidquid hoc ipso deliquit, benigne condonetis, orantibus his vicissim matrem, supremum se ut compellaret, aliud dicere noluit, quam ut regularum statuta, & constitutionum decreta ad unguem servarent, superioribusque suis numquam non obedientiam sinceram præstarent, quod ipsa monitum aliquoties inculcando repetebat.

Arnald. in Vita. LXXXII. B. Angela de Fulginio morti propinqua ad adstantes conversa, filioli mei, inquiebat, quæ dico vobis, propter amorem Dei dico, quia non libenter porto sub terram aliquid, quod vobis possit prodesse, placuit divinæ bonitati, dare mihi curam, & sollicitudinem omnium vestri, qui sunt in hoc mundo, & ultra, & circa mare: ego autem custodivi vos, ut potui. O Deus meus, amodo resigno eos tibi, & rogo, ut conserves eos in omni bono, in amore paupertatis, despectus, & doloris, in transformatione, & imitatione vitæ tuæ, & perfectionis, quam nobis verbo, & facto ostendere voluisti. Vos autem, o filioli mei, hortor exhortatione hac ultima, ut studeatis esse parvi, vere humiles, & mansueti, discipuli ejus, qui dixit: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Habete charitatem, sine qua non est salus, nec meritum; neminem judicetis, & si videritis hominem peccare mortaliter, non dico, quod non displiceat vobis peccatum, & quod non debeatis illud abhorrere, sed dico nolite judicare, nec contemnere peccantes, quia judicia Dei nescitis. His dictis, imposuit manum suam supra caput singulorum, & ait: Benedicti sitis a Domino, & a me filioli mei, vos & omnes alii, qui hic præsentes non sunt, & sicut significatum est mihi, & demonstratum a Domino, ita istam æternum benedictionem vobis concedo præsentibus, & absentibus: idem Christus det eam vobis cum illa manu, quæ fuit in cruce clavata.

INDUSTRIA IX.

SS. Jesu nomen ante mortem pronunciare.

LXXXIII. A militibus excubias agentibus vigiliarum verbum tesserarium exigitur, quod si reddant, salvi evadunt; Symbolum tesseraque, Christianorum Dei nomen est, quo omnia fidei mysteria, spei fulcra, charitatis incentiva continentur. Felix, qui, cum venerit Dominus, hanc tesseram reddiderit, salvus profecto evadet, & tamquam verus Christi miles agnoscetur, attestante Joele cap. 2. 3. *& erit: Omnis qui invocaverit:* (quemadmodum oportet) *Nomen Domini salvus erit.* Hinc articulo huic supremo præcipue quadrat sequens S. Bernardi admonitio: *Tristatur aliquis nostrum? Veniat*, inquit, *in cor Jesus, & inde saliat in te os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum, cui enim in adversis diffidenti, jam jamque deficienti, si nomen adjutoris sonuit, defuit.* Id quod non pauci observarunt. *S. Bern. f. 15. in c.*

LXXXIV. S. Ignatius Loyola cum instare sensisset ex hac vita suæ migrationis diem, compositis omnibus, ac manibus junctis, oculis in cælum defixis, Jesum corde, Jesum ore implorans, placido vultu sanctissime ad Dominum migravit. *Rib. l. 4. c. 16.*

LXXXV. Card. Bellarminus ætatis suæ anno 79. cum morte colluctans trigesies summo pietatis affectu sacratissimum Jesu nomen pronunciavit.

LXXXVI. Jacobus a monte Brandono e religiosissima Minorum familia, gravissima, qua corripiebatur, infirmitate ad extrema perductus, sanctissimo Jesu nomine religiose invocato, quos patiebatur, lenire studebat, dolores, unum hoc fratres suos obtestans, ut sibi in auribus istud, quando per se amplius invocare non posset, assidue insonarent. *Histor. Seraph. l. 2.*

LXXXVII. Joannes Dei ut in cætera vita sanctissimum hoc Nomen præcipua veneratione est prosecutus, ita quoque in extremo ejusdem mar-

margine positus, id ipsum est contestatus, dum in genua provolutus voce magna exclamavit: Jesu, Jesu in manus tuas commendo spiritum meum, & expiravit, corpus vero ut erat flexis genibus innixum, ita, & remansit.

Lyraeus l. 6. Vita 27. LXXXVIII. De S. Hugone a S. Victore scriptum invenitur, tria hæc in votis habuisse, I. Ut cibus ultimus esset SS. Eucharistia. II. Ut ultima ejus cogitatio, seu meditatio esset de passione Domini. III. Ut ultimum ejus verbum esset dulcissimum nomen Jesu.

LXXXIX. Catharina Bononiensis paulatim deficientibus viribus, vultu pulchriore, ac lucidiore apparente, adstantes omnes aspexit, deinde sanctissimum Jesu nomen tertio invocans, brevi suspirio spiritum reddidit.

XC. S. Mechtildis in mortis agone constituta, nihil dicebat aliud, quam Jesu bone, Jesu bone; quæ verba sæpius replicabat. Cum ecce instante morte apparuit illi Jesus, invitans eam suavissime: Veni benedicta patris mei, posside regnum.

XCI. Theodoricus Canisius Petri frater, merito Pater a Jesu Maria nuncupari potest, a singulari cum his beatissimis nominibus conjunctione, ultimisque divitiis. Hunc ad se visendum Friburgum venientem Petrus ita est allocutus: vide Theodorice: quid mortis meæ nuncius sit tibi allaturus. Lucernæ mensæ assidente cum aliis Theodorico Petri Canisii mors, uti solet, legitur. Tum Theodoricus apoplecticus repente factus, omniumque omnino oblitus est, etiam legendi, & sui nominis atque loquendi: Hoc tamen occasu memoriæ, ne tota illi memorandi facultas occidisse videretur, Theodorico Jesus, Maria semper in mente, & lingua, fidelis, & ultima salutis tessera ita hæsit, ut qui nec suum, nec aliena nomina tenebat, teneret nomen Jesu, & Mariæ, quique alia pronunciare non poterat, hæc duo ex integro pronunciaret, reliqua turbate omnia, & confuse, ista sancte. Litteras ex integro se iterum velle discere innuebat: sed frustra erat. Libello ergo precum grandi charactere Jesus Maria inscribi sibi voluit, atque hæc duo tantum legere, & voce exprimere poterat. Legentes tamen audiendi avidus fuit, usque dum ultimo vitæ biennio oe id quidem assequeretur, quod legi audiebat. Manus illi ad omnia vel errans, vel prorsus inutilis: formando tamen crucis signo frequens, & apta erat, ita septem, & amplius annos vixit semimortuus, piæ certe memoriæ a fidelitate retenti Jesu, & Mariæ nominis, cæterum eorum omnium, quæ retro hæc sunt oblitæ. Extremo demum oleo expiatus vocem Jesus tantum, & Mariæ hactenus addictam in hæc verba conatu magno adnisus expetivit: Ad cælum! ad cælum! Tum linguam suis iterum Jesus, & Mariæ repetendi nominibus aptam reddidit. Manus illi in formando crucis signo elanguere, lingua ad balbutiem usque hebes, jam Jesum, jam Mariam simul, nunc singulos tantum referebat. Jesum dixerat ultimum, cum os, & linguam ad Mariam edicendam componenti, dicto jam Ma, vires ad reliqua defuere. Ita ille in ipso illius nominis medio elinguis toto viginti, & amplius horarum spatio animam duxit, Angelum vocabant ii, qui candidos illius mores longo usu experti amabant: Jesum dixit, Mariam dicebat, cum conticuit; reliquum perfecturus in cælo: Ubi Dei æternum memor delectabitur, & in memoria æterna erit justus. In fronte ajunt, post mortem signum crucis, quod antea visum non fuerat, observatum. Obiit Ingolstadii anno ætat. 74. Societatis sub ipso S. P. N. Ignatio initæ 52.

INDUSTRIA X.

Coram SS. Dei Matre, ejusque dulcissimo Nomine invocato, supremum Spiritum exhalare.

XCII. Quantopere etiam hæc industria conducat ad felicem mortem impetrandam sat clare indicat Pius V. dum in Salutatione Angelica, in qua prius tantum dicebatur: Ora pro nobis peccatoribus: addi jussit: Nunc, & in hora mortis nostræ, Amen. Et merito, nam ut S. Bonaventura Virginem hanc allocutus dixit: *Gloriosum, & admirabile est nomen tuum Maria, qui illud retinent, non expavescent in hora mortis; ab invocatione nominis tui intrepidat spiritus malignus, pax multa observantibus nomen tuum.* Quod inde magis confirmatur, quod ipsa S. Mechtildi quondam dixerit: Ego omnibus, qui mihi pie, & sancte deserviunt, volo in morte fidelissime tamquam Mater piissima adesse, eosque protegere ac consolari, & sane non pauci sunt experti.

XCIII. Rex Stephanus, qui Christo Hungaros subdidit, tutelam sibi, regnoque suam æternam castrorum aciem ordinatam Virginem matrem elegit, qui sentiens suæ adesse migrationis tempus, oculos in cælum erigens, ait: Regina cæli, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Clero, & Episcopis, regnumque cum primatibus, & populorum precibus commendo, quibus ego nunc ultimum vale dicens: animam quoque meam tuis manibus committo. *Bonfin. l. 1. dec. 2.*

XCIV. Fuit & Ano Coloniensis Episcopus, qui de obitu suo imminente per visum edoctus, sublatis manibus exclamavit: Sancta Maria succurre miseris, succurre Coloniæ; deinde gloriosæ Virgini, quam videre præferebat, plurimum se commendans migravit ad Dominum. *Lamb. in Chronic.*

XCV. Richardus quoque Cisterciensis Episcopus in Anglia, mortis suæ hora appropinquante ad beatissimam Christi matrem allata ad se ejusdem effigie, corde, & voce se convertens ait: Maria mater gratiæ, materque misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, & mortis hora suscipe, suisque mandavit Capellanis, ut eadem verba ad ejus aures pronunciare non cessarent, atque ita inter suspiria, & Marianæ invocationis verba animam tradidit Creatori. *Sur. in Vita.*

XCVI. Ludovicus Seguratus adolescens Religiosus e Soc. Jesu morbi tempore, qui illi supremus fuit, circum lecticam suam varias Beatiss. Virginis imagines affigi voluit, ut, quam in partem, ipse forte fortuna oculos converteret, dilectæ matris effigiem inveniret, *Annales.*

nec

nec animam suam, alibi melius tutiusve, quam in sinu Virginis deponeret, aut supremum oculorum conjectum alibi felicius, quam in ejus imagine sisteret, cujus præsentia æternum frui desiderabat.

Chronic. ord. XCVII. Fuit in sacra PP. Prædicatorum familia religiosissimus concionator, qui conciones omnes suas narratione aliqua de Virgine Matre claudere solebat. Hic morte imminente, amaria diffluens lacrymis, tristitia magna cor invadente solatium nullum admittere posse videbatur, sed encomiastem suum nequaquam deseruit Maria, ei se visendam præbuit, mœrorem omnem abstersit, & in Jubilum suavissimæ voluptatis commutavit, protractisque cum eo colloquiis, sub finem animam de corpore egredientem tuta statione collocavit.

Guissan. in Vit. XCVIII. S. Carolus Borromæus tria hæc per eam a filio ejus, petivit, I. Lacrymosum aspectum, & dolorosum suspirium Christi morientis. II. Unum ex dolorosis suspiriis, & lacrymosis aspectibus ac gemitibus cordis Mariæ, sub cruce Filii adstantis. III. Ut sibi Virgo succurreret eo mortis articulo, quando cor ejus rumpendum, & anima a corpore separanda foret. Et horum compos factus Carolus fuit.

XCIX. S. Opportuna Virgo, cum diu orasset, ut dissolvi posset, & esse cum Christo, intelligens tandem, se a Domino exauditam, & diem vocationis imminere, dæmonem in cubili angulo adstantem imperterrita aspexit, ac deinde ad ostium domus oculis conversis, ecce, inquit, advenit Domina mea B. Virgo Maria, & extendens brachia, quasi eam amplexari vellet, sancta ejus anima carne soluta est.

C. Decumbebat Vidua paupercula, jam pene cum morte colluctans, rogabatur Parochus, ut supremis sacramentis ægram communire ne gravaretur, impeditus, ille Vicarium misit: & ecce rem miram, videt sanctam viduam super vile stramen humi decumbentem, augustissimam vero Dei matrem, cum splendido virginum cœtu viduæ adsistentem, ac sudorem mortualem sudariolo extergentem. Quid magis maternum? quæ major benevolentia fingi potest? sed, & sacerdoti viduæ confitenti aures daturo, sellam Regina cæli obtulit, & allatum in venerabili Sacramento Deum Filium, mater cum omni virginum choro adoravit. Ita vidua pie sumpto viatico inter Deiparæ sanctissima brachia expiravit.

Nadas. CI. P. Joannes a campis beatæ Virginis Rosarium manibus tenebat assidue. Nullum diem Sabbati vacuum habere sinebat, quin aliquam de B. V. Historiam narraret, sub mortem ad quemdam conversus. O si nosses, inquit, mi Pater, quantum in mortem afferat animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse! Similis huic est illa vox P. Francisci de la Hamajade Dionanti morientis, Incredibile est quomodo ista misericordiæ mater suos clientulos juvet in isto transitu. Ego certe sic ab illa me animatum sentio, ut licet corpore deficiam, animo tamen potentior fiam.

INDUSTRIA XI.

Cum piis ad Christum Crucifixum suspiriis, & osculis obire.

CI. Mirum est, ac fidem transcendere videtur, quod Monardes in historia Indica f. 74. recenset, in Peruvia ramum cujusdam arbusculæ, seu plantæ inveniri, qui certo indicio homini ægrotanti, vel mortem, vel salutem prænuntiet. Si enim superstes homo futurus sit, hunc ramum alacrem, & lætum esse prehensurum; contra, si mœsto animo eum stringat, mortem imminere constat. Adeoque id an. 1562. in domestico Comitis de Nieva mancipio re ipsa comprobatum. Quicquid de rei veritate sit, hoc certum, Ramum crucis, qui lætus arripit, æternæ salutis omen habet; qui respuit, mortis periculum subit.

CII. B. Didacus Complutensis ex S. Francisci familia de proxima jam lætus morte, crucem ligneam, quæ ad caput ejus reposita erat, arcte complexus, & ore sæpissime osculatus, cum ingenti quadam pietate exclamavit: Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera. Quibus dictis animam reddidit. *Ant. Col. in relat.*

CIII. S. Nicolaus Tolentinus paulo ante mortem crucem sibi offerri voluit, ut, inquiens ejus virtute ceu baculo altissimæ potestatis fultus, Jordanem hujus mundi libere transmittere, & ad paradisi gaudia feliciter pervenire possim, allata cruce, in genua, ut potuit, lecto incumbens, & flens largiter dixit: Salve crux pretiosa, quæ digna fuisti portare mundi pretium, quod in te quievit, & fedit, latroni misericordiam imploranti pepercit, Matrem Virginem, Virgini discipulo commendavit: Deumque pro crucifigentibus se rogavit, ille me per te defendet in hac hora ab hoste maligno. *Mombr. tom. 2.*

CIV. S. Comes Elzearius, cum sacro perunctus oleo, varias inter preces, quas coram se fundi jusserat, audiret per crucem, & passionem suam, libera eum Domine, ipse tertio eumdem versum repetiit, addens: Hæc est spes mea, in hac volo mori. *Sur. in Vita.*

CV. B. Alphonsus Rodriquez e Soc. Jesu sacro inunctus oleo, alienatus jam a sensibus, cum in eo statu fere per triduum hæsisset, simul atque a sacerdote crucifixi imaginem accepisset, quasi profundo quodam somno excitus, oculos aperuit, & facie, quæ ante palluerat, in ruborem versa, Christi pedes religiose osculatus est, & placidissime expiravit.

CVI. S. Antonius crucifixi imaginem morte appropinquante, tanto fuisse ardore complexum scribitur, ut a dulcibus osculis dissuavianda non ante finem fecerit, quam vivendi. *Vincent. Max. in Vita.*

CVII. S. Edmundus Cantuariensium Antistes sacro jam oleo delibutus crucem non sine lacrymis complexus, mira pietate Christi vulnera, sed lateris præsertim, crebro, & prolixius deosculabatur illud repetens Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* *Vincent. in Spec. l. 31.*

CVIII. Joannes Aragonum Rex piissimus ad extrema devenerat, cum subito exclamat: O me miserum, & infelicem, qui tam sero fal- *Lucius Marinus l. 18.*

R 2 la-

lucem mundum cognofco: converfus autem ad Chrifti crucifixi imaginem, miferere mei, inquit, clementiffime Jefu, & a peccatis meis faciem averte, illa motus mifericordia, qua hominem a morte per crucem tuam redemifti, atque hæc inter verba crucifixum fæpius exofculans, extinctus eft.

Pet. Ven. l. 4. cp. 17. CIX. Raingrada Mater B. Petri venerabilis poft viri obitum monialis facta, dum gravitet decumberet, crucem cum Domini imagine fibi deferri rogavit. Qua allata, adhibuit ori fuo Dominicam effigiem, & pedes ejus lingua allambens, vultui fuo tota virtute corporis impreffit. Nullam fibi gloriam, nullam fpem fupereffe falutis afferens, nifi in cruce Domini fui. Cumque expleta oratione circumftantes a vultu ejus imaginem Domini amovere conarentur, quid vultis, inquit, auferre Dominum meum? permittite eum mihi, quamdiu vixero, ad quem ftatim fum moriens tranfitura. Ita Chriftum in cruce illa videre fe reputans, ab amplexu ejus divelli non potuit, donec fuam in manus illius animam confignaret.

Lopez to. 4. lib. 5. c. 54. CX. V. Joanna de Cefpes ex Ordine S. Dominici, dum agonem fuum ingredienti crucifixi effigies pro more præfentaretur, fixis eum Joanna luminibus intuens, te Chrifte, inquit, obteftor medullitus, ut divini fanguinis tui guttam, vel unicam ex folvendis mihi debitis largiaris, qua cælefti tuæ Juftitiæ faciam fatis: Vix finierat, cum luce palam vifa, & fanguinis gutta, ex vulnere lateris Chrifti, recto curfu in pectus Joannæ delabi. In cujus rei memoriam, eadem illa Chrifti patientis effigies, etiamnum in loco ifto honorifice confervatur.

Jo. Bapt. Rossi in triumpho div. grat. p. 2. c. 18. CXI. Antonius Ubaldinus ex Ordine Jefuatarum videns benedictam inter mulieres Virginem Angelorum cohortibus ftipatam ad fe defcendere, ecce clamabat, dilectam Dei Matrem, ut animam meam in cælum evehat, & quia furgere per infirmitatem non poterat, fuper lectulo fe fe erigens brachia in crucem componit, ac poft fuaviffima cum fancta parente colloquia, hilari vultu fpiritum ab ipfa in finu collectum emifit. Venæ vero ita firmiter invicem adhæfere, ut diftrahi nullo conatu potuerint, nimirum fignaculum, quod fuper brachium vivens pofuerat, mortuus conftanter retinuit, & crucem, quam vivens tulerat, ne quidem in morte deponere voluit, manfit autem per dies tres in defuncti cubiculo talis, ac tam fuavis odoris fragrantia, qualem nulla aromata, florefque in noftra mortalitate referre, nedum valent exæquare.

Lopez t. 4. l. 1. c. 41. CXII. Maria Maldonata alias de Purificatione dicta, hora mortis fuæ imminente, crucifixi iconem manu accipiens, Chriftum enixius orare inftitit, ut gutta una pretiofi fanguinis fui tanta copia e confoffo latere profufi os fuum, labraque reficeret; fiti namque ardenti torrebatur, cum ecce in confpectu omnium Chriftus avulfis de cruce manibus virginem amplexus perfoffum latus ori illis applicuit, fic unde expleturus, quod ipfa ante guttam fieri defiderarat: quo divinæ benignitatis habito teftimonio, læta expiravit, fubfecuta cæli muficæ, fuaviffimoque per totum cubiculum odore diffufo.

CXIII. Coloniæ Nicolaus Luillerius S. J. Novitius dimittendi fui, ac ad nutum obedienter omnia faciendi virtute præcellens, æger tandem ad mortem, a qua ad vitam tranflatus eft, cum doloribus eximie exerceretur a Deo, ab eodem ad illos ferendos, etiam robur accepit, notabili plane ad crucem ferendam invitamento. Vifus eft, inquit, Sachinus, fibi videre Chriftum Dominum prægrandi cruce oneratum, cujus ille veftigia minori cum cruce, majori tamen moleftia fectaretur. Verum cum aliquando vidiffet Dominum gravi fub pondere labentem, & commiferatus vellet in oneris ejus partem fuccedere, fevero ad eum vultu converfus Jefu: qui, inquit, magna, & aliena feras, qui tua, eaque leviora non potes? Hac voce miro amore fuccenfus quam plurima tolerandi, relicto fociis illuftri excelfi pectoris exemplo, ad Idus Julias brevem cruciatum cum æterna jucunditate mutavit. *Nadaſi in pret. cog. mor. c. 9. g. 8.*

CXIV. S. Joannes Cardim Phyficæ ftudiofus 30. ætatis anno vitam cum æterna commutavit, Bracharæ in Lufitania. Huic ægro, & morienti pulcherrima fuit occupatio crucifixus. Diffolvi cum defideraret facileſque fibi cum Deo fore rationes audiret: Ah duram, ajebat, fententiam! Reddere Deo rationem; veruntamen mifericors eft, & cruciatuum mea caufa fufceptorum recordabitur. Mox extremis migrantium facris rite munitus, inter inundantes lacrymis pietatis æftus, etiam eos, qui aderant, qui fpectaculo ad lacrymas permovit, & a Rectore ferio petiit, nudus humi abjectus emori, & mortuus in fimetum abjici ad fepulturam. Mirum illud, & prodigio par vifum, quod narrat ejus vita: Ægro fupremum divina vulnera fuaviante, ipfi Chrifti Domini fignum refixis manibus ac pedibus, ita fe Joanni morienti ultro injecit, ut famulum amplecti fuum, & ejus colligere velle inter poftremos anhelitus animam videretur, & ad mirabilitatem intendit, quod immotis in ipfa cruce claviculis, vix ægre quiverit, iis rurfum inferi facrum fimulacrum. In ipfo ergo crucifixi ofculo placidam animam, quafi e corpore in Jefu vulnera immigrantem, & ab obvio Jefu amplexu exceptam, reliquit. *Nadaſi ib. n. 2.*

CXV. Martino Tuo fuaviffimæ ac promptiffimæ obedientiæ juveni, in Alenconienfi collegio in acerrima morbi vi, feu a mente aberraret, feu fibi conftaret ultimum folatium fuit crucifixus ofculis honoratus. Neque muta fuere ofcula, fed plena teneritatis, dum brevia, fed plena Deo, hæc verba repeteret: Meus triumphus! & ofculabatur, meus triumphus! & iterum ofculabatur, meus triumphus! iterum ofcula, & verba eadem repetebat, & inter hæc felix mors. *Ib. n. 19.*

CXVI. P. Joannes Comblet Hesdinii feria fexta, & fere qua Chriftus hora moriens illud in ore frequenter habuit: Cum crucifixo vixi, cum crucifixo moriar.

IN-

INDUSTRIA XII.

Spiritum suum ante mortem Deo commendare.

CXVII. Ita Christus exemplo prævivit, dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

Luc. 23. v. 46. CXVIII. Imitatus Christum est S. Stephanus sub ipsum vitæ exitum dicens: Domine Jesu suscipe spiritum meum, quasi diceret, ait S. Augustinus: Fecisti me victorem, recipe me in triumphum; illi persequuntur, tu suscipe, illi ejiciunt, tu intromitte: dic spiritui meo: intra in gaudium Domini tui.

Segerus in Chron. CXIX. S. Dionysius Areopagita jam senior ac grandævus annos numerans, decem supra centum post vincula, verbera, flammas, Christiana fortitudine toleratas in crucem actus, dum cruce gravius sensisset deponi de cruce, tandem ad gladium damnatus, jam jam ictum excepturus hæc protulit: Ultimum verbum Domini mei in cruce fit, & mihi ultimum in hac luce, Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

S. Gregor. Naz. or. 20. CXX. S. Basilius, cum vitam suam per regiam crucis viam ad terminum perductam cerneret, ut extremis illam crucifixi verbis signaret præclaris monitis ad omnem pietatem hortatus esset, magno affectu illud Christi ad Christum subjunxit: In manus tuas commendo spiritum meum. Et una cum verbis animam lætus ad crucifixum Dominum transmisit.

Hist. Eremitica l. 1. c. 16. CXXI. Paulus Justinianus Camaldulensis, cum ad extremam vitæ suæ horam devenisset: Adesto jam, inquit, mihi, o bone Jesu, unica spes mea, cui soli vixi, cui uni morior, & suscipe in misericordia tua spiritum meum, quem in manus tuas commendo, quia tu redemisti me, Domine Deus veritatis, quibus dictis requievit in pace.

Idem. CXXII. Petrus Urseolus, cum Venetiarum Dux esset, relicto Ducatu ad S. Romualdum confugiens, monachi habitum ab eo accepit, sub quo dum Creatori suo fideliter deservisset, tandem hora nona, qua Dominus expiravit ejusdem verba ingeminans: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, ad eumdem migravit.

Lucas Tudensis. CXXIII. Ferdinandus laudatissimæ ille Castellæ, & Legionis Rex, morti cœperat esse vicinus, cum præsentibus, lectumque Regium circumstantibus Regni Proceribus, ad Dominum conversus: Tua est, inquit, potestas, Domine, tuum est regnum, tu es supra omnes Reges, imperio tuo regna cælestia ac terrestria subduntur. Regnum, quod a te accepi, quamdiu placuit voluntati tuæ, rexi, nunc ecce id reddo tibi, tantum animam meam de voragine interitus ereptam, ut ad te suscipias, rogo, in manus tua, Domine commendo spiritum meum.

Auctor Vitæ. CXXIV. S. Martha simul ac tempus illud advenisse cognovit, quo vicissim ab illo in cælestem domum excipienda erat, in pavimentum cineribus adspersum, impluviumque e quo cælum contemplari posset, voluit deponi, atque hic sibi manu crucem tenenti sacram passi Domini historiam prælegi jusserit, quam S. Lucas conscripsit: Ventum erat ad ea verba, quæ Christo postrema fuerunt: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, nec plura expectavit, sed ipsa suum Domino resignavit.

Surius l. 4. CXXV. B. Kunegundis Virgo Veromatiensis in agone posita jam sacro Dominici corporis percepto viatico, ex cilicio ac cinere caput erigens: En adsum, inquiebat, Christe, ancilla tua, veni obsecro, Rex piissime, & me benigne suscipe, inter quæ, odore suavissimo illic diffuso, & clarissimo lumine superveniente, sancta illa anima in cælum evolavit.

Id. c. 1. CXXVI. Margarita Virgo Hungarica sacratissimis munita sacramentis, ubi ad extremam diei, qua se morituram prædixerat, horam pervenisset, Psalm. trigesimum decantare cœpit: In te Domine speravi, &c. cumque ad eum versum devenisset, in manus tuas commendo spiritum meum, felicem in cælum animam transmisit.

CXXVII. Fuit Valentiniani anno hujus sæculi vigesimo octavo mulier pia, in obeundis Christi patientis stationibus, dum per valetudinem licebat, plurimum exercitata, quæ cum lecto jam affixa paulatim ad mortem tenderet, quod pedibus nequibat, mente explere studebat: contigit autem die illa, quæ ei suprema fuit, dum solitum urgeret officium, jamque ad Calvariæ montem cogitatione constitisset, in hæc verba linguam laxasse: Huc ergo pervenimus, ubi Servator meus vitam pro me in cruce posuit, adoremus hanc crucem, & si fas est, in ea Domino commoriamur, tibi ergo Domine Jesu commendo spiritum meum. In quibus verbis pie obdormivit in Domino.

INDUSTRIA XIII.

Derelictum a suis vita excedere.

Matt. c. 27. v. 46. CXXVIII. Ita Christus obiit, ut verba illa indicant: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Hinc S. Bernardus dicebat: Habemus Christum a patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, pro patre stantem, sub patre pendentem, sine patre quodammodo morientem.

Metaphr. CXXIX. Alexius ipsa nuptiarum nocte elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tamdiu latuit, dum ab effigie Deiparæ proditus, Romam rediit, in patria domo inops, desertusque moriturus, ubi cum e tanta hæreditate vix ultimum angulum impetrasset, ac septendecim ipsos annos gravia multa a servis patiens, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus, transegisset, mors tandem siparium reduxit, mortuum domestici ignorabant, & vox humana major, Romanum Pontificem, & Imperatorem, & demortuorum excivit, ita qui deseri in morte sustinet, a morte ab omnibus celebratur.

Ferrar. in Catal. CXXX. Alexio nec vitæ ratione, nec mortis genere Joannes absimilis fuit, quem Græci Calybitam a tugurio, quod illi vocant appellare consueverunt. Hic ille est, qui sub mendici specie ad parentes ignotus divertit, tan-

tæque filius familiæ, vix male fartam, tectamque in vestibulo ædium suarum casulam impetravit, in qua cum tres ille annos latuisset, ad superum palatia invitatus accersiri fecit familiæ præfectum, rogans eum, ut Dominam vel tantillo tempore ad se dignetur accersere. Abiit ille, & nuntiavit Dominæ suæ, quod a Joanne acceperat, sed abnuit illa ad eum accedere, quem nec aspicere se posse affirmabat; institit Joannes, & ante mortem, quam imminentem e proximo expectabat, rogat, ni sero pœnituisse velit, accedat. Præcepit tandem pueris suis pauperem illum ad se adferrent. Contectus igitur, adeo ut vix agnosci posset ad Dominam latus est, tum ille: Merces tua inqnit, Domina completa est: pensabit Deus, quod minimo fecisti: mox præsentem jurejurando adigit, velit, jubeat, in pannuceis suis se tumulari, dein sanctum Evangelii librum, quem puer ab ea dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos illi aperit, & ipse suos claudit.

Wading. ad ann. 1259.n.13. CXXXI. B. Juniperus die quadam cum fratribus colloquens, dum inter se de morte confabulantur, quid super hac re sentiret ipse, non obscure monstravit. Dicebat eorum aliquis frequenter a Domino flagito, ut hanc mihi gratiam præstare dignetur, ne extra claustra moriar, sed Christiano ritu sepeliar cum fratribus, qui morienti consilio, & precibus assistant: tunc statim subjunxit Juniperus: Ego cuperem, ut multi essent fratres qui pro me orarent, attamen ita despicabiliter mori vellem, ut non esset, qui mortuo parentaret, imo ita fœtere mallem, quod nullus prope accedere auderet, nec funus pararet, sed tamquam rem abominabilem, & immundam in sterquilinium projicerent, volucribus cæli escam futurum, neque enim in vita, sed neque post mortem homini viii, & indiguo honorem ullum vellem attribui.

CXXXII. Maria Aurillotia restauratrix Ordinis Carmelitarum, dum forte Parthenonis Antistita in eum sermonem venisset, quo de certo mortis genere præoptando disceptabatur, cum statim pro ea, qua plurimum excellebat animi sui demissione, nihil se in morte singulare aut petere aut desiderare velle affirmavit; Si quid tamen sperari possit, optare se eo modo ex hac vita decedere, quo B. P. Franciscus Xaverius scribitur decessisse, videlicet desertus ab omnibus, ac cunctis rebus destitutus, quæ vel solatio, vel subsidio morienti esse possent. Utinam, inquiebat, magno huic Orientis Apostolo, qui Ducis sui ac Domini vestigia proprius est imitatus, vel in morte queam assimilari! ad ultimas devenerat terrarum oras, certus progredi, donec eum vel terra ipsa, vel vita deficeret: sed hæc prior deficere visa est, in deserto peregrini maris littore, in quod ægrotum epibatæ exposuerant, rerum omnium egenus jacebat, nullus, qui dolori medicinam faceret, qui animo solatium adderet, inveniebatur, solo numinis auxilio fretus, sola ejus ope sustentabatur, hoc ego mortis genus omnibus prætulerim, pluris omnibus æstimarim. Antistita hæc audiens, stupere vehementer, nec satis intelligere, quomodo ea potissimum hora, qua vel maxime juvandus est homo humano quis solatio, auxilioque destitui velit. Sed alio collustrabatur lumine Maria, quo clare ac dilucide perspiciebat, quantum in pura illa sufferentia bonum consisteret, unde fiebat, ut fine ulla relaxatione, quæ ex humano subsidio oriri solet, pati, idqne non corpore solum deserto, sed, & spiritu vehementissime desideraret, illis etiam in rebus, quibus bonæ subinde animæ, quam maxime sibi cupiunt esse consultum. Nec minus qnam desideraverat, confecuta fuit, nam eodem illo tempore supra mala plurima, quibus valetudo ejus tentabatur, magna quadam ariditate mentis ac Spiritus affligi cœpit, qua præcipue ab actuali unione cum Deo se præpediri sentiebat: Solent plurimi, etiam in virtutum palæstra exercitatissimi hoc rei eventu non parum turbari, non tamen Maria, quæ tanta animi sui libertate, atque indifferente habitu hæc omnia sufferebat, ut a laude Dei non cessaret unquam, benedicens Dominum omni tempore cum Propheta, ac præludens illi, quam tantopere flagitabat Christi exemplo, ejusque Servi Xaverii, supremo vitæ tempore, omnium destitutionem.

CXXXIII. Fuit & in hac disciplina non male quondam versata B. Virgo Aleydis, ex Cistercienfium familia sanctimonialis, quam ubi tristissima quædam elephantiasis invasisset, necesse fuit, a cæterarum convictu ac societate separare; sequestrata igitur atque in angulum quemdam cœnobii migrare jussa, ubi sola deinceps viveret, aut lenta potius morte consumeretur, gravissima tristitia affligi visa est; se mox Christi Sponsi ducis sui præsidio animos resumens, derelictionem hanc amare *Historia Ord.* eamque præ suavissima mundi totius Societate, etiam cum pari salutis suæ profectu, æstimare cœpit. Et placuisse Numini visa pietas fuit, Christum suum in cruce pendulum ab omnibus similiter desertum videre, ac conspicere velle cœperat Aleydis, cum ecce, qui amantium atque imitantium se facere voluntates solet, visendum se illi offerre dignatus est, atque explicate ostendere, quid ejus causa olim esset perpessus, quo illa tantopere recreata fuit, ut ad extremum usque constantissime perseverarit.

INDUSTRIA XIV.

Testamento legitime, pieque condito decedere.

CXXXIV. Etiam hic exemplo præivisse *S. Aug. f. 45.* Christum (saltem hic de testamento minus stricte accepto sit sermo) testatus est S. Ambrosius dicens: Author pietatis Christus testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Judæis cor- *S. Greg. l. 4. Dial. c. 38.* pus, Patri Spiritum, Virgini paranymphum, latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis pœnitentibus crucem. Hinc S. Augustinus prudenter: Fac, ait, testamentum, dum sanus es, nam si expectaveris infirmitatem, omnino minis, vel blandimentis duceris, quo tu non vis. Nam, ut S. Gregorius asserit, tu-

tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatius quippe est liberum exire, quam per vincula libertatem expectare. Unde non pauci hoc consilium sunt secuti.

Ammonius l. 4. c. 30. CXXXV. Dagobertus Francorum Rex saluti animæ suæ invigilans, sana mente, sanoque consilio convocatis filiis, & turba amicorum, generale indixit placitum; in quo per testamentum filios suos Reges constituit, sed primo loco pro remedio animæ suæ, omnes regni sui Basilicas Sanctorum famosas villarum donationa hæredes fecit, rogans, & obtestans per terribile Christi Nomen, memoriam sui in illis Ecclesiis, tribus in hebdomade diebus fieri, & pro animæ suæ remedio sacrificium offerri salutare.

Lyræus dec. 1. CXXXVI. S. Carolus Borromæus, cum se Anno 1576. ad succurrendum peste contactis accingeret, testamentum condere voluit, quo Missæ sacrificia mille ad animæ suæ salutem offerri, tria mortuorum officia a Clero persolvi, & annum sacrum unum fieri mandavit. Cereos circa funus accendi sex, nec plures, corpus suum loco humili ante gradus summi chori sepeliri jussit. Ecclesiæ suæ argenteam supellectilem, & vestiaria altaris ornamenta, collegio autem Canonicorum Bibliothecam legavit. Amicis ac propinquis, quorum neminem indigentem habebat, præter imagines quasdam pias, nihil. De cætero, præter legata quædam pia hæredes suos Christi pauperes scripsit, quos Mediolani in magno nosocomio degere, alique sciebat.

Ibidem. CXXXVII. Civis quidam Arelatensis, cum hærede necessario careret, ad extrema deveniens testamentum condidit, quo mobilium, & immobilium suorum hæredem statuebat animam suam. Proximi amici testamentum hoc inofficiosum proclamarunt, & irritum, sibique omnia vindicare conabantur. Ad judices devoluta res est, dataque sententia, valere testamentum, ac recte hominem egisse, animamque ejus per manus pauperum adire posse ac debere possessionem legatorum; omnibus itaque dividentis fundatum est hospitale, quod modo in Urbe superest, atque animæ illius censum precum suarum persolvit.

Mart. Ulysip. in Chron. CXXXVIII. B. Elisabeth Hungariæ Regis filia, Turingiæ Princeps, cum pridie, quam decederet, culpas integrarrime confessa, Christum in pauperibus hæredem testamento reliquit, vilem dumtaxat excipiens tunicam, in qua sepeliri corpus suum mandavit.

INDUSTRIA XV.

MISCELLANEA.

Unctio extrema Spiritualis.

Nadasi pret. cogit. c. 6. n. 3. CXXXIX. P. Wolfgangus Gravenegg, præclarum altæ virtutis nomen quotidie, cubitum concessurus, vespertina die totius expiatione veluti sacro quodam extremæ unctionis imitamento usus, in mortuali expirantium situ tantisper supinus, crucem fronti, oculis, auribus, aliisque de more illius Sacramenti, sensibus impressit, additis accommodatis ad singulos sensus verbis. Verum ne tantum externorum sensuum expiatione suam circumscriberet pietatem, frontem cruce muniens internos sensus expiavit in hæc verba: Per istam sanctam crucem, & suam piissimam misericordiam indulgeat mihi Dominus, quicquid memoria, intellectu, voluntate, cogitatione deliqui. Tum ad sensus reliquos accommodata cuivis verborum formula expiandos progrediebatur quotidie providus æternitatis, quam per magna ingentis, ac pretiosis hæroicarum virtutum actibus conditæ patientiæ documenta Omnipotenti ast ingressus.

Confessio frequens in morbo.

CXL. Orepesæ moriens P. Alphonsus Guillermus narrabat beneficia Dei Matris, cujus ope servatus esset in mari, ne in Anglos piratas incideret, solatio illi fuit, quod moreretur ipso Dei Matris die. De illo sic annuæ: Magna lætitia mortis nuncium excepit, Deo grates agens, quod in Societate moreretur. Peracta igitur totius vitæ confessione, ipse die Purificationi Virginis sacro decessit, cum, & in morbo, & antequam in morbum incideret, quotidie bis confiteri ei solemne assat. *Ib. c. 10. n. 15.*

SS. Angelorum præsidium expetitum.

CXLI. P. Recupitus refert, se cum aliis multis Religiosis adsuisse morti cujusdam, ut ille loquitur, boni servi Dei (an de Societate illa fuerit non explicat) qui porrectum sibi ad osculum crucifixum osculari noluit, & aliis, Jesu ac Maria sacra nomina suggerentibus turbato vultu diabolum nominavit. Quæ res merito terrore concussit omnes, donec manifeste e signis certis collegere, illum dæmone nominato indicare voluisse, quod a dæmone prohiberetur, ne posset crucifixum osculari, & Jesum ac Mariam pronuntiare. Quocirca omnis illa religiosa corona in genua procumbens bis petiit: S. Michael ora pro eo; S. Michael ora pro eo; ad quæ dæmon confestim evanuit, & æger facie serena crucifixum sæpius osculatus, sancta Jesu, & Maria nomina in ore habens, felicem spiritum dedit. Fere simile huic est, id quod ii retulere, qui adsuere cuidam ægro nostro crucifixum, ut sibi admoveretur, annuenti, sed eumdem ori admotum postea non semel conspuenti. Hic nostris, ob rem inexpectatam, admiratione, terroreque suspensis, ac ex ægro petentibus, ecquid hoc esset? respondit voce, qua potuit: cupere se crucifixum osculo venerari, sed ait, quoties mihi illum ori admovetis, toties dæmon manum suam crucifixum inter ac os meum interjicit; ut imprimendum crucifixo a me osculum ipse accipiat. Atque illam ego manum conspuo, quam ille mihi præbet, invitatqua ad osculum: non vero crucifixum meum Jesum, quem vos mihi optato porrigitis. Quocirca nostris flagranter omnibus pro ægro in preces effusis, discessit ille animarum hostis: & æger crucifixi sacram imaginem, citra impedimentum est osculatus. En quam insidiosus tunc adest Angelus tenebrarum! Con- *Ib. c. 13. n. 8.*

tra hunc ergo Angeli lucis ab ægro, atque a fanis pro ægro advocandi. In gaudio, inquit, laudatus initio Simeon, & exultatione cum Sanctis proficiscitur anima (quando ced.t a corpore) & Angelis Victoriæ hymnos concinentibus Deo, nec non eam Servatori Christo, & gloriæ Regni offerentibus, ipsumque cum ea simul adorantibus, cum universo cælesti exercitu in quietis locum perducitur, in gaudium ineffabile, in lumen perpetuum, ubi non est mœror, nec gemitus, neque fletus, neque anxietas, sed vita immortalis, & perennis lætitia cum omnibus Sanctis acceptissimis Deo in regno cælorum.

Ib. n. 4. CXLII. P. Emmanuelis de Lis mortem fuisse mortem hominis virtutis plane admirandæ, ajunt Goanæ annuæ. Hic in ipso mortis agone ea signa dedit, quæ, & acre cum inferno hoste certamen, & ingentem animi fiduciam indicarent. Nam, & S. Michaelem sibi contenta voce advocavit, & quod de S. Martino legitur, intrepido animo, & constanti voce, humani generis hostem increpitum ab se abegit. Quid, inquit, quæris phantasma infernale? Non habes potestatem in me, mediante sanguine Jesu Christi. Ad memoriam vero B.P. Ignatii intermortuis vocibus significavit, se mirifice recreari aspectu, quo mox fruiturus erat beatissimæ illius animæ. Quærunt nos, & operam tunc intendunt, quam maxime rebelles ne fidelem fidelium Angelorum manum opponat animus. Possunt isti, & volunt nos juvare, Deum vident, & nos in Deo, ac propter Deum amant: nec minus periti, & accurati sunt in nobis quærendis, quam dæmones in perdendis. Imo plus possunt, voluntque pro nobis Angeli, quam dæmones contra nos.

Omnium Sanctorum invocatio.

Ib. c. 14. n. 4. CXLIII. Alphonsus Rodriquez notum, & sacrum, & coadjutorum Christo militantium legione exemplum, Deiparæ, ac Sanctorum omnium cultor fuit quam maximus. In 24. horas Sanctos distribute collocarat, certosque ex omnibus selegerat, in quorum custodiam diei totius omnes & singulas 24. horas daret: atque ad impetrandam in singulas horas illorum opem, certis precibus utebatur, in beatum cælitum cœtum aliquando inter orandum avocatus, ibique cum illis adeo familiariter versatus est, ut illos nosset, quasi ea in urbe Sanctorum natus, aut a primis annis fuisset educatus; Sub mortem, peractis omnibus, qui itineri illi sacratissime adorando rite usurpantur, post acerrimos corporis cruciatus, & animi turbamenta, triduo ultimo suavissima in malacia quiete pacis jacuit, animo jam in cælum abscondito, qui animæ migraturæ quasi locum parabat. Totus in amabili silentio, vultu venerationis pleno, in pace in id ipsum quiescebat, ultimo Octobris, & vitæ, die cruciatibus iterum reducibus solo Jesu nomine obviam ibat, solatiis plenus. Ita dolorum ac vitæ finem invenit, quasi in cæli limine constitutus, in vigilia diem Sanctorum omnium. Alphonsum sibi jam olim devotum, ac notum excipientium præcedente, festum ipsum cum ipsa civium

Beatorum Societate triumphante celebraturus.

CXLIV. P. Cosmas Alemanus, ut apud universam cæli Rempublicam se redderet gratiosum, ac suavi precum impendio, sibi opem illorum pro morte quasi emeret, collecto ex omni vetustatis, Bibliothecariumque memoria Sanctorum omnium, quot essent catalogo, innumerabilem illum numerum, quo potuit, numero secutus certe, non assecutus, effecit, ut neminem, quoad sciret, ex universa cælitum panegyri prætererit, cujus honori non unam ut minimum Dominicam, & Angelicam orationem dixisset, ut supremæ necessitati suæ fidem auxiliarem manum a S. P. Q. cælesti contra inferos pararet. Morbus illi omni virtute varie cumulatus, utpote, quem ille e Deo multis precibus poposcerit; Ad eminentissimos virtutum actus animum surrigens continenter illud veluti dolorum laxamentum ore hilari versabat, benedictus Deus; laudetur Deus; idque usque ad mortem, quam oppetiit Mediolani. Ib. n. 5.

CXLV. P. Nicolaus Gaudanus magna, & spectabili virtute Vir, ad consideratam tremendi judicis justitiam sub morte tremens, P. Cosero, & aliis, qui aderant, solatia suggerentibus in hæc verba erupit: Trajectus quidem nobis restat terribilis: Sed vos, o Apostoli Domini; vos, o Martyrum agmina, vos Confessorum, ac Virginum candidatarum turmæ, poteritis vestris precibus imbecillam animam ex mari tam turbulento in cælestem portum transvehere, poteritis sane Dei clementia. Mox mysteriorum munimentis exhilaratus, blanda morte, ac veluti subridens, in vitam immortalem solutus est Lovanii.

Cerei, & Reliquiarum Sacrarum usus.

CXLVI. P. Lucas Crasovius primus e Polonis PP. in Societatem admissus, primus eorumdem, cessit e vita. Hic accepto imminentis mortis nuncio, conscientia expiata, reliquisque præmissis, morti jam proximus, eas, quæ Romano in collegio typis datæ sunt, patientis Christi Imagines, accenso sacro morientium cereo sibi præ oculis collocavit, illius instar cerei in divinis obsequiis ardendo, consumi desiderans, & illis aspiciendi alto cum silentio per quartam horæ partem attente, ac gemens, atque suspirans est immoratus. Mox migrantium preces e Breviario ipse indicans, eas recitari jussit, singulisque respondit, in mortem lenem deinde suaviter resolutus. Ib. c. 12. n. 2.

CXLVII. P. Gonzalus de Medretos morti proximum ubi advertit se, advocatis Patribus, & cereo sacro accendi jusso, Credo in Deum Patrem, & reliqua Symboli dixit, fidem professus. Tum, in hac, inquiebat, fide institutus sum, in hac vixi, in hac morior, testorque, si forte aliud in extremo agone excidat mihi, jam nunc indictum, & irritum velle: Et prehenso generose ardente cereo, ut lumen hoc, inquit, oculos illuminat corporis, sic ego credo a Domino Jesu illuminari omnem hominem venientem in hunc mundum, quia ipse lumen verum, & æternum est. Dixit hæc: & plura inflammato sensu addidit, ac demum Ibidem.

Sa-

Sacramentis acceptis, animam dedit, Sanctorum Reliquiæ deliciæ pietatis.

Formulam sodalium aut votorum renovare.

Ib. c. 10. n. 37. CXLVIII. P. Adrianus Pleunius Brugis moriens, optavit ut sibi in extremis posito formula votorum, & formula qua se B. V. sodales dedicant, legeretur.

Voluntatis resignatio.

Ibid. cap. 7. n. 1. CXLIX. Hoc fecit morti se accingens Dux noster Jesus, tertio in terram, & in hæc verba effusus: Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu, Pater mi, fiat voluntas tua: Non quod ego volo, sed quod tu; Non mea voluntas, sed tua fiat; fecit id vitæ ac mortis immaculatæ adolescens Carolus Casarius Bunoniensis, qui innocentiam suam morte innocentium coronavit. Totus ille a Deo, & Dei vices gerenre conscientiæ suæ arbitro pendebat, sanguinem cum spueret, febri etiam urebatur, usque dum sensim iret io cineres. Quicquid fractæ a tot sanguinis egesti libris vires, quicquid sitis acerrima, quicquid medicinæ, atque alia morbo circumstare soleot, affligerent, Carolus in Dei corde, velut in Olympo voluntatis Dei sedebat quietus, nil petens, nil recusans. Indicatam sibi Dei voluntatem adeo adorabat, ot, si forte in lecto sese verteret, si qoies imperaretur, eo se modo relinqueret, io qoo a voce imperantis reperiebatur. Ad vicinæ mortis nunciatæ nooien adeo se in Dei ita volentis amplexum projecit, ut Patri mortis nuncio cum singulari tenerrimæ hilatitatis significatione dixerit, ut Hymnum: *Veni Sancte Spiritus*, Et, *emitte cælitus lucis tuæ radium, &c.* inciperet; incipientem, & præeuntem secutus Carolus, finitum cum Patre Hymnum a capite ipse iterum ex integro repetiit, effusa quadam animi corpori vale dulcissimum facientis exultatione. Ubi crucifixum amplexu stringebat, ibat nunc in oscula, ut abeunti morientis Jesu voluntati, & animæ abeuntem animam alligaret: jam illum pectori, jam cordi, nunc humero, nunc vero capiti imponebat, inter verba ignea, & gestus illos, quales illorum esse solent, qui aguntur a Deo. Pauculis ante mortem horis affirmavit semel, atque iterum, & meditata bene sententia, magno plane auxilio sibi fuisse in via Spiritus, hoc propositum ardenter, & crebrius innovasse, corpore penitus insculptum semper circumtulisse. Volo, volo, divinam voluntatem semper in me perfectissime adimpleri. Spiritum, ajebat, omnem obedientiam, devotionem, omnia denique virtutis nomina, & res ipsas collectas reperiri in una, unicaque Dei voluntate quam exactissime, & perfectissime adimplenda. Addebat se, ut faceret quod vult Deus, libenter in purgantibus flammis usque ad supremum judicii diem, & si ita lubeat in æternum, quam lubentissime passurum, si Deus ita vellet, id quod iterum affirmate repetiit, facturum se amore Dei & voluntatis illius adimplendæ gratia libentissime, seque ajebat probe advertere, quid, quantumve dixisset. De illius virtute, quam e voluntatis suæ cum divina consensione hausit 140. personæ atque has inter Sacerdotes quadragenis plures, eximium plaoe testimonium dedere, seque noonulli divinitus monitos ac permotos affirmavere, ad eximiam de Caroli meritis, gratia, gloria opinionem concipiendam, aut conservandam.

CL. Joannis Ximenii, Coadjutoris, sub mortem interrogati, num abire vellet in cælum, hæc vox fuit: Nihil volo, nisi quod Domino pridie spopondi, ot sanctissima ejus voluntas perfecte fiat. Bene dixit: Nam *melior est misericordia tua super vitas*. Et: *Vita in voluntate ejus.* Ib. n. 2.

ALIÆ INDUSTRIÆ.

CLI. *Cultus sincerus, & constans Passionis Christi*, quod medium singulariter efficax expertus est Conversus ille, de quo Cæsarius io hunc modum scribit: Ante hoc quadriennium, cum Prior quidam de Ordine Regularium in quadam corte Monasterii sui hospites collegisset, & jam mensa esset præparata, ipse tanto sopore cœpit affici, ut nisi ocyus dormiret, moreretur. Qui cum in lecto se reclinasset, mox quidam ejus Conversus, qui alteri grangiæ præerat, dormitanti adsuit, dicens: Domine, cum licentia vestra vado. Et ille: Quo vadis? Respondit Cooversus; ad Deum vado, quia mortuus sum in hac hora. Et Prior: cum multi perfecti viri transeant per purgatorium, quid est, quia tu tam absolute dicis, te statim iturum ad Deum? Ad quod ille respondit: Habebam consuetudinem, ut quoties transirem coram Crucifiso, hanc dicerem orationem: Domine per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maxime quando anima tua egressa est de corpore too, miserere animæ meæ in egressu suo. Et exaudivit Dominus orationem meam, meique misertus est. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Respondit: Videbatur mihi in agonia, quod totius mundus esset lapis unus,& premeret pectus meum. Cæsarius l. 11. c. 11.

CLII. *Cultus sanctorum vulnerum*, quod medium adhibuit Alquirinus, de quo Annales Cistercienses sic loquuntur: Fuit in Cœnobio Claravallensi Monachus quidam, professionis suæ morum integritate concordans, Alquirinus nomine, vir Religiosus atque spiritualis, sobrius in victu, humilis in vestitu, & durus admodum castigator corporis. Ita namque circumcisus, ac temperatus erat io his, quæ ad usum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate, & vanitate depulsa, ipsis necessariis, etiam parcissime uteretur, licet occasio certum limitem excedendi se ei frequenter ingereret. Erat eoim peritus in arte medicinæ: Et quamvis Magnates, & nobiles terræ, operam ejus incessanter expectarent, & invitum, & renitentem per diversa loca distraherent; ipse tamen super egenos, & pauperes intelligens, magis omnimodam eorum curationi sollicitudinem impendebat. Nec modo ipsorum ægritudines, livoresque curabat; sed, & languentiom putridas carnes, & saoie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Et vere sic erat. Unde & ipse Domi- Jo. Magist. spec. exem. dist. 4. ex. 35.

mi-

minus famulum fuum fecretis confolationibus fæpius vifitabat, & ad opus Monafterii hujus mirabiliter incitabat. Quadam igitur vice vidit hujufmodi vifionem Clarevalle: In primis audivit quemdam præcurforem cæleftem preconia voca clamantem, & dicentem: Ecce Jefus Chriftus venit, furgite, occurrite cito obviam Salvatori. Cumque omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc, & ipfe occurrit, & ftetit in oftio clauftri, par quod venturus effe fperabatur. Itaque ingrediente Domino acceffit, & adoravit eum, flagitans, ut acciperet benedictionem, & mifericordiam a Deo falutari fuo. Qua percepta, cœpit eum attentius intueri, & miro pietatis affectu compatiebatur ei. Siquidem apparebat ei, tamquam dolens atque infirmus, confixus clavis, & lancea perforatus, ac fi eadem hora de cruce depofitus effet, ita ut fanguis ubertim de plagis recentibus emanaret. Porro ipfe Dominus linteolos mundos, quafi corporalia tenens, eifdem vulneribus imprimebat, & cruore deterfo, in terram projiciebat, quos frater ille cum fumma veneratione recolligens, ac multa devotione deofculans, quafi redemptionem animæ fuæ, in finu fuo repofitos confervabat. His, & hujufmodi revelationibus frequenter a Domino recreatus, non ceffavit ufque in finem operari bonum ad omnes, maxime autem ad peragrinos, & pauperes ægrotantes. Quam vero rigidus in pœnitentia fervanda, quamque diftrictus caftigator corporis fui fuerit, ex hoc fatis apparebat, quod, cum indigentibus cunctis cum fervore charitatis operam impenderet, fe folum in hujufmodi cura excipiebat; licet enim valetudinarius effet, & debilis corpore, numquam tamen acquievit carnalem fibi impendere medicinam, & totum fe Deo committebat, quoniam ipfi cura eft de nobis: Sciebat nimirum virtutes animæ in corporis infirmitate perfici, nec poffe Monachum fpirituales a Domino confolationes percipere, qui circa confolatiunculas carnis fuæ tenere follicitus, guftare, & videre negligit, quam fuavis eft Dominus. Curfu itaque vitæ fuæ laudabiliter peracto, cum jam tempus inftaret, quo pro laboribus, & fanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitata correptus ad extrema pervenit. Cumque venerabilis Abbas ad eum gratia vifitationis veniffet, quæfivit ab eo quid ageret, vel quomodo fe haberat? Ille vero refpondit: Bene, chariffime Pater, bene omnino mecum agitur, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergo? (inquit) corporalem moleftiam ægre non tolaras? & mortis anguftias non formidas? Ego, inquit, omnia tranquilla, omnia læta confidaro, quia jam præventus fum a Domino in benedictionibus dulcedinis, quæ omnem mihi mœrorem a corde, & omnem pene dolorem a corpore tulit. Refpondens itaque Abbas, dixit ai: Obfecro te, dilecte mi frater, ut propter Deum dicas nobis ad ædificationem noftram, fi tibi divinitus eft aliquid revelatum. Tunc ait ille: Modo antequam huc intraftis, apparuit mihi mifero, & indigno Dominus Jefus Chriftus, qui propitio ac fereno vultu me intuens; ac figna beatiffimæ paffionis fuæ oftendens, ait: Ecce peccata tua deleta funt a facie mea, veni ergo fecurus, veni, & vide, & deofculara vulnera mea, quæ tantum dilexifti, & toties confovifti. Tali ergo promiffione firmatus mori non timeo; quia pofita eft hæc fpes mea in finu meo. Et fcitote, quia proxima nocte, anta vigiliam B. Martini migraturus fum, dum opus Dei celebrabitur in Ecclefia, & tali hora defunctus eft.

CLIII. *Cultum cælitum*, ubi de Eufebio Cyrillus fcribit in hæc verba: Adveniente die, quo venerabilis Eufebius migraturum fe fciret, tertio die præeunte languore febrium concuffus valide, fuper terram nudam, Magiftri fui Hieronymi non immemor, fe nudum fecit deferri a fratribus, admonens fratres fingulos in propofito permanere. Demum faccum, quo gloriofus induebatur Hieronymus, deferri fecit; & fuper fe poni, ordinavitque fe nudum inftar gloriofi Magiftri extra Ecclefiam (in qua jacebat S. Hieronymi cadaver) fepeliri. Poft hæc Communione accepta, fe Domino, & gloriofo Hieronymo commendavit, & fic per triduum locutione, corporalique vifione privatus, circumftantibus fratribus, Pfalterium, Paffiones Domini, & alia legentibus, jacuit. Die autem mortis, duabus fere horis ante beatæ animæ exitum, cœpit venerabilis Eufebius tam horribiles actus agere, ut circumftantes Monachi velut amentes jacerent in terra; Nam quandoque tranfverfis oculis, junctis manibus, facie terribili, diraque voce clamabat: Non faciam, non faciam, mentiris. Poft hoc faciem in terram, quantum poterat firmnus, clamabat: Adjuvate me, fratres, ne peream; Monachi autem flentes, ac tramentes intarrogabat eum: Quid habes Pater? Quibus ille: Non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt At illi: Quid te facturum volebant, cum diceras, non faciam, non faciam? Et ille: Conantur, ait, ut blafphemus inveniar, & ideo fic clamabam; Tunc illi, quare faciem abfcondebas in terra? Ne, ait, afpectum eorum viderem tam terribilem, quod omnes pœnas nihil funt refpectu illius. Inter hæc verba actus priores reiterans, fic ad extrema davenit. Fratres autem pavidi & ftupentes ftabant veluti mortui, nafcientas, quid facerent. Ad extremam autem horam venienti gloriofus eidem Hieronymus apparuit confortans eum; ad cujus adventum perterrita dæmonum turba illa avanuit. Et viderunt Hieronymum Monachi quidam. Alii autem has voces ab Eufebio audiebant: Unde venis Pater, quare tantum moratus es? cui vox, audientibus fratribus dixit: Expecta, fili, ne formides, quia ta non deferam, quem tantum diligo. Qua voce audita, brevi difcurfo tempore, venerabilis Eufebius expiravit. Ad cujus corpus fiebant miracula præteritæ vitæ fanctitatem infinuantia. Intar quæ quidam Monachus fui monafterii præ lacrymis, & vigiliis lumine oculorum privatus, ftatim ut ejus corpus venerandum facie tetigit, oculorum lumen recepit. Quidam dæmoniacus etiam obvius fepeliendo corpori, liberatus eft.

S. Cyrill. in ep. ad Aug.

CLIV.

CLIV. *Obedientia perfecta*; cujus medii pulchrum experimentum reliquit Converſus ille, cujus Hiſtoriam Joannes Major in ſpeculo Exemplorum ſuſe deſcribit, & etiam hoc in libro tit. *Obedientia* Ex. 17. narratur. Hinc Frater Innocentius a ſene ad ſepulchrum ejus accedente, & dicente: Frater Innocenti mortuus es? Reſpondit: Pater quomodo eſt poſſibile, operatorem obedientiæ mori?

Ib. diſt. 2. ex. 241.

CLV. *Patientia in morbis*; cujus egregium ſpecimen præbuit infirmus ille, de quo Joannes Major ſequentem refert hiſtoriam: Erat quidam ſanctus Eremita, qui inter cæteras virtutes magnam habebat gratiam infirmis miniſtrare. Hic admonitus per viſionem ivit ad proximam civitatem, &, dum veniſſet ad portam, vidit quendam horribilem infirmum, & fœtidum, quem etiam leproſi inter ſe ſuſtinere non valebant. Huic cum S. Eremita ſervire cœpiſſet, eum in Domino conſortans, reſpondit infirmus: Sit Deus altiſſimus benedictus, qui mihi hanc donavit infirmitatem. Sed timeo, ne Deus mihi minuat præmium in cælis propter tuum humile ſervitium. Et ille: Non eſt ita, ſed pro mea mercede juſſus ſum huc venire. Sic ſancta lis quotidie inter illos oriebatur, & quanto plus eremita ſerviebat, tanto plus ſervire affectabat, & infirmus eum ſervire non ſinebat, ut plus ſuſtinendo plus præmiaretur. Tunc poſt annos quindecim expletos infirmus deoſculari cœpit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietata ſibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum, ut oſtendere dignaretur, qualiter hæc anima ſancta de corpore egrederetur; & oſtenſum eſt. Cum enim ad horam noviſſimam deveniſſet, audivit vocem dicentem: Veni dilecte mi. Tunc illa feliciſſima anima ad omnes ſenſus corporis dicebat: Vobis regratior, quia mihi obadiſtis. Oculi vanitatem non concupiviſtis, aures vanitatem non audiſtis, manus in deliciis delectatæ non fuiſtis, pedes ad vana non cucurriſti, olfactus delicias contempſiſti, guſtus aliquid delicate non ediſti. Tu igitur, o corpus meum, in paca quieſce, ut tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem. Et hoc dicto cum concentu Angelorum ſancta anima evolavit ad cælum.

Ib. diſt. 9. ex. 136.

CLVI. *Quemlibet diem ultimum reputare*; uti S. Laurentius Juſtinianus ſuaſit dicens: Tanto quiſque fit ferventior in operatione, quanto incertior eſt in vocatione. Propterea omnis dies velut ultimus ordinandus eſt, quia qualem invenerit unumquemque ſuus noviſſimus dies, cum de hoc ſeculo egreditur, talis in die noviſſimo judicatur. Et paulo poſt ſubdit: Vanientem nemo hilaris mortem ſuſcipit, niſi qui ad illam compoſuerit. Hinc & Seneca, admonet dicens: Incertum eſt, quo loco mors te axpectat; egregia res eſt, mortem paratum præſtolari. Qui mori conſtanter didicarit, ſupra omnem potentiam, & extra omnem virtutem eſt.

S. Laur. Juſt. de lig. vit. c. 4.

Seneca ep. 26.

CLVII. *Præparatio quotidiana*: ſic enim ſuaſit Seneca dicens: nemo ſcit noſtrum, quam prope verſetur Deus. Sic itaque formemus animum, tamquam ad extrema ventum ſit. Venientem nemo hilaris mortem excipit, niſi qui ad illam diu ſeſe compoſuerit.

Seneca ep. 12.

CLVIII. *Vita bona*: nam, teſte S. Auguſtino, non poteſt male mori, qui bene vixerit. Hinc non immerito mors echo vitæ vocatur. Unde, & Poeta:

Ut tibi mors felix contingat, vivere diſce;
Ut felix poſſis vivere, diſca mori.

S. Aug. in l. de diſc. Chriſt. c. 2.

CLIX. *Miſericordiæ exercitium*; ut S. Hieronymus ſuaſit dicens: Non memini, me legiſſe, mala morte fuiſſe defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit.

Marc. 13. v. 33.

CLX. *Oratio propria, & aliena*: ſic enim Chriſtus ſuaſit dicens: Vigilate, & orate; neſcitis enim, quando tempus ſit. Sic Cancellarius Gerſon exemplo ſuo docuit, dum paulo ante obitum pauperes ad templum B. Virgini dicatum duxit, omneſque poſt largam eleemoſynam in genua procidere, & orare juſſit: Miſerere Domine Jeſu Gerſonis ſervi tui.

Balth. Chavaſſ. l. 4. c. 4. de perf. prud.

CLXI. *Spes in Chriſto*: nam ut S. Athanaſius ait, quemadmodum veſpa, cum impetit petram, non eam lædit incurſu, ſed potius perdit ſtimulum; ſic & mors incurrens vitam, quæ eſt Chriſtus, non potuit aum tenere, ſed ipſa potius aculeum perdidit, adeo ut, quos prius terrebat aculeo, nunc inſultent, ac dicant: ubi eſt tuus, mors, aculeus?

S. Athan. in tr. de paſſ.

CLXII. *Religionis ingreſſus*: nam, ut S. Chryſoſtomus ait, Religio hoc habet, ut, qui eam ſecuti ſunt, primum in hac vita bonis multis repleat: deinde poſt vitæ exitum hilares & ludibundos ad Dei tribunal perducat. Hinc S. Bernardus quoque ait: Spiritui a corpore exeunti a cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur: moriens enim aut vix, aut numquam aliquis a cella ad infernum deſcendit, quia vix unquam aliquis, niſi cælo prædeſtinatus in ea uſque ad mortem perſiſtit.

S. Chry. l. de comp. Reg. & Mon.

CLXIII. *Sibi ipſi prius mori ſpiritualiter*: uti jam olim etiam Ethnicus Seneca agnovit, & ſuaſit dicens: Optimum eſt, antequam optes, mori. Incertum eſt, quo loco mors te expectet; tu illam in omni loco expecta. Egregia res eſt, mortem morte condiſcere, quid ad illam carcer & cuſtodia, & clauſtra? liberum habet oſtium. Hinc ſuadent nonnulli, ut cum Jobo dicat: In nidulo meo moriar, & ficut Phœnix (ſic enim aliqui legunt, ubi vulgata verbum *Palma* habet) multiplicabo dies; id eſt, ſicut Phœnix nidum ſibi de odoriferis lignis faciat, & ſe verſus ſolem vertens, alis ventilatis ignem accendit, ſequa ipſam comburit, ut ex ejus cineribus vermis prodeat, ac in Phœnicem novum vertatur; ita juſti ſibi moriuntur, ut rectius in Deo olim vivant.

Seneca in ep.

CLXIV. *Amor B. Virginis*: maxime ſi per ſalutationem Angelicam ſæpe rogetur, ut in hora mortis non deſerat; ſic enim ipſa non ſemel promiſit, ſe fideliter ad futuram, nec minus fideliter præſtitit, quam promiſit.

CLXV. *Roſarium mortis recitare*; uti P. Didacus Martinez Societatis Jeſu, cujus adhuc circumfertur Beatiſſimæ Virginis Roſarium orandi modus, quod ille ipſe Roſarium mortis vocabat, docebatque alios idem pro

Jo. Nadaſi in an. crucifixi p. 2. hebd. 26.

quem-

quemque orare. Ad quinque majora grana, seu sphærulas, intercalare suspirium illi erat:

Maria Mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Ad minora vero: *Domine Jesu Christe, concedat mihi Majestas tuas bonam mortem, per sanctissimam mortem tuam.* Quod in fine postea illis versiculis absolvebat: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine.*

§. XI. ASCETICA.

Petr. Blef. ep. 116. I. IN *primis nosse debet Asceta, legem mortis omnibus rebus communem, atque adeo indispensabilem esse*, ut pulchre Petrus Blessensis sequentibus verbis ostendit: A præsentis mundi exordio rerum Creator omnium, licet rebus ipsi naturas indidit varias, in hac tamen conditione concludi voluit universas, ut & mobilitati, & corruptioni subsisterent, & tandem defectui subjacerent, sicque reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter processerunt. Hinc est, quod amœnæ diei luci noctis succedat tenebrositas, prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitatem adversitas, gaudium doloris aculeus vulnerat, & mors demum de præsenti reportat vita triumphum. Hæc quippe est regula, quæ nullam admittit exceptionem; hæc est summi Conditoris voluntas immobilis; hæc est, quæ nec summas dignitates, nec immensos potentatus excipit, sed sceptra ligonibus æquans, omnibus æqua, omnes in hoc efficit coæquales. Ferenda est igitur æquanimiter lex communis, & illius dispositioni parendum humiliter, cujus consiliarius nemo fuit.

Revel. S. Bir. l. 5. revel. 7. II. *Nosse debet, cur Deus mortem incertam esse voluerit*; nimirum quia, ut ipse Christus S. Birgittæ dixit: Si homo sciret tempus mortis suæ, serviret mihi ex timore, & præ dolore deficeret. Ideo ut ex charitate homo serviat mihi, & ut semper de se ipso sit sollicitus, & de me securus, ideo incerta est hora exitus omnium; Et merito, quando enim homo deseruit, quod erat certum & verum, necesse fuit & dignum, ut ab incerto affligeretur. S. Athanasius ait: Est & alia ratio, cur *S. Ath. or. 4. contra Arian.* inutile sit, finem, aut finis diem præsciri; ne, si is mature prænoscatur, tempora intermedia neglectim habeantur, & cum perendinationibus utantur usque ad dies fini conterminos. Et paulo post subjungit: Ideo finem cujusque, qui per mortem obvenit, silentio texit, ne occasione istius scientiæ inflati pro majori parte temporis sese negligentes habeant. *S. Anton. p. 1. tit. 1. c. 2. §. 9.* S. Antoninus quoque ait: Propterea incertum nobis voluit esse horam mortis, quia, ut dicit Cyprianus, qualem te invenit Dominus, cum vocat, talem pariter te judicat; de pœn. dist. 2. c. Numquid. Stultum autem est, vivere in illo statu, in quo quis non vellet mori, & cum de momento in momentum hoc possit accidere, ratio debet urgere, ad pure vivendum, propter hujusmodi incertitudinem.

III. *Nosse debet solidum modum sese ad mortem præparandi*; nam sancti viri, teste S. Gregorio, qui brevitatem vitæ desinenter aspiciunt, & tanto se solicitius mansuris præparant, quanto nulla esse transitoria, ex fine semper pensant. *S. Greg. in mor.* Sed & horam ultimam Dominus noster idcirco nobis esse incognitam voluit, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. *Id. h. 13. in Evan.* Porro in quo consistat præparatio ista, clare videtur Servator apud S. Marcum indicasse, dum dixit: Videte, vigilate, & orate; nescitis enim, quando tempus sit. *Mar. 13. v. 33.* Ubi per verbum *Videte*, commendat assiduam memoriam mortis; nam, uti S. Gregorius loco citato dicit, sic mors ipsa, cum venerit, vincetur, si prius quam veniat, semper timeatur. Per verbum *Vigilate* autem quid indicare voluerit, pulchre idem S. Gregorius l. c. significavit dicens: Proinde, Fratres mei, in conditione mortalitatis vestræ oculos figite, venienti vos Judici per *fletus lamenta* præparate. Et cum certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ providentia incerta cogitare. Audite, quid sapiens Salomon dicat: Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia, erunt apud inferos, quo tu properas. *Eccl. 9. v. 10.* Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest, ut ante mortem tempora indulta rapiamus. Unde recte nonnulli suadent sanctæ fœminæ, Ida nomine, exemplum sequendum, & sicut illa feretrum, quod construi ante mortem jusserat, bis quotidie panibus & aliis alimentis in pauperes distribuendis implevit; ita nos quoque tumbam nostram detestatione feria peccatorum commissorum, & bonorum operum sedulo exercitio impleamus. Per verbum *Orate* denique indicavit Christus, quod cum tempore mortis præcipue tentationes nobis graves ex dæmonum calcaneo nostro insidiantium furore immineant: ad has autem superandas semper quidem, sed tunc præcipue ob majorem corporis animique debilitatem sufficientes non simus, oculos nostros ad cælum convertamus, & inde auxilium, roburque ad luctam hanc fortiter, feliciterque obeundam cum humilitate & fiducia expetamus. Aliqui ad hanc præparationem omni fere periculoso morbo plerumque accidunt, *Drex. in prodr. c. 2. §. 10.* nempe etiam requirunt, ut ad illa accidentia, quæ in *mortis metum, dolorem corporis, & amissione voluptatum*, sollicite nos præparemus, & timorem quidem mortis amore divino, dolorem corporis conscientiæ tranquillitate, intermissionem voluptatum generoso earum contemptu vincere, aut lenire saltem studeamus. S. Antonius hunc ipsum modum sequentibus verbis docet: Expectatur debite mors, si pia præparatio fiat secundum Domini hortamen dicentis Lucæ 2. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ &c.* Ubi tria possunt notari. Primum est, a vitiosis delectationibus abstractio, ibi: Sint lumbi vestri præcincti: in lumbis enim est motus delectationis venereæ, cinctura autem est quædam restrictio lumborum, significans morti-

tifica-

tificationem delectationis. Secundum est, in operibus fervens dilectio: *Lucernae ardentes in manibus vestris.* Lucerna significat mentem, sive conscientiam: Ignis ardens, fervens est charitas, juxta illud Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram*, Manus sunt opera. Tertiam est viva vigilatio: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum &c.* Vigilant enim tales, non solum in prima vigilia, sed & in secunda & tertia, & quousque veniat Dominus: Est enim prima vigilia ætas juventutis; secunda virilitatis; tertia senectutis, in iis quilibet vigilare debet, cohærendo bonis operibus.

Mansi d. 2. n. 7.

IV. *Nosse debet, ob quam præcipue causam mors formidanda existat*, quæ quidem juxta Josephum Mansi alia esse non potest, quam peccatum, quod nos ad æternam condemnat mortem; Ast qui semper continueque mortem meditabitur, quasi impossibile est, ut mortalis culpæ maculetur nævo, dicente S. Ephrem: Qui semper mortis recordatur, raro aut numquam peccabit. Hinc & interrogatus aliquando Musonius; quis bono vitam suam esset terminaturus exitu? in hæc memorabilia respondit verba: Qui postremum vitæ diem sibi instare præposuerit.

S. Ephr. de com. ord.

S. Chrys. apud Mansi dis. 2. n. 8.

V. *Nosse debet praxim, & causam, quotidie sibi ipsi moriendi*; & causam quidem assignavit S. Chrysostomus dicens: Quandoquidem enim fieri minime poterat, ut, qui homines essent, ii infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse imminuta; nam ut natura sortiti id simus, semel tantum ut moriamur; tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet, fore, ut cum tot hinc coronis discedamus, quot dies hic vixerimus, imo vero multo pluribus: licet enim dic uno, & semel, & bis, & sæpe mori. Hoc & Propheta significans dixit Ps. 43. *Tota die propter te mortificamur, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Praxim vero ostendit Mansi his verbis:

Ib. n. 9.

Ut autem ad mortem frequentius considerandam, inducamur, meditari non abs re fuerit, quot, quantique stimuli nos ad hanc praxim impellant per omnes vitæ nostræ actiones, & in primis quidem, dum mensæ ad vitam sustentandam & prolongandam accumbimus, ut notat Seneca, aliena vivimus morte, scilicet piscium, avium, aut aliorum animalium, quæ in nostris sepelimus ventribus. Dum ad plumas ingredimur dormituri, somnum mortis imaginem esse, maximamque hominum partem in lecto a mortis falce rescissam fuisse, considerare possumus. Solis occasus, Occidentem ultimi termini nostri repræsentat. Ecclesiam adeuntes, & intrantes, cœmeteria pertransimus, aut ad sepulchra offendimus, & ita de aliis totius nostræ per diem vitæ actionibus resolvendum, ut semper in iis foveatur memoria mortis. Ad quam, ut S. Carolus Borromæus, inquit, respicit, institutusque est ritus aspersionis cinerum super fidelium capita; nec non cœmeteria sepulturæ monumenta (prout ipsum hoc significat nomen) aliæque docent defunctorum memoriæ. Ideoque Nazianzenus nos admonet dicens: Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo exstruas. Hinc enim assequeris, ut eam pro spirituali statua in ultimo corde habeas.

Idiot. l. de contempl. mor. c. 2.

VI. *Nosse debet, cur memoria mortis apud plerosque homines tam sit inefficax*; nimirum quia, ut Idiota recte notavit; etsi memoriam illius quandoque habeam in mente, & me moriturum veraciter credam; quia tamen eam tamquam fatuus, imo tamquam demens, quasi procul sit, considero, vitam meam miseram emendare negligo, & conversionem meam differo, ac in voluptatibus & delectationibus corporalibus, peccatisque variis ac diversis tempus meum miserabiliter expendo ac consummo.

S. Carol. Borr. in or. fun. reg. Hisp.

VII. *Nosse debet, cur mors somnus dicatur*; nimirum quia juxta S. Carolum Borromæum mors & somnus in tribus assimilantur; eo quod sicut dormientes dormiunt cum spe resurgendi; Ita & fidelis moritur cum spe resurrectionis; unde dicebat Psalmista: *Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* Iterum, sicut dormientis vigilat anima, dicente illa fideli anima: *Ego dormio, & cor meum vigilat*; ita & & morientis viva permanet anima. Post somnum homo resurgit vegetior & robustior; ita & post mortem tandem resurgent Sancti cum corporibus gloriosis & impassibilibus, aliasque gloriosas illis habentibus dotes, de quibus Apostolus in hæc verba ad Cor. scribit: *Seminatur in corruptione; seminatur ignobiliter, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale; surget corpus spirituale.*

S. Hieron. in ep. ad Thyras.

VIII. *Nosse debet solidum modum consolandi eor, qui ob mortem propinquorum tristantur*; quem in finem conducent sequentes SS. Patrum sententiæ. In primis S. Hieronymus sic loquitur: Destitutos se a morientibus conqueruntur, & vivos filios, aut propter honores, aut propter negotia, peregrinis regionibus credunt, & gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant, quod cupiunt de suis pignoribus adipisci; & ut ad palatia pergant, peregrinantur; ad studia dignitatis navigant acquirenda; vel ad causas patrimonii aliquas explicandas; cum labore & periculo proficiscentes, omnes impellunt, nec secum vacare, quos diligunt, patiuntur: Et ut ad, palatia cæli, ad studia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, & patrimonium possessionis æternæ cum securitate valeant pervenire; nemo filios suos a se libenter gratuletur abscedere. Deinde S. Cyprianus: Quantum prosit, inquit, exire de sæculo, Christus ipse salutis atque utilitatis nostræ Magister ostendit, qui, dum discipuli ejus contristarentur, quod se jam diceret recessurum, locutus est ad eos dicens: *Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam vado ad Patrem*; docens videlicet & ostendens, cum chari, quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum. Tertullianus, cur enim doleas, ait, si perisse non credas? cur impatienter feras subductum interim, quem credis reversurum? Profectio est, quam putas mortem. Et iterum: Cur immoderate feras abesse, quem mox subsequeris? Cæterum impatientia in hujusmodi,

S. Cypr. de mort.

Tertul. l. de patien. c. 8.

di, & spei nostræ male ominatur, & finem prævaricatur, & Christum lædimus, cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos non æquanimiter accipiamus *Cupio*: inquit Apostolus, *recipi jam, & esse cum Christo*, Phil. 1. v. 23. Quanto melius ostendit votum Christianorum! Ergo votum, si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus.

Fab. conc. 2. in Dom. 25. post Pent. IX. *Nosse debet causas, ob quas mors in mundo a Deo permissa est*: nimirum 1. ut peccatum in partu suo monstruoso tanto clarius cognosceremus, & detestaremur. 2. Ut mundi vanitates, & carnis illecebras tanto facilius *S. Greg. l. 10. mor.* aspernaremur; hinc S. Gregorius suasit: Caro, cum concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis; intelligetur, quid ametur. Tunc enim quodammodo dici potest cum Daniele: Ecce numina vestra! ecce quem colebatis. 3. Ut effrænata peccandi licentia coerceatur, quem ad finem mors perinde, ac patibula publice erecta, plurimum conducit. 4. Ut divites humilientur; si videant, mortem omnia æquare, nec specialem se præ pauperibus ab hoc tributo exemptionem habere. 5. Ut pauperes solatium habeant, si meminerint, per mortem quotidie sibi finem malorum imminere. 6. Ut occasionem habeamus, varias in mortis lucta virtutes exercendi. 7. Ut major Deo gloria exurgat, si a morte nos resuscitet.

X. *Nosse debet, & curare, ut ardens dissolutionis suæ, Deique videndi desiderium in se, aliisque excitare studeat*: hoc enim vel maxime Deum ab amicis suis requirere, ex variis historiis patet, ex quibus habetur, aliquos idcirca dumtaxat a cæli ingressu fuisse suspensos, quod ejusmodi in se excitare desiderium neglexerint. Ut autem tale desiderium tanto facilius eliciatur, proderit ponderare ea, quæ Franciscus Petrarcha pro hoc fine in quodam suorum Dialogorum suppeditat his fere verbis; *Dolor*. En Morior. *Ratio*. En te Dominus præstolatur. Accelera, ne titubes, neu cuncteris, pone suspicionem, neu tu tibi carior es, quam illi? quis vocatus ab amante diffidit? adhuc forte miraberis timuisse, quod optandum est. Multa enim solutus sciet, quæ vinctus nullo unquam studio didicisset, usque adeo, ut arcana rerum nosse volentibus, ad quæ mortali velo obsita acies vestra non penetrat, quæ profecto cupiditas naturalis est homini, sed vehementior studioso, nil morte melius putem, nihilque quod brevius adoptatum fuerat. *Dolor*. Morior. *Ratio*. Imo obdormis, fessusque vitæ, ut arbitror, requiescis: *Dolor*. Morior. *Ratio*. Vade in æternam requiem. Nunc primum vivere incipis. Bona mors initium est vitæ.

XI. *Nosse debet utilem modum, eos, qui morti viciniores sunt, ad eamdem pie ac Christiane obeundam disponendi*. Qua quidem in re *Con. Nannetens. c. 4.* proderit instructionem Concilii Nannetensis observare, quod sic loquitur: Cum Sacerdos audierit, aliquem infirmari in sua plebe, quam citius ad eum pergat & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat cum Antiphona: *Asperges me, Domine*: & versu: *Exurgat Deus*: Deinde dicat orationem: *Deus qui Sacerdotibus tuis totam præ cæteris gratiam contulisti &c.* Deinde cantet septem psalmos pœnitentiales cum precibus pro infirmis. Post hæc omnes jubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat: ut flagellum Dei patienter toleret: ut hoc ad purgationem, & castigationem suam provenire credat: ut peccata sua confiteantur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis promissis spondeat: ut substantiam suam dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat: ut his, qui in se peccaverunt, indulgeat: ut rectam fidem & credulitatem teneat: ut de Dei misericordia numquam desperet. Cum his & ejusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat Sacerdos, non post multum reversurus, detque locum, ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare. Circa quam quidem Concilii instructionem duo specialiter adhuc sunt notanda & observanda. 1. Ut, si quidem disponere de substantia sua in salutem animæ suæ voluerit, id per seipsum potius, quam per alios faciat; nam ut sapienter S. Gregorius advertit, tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit; per se beatius quippe est, liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. *S. Greg. l. 4. Dial. c. 58.* 2. Ut quandoquidem, teste S. Joanne Climaco, diabolus homini sano persuadet, Deum esse infinite pium, ac pronum ad indulgendum, quatenus homo parvi pendat peccata, atque audentius peccet; agonizanti autem persuadet interdum, Deum esse rigorosissimum, & peccata sua esse plurima & gravissima, ut hac ratione diffidat, ac desperet, idcirco arripiendum tunc S. Gregorii sciatur esse consilium, in hæc fere verba datum: sicut, dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere, ne extollant; ita appropinquante exitu ea plerumque juste ad memoriam revocamus, ut fiduciam præbeant, & desperatum timorem premant. *Idem l. 22. mor.*

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*, potest mors Reginæ comparari, & potestas ejus in omnes homines explicari. Ut autem hoc aptius fiat, potest imago mortis utpote plena mysteriis exponi, dicique, quod 1. pingatur *sine oculis*; quia neminem respicit, sed æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres, ut Horatius canit. 2. *sine auribus*; quia est inexorabilis, & ut Boetius cecinit: *Rom. 5. v. 14.*

Heu, heu, quam surda miseris avertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæva negat. *Boetius l. 1. de consol.*

3. *sine naso*; quia nec odores, nec fœtores curat. 4. *sine cute & sanguine*; quia pulchritudine non capitur. 5. *sine veste*; quia non miseretur inopiæ, nec veretur divitias. 6. *sine judicio sexus*; quia maribus æque ac fœminis dominatur. 7. *cum falce*; quia nemini parcit, & triticum æque ac zizania demetit. Unde merito

rito quisque eam veretur, & ad illius adventum se præparat, ut velut tela prævisa minus feriant. Vide Fabrum in conc. Funebr. exh. 31.

Luc. 19. v. 43. II. Ex occasione thematis; *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo*: possunt terribiles circumstantiæ mortis explicari, & 1. ostendi, quomodo *circumdabunt inimici vallo*, nempe dæmones, peccata, curæ sæculares. 2. Quomodo *coangustabunt undique*, quia supra se videbit severum Judicem; infra se infernum; intra se vermem conscientiæ; extra se amicos deserendos cum bonis; ante se mortem appropinquantem; retro se judicium incertum. 3. Quomodo ad *terram prosternent*; tum projiciendo in sepulchrum, tum terrenis cogitationibus & solicitudinibus involvendo. 4. Quomodo *non relinquent lapidem super lapidem*; quia bonis corporis & fortunæ, imo & fructu suorum operum & laborum privabunt; & ipsa etiam peccatoris proposita ac devota concident. Quæ omnia fusius apud Fabr. conc. 1. in Dom. 9. post Pent. explicata videri possunt.

Luc. 21. III. Ex occasione thematis: *Erunt signa in Sole, & Luna, & in stellis, & in terris pressura gentium*: possunt explicari tribulationes morientium, & earumdem remedia. Et 1. quidem ostendi, qualia signa in Sole sint futura, id est, in ipsa vita, quæ ut Sol vivificat omnes hominis partes; sed tunc clara signa per morbos accipiet, quod occidere debeat. Sed quia nutu Dei evenit, patienter ferendus hic est occasus, quia Deus faciet, ut cum majori gaudio hic Sol iterum oriatur 2. *In luna*: id est, in rebus terrenis, seu fortunæ bonis, quæ perinde ut Luna mutationi sunt obnoxia, quæ tunc incipient non dare lumen suum, hoc est, nullum morienti solatium præstare poterunt; unde merito prius spernenda, & in cælum præmittenda sunt, ut vel sic solatio esse possint. 3. *In stellis*: Id est, propinquis & amicis, quæ & ipsæ cadent, & retrahent splendorem suum; unde rectius cælestium amicorum patrocinium, quod tunc stabile erit, quæritur. 4. *In terris*, id est, corpore, ubi dolores, aliæque miseriæ prævalebunt; ad quos merito per patientiam nos præstare debemus. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Fabrum conc. 2. in Dom. 1. Advent.

Eccl. 4. v. 2. IV. Ex occasione thematis: *Laudavi magis mortuos, quam viventes*: possunt commoda mortis explicari, quia scilicet, ut S. Bernardus ait, triplex in morte congratulatio est, homines ab omni labore, peccato, & periculo liberari. Hinc & cygnus, ut est in Fabulis, quæsitus, cur in morte caneret, respondit: Quia neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque Aucupum laqueos mortuus extimescam. Quæ omnia vide fusius apud Fabr. in conc. funebr. exh. 23.

S. Bern. in transl. Malach.

Ps. 115. v. 15. V. Ex occasione thematis: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: potest differentia inter mortem Justorum & impiorum explicari; quia videlicet. 1. Mors Justorum est *matura*, Impiorum *immatura*, cum illi inferantur in cæleste horreum, ut triticum electum; hi vero, ut zizania, in foveam inferni abjiciantur. 2. Quia illorum mors est *pacata*, horum *turbulenta*; de illa enim dicitur: in pace in idipsum dormiam; de hac: Morietur in tempestate anima eorum. 3. Quia illorum Mors est *bilaris*, (quia, ut S. Bernardus ait, fit ibi quies a laboribus, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate) horum vero *tristis*, quia Mors peccatorum est mala in amissione mundi, pejor in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni. 4. Quia illorum Mors *bene olens*, & *gloriosa*, horum vero *fœtida* & *infamis*; ut jam olim Salomon prædixit, dicens: Memoria Justi cum laudibus, & nomen Impiorum putrescet. 5. Quia illorum Mors tantum temporalis, horum autem æterna est; nam illi ibunt in vitam, hi in supplicium æternum, quod teste S. Augustino, Mors potius dicenda est, quam vita, nulla quippe major & pejor mors est, quam ubi non moritur Mors. Vide hæc fusius apud Fabrum exh. funebr. 27.

Ps. 4. v. 9. Job. 14. v. 24.

S. Bern. f. 41. ad pop.

S. Aug. l. 6. de civ. c. ult.

VI. Ex occasione thematis: *Quo vadis?* potest ostendi, quomodo & cum quo fructu mortem præmeditari debeant Auditores, nempe si 1. Cogitent se per mortem tendere ad locum supplicii nobis destinatum, videlicet ad sepulchrum; hinc enim ut eductis ad mortem omnia fastidia erunt. 2. *Ad desertum & locum vastæ solitudinis*: ubi nihil invenient, nisi quod præmiserint: hinc enim ad opera bona hæc eleemosynas præmittendas incitabuntur. 3. *Per lacum congelatum & lubricum*: propter periculum ex subsequenti judicio & sententia subeundum; hinc enim armare pedes affectuum firmo timore Dei & amore oportet. 4. *Ad perpetuam mansionem*: quia in quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit. Ergo conandum potius ut ad Austrum, quam ad Aquilonem cadat. 5. *Ad eum, qui misit nos in vineam*, ut fructum operaremur; hinc enim salutaris stimulus ad bene operandum haurietur; si enim, ut S. Hieronymus discurrit, tanta cura pertimescitur judicium pulveris, qua intentione cogitandum est, qua formidine prævidendum tantæ judicium majestatis? Vide hæc fusius apud Fabr. conc. 5. in Dom. 4. post Pascha.

Joh. 16. v. 5.

Eccl. 11. v. 3.

S. Hier. in epist.

VII. Ex occasione thematis: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*: potest ostendi, quomodo quilibet se ad bonam mortem disponere debeat, videlicet. 1. Disponendo de *domo spirituali* seu conscientia, per Sacramentorum susceptionem, feriam pœnitentiam, piosque actus illi articulo convenientes. 2. Disponendo de *domo materiali seu familia*, reddendo, quæ ad alios pertinent; testamentum condendo; & si quæ dubia vel arcana, enodanda, vel revelanda, ad cavendas lites vel alia incommoda videbuntur, non negligendo. 3. Disponendo de *domo cælesti*: hoc est, ea media eligendo, quæ ad cælestem gloriam obtinendam præ cæteris efficacia videbuntur, prout fusius Faber exh. funebr. 29. ostendit.

Is. 38. v. 1.

VIII. Ex occasione thematis: *Modicum plora super mortuum, quoniam requievit*: potest ostendi, quomodo mortui plorandi sint; nimirum. 1. *Moderate*, uti Siracides in textu citato innuit, & confirmat S. Augustinus, dum ait: Permittantur pia corda charorum de suorum

Eccl. 22. v. 10.

S. Aug. s. 14. de verb. Apost.

rum mortibus contristari dolore sanabili, & consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua credunt Fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire; & ad meliora transire. Hinc & Christus pro Lazaro plorans, infremuit Spiritu in semetipso, nempe naturæ motum reprimens, ne in has lacrymas indecoras prorumperet. 2. *Prudenter*: non inani dumtaxat fletu, sed potius mediis ipsi proficuis adhibitis commiserationem ostendendo: nam, ut recte advertit S. Chrysostomus, honor mortuo non fletus, non ejulatus est, sed hymni & psalmi, & vita optima. Vis honorare mortuum? fac eleemosynas. 3. *Religiose*: Sic enim Apostolus monuit dicens: Nolumus vos ignorare Fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent: sed certo credentes, quod, si bene vixerunt, in altera vita felices extituri, pro nobis oraturi, & avide nos expectaturi sint, ut adeo potius occasionem sumere debeamus, ipsorum exemplo bene vivendi, ut eos in cælis videre, & ipsis in æternum cohabitare possimus.

S. Chrys. h. 61. in Joan. 1. Thess. 4.

IX. Ex occasione thematis: *Justus Dominus in omnibus viis suis: & Sanctus in omnibus operibus suis:* aut, *Judicia tua abyssus multa:* possunt variæ quæstiones circa diversa genera mortis proponi, & resolvi. Cur tam multi ante maturam ætatem moriantur? Ad quam quæstionem respondet S. Augustinus dicens: Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis: mali vero & impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. Plures rationes affert, & suse explicat Mathias Faber exh. funebr. 32. a. Cur quandoque justi tam acerba morte occumbant? nempe ob expiationem peccatorum, augmentum gloriæ, exemplum bonorum, malorum terrorem, & ne tam de via, quam de viæ termino solliciti esse discamus, ut pluribus deducit Faber exh. funebr. 33. 3. Cur vita humana modo tam brevis sit? Nempe quia nunc lex gratiæ est, atque adeo convenit, ut vita nostra, quæ nihil aliud, quam exilium, cursus in stadio, & labor est, citius absolvatur, id quod fusius Faber conc. 7. in festo S. Catharinæ ostendit, ubi alias etiam rationes hujus brevitatis affert. 4. Cur mortem incertam esse voluerit Deus? nimirum quia alioqui multa peccata committerentur, & multa bona omitterentur, ut idem Faber exh. 37. funebri fusius iterum diducit, ubi alias etiam rationes affert.

Ps. 144. v. 9. Ps. 35. v. 4.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

I. CUm Alexander navigaret per quemdam fluvium Paradisi, ut veniret ad hortum ejus, quidam senex de rupe apparens, ei suasit regressum, & dedit lapidem pretiosum pulcherrimum, dicens ei, quod in ejus pondere agnosceret valorem suum. Lapis ergo ille positus in statera nudus omnia ponderabat quæcumque in alia lance ponebantur; coopertus autem pulvere, nihil ponderabat, sed ei præponderabat festuca una. Quale autem sapiens hic senecio Alexandro, ad totius Universi dominium anhelanti, per hoc tradere voluerit documentum, facile conjici potest, declarat-que Bellovacensis dicens: In hoc dabatur ei, quod vivus omnibus aliis præponderabat, mortuus autem, & opertus sepulchro, nihil. Quoad usque mundi hujus Reges & Monarchæ vivunt, Provincias & Regna, imo universum mundum per armorum suorum potentiam contremiscere & suspirare faciunt, qui tamen, mox ut mortis necessitati succumbunt, ventorum fiunt ludibrium & jocus.

Eccliv. p. 1. l. 2. d. 4.

II. Propheta Regius ait: *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam;* ubi mox subjungitur: *In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* In quibus porro verbis singulariter observanda sunt illa; *In terram suam.* Numquid enim Regio Psalt. sufficiebat dicere: Principes, haud secus ac alios in terram ac pulverem redigendos esse, absque eo, quod diceret, illos convertendos esse in terram suam? Modus hic loquendi Regii vatis suo non caret mysterio; quia Principes & Magnates multas quidem possident terras suas, multis imperant Provinciis; at vero in hora mortis easdem deserentes, in sinum terræ suæ reconduntur. Philippus Imperator in hypodromo ab equo delapsus, & resurgens, locum, quo in arena jacuerat, cernens dixit. Ecce quam exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium stulte affectamus. Porro terra propria Principum est proprii corporis cinis & pulvis, in quem, sicut & omnes alii, in hora mortis convertuntur, & ideo revertuntur in terram suam; At vero quid sequitur? In illa die peribunt omnes cogitationes eorum, in illa ipsa die, qua animam exhalant, demoliuntur omnes, quas in capite formarant, machinæ, evanescunt omnia consilia, quæ tumidi & elati de subjuganda sibi terra in corde suo conceperant. Henricus IV. Rex Franciæ validissimum armaverat exercitum, per quem suspensum tenebat universum Mundum Christianum, consiliorum suorum nescium; At vero mox ut ex improviso occisus fuit, dissipatus est universus ille exercitus, prostratæ sunt omnium consiliorum suorum machinæ, quia in illo die peribunt omnes cogitationes eorum.

Mans. d. 6. n. 9.

III. Refert S. Hieronymus, quod Xerses Rex potentissimus, qui montes æquavit, & exsiccavit maria, dum die quodam ex eminenti loco innumerabilem exercitus sui in acie collocati vidisset multitudinem, amare flevérit, considerando, quod intra centum annorum spatium nullus eorum inter vivos superstes esset. O si possemus in talem ascendere speculam, inquit Hieronymus, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regna regnis collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in servitutem trahi, illos nasci, illos mori, & non Xersis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos.

S. Hier. l. 2. ep. 2.

IV. Quærunt nonnulli, cur in manibus mortis potius videamus depictam falcem, quam ensem, vel sagittam, sive fulmen, aut aliud simile stragis faciendæ instrumentum? Certe non est hoc hominis inventum, sed in simili forma visa est mors a S. Joanne Apocalypsi c. 14. ubi

Mans. d. 10. n. 6.

ubi falcis frequens fit mentio. Observandum proinde est, proprium falcis esse quod in agro vel prato ex æquo fecet herbas, & fpicas, tam altas, quam humiles, omnes pariter prosternendo; ita quoque mors in hora prædestinata adveniens nullum habet moribundorum respectum, five fint Principes, five fint fubditi, fani vel infirmi, robusti vel debiles, armati vel nudi, fed omnes ex æquo refcindit.

Idem d. 14. n. 9. V. Neminem latet illud receptiffimum afferrum: *Amyclas filentium perdidit*. Erat autem hæc civitas inter Cajetam & Tarracinam juxta mare fituata, quæ falso piratarum fæpius excita rumore ad arma concurrerat; Unde cum cives quietam numquam poffent tranfigere noctem, remedium adhibituri difordint, legem promulgarunt, ne quis fub pœna vitæ ad arma provocare, aut conclamare multitudinem auderet tempore nocturno. Ex improvifo igitur quadam nocte inimicus de mari in terram confcendens, mano falva, omnibus dormientibus urbem invafit, flammis combuffit, fpolus exhaufit, ideoque in proverbium abiit: *Amyclas filentium perdidit*. Ita quoque quam plurimi mortales quandoque patiuntur, infirmitates, aut in diverfa incidunt pericula, in quibus per prævias confeffiones generales, confcientiæque munditiem ad mortem excipiendam præparati effent; fed ubi vix difcrimen evafere, mortis immemores, laxam aggrediuntur vitam, quos tamen ex improvifo repentina mors irruens opprimit.

Id. d. 15. n. 4. VI. Orator quidam noftri temporis celebris de navigantibus differens obfervat, eofdem non magis a morte diftare, quam diftet fubtile lignum ab undis, hoc enim fi non intercederet, mori cogerentur; Eodem modo fi quis me interroget, quantum, ab unoqooque mors diftet homine, vere refpondere potero, quod unico tantum flatu & refpiratione a morte feparetur, quia quamprimum homo refpirare definit, pariter vivere definit.

Seneca ap. Manfi d. 17. n. 10. VII. Seneca moralis Philofophus inquit: Tam debet effe mors ante oculos juvenis, quam fenis. Non enim citamur ex cenfu, fed ex depofito. Quænam vero eft inter cenfum & depofitum differentia? nimirum fructus ex cenfu provenientes non recipiontur nifi poft annum evolutum; At vero depofitum ad quamvis domini poftulationem reftituere tenemur, & ideo illud femper in promptu effe debet. Merito igitur Philofophus ait: Citamur ex depofito, quia mors fuper vitam jus & poteftatem habet, fimilem illi, quam habet depofitarius fuper rem depofitam; unde fuperveniente morte non valet dicere: ego fum juvenis, nondum fum maturus ad mortem: quia mors idem jus habet in juvenes, quod in fenes, cum tam juvenis, quam fenis vita unice dumtaxat refpirationi & halitui adhærefcat.

S. Anton. p. 1. tit. 5. §. 1. VII. Diabolus graviffime hominem aggreditur in fine fciens plus temporis non fibi remanere. In hujus figuram dixit Dominus antiquo ferpenti Gen. 3. *Tu infidiaberis calcaneo ejus*, fcilicet creaturæ rationali, cujus calcaneus corporalis eft extremitas corporis, finem vitæ defignans: & ficut ferpens in cauda dicitur habere venenum, ita in fine hominis tentationes omnis malitiæ foggerit. De hoc Pf. 16. *Inimici animam meam circumdederunt &c.* Inimici noftri maximi funt dæmones, & hi animam vallo circumdant, cum peccata ante mentem ponunt, & diverfa tentamenta fuggerunt hinc inde. *Adipe fuum concluferunt*, quia abundantem malitiam fuam in animam includere quærunt. *Os eorum locutum eft fuperbiam*, dum videlicet vel de infidelitate, vel de defperatione, vel de taciturnitate Confeffionis morientem tentant.

IX. In vita S. Anfelmi legitur, leporem quemdam a canibus infectatum, per fugam fub eqoo, cui S. Epifcopus infidebat, fuum fibi quæfiviffe refugium, cumque ex inftinctu reverentiæ erga Epifcopum, dictum leporem aggredi, vel attingere non auderent, aera nihilominus latratibus fuis implebant, quod circumftantes, hocque fpectaculum videntes fine rifu diffimulare non poterant; Unde S. Epifcopus occafionem fumpfit faluberrimam illis foggerendi fequentem doctrinam; Ita enim illos alloquebatur: Ridetis? At vero infelici huic lepufculo nullus rifus, nulla lætitia eft. Hoftes ejus circa ipfum funt, & ipfe de vita follicitus confugit ad nos, præfidium flagitans. Hoc plane eft & animæ; nam cum de corpore exit, mox inimici fui fcilicet maligni fpiritus, qoi eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis perfecuti funt crudeliter, adfunt parati eam rapere, & in mortem æternam præcipitare; At ipfa nimis anxia huc illocque circumfpicit, & qoa fe tueatur, defenfionis & auxilii manum fibi porrigi ineffabili defiderio concupifcit; dæmones autem e contrario rident, & magno gaudio gaudent, fi illam nullo fultam adminiculo inveniant. *Vita c. 2.*

X. Confideravit S. Gregorius verba illa ab Angelo devotis Mariis dicta: Nolite expavefcere: ac fi aperte dicat, Paveant illi, qui non amant adventum fupernorum civium; pertimefcant, qui carnalibus defideriis preffi, ad eorum fe focietatem pertingere poffe defperant. Vos autem cur pertimefcitis, quæ veftros concives videtis? Unde & Matthæus Angelum apparoiffe defcribens, ait: Erat autem afpectus ejus ficut fulgur, & veftimenta ejus ficut nix; in fulgure enim terror timoris eft, in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, & terribilis peccatoribus, & blandus eft juftis, recte teftis refurrectionis ejus Angelus, & in fulgure vultus, & in candore habitus demonftratur, ut de ipfa fua fpecie, & terreret reprobos, & mulceret pios. *S. Greg. ho. 21. in Ev.*

XI. Poftquam Sampfon leonem dilaniavit, poft aliquantum temporis ad locum, ubi cadaver jacebat, reverfus, favum mellis in ejus faucibus deprehendit, de quo illud propofuit Problema: *De comedente exivit cibus, & de forti egreffa eft dulcedo.* Porro mors eft leo ille ferox & horribilis, de qua proinde in Offertoria defunctorum dicitur: *Salva me ex ore leonis;* & in Pfalm. 7. *Ne quando rapiat ut leo animam meam*, huncque leonem natura fummopere abhorret, quia in medio vitæ noftræ curfu leo ifte hominem frequenter aggreditur, & pro- *Manfi d. 11. n. 2.*

& prosternit. Quisnam vero ita fortis erit, qui de hoc leone victoriam reportare, in ejusque faucibus mellis suavitatem invenire, eique libenter occurrere possit? Is nimirum, qui velut alter Sampson, spiritum Dei secum habebit, id est, qui vitam aget innocentiæ Christianæ conformem, totumque spiritualis vitæ perfectioni se tradet, is enim mortem nequaquam expavescet.

S. Amb. l. 7. c. 9. in Luc. XII. Ingeniosa est S. Ambrosii super illa a Christo dicta verba ponderatio: Sunt aliqui de hic stantibus, qoi non gustabunt mortem. Ita enim scribit: Non satis est stare, nisi, ubi Christus est, stetur. Soli enim non potuerunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo. Hi enim, qui, quamdiu in terris vixerunt, cum inimico infernali fœdus pepigerunt, timent, & merito, ne in ejus societate post hanc vitam æternaliter crucientur, ac proinde, quando ab hac vita separandi sunt, toto corde contremiscunt.

Mns. d. 30. n. 9. XIII. Merito aliqui faciunt reflexionem super diversum exitum, quem sortiti sunt Magister Pistorum, & Pincerna Pharaonis; Ambo Regis sibi indignationem contraxerunt, in eumdem carcerem, in quo Joseph vinctus detinebatur, conjecti erant, ejusdem erant aulæ collegæ aulici, ejusdem Regis subditi & servi, rei ambo erant, qui Regem suis contra se exasperaverunt excessibus; ac proinde videri poterat, eos parem sortituros esse exitum, sive proprium, sive funestum; Et tamen illorum unus in gratiam Regiam restitutus, alter vero ad patibulum suspensus fuit. Quis mihi diversitatis hujus edisserat causam? omnia in figura contingebant illis; Nimirum ambo Regi Ægypti mundum præfiguranti inserviebant, cum hac tamen differentia, quod Pincerna, qui e carcere ad gratiam pristinam readmissus fuit, denotaverit illum, qui in hujus vitæ Ægypto vivit; sed absque ulla ad hunc mundum affectione, vel adhærescentia; Regi potum propinabat, ita tamen ut ejus manus nequaquam tangeret; ideoque symbolum erat illorum, qui mundo quidem utuntur, sed absque ullo erga mundum hunc affectu, juxta illud Apostoli: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*. Magister vero Pistorum sive coquorum, illum repræsentabat, qui rebus mundi hujus toto affectu immergitur; qui enim farinam & panes aliis præparat: manus semper farina & siliquis inquinatas habet; Hi igitur sunt, quos illa manet terribilis sententia, ut scilicet in patibulo inferni perpetuo suspendantur, quia manus numquam puras habent.

Ibid. XIV. Interrogatus aliquando quidam non minus dives, quam potens, quidnam sibi de vita pœnitente & austera quorundam Religiosorum, & de vita deliciosa & commoda quorundam secundum sensualitatem, & præsentis sæculi usum viventium, videretur? Respondit: cum his vellem vivere; cum illis vero mori optarem. At vero magis Christiana ne responsurus fuisset, ut Drexelius, inquit, cum iisdem opto vivere, quibuscum mori gratum esset, siquidem timenti Deum bene erit in extremis &c. S. Bernardus primus S. Francisci socius in horæ mortis suæ dixisse fertur: Nunc sentio, quid sit in Dei timore vixisse, nunc enim pro toto mundo, nollem me aliam vitam instituisse.

XV. S. Gregorius Nazianzenus caducam vitam nostram describit; cum orat. 10. sic ait: *S. Greg. Naz. or. 10.* Ejusmodi vita nostra est, fratres, qui vitam fluxam ducimus, ejusmodi in terra ludus, ut cum non simus, nascamur; cum nati fumus, rursum dissolvimur. Insomnium fumus minime consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens. Hæc ille. Sæculorum, & temporum ludibrium est vita nostra. Propudiosam ex re obscœnissima trahimus originem, & vix ex illa fœditate emersimus, quando in eamdem magno impetu redimus. Somnium fumus hominis miseri, quem sua noctu imaginatio ludificat, ut se regem sublimem in magnifico throno secundum quietem videat, qui, cum sub dio, atque in trivio noctem exegit, fractus ex duro solo, rigidus ex frigore, nudus ex egestate, famelicus ex longa esurie evigilat. Umbra fumus, quam si tentare manu velis, non potes. Nos aves, nos naves fumus, quarum illæ pennarum remigio ventos, hæ carbasorum alis pelagus fuicant, sed sola vestigia quædam earum, quæ in transitu relinquunt, sed talia ut nullius sint tam radiantes oculorum obtutus, ut ea legere possint. Pulvis fumus, qui graviorem sibi ruinam parat, quo sublimius se a ventorum spiritu ferri permittit. Ros fumus, qui vix solem conspicatur, quando vel pro reverentia cedit de loco, vel præ timore, & admiratione tam splendidæ Majestatis consumitur. Flos fumus, quem sol unus videt apricum, odoratum, mortuum. Cum ergo tam multa fimus & nos, & vita nostra, dico, quod ea propter nihil sumus.

XVI. In primulo sacrarum litterarum vestibulo, atque in ipsis primi & secundi libri titulis magnum mysterium S. Gregorius Nyssenus non absque singulari acumine notavit. Primus Scripturæ liber dicitur Genesis & latine Generatio, sive principium. Secundus liber Exodus, quod Latinis exitus, finis, terminus dicitur. *S. Greg. Nyss. ap. Did. Nyss. S. 4. Do. 3. post Pasc.* Solemne est Hebræis nomina libris ab eorum primordiis indere, & quoniam primo libro ortum Mundi Moyses exequitur, propterea Geneseos, sive generationis nomine donatus fuit. Secundo autem libro texit historiam excessus filiorum Israel a servitute Ægyptiaca, & finem tam duri, atque intolerabilis mancipatus, inde exitum appellandum putaverunt. At nunc quærit sacer Nyssæ Episcopus; quid causæ, quod librum Geneseos sive generationis, & principii statim ille e vestigio sequitur, qui ab exitu, & a fine nomen accepit, sicut inter utrumque non alius intercedat medius. Factum id haud dubie, ut vitæ nostræ brevitas indicaretur, & quam angustis circumscribimur cancellis, ut quorum principium inter, & finem nihil videatur reperiri medium, Hæc tacite philosophatur in primis librorum suorum inscriptionibus Dei amicus Moyses, inquit ille hom. 6. in Eccl. qui sta-

tim

stim cum Genesi, quod est generatio, simul quoque scripsit Exodum, id est, excessum, ut qui ea legerent, quæ scripta sunt, etiam per ipsum ordinem librorum ea discerent, quæ ad ipsos pertinent. Neque enim fieri potest, ut, qui Genesin, generationem, inquam, audierit, non Exodum, id est, excessum protinus cogitet. Juxta hæc quis tam vanus sit, ut vitæ tam vanæ fidat; Et quis secum reputabit, quod vitæ exordio tam vicinus est finis, ut nulli ejus initium occurrat, quin terminum simul obvium habeat, qui non fructuose eam locare curet, & ad horam mortis studiose diligenterque se præparet, quæ tam cito advenit, tamque inopinato nos hinc abripit?

Id. Dis. §. 2. in Dom. 15. post Pent. XVII. Diligentia & industria mali dæmonis factum multi arbitrantur, quod sepulchra extra civitates olim fuerunt constituta, ut ne homines ab oculos haberent memoriam mortis, sed procul abesset, quicquid illam refricare posset: quod stygius ille veterator probe sciret, quam sit hoc validum ad continendos in officio homines, emolliendosque peccatores remedium. Confirmatur id ex eo, quod alterius vitæ homines, qui ad nos redeunt, tamquam a vita nostra sibi timeant, fragilitatis suæ monumentum, quo tueantur, secum ferant, neque veniant, nisi bene tecti funebri linteo, quo involuti fuerunt, quando mortui. Revixit Samuel, visusque est pythonissæ, quæ, cum a Saule interrogaretur, qualis formæ vir esset, qui visus, respondit: *Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio.* 1. Reg. 28. 14. Quæsitum a multis, quale hoc pallium fuerit Samuelis. Rabbi Salomon respondet: Fuit pallium, cum quo sepultus est. Sed quorsum funebri illo amictu indutus advenit, qui paulo post ab hac vita iterum abiturus erat? Tam vilia, aut non ornatoria, præclarioraque sunt alterius vitæ vestimenta? Habet illud ævum vestes tum elegantiores, tum pretiosiores; sed venit cum ferali suo amiculo Samuel, ut ejus, quam jam oppetierat, mortis insigne aliquod secum ferret, continuoque ob oculos haberet, quasi nemo in hac vita vel momento securus degere possit, nisi in consideratione fragilitatis propriæ positus. Propterea etiam Samuel, tamquam præsidio tali opus habuisset, pallio suo capulari se texit, & velut obarmavit. Atque ille quidem istud in litore, & portu; quid ergo nos inter tempestatum procellas in medio mari, & præsentaneis periculis agamus.

Utilitas memoriæ mortis.

Idem. XVIII. Solent apes, cum toto semel agmine ab alveari eruperunt, dissipari, & ægre sub tecta priora reverti. Sed quo remedio fieri possit, ut iterum coeant, & in priores cellulas se recipiant? Plinius lib. 36. c. ult. hac arte revocari posse docet: Pulvere e vestigio anguium collecto, sparsæ apes in alvearia revertuntur. Quam facile ad peccandum erumpunt homines? quam leviter ab æquo & bono recedunt? ut vero in semitam redeant, quid agas? Sume pulverem, sume cinerem, sume pauxillum terræ, in quam primævi angiuis dolo rediimus, atque ea frontem memoriamque homini perfrica; ita facies, ut ad meliorem frugem se recipiat, & intra legum cancellos se studiose contineat, & morum emendationi sollicite invigilet: Pulvere e vestigio anguium collecto, sparsæ apes in alvearia revertuntur. Diabolus certe in unam nostram perniciem maxime semper intentus, cum sciat, quæ nobis ex mortis recordatione emolumenta proveniant, ut illius quam minime meminerimus, magnis modis laborat.

XIX. Ingrediebatur S. David quondam castra Saulis, comites habens Abisai, & nonnullos fortissimorum robustissimos alios, invenitque tum regem, tum exercitum illius omnem alto somno sopitum. Vidit Abisai promptam, securamque trucidandi hostis opportunitatem, simulque suasit Davidi, ut ne tam præclaram occasionem elabi sineret, vitamque adimeret homini, per quem vix sibi vivere liceret. Respondit pius Rex: *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini.* 1. Reg. 26. 10. 11. Qui hic refrænavit Davidem, ut nullis suasibus in cædem insensissimi hostis adduci posset? Respondet S. Joannes Chrysostomus Homil. de David & Saul: Conspiciebat Saulem dormientem, ac de morte communi omnibus philosophatur; somnium enim nihil aliud, quam mors temporaria, & unius diei interitus. Hoc ergo Davidem ab inferenda nece abstinuit, quod vivam in dormiente Saule imaginem mortis videns, sibi etiam paratam, nec diu post forte si non ab alio, a Deo saltem inferenda cogitavit. At si mors picta tantum valuit, mortis ipsa quid non poterit? *Ibid.*

XX. Celebris illa Davidis neminem latet actio, quando Philisthæis urbem Bethlehemiticam obsidentibus, aquam cisternæ Bethlehemiticæ sitire cœpit; quo intellecto desiderio, tres milites cum manifesto vitæ periculo inimicas penetrando phalanges, aquam attulere, Regique præsentarunt, at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Ubi S. Ambrosius, cur David aquam illam bibere recusarit, hanc assignat causam: Eo quod suavitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret. *Id. Apo. 1. de Dav. c. 7.*

XXI. Antiqui Idololatræ cadavera in cineres ac pulverem reducere solebant per ignem; forsitan ex astuti serpentis consilio, ut ita simul cum cadaverum dispersione, simul mortis progenitorum evanesceret memoria; Sciebat namque, quantum sibi libellum cieret memoria mortis. *Mans. 4. 1. 2. 8.*

XXII. S. Antoninus sequentem ex S. Joanne Damasceno affert discursum: Quidam dum a facie unicornis, ne ab eo devoraretur, velocius fugeret, in quoddam barathrum magnum cecidit; cum autem cederet, manibus arbusculam apprehendit, & in basi quadam lubrica & instabili pedes fixit; respiciens vero vidit duos mures unum album, & alterum *S. Ant. p. 1. tit. 8. c. 1. §. 10.*

rum nigrum incessanter radicem arbusculæ, quam apprehenderat, rodentes, & jam prope erant, ut ipsum abscinderent; in fundo autem barathri vidit Draconem terribilem spirantem ignem, & aperto ore ipsum devorare cupientem, super basim vero, ubi se sustentantem tenebat, vidit quatuor aspidum capita inde prodeuntium; Elevans autem oculos vidit exiguum mellis de ramis illius arbusculæ exire, oblitusque periculi, in quo undique positus erat, se ipsum dulcedini illius modici mellis totum dedit. Quis igitur hominem istum non judicaret insanum, qui ita attendit ad illud modicum delectationis habendum, quod tam multiplicis periculi obliviscitur, tanquam cæcus esset, ac ipsum non videret; ideo orabat Psalmista: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, id est, in consideratione mortis, *ne quando dicat inimicus meus*, scilicet diabolus, *prævalui adversus eum*, scilicet per peccatum. Unicornis mortis tenet figuram, quod homines semper persequitur, & apprehendere cupit. Unde dicitur Job. 34. *Numquid volet rhinoceros servire tibi?* Rhinoceros est unicornis, & iste non vult alicui servire, quia mors nemini vult subjici, aut parcere, ita ut elephantem etiam cornu in ventrem figens interimat, quia scilicet mors quemcumque virtute, vel scientia, aut potestate magnum interimit. Barathrum Mundus est omnibus malis plenum; arbuscula uniuscujusque est vita, quæ per horas diei & noctis, quasi per murem nigrum & album, incessanter consumitur, & incisioni appropioquat. Basis quatuor aspidum, corpus est ex quatuor elementis compositum, quibus inordinatis, corporis compago dissolvitur. Draco terribilis, est Infernus, cunctos devorare cupiens. Dulcedo ramusculi mellea, est delectatio fallax Mundi, per quam homo seducitur, ne suum periculum intueatur, & sic dum mundi delectationibus vacat, & se moriturum non considerat, consumpta radica arbusculæ, & base destructa in fossa tum cadit, & ibi desiderium peccatorum peribit; sed dum mortem bene recogitat propinquam, mel dimittit delectationis mundanæ, & peccatum & periculum evadit.

Mansi d. 7. n. 7. XXIII. Eadem stultitia nonnullorum, mortem minime considerantium, sed ad radices in hoc mundo agendas contendentium, sequenti similitudine exprimi potest: Si quis ædificium castructum haberet juxta impetuosum torrentem, qui contiguam identidem roderet & absumeret terram, illius autem fabrica non nisi ad tres vel quatuor ad summum distaret palmos, num quis adeo ab omni mente alienus foret, ut inibi curiosa exstrueret æstiva ambulacra, aut cubicula auro distincta, pretiosisque incrustata lapidibus, ut statuas inibi erigeret, aut picturas celebriores? si namque fabricam suam vel unico instanti pertimescit abripiendam fluminis impetu, nullos unquam singulares adhibebit sumptus, aut suam circa hujusmodi ædificium applicabit mentem. Quorsum igitur & quamdiu nos insaniemus in exstruendis vanitatum turribus, qui omnes morimur, & quasi aquæ dillabimur in terram? veritas indubitata & practica est, quoniam aquæ illæ vicinæ sunt, nostrisque inhiant faucibus, & nihilominus quis est, qui hoc ipsum consideret ex omnibus? Omnibus mors imminet, & nihilominus indefinenter suum quilibet ingenium, peculium, tempus, & quicquid possidet, in domus hujus fabricam expendit, atque dilapidat, nullo mortis, quæ identidem humeris imminet, habito respectu.

XXIV. Cum Dominus vineæ ficulneam infructuosam amputari jussisset, vinitor se interposuit, rogavitque, ut saltem unius anni spatio eamdem toleraret, promittens omnem ex parte sua diligentiam & industriam, ad hoc requisitam, ut fructificaret. Sed quomodo id se obtenturum sperabat? *usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora*. Fossa autem & stercora illa mortem præfigurant, quia memoria putredinis, vermium, & sepulturæ optimum est remedium, ut anima aliqua antea sterilis bonorum & virtuosorum operum referat fructus. *Id. dist. 2. n. 3.*

XXV. Si tam potans & efficax est mortis recordatio, non sim nimius, si illius potentiam cum virtute Nominis Jesu quodammodo contendere posse dicam. Quæ alia tam valida & invicta arx, ac dulcissimum Domini nostri nomen? De illo, inquit, Salomon Prov. 18. 10. *Turris fortissima nomen Domini*, ad ipsum currit justus, & exaltabitur. Salazar, insignis harum parœmiarum interpres ait, quod ea verba multi Hebræorum de ineffabili nomine Jehovah accipiunt, ad sanctissimum autem nomen Jesu alii consequenter trahere contendunt, propter affinitatem litterarum utriusque nominis. Sacrosanctum ergo hoc Domini nostri nomen munitissima turris est, qui in eam sese recipit, is exaltabitur, & gloriose de hoste triumphos refert. *Salazar ep. Nyss. Dom. 11. post Pent. §. 2.*

XXVI. Quotiescumque Summus Pontifex aliquis in Basilica S. Joannis Lateranensis solemniter possessionem capit sui Pontificatus, levis quædam stupa virgæ summitati affixa accenditur, quæ post editam luminosam quamdam flammulam, in fumum & cinerem in momento redigitur, ut per hanc cæremoniam omnium humanarum dignitatum, quæ citò in cinerem convertuntur, fugacitas electo Pontifici insinuetur. Unde præco quidam clara voce clamat: *Beatissime Pater, sic transit gloria mundi*. Quibus verbis addi merito posset: *Neque descendet tecum, vel cum eo gloria ejus*. *Mansi d. 6. n. 3.*

XXVII. De consuetudine aliquando fuit Imperatorum, quod, cum essent electi, prima die coronationis eorum veniebat ad eum Lapicidarius, deferens in manu sua tres vel quatuor petras marmorum diversorum colorum dicens: Jubeat Dominus Imperator, de quo genere marmoris velit sibi fieri sepulchrum, quia homo mortalis est; & hoc fiebat ad dandam sibi occasionem humiliationis ex memoria mortis. Illæ namque manus, quæ sceptris moderabantur, quæ unico dumtaxat nutu validissimos, quocumque volebant, dirigebant, & destinabant exercitus, coram qui- *S. Anton. p. 4. tit. 14. c. 8. §. 7.*

quibus totus contremiscebat mundus, tandem a validissimis devorantur vermibus; caput illud, quod innumeris populis atque Provinciis leges decernebat, unico ictu susque deque versum in sepulchrum reconditur; corpus, quod Regio splendebat paludamento, tineis coopertum conspicitur, juxta illud Isaiæ: *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erit vermis.*

Myst. l. c. XXVIII. Joannes de S. Geminiano, Vincentius Bellovacensis, Berchorius, & plures alii de Basilisco ajunt, quod S. Ambrosius in Psalm. 118. Oct. 10. his verbis affirmat: Basiliscus si quodcumque prior viderit animal, fertur occidere, & allegatur, statim necari, qui potuerit a serpente hujusmodi præviderı; ipse quoque serpens mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu. Visu perdit, ac perit, cædit, caditque Basiliscus. Quæro, cur mors malis est tam exitialis? *Mors peccatorum pessima.* Psalm. 33. 22. Cur justo tam salutaris? *Nam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Psalm. 115. 15. Qui fit, quod justus morti vitam adimit, & peccatori mors mortem deteriorem adfert? Respondeo, Mors Basiliscus quidam est. Qui mortem præmeditatur, ac diu ante quam adveniat, prævidet, nihil huic ab illa incommodi venit. At quem illa præoccupat, & prior videt, eumdem intoxicat, & necat. Et quoniam justus eam aspectu suo prævenit, propterea etiam vincit, & veneno suo exonerat: Mori dicitur, si fuerit hominis præventus aspectu; peccatorem vero, qui se videri priorem, patitur, occidit: Allegatur statim occidi, qui potuerit a serpente hujusmodi prævideri. Hinc intelligetis id, quod de venerabili illo sene Simeone S. Lucas ait: *Responsum acceperat Simeon a Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Dominum*, Luc. 2. 26. Non dicit, quod sit mors illum visura, sed ille mortem. Hoc enim justus a peccatore differt, quod ille mortem prior videt, adeo etiam superat; hic prior a morte videtur, atque idcirco mactatur, Ergo vigilemus, ut mortem diuturna meditatione præoccupemus, & visu venenatum hunc Basiliscum præveniamus; sic enim omne ab illo toxicum auferemus, atque in voluptatem, & vitam nostram convertemus.

Ib. Dem. 8. post Pen. §. 2. XXIX. De militiæ Romanæ Tyronibus ait Vegetius lib. 1. c. 18. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hos juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogebantur ascendere: hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultibus prælii sine mora ascenderent, qui tam studiose exercebantur in pace. O quam prudenter dictum: In tumultu prælii sine mora ascenderent, qui studiose exercebantur in pace! Quam ardua res, inter confusæ multitudines concurrentium militum, & omnia miscentium strepitu, dextre quidquam agere; si inter otia pacis non crebra exercitatione assueveris! Nullus tam confusus, ac tumultuarius, quam supremus vitæ cum morte conflictus, ubi & mortis timor, & Judicis multo gravior metus, & conscientiæ anxietas, & vitæ amor, & morbi acerbitas, & plura alia sunt, quæ omnia miscent, ut anima adspicere non possit, quomodo recte tunc agere possit, quæ non diuturna, frequentique meditatione ante ad hanc se pugnam studiose compararit.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. MOrs falcata pingitur, qualem olim S. Joannes vidit, similem Filio Hominis, habentem in capite coronam auream, & in manu sua falcem acutam; nam ut Christus omnium Judex, sic mors omnium est carnifex, & falx utriusque est index. *Apoc. 14. v. 14.*

II. Diogenes Cynicus inter bustuarla obambulans sciscitanti Alexandro, quid ibi ageret? Patris tui Philippi, respondit, calvariam quæro, sed internoscere nequeo: tu, si potes, ostende. *Bef. conc. 21. de mor. p. 1.*

III. Idem rogatus, num quid mali esset mors? respondit: Quo pacto malum, cum præsentem non sentiamus? quod autem abest, nulli malum est. Dum sentit homo, vivit; nondum igitur adest mors, quæ, si adsit, abest sensus: Malum autem non est, quod non sentitur. *Laert. l. 6.*

IV. Tres sunt nuntii mortis, Casus, Infirmitas, Senectus; Casus dubia, Infirmitas gravia, Senectus certa denunciat. Casus nuntiat mortem latentem, Infirmitas apparentem, Senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine Senectutis non obstinatio, sed humilitas & afflictio sequi debet. *Hugo de claustro animæ l. 2.*

V. Gorgias jam vicinus morti, & sensim in somnum delapsus, cum quæsitus suisset, quid ageret? jam somnus, respondit, me fratri suo tradere incipit. *Laert. l. 6.*

VI. Mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. Nemo mortem suam laudat, sed eum, cujus mors abstulit animum: interest, utrum malitia illi, an virtus manum admoverit. Mors enim, quæ in Catone gloriosa est, in Bruto turpis & erubescenda. Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. *Sen. epist. 82.*

VII. Guilielmus Dux Bavariæ in somno vidit cervum eminentis staturæ in altero cornu campanulas, in altero accensos cereos ferentem, qui a venatoribus canibusque agitatus, cum omnes effugiendi vias interclusas cerneret, in apertum cœmeterii D. Virginis sepulchrum fugit, ibique captus & occisus est. Ex quo somnio evigilans Princeps, ego, inquiebat, sum ille cervus, quare & in dicto cœmeterio sepeliri volo. Quod & factum, morte brevi secuta. *Drex. in prodr. c. 1. §. 13.*

VIII. Olim paravit Deus vermem ascensu diluculi, & percussit hederam, & exaruit. Hedera talis homo est, vermis mors. *Jonæ. 4.*

IX. Militia est vita hominis super terram: tessera nostra pulvis est; hinc hominem agnoscas. Memento ergo homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Bes. con. 4. p. 1.*

X. Recte cecinit quidam Poeta:
Nudus ut in terram veni, sic nudus abibo. *Inch. p. 1. de nov. c. 12.*
Quid frustra sudo, funera nuda videns.

Hoc est:

Auff Erden bin ich kommen blos,
Da d' Mutter mich gebohren,
Blos keher ich in der Erden Schos,
Vuird alles seyn verlohren.

S. Jo. Dam. c. 12. vit. XI. Barlaamus mortem Unicorni ferocienti, & hominem insequenti comparat, vitam arbori, in qua homo se aliquamdiu sustentat, donec a duobus muribus, albo & atro (puta die ac nocte) radice absumpta, cum arbore cadat. Infra ipsum scrobem apertam (orbem miseriis refertum) & in ea Draconem horrendum (infernas fauces) ex quatuor vero lateribus, quatuor aspides (elementa) fingit. An non ergo merito homo timeat? an non stulte agit, si sui securus guttam mellis ex arbore decerpat?

Drex. in prodr. c. 2. §. 2. XII. Senex quidam cum mors raptura hominem adesset, illeque quereretur, se monitum numquam fuisse, respondit: Illa, sat monitum esse, dum tot Infantum, Juvenum, Senumque funera, & præterea suos etiam canos aspexisset; hos enim fidissimos mortis nuntios esse.

Engelgr. in Pa. 30. f. Francisc. B 28. XIII. Numa Romanus Rex in cubiculo suo speculum appendit, calvis mortuorum circumcinctum, quos inter hoc lemma legebatur: Speculum hoc non fallit.

Senec l. 1. nat. qq. c. 22. XIV. Sed & Seneca ait, inventa esse specula, ut homo seipsum nosceret; ut juvenis ætatis flore admoneretur, tempus illud esse difeendi; senex ut in decora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.

In ann. Ferragusr. 1613. c. 16. XV. Viderat in reductione S. Mariæ Majoris parvulus, necdum rationis compos frequentes in templo exequias, a quibus domum reversus in defuncti modum corpusculum humi componebat; patremque suum rogabat, ut moriendi sibi potestatem faceret. Usurpavit id frequenter puerulus, donec pater repetitis toties precibus commotus: Si te, ait, fili, mi, evocare Deus voluerit, non inficior, ut qui illius nutum observare in omnibus studeam. Morere, fili mi! morere, si Deus te mori voluerit. Hoc patris accepto responso exurgit puer valens, ac vegetus; atque ubi se morientis in morem in lectulo composuit, continuo moritur.

Vita l. 2. c. 1. XVI. Reverendi P. Petri Fourier, qui anno 1565. Miracuriæ, Gallice Metaincour, prid. Kalend. Decembr. in Lotharingia natus est, Pater, Dominicus Fourier moriturus, collectis viribus pileolum capiti detraxit, ac junctis manibus oculisque in cælum fixis mortem expectabat. Consanguineis monentibus, ne nudato capite malum augeret; respondit: *Nemo vestrum Principi donum, aut litteras offert, nisi detecto capite. Ego quoque animam a Deo mihi tot annis commodatam, ut qua par est, reverentia offeram maximi momenti donum, permittite.* Ita hoc situ mortuus est.

Lud. Guy. m. 2. l. 4. c. 10. XVII. Carolus VIII. Galliæ Rex 7. Aprilis 1498. cum conjuge sua Britannica iturus ad spectandos nobiles in fossa arcis Ambianensis pila lusuros, ambulacrum adiit, in cujus male farti limine & postibus, capite, staturæ licet ipse non altæ, offendit; inde spectans ludos hilariter cum Regina, subito catarrho opprimitur, amisso omni sensu, & sensuum functione. Ita sui impos decidit in cloacam, quæ illi proxima erat; neque ulli e Regiis ministris, qui adstabant, in mentem venit, Regem in regium lectum deportare, qui inde non nisi viginti passibus distabat. Jacuit in loco tam fœtido novem horas, & inibi mortuus est. Ita Rex florentissimus, & liliorum, nuper adeo post obtentas geminas insignes victorias, & occupatum regnum Neapolitanum, totamque Calabriam & Apuliam, non alium mortis locum habuit.

XVIII. Cleopatra varia genera collegit venenorum lethalium, quorum singula ut periclitaretur, quod minimum doloris sensum afferret, obtulit rerum capitalium custodiis; ubi animadvertit, ea quæ mortem accelerarent, cum dolore maturare leniora, autem deficì celeritate, transiit ad bestias. Aspiciebat cum alia aliis admoveretur. Tractabat id quotidie, atque in omnibus pene unicum invenit aspidis morsum citra contractionem membrorum vel gemitum, gravem soporem & torporem inducere cum faciei molli sudore, & sensuum stupore facile elanguescentium, & ægre ferentium, sicut qui alto somno mersi sunt, expergesieri, aut excitari. Hinc eidem paranti sibi clam necem inferre eo ipso die, quo etiam post balneum splendide epulata est, cista rure veniens allata est a quodam, qui a satellitibus rogatus, quid ferret, depositis foliis, ait se ficus ferre Cleopatræ. Laudantibus, ficus arridens, invitavit, ut sumerent, sed abstinuere. Tum referata janua in lectum se condidit, in aureo jacens lecto, regio cultu exornata: ajunt, aspidem inter ficos illatam, foliisque fuisse obtectam. Ita enim jussisse Cleopatram, ut ignorantis corpus bestiæ invaderet; ut igitur de ficis tollens eam conspexit, brachium nudatum morsui ejus præbuit. Plutarch. in Antonio.

Utilitas.

XIX. Nil melius æterna Lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, multos exitus. Sen. ep. 66.

XX. Ægyptii olim in divitum epulis cadaver ligneum ostendebant dicentes, in hunc intuens: Pota, & oblecta te, talis post mortem futurus, ut hoc fræno intemperantiam coercerent. Herod. l. 2.

XXI. Agis interrogatus, quo pacto quis libertatem tueri posset? si mortem, inquit, contempserit. Cum vero injuste ad laqueum damnato lictor quidam flendo condoleret, desine, dixit illi, vicem meam flere; nam sic moriens, melior sum iis, qui me occidunt. Plutarch. in Lacon.

XXII. Mors & exilium, & omnia, quæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidie versentur, omnium vero maxime mors; sic nihil unquam humile cogitabis, nec impense cupies quicquam, inquit, sapienter Epictetus. Epict. in Enchir. c. 28.

XXIII. Aquila cervum expugnatura, multum pulverem excutit in oculos, & pennis ora verberat, donec præcipitet in rupes; sic Ecclesia in die Cinerum cineres capiti inspergit, ut nos hoc pacto per mortis memoriam sibi, & Deo subjectos efficiat. Plin. l. 10. c. 4.

XXIV.

Plut. in consol. XXIV. Simonides Philosophus poscenti a se Pausaniæ Regi Lacedæmoniorum, ut memnosymon e Philosophia promeret, e quo melior evadere posset. Hominem, ajebat, te, & mortalem memineris.

Bellaut conc. 1. de mort. XXV. Solon ad elatos spiritus Græcorum retundendos, Delphici templi valvis inscripsit: Nosce teipsum, quis, unde, quo tendas, nam vivendo moreris, & moriendo vivis.

Fulg. l. 1. XXVI. Saladinus domitor Asiæ indusium suum post mortem in pertica suspendi, simulque clamari jussit: Hoc spolium Orientis terror: & domitor Asiæ Saladinus ex tot triumphis secum abstulit.

XXVII. Pavo cum oculatæ iridis sinuosa volumina pandit, ubi nigredinem pedum conspicit, mox cristam cadere sinit; idem eveniet homini ob sua dona & talenta elato, si pedes suos, id est, vitæ exitum, & quid post mortem futurus sit, consideret.

Plut. ap. Bel. c. 7. de mort. XXVIII. Cum Agamedes & Triphonius Architecti pro constructo Apollini fano mercedem ab eo, quam optimam haberent, postulassent, respondit ille: Post ostiduum voti compotes eritis. Unde dic septimo ambo mortui sunt, quasi a Deo nec dari, nec peti melius quid morte possit.

S. Hier. l. 2. contr. Jovin. XXIX. Plato relicta Atheniensium Civitate, cum quibusdam suis discipulis in villa quadam antiqua & ruinosa commoratus est, ut timore periculorum, ex frequenti terræ motu ortorum, in se vitia carnis & inordinatas alias concupiscentias refrænaret.

Plut. de sera Num. vind. XXX. Cum de Thespesio scelerato homine oraculum fuisset consultum, num quæ spes foret ipsum emendandi? responsum est: Melior erit, postquam mortuus fuerit. Paulo post itaque gravi casu collisus ad terram per triduum exanimis jacuit; reversum tandem ad se, retulit quemdam e suis cognatis ad se accessisse, dixisseque: Salve Thespesi, cumque ille diceret, se Aridæum vocari, subjecit cognatus: Aridæus fuisti, sed deinceps Thespesius, id est, divinus eris. Et sic factum vita post acta probavit.

S. Bern. s. de prim. medio. & noviss. XXXI. Memorare novissima, ait Siracides, & non peccabis; & non ait memorare primordia aut media: validior enim, & vehementior est Spiritus timoris ad resistendum peccato, quam pudor, & dolor; quia pudor de similitudine, & dolor de qualicumque hujus mundi consolatione capit solatium; timor vero non invenit, ubi consoletur.

Id. s. ad milit. de temp. c. 11. XXXII. Inter sancta & desiderabilia loca sepulchrum tenet quodammodo principatum, & devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requiescit, quam ubi vivus conversatus est.

XXXIII. S. Joannes post alios tres equos vidit quartum pallidum; & qui sedebat super eum nomen illi mors.

S. Albert. in c. 22. Matth. XXXIV. Rex Evangelicus solos illos admisit ad nuptias, qui vocati sunt apud exitus viarum: Illi autem juxta S. Albertum Magnum, sunt in exitibus viarum, qui mortem suam jugiter prospiciunt, & qui se credunt quotidie morituros. Et certe tales dignos se efficiunt, ut ad Christi nuptias introire mereantur; quicumque enim mortis suæ efficaciter recordantur, student esse patientes, continentes, & obedientes.

XXXV. Etsi Christus illos, quos a morbis curaverat, exhortatus sit, ne deinceps amplius peccarent; nulli tamen a morte resuscitato similem adhortationem fecit, eo quod mors ipsa utpote optimus Magister, eos imbuendos susceperit, ut Nyssenus discurrit. *Nyssenus s. in die Cin. s. 4.*

XXXVI. Cum Christus regionem Gerasenorum intrasset, occurrerunt ei duo dæmonia habentes de monumentis exeuntes: super quæ verba S. Petrus Chrysologus dicit: Exeunt de monumentis, & versa vice captivos ferunt, a quibus fuerant captivati; sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur, nimirum ex repræsentatione mortis roborati. *Matt. 8. v. 28.* *S. Petrus Chrysolog. ser. 16.*

XXXVII. Licet pœna inferni reipsa sit gravior, quam mors corporis, comminatio tamen corporalis mortis acrior, & vehementior est ad commovendum hominem; hinc Deus Adamo mortem, non infernum minatus est, si vetitum pomum comesturus esset. *Nyss. in fer. 5. post Dom. 4. quad. s. 1.*

XXXVIII. S. Ambrosius quærit, cur S. David ab aquæ, quam tres robustissimi per mediam Philistinorum aciem cum periculo vitæ penetrantes attulerant, potu abstinuerit? & respondet: Suavitatem bibendi habere non poterat, quæ propositæ mortis horrore constabat. Nempe, ut addit Nyssenus, ob oculos mortis, licet solum cogitatæ, nulla est sine multo felle voluptas, nulla sine amarore dulcedo, nullæ sine anxiis curis deliciæ. *S. Ambr in apol. David.* *Nyss. l. cit.*

XXXIX. Deus primis parentibus post offensam tunicas pelliceas ex pellibus mortuorum animalium injecit, ut expressam suæ fragilitatis imaginem cernerent, ex iisque, quid paulo post futuri essent, perdiscerent; de quibus tunicis sic loquitur Theodorus: Tunicas pelliceas dedit illis Deus ex ineffabilibus thesauris, quare minime quærendum est, unde eas attulerit. Nam, ut Isidorus advertit, tunica appellata est, quia in metu incedentis sonum facit; tonus enim sonus est, unde primis parentibus tunicæ pelliceæ post lapsum sunt factæ, ut perpetuum suæ fragilitatis & instabilitatis monitorem haberent. *Theodor. cath.* *Isid. l. 19. Etym. c. 22.*

XL. S. Chrysostomus quærit, cur paterfamilias novissimis vineæ operariis eamdem ac primis mercedem dederit? & respondet: primos operarios fuisse ex justis primi sæculi, qui, quia ætatem suam prolixiorem cogitabant, quodammodo negligentes eos faciebat circa justitiam, & refrigescere faciebat animas eorum expectatio sæculi longioris, & illis infrigidatio erat cognoscere mundi spatia esse longiora; at postremi, quia brevitatem vitæ ab oculos habebant, seipsos incitabant, & accendebantur amore Dei, ut, quanto brevius habebant spatium temporis, tanto ferventius in vinea Domini laborarent. *S. Chrys. ap. Nyss. loc. cit.*

XLI. De sponsa olim dixerunt Superi: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii; ubi eam omnigenis virtutibus per pulverem universum intellectis repletam fuisse ex eo colligunt, quod myrrham & thus, id est, studium ora- *Cantic. v. 6.*

tionis, & considerationem mortis, velut radices & causas omnium virtutum habuerint; *S. Albert. fol. 6.* nam, ut bene S. Albertus Magnus advertit, quicumque mortis suæ efficaciter recordantur, student esse continentes & obedientes: nituntur semetipsos per veram contritionem, & peccatorum confessionem a peccatorum maculis expiare, non negligunt eleemosynas suas pauperibus erogare, non cessant orationibus ac aliis bonis operibus invigilare.

Plin. l. 20. cap. ult. XLII. Plinius de apibus scribit, quod pulvere ex vestigio anguium collecto sparsæ in alvearia revertantur; idem hominibus accidit, qui, si a justitia & bonorum operum studio discedunt, cinere, qui ex primævi anguis dolo collectus est, conspersi ad alveare suum, idest, vitæ melioris statum revertuntur.

Cajet. in c. 3. Gen. XLIII. Observat acute Cajetanus, quod Deus olim serpenti dixerit: Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Et numerum pluralem propterea usurpavit, quia non sufficit inimicum esse diabolo quoad ea, quæ sunt fidei aut spei, sed oportet inimicum esse secundum omnes partes, secundum ea, quæ sunt castitatis, abstinentiæ, misericordiæ & reliquorum sanctorum officiorum. Has autem inimicitias *S. Clim. gr. 14.* quomodo procurare debeamus, docet S Climacus, sic gulam loquentem introducens: Inimicitias per omnia contra me gerit mortis intenta cogitatio. Unde aliqui virtutem & efficaciam hujus considerationis, efficaciæ nominis Jesu comparant, ajuntque illi suo modo applicari illud elogium posse: Turris fortissima nomen Domini; ad ipsum currit justus, & *Evag. ep. ad Anas.* exaltabitur. Hinc Evagrius ait: Ad omnem anhelitum nomen Jesu & mortis meditationem adjunge; ingentem enim ambæ utilitatem afferre consueverunt.

Sand. l. 1. Schis. Angl. XLIV. Card. Reginaldus Polus cum audivisset Henricum Regem quinquagiota millia aureorum promisisse illi, qui ipsum occisurus esset, miratus Regis amentiam dicit: jam dudum se hujus vitæ tædio affectum, mortem desiderasse, nec Henricum aliud agere, quam si quis ire dormitum cupienti, vestem velit detrahere.

Necessitas.

S. Fulg. l. 1. mith. c. 7. XLV. Veteres, ut S. Fulgentius notat, mortem non immerito *Atropos*, id est, *sine ordine* vocarunt; quia mortis conditio sine lege venit.

Hebr. 9. v. 27. XLVI. Illa verba Apostoli: statutum est hominibus semel mori: varii varie explicant; nam Theophylactus legit *destinatum* est; seu electum, & certo fini assignatum. Alii destinatum, id est adstrictum, alligatumque mortis legi ac imperio, S. Chrysostomus legit *institutum*, ac si diceret: Hæc est professio hominis, ut suo tempore moriatur.

Ps. 101. v. 10. Beda l. de trad. XLVII. Illud Psalmistæ: Cinerem tamquam panem manducabam: Venerabilis Beda sic exponit: Cinerem tamquam panem manducabam, id est, memoria infirmitatis & conditionis meæ, qua memini me pulverem, & cinerem esse, panis mihi est, refectio mea. Hinc & Christus docuit, panem quotidianum *hodie* petere, ut incertitudinem horæ ultimæ semper ob oculos haberemus. Unde exclamans S. Augustinus ait: O Sapientia vera, & divina providentia, quæ docuit & panem suum petere, & hodie nominare! hoc enim dicto & avidiras cum avaritia tollitur, & humanæ vitæ insinuatur incertum &c. Competenter ergo oramus: panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quia crastinus dies, quid pariat, ignoramus.

XLVIII. Etiam in illa Sententia: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum: mortem nobis Christus in memoriam revocare voluit; nam, ut Nyssenus ait, dicere quodammodo voluit, neminem potiturum æterna beatitudine, nisi existimatione sua mortuo similis fiat, ut per omnia simillimus puer est. Hinc Artemidorus ajebat: Si quis somniaret, se puerum esse, ægrotanti mortem prænuntiari; quandoquidem & mortui laceris involvuntur pannis, & linteolis, quemadmodum infantes, & humi deponuntur. *Matt. 18. v. 3. Nyss. f. 1. in die Cin. §. 2.*

XLIX. Mundi conditio similis est illis locis, quæ Castellani *Bebetria* vocant, ut enim in his, quantumcumque sit aliquis nobilis, tributum pendere debet; ita & in mundo nemo eximitur a mortis tributo pendendo. *Nyss. §. 2. in Fer. 5. post Dom. 4. Quad.*

L. Rupertus Abbas quærit, cur Abrahæ post mortem uxoris Saræ, Deus non amplius apparuerit? & respondet, quod prius ob varias insidias & tentationes robore, & consolatione egebat; post mortem vero Saræ, mors ipsa hoc robur conferebat; nec enim ars est tam munita, nec murus tam validus, qui adeo suos tueatur incolas, quemadmodum feria mortis cogitatio omnem ab animo tentationem prohibet, atque adversus insidias diaboli, mundi vanitates, & blanditias carnis defendit. *Ruper. in c. 15. Gen.*

Certitudo mortis.

LI. De hac recte Poeta: *Ovid. ad Liviam.*
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam.
Omnia sub leges mors vocat atra suas.

LII. Et alius: *Cornel. Gallus.*
Omnibus est eadem lethi via: non tamen unus.
Est vitæ cunctis, exitiique modus.

LIII. Et iterum alius: *Statius 2. Silv. 1.*
Quidquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes,
Ibimus, immensis urnam quatit Æacus umbris.

LIV. Cui nasci contingit, mori restat: intervallisque distinguimur, cætera æquamur. *Cornel. Gallus.*

LV. Sed, & alius: *Ap. Bess. concl. 2.*
Est commune mori: mors nulli parcit honori;
Dives, & fortis veniunt ad funera mortis.

Incertitudo quoad tempus.

LVI. *Fleres, si scires, unum tua tempora mensem.* *Inchinus p. 1. c. 23.*
Rides, cum non sit forsitan una dies?

LVII.

Horat. l. 4. odar. LVII. *Quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina vitæ*
Tempora Di superi?

Plutarc. in apoph. LVIII. Iphicrates semper in armis stare exercitum volebat, etsi in solo amicorum consisteret; causam rogatus respondit: Ne ex improviso obrutus dicere cogar: non putaram: quanto magis idem in militia Christiana faciendum est.

LIX. Annibal, quamdiu Scipionem sibi instare sciebat, arma numquam exuit, nec dormivit, nisi vigilantibus Ducibus; quid Scipio ad mortem? merito ergo Cicero, moriendum, inquit, certo est, sed incertum, an eo ipso die, Mortem igitur omnibus horis impendentem timeas. *Cicero in Caton.*

Mors desideranda.

Sen. epist. 78. LX. Quid fles miser? quid trepidas? omnes hac necessitate ducuntur: eo ibis, quo omnia eunt. Ad hanc legem natus es. Hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. Quantus te populus moriturum sequetur? quantus concomitabitur? Fortior, ut opinor esses, si multi tibi commorerentur, multa millia hominum hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animum variis generibus emittunt; an non putabis, te ad id aliquando perventurum, ad quod semper ibas? nullum sine exitu iter est.

Cicero c. 1. Tusc. 49. LXI. Proh Dii immortales! quam iter illud jucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit.

Idem l. 1. LXII. Nemo censet fugiendam esse mortem, quam immortalitas sequatur. Jam sensus moriendi, si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus durat, præsertim seni: post mortem autem aut sensus nullus est, aut optandus.

Senec. ep. 88. LXIII. Stultum est timere, quod non possis vitare. Mortem non effugit, qui etiam distulit. Moriar nec primus, nec ultimus, omnes me antecesserunt, omnes sequentur: hac conditione intravi, ut exirem.

Idem de con. mort. LXIV. Nullum malum, quod extremum est. Mors ad te venit; timenda erat, si tecum esse posset.

Idem in l. de morib. LXV. Stultum est, somno delectari, mortem horrere, cum somnus assiduus sit mortis imitatio.

Mors bonorum.

Plut. in Lacon. LXVI. Callicratides percontanti, quam ob causam viri fortes gloriosam mortem ignominiæ anteponerent? respondit, quoniam alterum naturæ proprium, alterum suum esse ducunt; nam naturæ beneficio vivunt & ignavissimi, at mori fortiter non contingit, nisi virtute præditis.

Langius in Polyanth. v. eodem. LXVII. Cygnus interrogatus a Ciconia, cur ante mortem canere liberet? respondit. Id ob spem vitæ melioris, & futuræ felicitatis præsagium provenire, quæ in eo consisteret, quod & a quærendi victus cura, & insidiarum metu absolveretur.

Sen. ep. 77. LXVIII. Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. Quocumque voles, desine, tantum bonam clausulam impone.

Mors impiorum.

LXIX. Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur sibi. *Senec. in trag.*

LXX. Bias percontatus, quod genus mortis malum esset: quod legibus constitutum est, respondit: Hoc enim solum propudiosum est, utpote ex delictis ortum. *Maxim. s. 16.*

LXXI. Fridericus Imperator iis Principibus, qui crudeles fuissent, merito mortem dicebat extimescendam, quia, quales se aliis prestitere, tales in se judices inventuri sunt. *Æneas Sylv. lib. 2. comm.*

LXXII. Aristoteles quærens cur Olores in morte canant, Sirenes plorent, respondet, causam esse, quia in Cygnis purissimus, in Sirenibus vero impurus sanguis ad cor fluit. Rectius tamen hoc de justis, & injustis dicitur, ex quibus hi merito gement in morte, ob impura opera ad cor, & memoriam, fluentia; illi autem propter conscientiam recte factorum merito gaudebunt, & canent.

§. XV. AXIOMATA.

I. Mors servat legem, tollit cum paupere Regem.
II. Ad lectum, ad lethum.
Dicebat Lipsius, dum morbo correptus decumbere cœpit.
III. Qualis vita, finis ita.
IV. Qualis mors, talis sors.

§. XVI. AUTHORES.

I. Jeremias Drex. in Prodromo æternitatis.
II. Gabriel Inchinus de quatuor novissimis part. 1.
III. Dionysius Carthusianus de quatuor novissimis a c. 2. usque ad 16.
IV. Petrus Canisius to. 4. de noviss.
V. Joannes Busæus in tom. de statibus hominum p. 2. de statu morientium.
VI. P. Mathias Faber in concionibus funebribus, & in conc. 3. de quatuor Domini Adventus.
VII. Ludovicus Granatensis in locis comm. fol. 803.
VIII. Philippus D' Outremam in Pædagogo Christiano, p. 1. c. 8. §. 4.
IX. Henricus Engelgr. Embl. 3. p. 2. Luc. Evangel. Item in festo S. Francisci Borgiæ p. 2. Cæli Empyrei.
X. Joannes Major in Speculo Magno Exemplorum V. eodem.
XI. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eod.
XII. Antonius Dauroltius in Catechismo historiali c. 8. a tit. 1. usque ad 14.
XIII. Thomas Stapletonus te. 7. in Dom. 7. & te. 3. Dom. 1. & te. 2. in Dom. 23. & 24. post Pent.
XIV. Laurentius Beirlynch in Theatro vitæ humanæ. V. eodem, & in promptuario Evangel. te. 3. in festo S. Joan. Evang.

TI-

TITULUS XCIX.

MORTIFICATIO.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST spontanea, liberaque animæ a vita carnali separatio, & virium tam externarum, quam internarum ab illicitis operibus dissolutio, ut Jacobus Alvarez [*Tr. 1. l. 2. p. 1. c. 3.*] eam definit. Exprimitur in S. Scriptura variis nominibus. 1. Et principaliter *mortificatio* vocatur juxta illud S. Pauli: Semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. [*2. Cor. 4. v. 10.*] Vocatur autem mortificatio potius, quam mors, quia non tam in ipsa sejunctione animæ a vita carnali, quam in luctu & conatu ad illam consequendam est posita: unde mors spiritualis est potius effectus mortificationis. 2. Vocatur *Abnegatio*, juxta illud Christi: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me. [*Matt. 16. v. 24.*] 3. *Renunciatio*, juxta illud ejusdem Christi: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. [*Luc. 14. v. 33.*] 4. *Circumcisio*, juxta illud S. Pauli: Circumcisi estis Circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in Circumcisione Christi. [*Coloss. 2. v. 11.*] 5. *Jejunium*, juxta illud Isaiæ: Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. [*Is. 58. v. 6.*] 6. *Odium sui*, juxta illud Christi: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam. [*Jo. 12. v. 25.*] 7. *Violentia*, juxta illud Salvatoris: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. [*Matt. 11. v. 12.*] 8. *Crux*, juxta illud ejusdem Christi: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. [*Matt. 10. v. 38.*] 9. Denique etiam *mors*, juxta illud S. Pauli: Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo: [*Coloss. 3. v. 3.*] sumendo scilicet effectum pro ipsa causa, quo sensu Nierembergius dixit: Quid est mortificatio, nisi mors anticipata? mors hominis vivi, mors ante mortem, mors spontanea, mors voluntatis, mors difficilior: [*Eus. Nierem. l. 3. doct. asc. c. 19. dis. 3.*] cui potiori jure conveniunt proprietates morti corporali a Seneca assignatæ, dum ait: Mors est naturæ lex, tributum officiumque mortalium, malorumque omnium remedium, ut fusius, Alvarez, & Nierembergius ll. cc. ostendunt.

Divisio.

II. Dividitur 1. in *Corporalem*, & *Spiritualem*: [*S. Aug. S. 20. de Ss.*] illa corpus exercet, & nomen pœnitentiæ exterioris fortitur, cujusmodi sunt cilicia, disciplinæ, durus lectus, vilis cibus, asper corporis habitus, & similia, quæ suis carnem oblectamentis privant: ista in mortificatione passionum, propriique amoris inordinati abdicatione consistit, & nomen interioris mortificationis accepit.

III. Dividitur 2. in *Activam*, & *Passivam*: [*Rodr. p. 2. tr. 2. c. 7.*] illa est, per quam ipsi voluntarie eligimus aut acceptamus occasiones, aliquid amori nostro proprio contrarium patiendi: ista est, per quam occasiones mortificationis ab obedientia, vel a proximo, aut alia quacumque via nobis obvenientes amplectimur.

IV. Dividitur 3. in *Necessariam*, & *Liberam*: [*Ib. c. 4.*] illa est, per quam appetitum nostrum ab illicitis desideriis, & actionibus cohibemus, & propterea absolute necessaria est ad salutem: ista est, per quam a licitis voluptatibus aut operibus abstinemus, atque adeo iis, qui ad perfectionem tendere cupiunt, specialiter convenit.

Actus.

V. Sensus suos, & potentias externas, puta oculos, aures, gustum, & odoratum, tactum non modo ab illicita operatione, & delectatione cohibere, sed ultro etiam objecta illis adversantia, & ingrata amplecti.

VI. Linguam ab omni noxia inutili, aut frequenti locutione coercere.

VII. Memoriam a vanis, importunis, & illicitis cogitationibus, aut phantasiis avertere.

VIII. Intellectum a rebus inutilibus, aut a noxiis addiscendis, aut discutiendis cohibere, atque judicium suum aliis submittendum adigere.

IX. Voluntatem ab omni amore proprio inordinato coercere, eamdemque Deo & hominibus, quandocumque honeste fieri potest conformare.

X. Passiones animi amorem præcipue, & odium, gaudium, & timorem, & iram, ne extra rationis, & voluntatis divinæ semitam evagentur & abripiant, studiose refrænare.

Gradus.

XI. Primus est, ut *Peregrini* more, habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, omnia alia velut impedimenta rejiciamus, aliorumque facta & dicta surda aure prætereunte, recto itinere ad Patriam tendamus, [*S. Bern. S. 7. Quad. Rodr. p. 2. tr. 2. cap. ult.*] juxta illud Apostoli: Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. [*1. Pet. 2. v. 11.*]

XII. Secundus est, ut velut *mortui* nihil aut sentiamus aut agamus, nisi quod ad Dei gloriam, Christi imitationem, nostramque & proximi salutem conducit; hoc enim est, quod Apostolus Colossensibus dixit: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. [*Coloss. 3. v. 3.*] Hoc idem suasit Bernardus, dum dixit: Nemo ergo deinceps sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est. [*S. Bern. S. de dilig. Deo.*] Cui enim justius vivam, quam ei, qui, si non moreretur, ego non viverem?

XIII. Tertius est, ut non simpliciter mortui, sed cum Christo *cruci confixo* simus, atque adeo jure cum S. Paulo dicere possimus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo; [*Gal. 6. v. 14.*] quem quidem gradum merito S. Bernardus tertium cælum ob summam perfectionem indigitat.

§. II.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

Luc. 9. v. 23. I. QUi vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

2. Cor. 4. 10. II. Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.

Deut. 10. v. 16. III. Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram, ne induretis amplius.

Gal. 5. v. 24. IV. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis.

Gen. 4. v. 7. V. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.

Psal. 43. v. 22. VI. Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus velut oves occisionis.

Rom. 6. v. 6. VII. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.

Jos. 5. v. 2. VIII. Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israel.

Necessitas.

Eccl. 18. v. 30. IX. Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere, si enim præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis suis.

1. Cor. 9. v. 27. X. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte, dum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.

Mat. 11. v. 12. XI. A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Prov. 29. v. 21. XII. Qui delicate a pueritia nutrit servum, postea sentiet eum contumacem.

Utilitas.

Jo. 12. v. 24. XIII. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Gal. 5. v. 16. XIV. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

1. Reg. 18. v. 25. XV. Sic loquimini ad David: Non habet Rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis.

Jo. 12. v. 25. XVI. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Matt. 16. v. 25. XVII. Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

Cant. 3. v. 6. XVIII. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?

Is. 28. v. 9. XIX. Quem enim docebit sapientiam: & quem intelligere faciet auditum; ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

Job. 3. v. 21. XX. Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum.

Dignitas.

2. Tim. 2. v. 11. XXI. Fidelis sermo; nam si commortui sumus, & convivemus; si sustinebimus, & conregnabimus.

XXII. Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. *Prov. 16. v. 32.*

XXIII. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis. *Gal. 5. v. 24.*

XXIV. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal. 6. v. 14.*

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. DOcendus est homo sic habere corpus suum, sicut ægrotum, cui etiam multum volenti inutilia sunt neganda, utilia vero etiam nolenti ingerenda. *S. Bern. epist. ad FF. de Monte Dei.*

II. Bellum militum breve, sed Monachi pugna, quoad usque migret ad Dominum, durat. *S. Ephr. exhor. ad pietat. to. 2. p. 7.*

III. Servorum Dei proprium est, non solum carnales sensus per disciplinam restringere, sed etiam per mortificationem extinguere. *Richard. super Gen.*

IV. Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuumque vigilantissima, & indefessa custodia. *S. Clim. grad. 1. Orig. ap.*

V. Noli extrinsecus pecus, quod mactes, inquirere, habes in te, quod occidas. Macta elatum superbiæ Taurum: macta gibbosum avaritiæ Camelum: jugula olentem luxuriæ Hircum: sacrifica saginatum gulæ Vitulum: obtrunca mordacem invidiæ Molossum: dilacera pugnacem iracundiæ Arietem: concrema ignavum pigritiæ Asellum: has pecudes occide, & rite litasti Deo. *Cornel. de Lap. in c. 12. epist. ad Rom.*

VI. Cultellus hic, quo Puer Jesus circumcisus est, habendus est semper super femur delectationum, & voluptatum contra timores nocturnos: Sponsus enim iste Sponsus sanguinum est. *Rich. de S. Vict.*

VII. Sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei in Domino: Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro est. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat, quam Divinæ. *S. Bern. s. 10. in Psalm.*

VIII. Servi Christi laborant, ut neque opera vitiorum faciant, neque concupiscentiis carnalibus vel in corde consentiant. Et reprimendo carnis voluptates, crucem sibi ipsis faciunt, ac præceptis justitiæ, quasi quibusdam clavis se configent, ut pravam actionem, & perversam voluntatem in seipsis refrænent. *S. Ansel. in 2. Cor. 4. v. 14.*

IX. Quid differt, crucifigere sibi ipsi Mundum; & crucifigi Mundo? Mundus homini crucifigitur, cum Mundo abrenuntiat homo, & exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia. Crucifigitur enim illi Mundus, quia deserit eum. Quo pacto crucifigitur homo Mundo? cum scilicet, ubi ex Mundi rebus excesserit, certat adversus rerum concupiscentias, adversus voluptates, adversus propriam voluntatem, subigitque innatas passiones, & vitia. *S. Dorot. doctr. 1.*

X. In Templo a Salomone ædificato legimus, duo altaria fuisse constituta, unum foris, *S. Aug. s. 232. de temp.*

ris, alterum intus. In illo, quod foris erat, animalium cædebatur Sacrificium; in illo vero altari, quod intus erat, thymiamatis offerebatur incensum. Videamus ergo, Frates, ne forte in nobis duo altaria non sint constituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex a nobis Sacrificium quærit Deus; unum, ut simus casto corpore; aliud, ut mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerantur opera bona; in corde odorem suavitatis redoleat cogitatio sancta.

Hugo Card. ap. Mansi d. 9. n. 4. XI. Corpus offertur in sacrificium per macerationem: spiritus in holocaustum per contritionem. De sacrificio portio erat ipsius offerentis, quia corpus non debet omnino per macerationem annihilari, sed ei debent necessaria dari. De holocausto nihil retinebatur. Sed totum offerebatur, & sic totum cor, & spiritus.

Cass. col. 21. c. 22. XII. Omni cautione, atque solertia, jugis circumspecti cordis servetur intentio, ne quo modo judicio nostræ discretionis errante, aut inconsideratæ continentiæ cupiditate succensi, aut desiderio nimiæ remissionis illecti, substantiam virium nostrarum iniquæ trutinæ examinatione libremus: Sed in altera quidem lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero conscientiæ judicio utraque pendamus, ut in neutram partem, unius rei affectu præponderante, pervesi, vel ad immodicam districtionem, vel ad nimiam remissionem, æqualitatis libram propensius inclinemus, & illud dicatur nobis: nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti?

Necessitas.

S. Bern. s. 58. in Cant. XIII. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere, inquit, S. Bernardus: ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgant, utilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas, ut virtus roboretur.

S. Ambr. l. 3. de Virg. XIV. Qui dominari nescit cupiditatibus, is quasi equus raptatur indomitus, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur.

S. Bern. ap. Rodr. p. 2. tr. 1. c. 4. XV. Exurgat Deus, cadat armatus iste, cadat, & conteretur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus Mundi, servus Diaboli. Quid tibi videtur? certe si recte sentis, mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur, crucifigatur.

S. Aug. s. 10. ad FF. in erem. XVI. Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur, talis est in oculis Angelorum, cui caro propria dominatur.

Idem l. 1. conf. c. 12. XVII. Jussisti, Domine, & sic est, ut pœna sua sit omnis animus inordinatus.

S. Bern. super Canon. 138. XVIII. Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, sopita denuo excitantur. Parum ergo est, semel putasse; sæpe putandum est: imo si fieri potest, semper, quia semper, quod putari oportet, si non dissimulas, invenies.

S. Clim. in 23. de XIX. Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere: Hæc est actio nostra, hæc militia nostra. *verb. Dom.*

XX. Carnales concupiscentiæ naturalem hominis mansuetudinem exterminant. *Bernard. super Cantic. serm. 37.*

XXI. Caro semper propositum peccandi habet.

XXII. Hi frequenter majores tribulationes ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur. *Chrysost. super Matth. Hom. 16.*

XXIII. Hostes hominis Christiani sunt facta carnis. *Greg. 30. Moral.*

XXIV. Cur carnem tam pretiosis rebus impinguas, & adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro, & animam tuam bonis operibus non adornas, quæ Deo & Angelis ejus præsentanda est in judicio: cur ergo animam tuam vilipendis & ei carnem præponis? dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est. *Aug. de Contin. Bernar. in serm.*

Utilitas.

XXV. Cervus serpentes necat, & post serpentium interemptionem majori siti inardescit, peremptis serpentibus acrius ad fontes currit; serpentes vitia tua sunt, consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. *S. Aug. in Psal. 141.*

XXVI. Augumentum charitatis diminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas. *S. Aug.*

XXVII. Mortificatione voluptatum vitia extirpantur, & marcescunt universa: expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. *Cassian. l. 4. Inst. c. 43.*

XXVIII. Castiga corpus tuum, & Diabolum vinces; hoc enim modo Paulus adversus illum docuit, nos esse pugnandum. *S. Aug. in 1. Cor. c. 9.*

XXIX. Hoc est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere, quod diligebamus: dolere, unde gaudebamus: amplecti, quod timebamus: sequi, quod fugiebamus: optare, quod contemnebamus. *S. Bern. s. 3. de circumcis.*

XXX. Excrucio me plane, ut ille parcat; do de me pœnas, ut ille subveniat, ut placeam oculis ejus, ut delectem suavitatem ejus: nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur. *S. Aug. de util. jejun.*

XXXI. Quis mihi dabit, ut venias in cor meum & inebries illud, ut obliviscar mala mea, & unum bonum meum amplectar te! Noli abscondere faciem tuam. Moriar ne moriar, ut eam videam. *S. Aug. l. 1. conf. c. 5.*

XXXII. Cum aliquis oppugnatur, aut affligitur ab aliqua vitiosa passione & cogitatione, si ad actum illam perducit, & opere complet, sciat passionem illam validiorem fieri ac robustiorem adversus eum; ipse enim invalescere eam facit contra se, & veluti vires quasdam illi suggerit, ut magis eum oppugnet, & affligat. Rursus vero si ille contra certaverit, & sese illi cogitationi & passioni vitiosæ opposuerit, debilitatur vitium illud, & cogitatio, atque ad oppugnandum, & affligendum eum deinceps impotens fit, & invalida. Tanti scilicet valet, principiis obstitisse, Docent Sancti Patres, tractandum esse cor- *S. Doroth. s. 12.*

corpus nostrum, quemadmodum furiosum aliquem, præcipitemque equum peritus eques tractat, quem arte, & industria sua, facile assuefacit, ut ad imperantis nutum, quocumque ille voluerit, gressum flectat. Ad eumdem modum effræni, impotentique equo corporis nostri frænum perpetuo abducendum, subjiciendaque calcaria sunt: quo pacto quicquid ipsi imperaveris, facile obtinebis, quod compendium si neglexeris, ipse tui paulatim dominari incipiet, tandemque elidet te, excussumque in mille præcipitia dabit.

Dignitas.

S. Aug. s. 230. de tem.

XXXIII. Nemo dicat, quod temporibus nostris Martyrum certamina esse non possint: habet enim & pax nostra Martyres suos: Nam sicut frequenter suggessimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est.

S. Bern. in Fest. OO. SS.

XXXIV. Quod Martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster appetitus?

Blos. in Sacell. anim. S. 3. n. 1.

XXXV. Abnegatio ac resignatio propriæ voluntatis Deo gratissima est. Acceptius obsequium homo præstat Deo, quando a vano, & non necessario visu, auditu, olfactu, gustu vel tactu discrete abstinet, voluntatem suam in hujusmodi rebus pure propter Deum mortificans, quam si mortuos ad vitam temporariam revocaret.

S. Bern. s. 29. in Cant.

XXXVI. Excedente anima, ait S. Bernardus, & non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam, ut nec vitæ tentatio sentiatur: quia dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta: ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.

S. Hier. in c. 1. Job.

XXXVII. Vir erat in terra Hus, nomine Job, Egregius sane vir Job; non enim terra carnis ejus, animum ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat.

S. Aug. l. 9. de Ascens.

XXXVIII. Ascendamus etiam post illum per vitia, & passiones nostras. De vitiis nostris scalam nobis faciamus, si vitia ipsa calcamus: attolent enim ipsa nos, si fuerint infra nos.

S. Bern. s. 30. sup. Cant.

XXXIX. Genus Martyrii est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra caeduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.

S. Greg. l. 4. dial. c. 11.

XL. Habent quippe Sancti viri hoc proprium, ut, quo semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindant.

S. Aug. s. 13. de ver. Dom.

XLI. Quare ratione nostri officii, & propositi, non tantum debemus res, sed etiam cupiditatem relinquere, & vincere desideria carnis, sanguinis, & quidquid secundum naturam est, non secundum spiritum & gratiam. Hæc vocatio nostra, hæc professio, & hoc officium, & nihil hac vocatione sublimius, nihil hac professione dignius, nihil hoc officio honoratius, nihil fœlicius.

S. Chrys. ep. Hier. d. R. as. l. 1. c. 12. doct. 3.

XLII. Soli enim in tranquillo portu, & securitate summa residentes velut ex cælo ipso cæterorum naufragia prospectant. Namque conversationem plane cælestem elegerunt, nihilque deterius Angelis effecti sunt. Et quidem tum propter innocentiam cordisque puritatem, tum propter quamdam impossibilitatem, sensuumque & affectuum abstractionem Angeli dici merentur.

S. Greg. in 2. Reg. c. 9.

XLIII. Quid de ejus factis ab aliis sentiatur, ignoro. Ego plus David saltantem stupeo, quam pugnantem: pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem coram Domino, seipsum vicit.

Rich. Victor. in Ps. 118.

XLIV. Scimus, quia in oculis Dei, majoris meriti est, sæpe mortificari, quam mori. Nonne mors Martyrum tanto erat pretiosior, quanto mortem præcedens pœna productior? quibus volentibus mori, non dabatur occidi? Nonne prædestinatis ad vitam, hoc ipsum ad gloriæ cumulum proficit, quod sine acri pugna, sine acerba pœna, carnalis in eis vita non deficit?

S. Basil. s. 9. instit. monast.

XLV. Qui in seipso, quantum fieri potest, Naturæ divinæ liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitori. Unde nulla omnino hic metuenda temeraria fidentia, ubi præclarum in tali anima habitantis Dei fulget vestigium, qui, quod hic fieri cernitur, ipse pro sua benignitate facit.

S. Aug. s. 44.

XLVI. Victoria nostra, gloria nostra intus est, non foris est: foris despecti, intus electi: quomodo vicit Christus, vincere appetat Christianus.

S. Basil. ho. 11. in hex.

XLVII. Sane in hoc creatus es Princeps, ut imperites affectibus, ut dominere bestiis, reptilibus, & præsis simul, & volatilibus. Tuis fac imperes cogitationibus, Imperator ut sis, quæ sunt, omnium. Ad hanc doctrinæ formulam collatus nobis principatus per animalia mores nostros concinno ordine moderatur, & dirigit, ut nostri ipsorum discamus esse domini.

Jucunditas.

S. Greg. Naz. in or. de pace.

XLVIII. Nihil unicuique tam expetendum, quam ut animi pace fruatur, affectibusque imperet.

S. Bern. ep. 11.

XLIX. Gustato spiritu, necesse est desipere carnem: affectanti cælestia, terrestria non sapiunt: æternis inhianti, fastidiunt transitoria.

S. Clim. grad. 4. coll. 9.

L. Initium quidem mortificationis vel membrorum corporis, vel animæ voluntatis, labor est; medium vero interdum labor, interdum requies: finis autem jam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu caret.

S. Cypr. apud Lyranum l. 3. apopth. 2.

LI. Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla major est victoria, quam ea, quæ a cupiditatibus refertur. Magna sane victoria, & nullo non sanguine ac sudore emenda.

LII.

S. Aug. hom. 17. inter 50. LII. Vis, ut intret mel, unde acetum non fudisti? funde, quod habes, ut capias, quod non habes. Disce non diligere, ut discas diligere: avertere, ut advertaris: funde, ut implearis.

S. Basil. or. 21. de felic. LIII. Quamvis navis Gubernatori concessum non sit, tranquillitatem mari pro arbitrio, & voluntate imponere, nobis tamen integrum est, vitam quietam, omnique vacantem perturbatione constituere, si nimirum internos tumultus, qui ab affectionibus externis proficisci solent, sedaverimus, & mentem iis, quæ extrinsecus accidunt, altiorem constituerimus.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

Lib. 1. c. 3. §. 1. I. HOc deberet esse negotium nostrum, vincere videlicet seipsum, & quotidie se ipso fortiorem fieri, atque in melius aliquid proficere.

Lib. 1. c. 17. §. 2. II. Habitus, & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum.

Necessitas.

Lib. 1. c. 3. §. 3. III. Quis te magis impedit, & molestat, quam tua immortificata affectio cordis? quis habet fortius certamen, quam qui nititur vincere se ipsum?

Lib. 3. c. 31. §. 1. IV. Est magnum impedimentum, quia in signis, & sensibilibus rebus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur.

Lib. 3. c. 31. §. 1. V. Fili, non potes perfectam possidere libertatem, nisi totaliter abneges temetipsum.

Lib. 3. c. 53. §. 3. VI. Si vere velis esse spiritualis, oportet te renunciare tam remotis, quam propinquis, & a nemine magis cavere, quam a te ipso.

Ibid. VII. Qui libere mecum ambulare desiderat, necesse est, ut omnes pravas, & inordinatas affectiones suas mortificet, atque nulli creaturæ privato amore concupiscenter inhæreat.

Utilitas.

Lib. 1. c. 11. §. 2. VIII. Quare quidam Sancti tam contemplativi, & perfecti fuerunt? quia omnino seipsos mortificare ab omnibus desideriis terrenis studuerunt, & ideo totis medullis cordis Deo inhærere, & libere vacare potuerunt.

Lib. 1. c. 25. §. 5. IX. Ibi homo plus proficit, & gratiam meretur ampliorem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat.

Lib. 2. c. 12. §. 2. X. Quanto caro per afflictionem magis atteritur, tanto spiritus amplius roboratur.

Lib. 1. c. 41. §. 1. XI. Stude mortificationi vitiorum, quia hoc amplius tibi proderit, quam notitia multarum difficilium quæstionum.

Lib. 3. c. 10. §. 3. XII. Verus profectus hominis est abnegatio sui ipsius, & homo abnegatus valde liber est, & securus.

Lib. 3. c. 34. §. 2. XIII. Qui te per contemptum mundanorum, & carnis mortificationem sequuntur, vere sapientes esse cognoscuntur; quia de vanitate ad veritatem, de carne ad spiritum transferuntur.

Dignitas.

XIV. Si temetipsum perfecte viceris, cætera facilius subjugabis. Perfecta victoria est de semetipso triumphare. Qui enim semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic vere victor est sui, & dominus Mundi. *Lib. 3. c. 53. §. 2.*

Jucunditas.

XV. Oportet te ergo viriliter omnia pertransire, & potenti manu uti adversus objecta; nam vincenti datur manna, & torpenti relinquitur miseria. *Lib. 3. c. 38.*

XVI. Resistendo passionibus invenitur pax vera cordis; non autem eis serviendo. *Lib. 1. c. 6. §. 2.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

I. S. David, cum valde desideraffet aquam de cisterna Bethelehem, postquam ea allata est, noluit bibere, sed Domino eam libavit. *1. Paral. 11. v. 17. & 18.*

II. S. Macarius Alexandrinus mortificandi sui causa toto septennio nihil, præter cruda olera, vel legumina humectata sumpsit; totis viginti diebus ac noctibus tectum non ingressus est, ut somnum vinceret, cum interdiu quidem æstu arderet, noctu vero algore rigeret. Ad humiliandum se solitus est duorum modiorum sportam arena plenam humeris impositam per totam solitudinem portare. *Palladius in hist. Laus. c. 20.*

III. S. Polichronius mortificabat se aspero cilicio, vilique & nullius pretii vestitu, tamque inopem ducebat vitam, ut nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum, ac noctem totam vigil in precibus stans consumeret. Ad augendam mortificationem habebat in cella truncum ingentem e quercu (quem Theodoretus vitæ scriptor fatetur, se duabus manibus vix potuisse tollere) eumque noctu diuque humeris imponebat, & sic in oratione persistebat. *Theodor. in hist. relig. c. 24.*

IV. Sanctus Edmundus Canduariensis Episcopus non tantum zona, sed etiam caligis utebatur cilicinis; solo pane vilique cibo contentus, nec pisces, nec carnes comedebat: sitim eo usque tolerabat, ut labra dirumperentur: ad quietem nocturnam capiendam, nec lodicibus, nec stragulo, nec pulvino utebatur, sed propriis tantum vestibus tectus considebat, idque per triginta annos etiam ad Archiepiscopi dignitatem evectus continuabat. *Surius in Nov.*

V. S. Antonius cum in adolescentia maximas pœnitentias fecisset, multisque annis incredibiles pugnas cum dæmonibus sustinuisset, quando ad extremam senectam, in qua aliquid quieti dandum videbatur, pervenit, renovare cœpit omnia pristina pœnitentiæ exercitia ad dandum bonum exemplum aliis quibuscum tunc versabatur. Idemque S. Franciscus Seraphicus faciebat. *S. Ath. in ejus Vit.*

VI. S. Domna ubi ad fidem Catholicam ex lectione Epistolarum S. Pauli conversa est, *L. 2. vit. c. 62.*

tanto

Surius die Dec. tanto mortificandi sui spiritu accensa fuit, ut omnibus vestibus pretiosis, & thesauris in pauperes erogatis, solido arido pane deinceps vitam sustentarit, semel in die comederit, storea lecti loco usa fuerit, omnesque opes in una cruce constitueret.

S. 7. de Quadr. VII. S. Bernardus de seipso fassus: Omnia, quæ Mundus amat, crux mihi sunt, delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes; quæ vero Mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplectur affectu.

Hist. Eccl. p. 2. l. 6. c. 1. VIII. S. Dorotheus cum corpus suum gravissimis pœnitentiis affligeret, rogatus, quorsum illud pene occideret? respondit: Quia & ipsum occidit me.

Pallad. IX. Monachus quidam spiritu superbiæ vexatus, accepto canistro, terraque impleto, humeris illud imposuit, & ab uno loco in alium portavit; rogatus, cur id faceret? respondit: Vexo vexantem me.

X. B. Simeon viginti maximos cimices *Lanciz. op. 2. n. 278.* intra tibiale alebat, nec occidebat, ut in parvis ad majora se exerceret.

In vita ejus. XI. B. Catharina Bononiensis ut se mortificaret in contemptu sui, & ab omnibus vilipenderetur, non solum coram confessario, sed etiam publice peccata sua confitebatur & manu sua conscripta relinquebat. Diu in oratione brachiis in formam crucis protensis persistebat. Aliarum religiosarum virtutes omnes imitabatur, & licet plus omnibus se in iis exerceret, tamen omnium vilissimam se reputabat. Voluntatem suam frangebat obsequendo summa promptitudine in omnibus, lætabatur injuriis, optabatque aspere & dure se a superiore tractari, & graviora quæque sibi imponi. Experta enim utilitates quæ inde manabant, dicebat: omnem quidem obedientiam in rebus licitis esse bonam & fructuosam, sed optimam saluberrimamque esse, quando aliquid arduum moroso vultu a superiore imperatur. Hoc genere mortificationis tantam voluntatis rectitudinem consecuta est, & tantum amoris divini robur, ut ad obtemperandum divinæ voluntati parata esset, non solum omnes mundi, sed etiam ipsius inferni cruciatus perferre si fieri posset. Atque ut desiderabat, sic etiam a Deo toto pectore efflagitabat. Si inde major Deo gloriæ suæque animæ profectus resultaret, etiam horribiliores pœnas sustinere, non quoad culpam, quam maxime oderat & horrebat, sed quoad acerbitatem cruciatus.

Paul. Moriq. in vita Lud. Taurella. XII. Ludovica Taurella Vastallæ domina, matrona nobilissima Mediolanensis, ac religiosissima, ut in ejus vita traditur, dicebat sese quibusdam publicis mortificationibus confundere, quod in juventute choreis, jocis & aliis mulieribus vanitatibus fuisset delectata: Mortificationes autem tales fuerunt: in veste vilissima, capillo in formam crucis attonso, per urbem incedere ad puerorum plebisque ludibrium, ad Gubernatoris aulam accedere habitu eodem, ut aulicis esset irrisui; ferrea cateno collo injecta, solutis crinibus, prælatis manu cineribus psalmum quinquagesimum pronunciantem ab ædibus ad ecclesiam trahi, nentem aut aliquid simile abjectæ operæ molientem, excipere domi summos dignitate viros, ad se invisendam salutandamque adventantes.

XIII. Radigundis Regis in Galliæ uxor, tulit sub regali vestium cultu, vile & asperum cilicium, documento haud obscuro, mente & iis, quæ non cernuntur oculis, rectius pietatem cæli, quam vittis & tunica. *Sabel. l. 2.*

XIV. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus tunicam & femoralia popolitum tenus cilicina sub vestimentis gestavit: quippe indignum se qui Ecclesiæ præesset, arbitratus est, nisi & membris suis præesse posset, membra igitur tegminis asperitate contrita sibi subjicere studuit, ne quando ipse illis subjectus appetitum illorum sequi cogeretur, non suum. *Marul. lib. 1.*

Necessitas.

XV. Cum Monachus quidam graviter in re quapiam, cujus nullam culpam habebat, reprehensus fuisset, & Sanctus Climacus ejus patrocinium suscepisset, respondit ejus Superior: Non me latet, illum esse culpæ expertem, sed facti mei scopus fuit, illi hac increpatione, & mortificatione præbere merendi materiam. Sicut enim crudeliter agit parens, qui panem infantis ori subtrahit; sic Prælatus, qui subditis suis, quando capaces sunt, reprehensionibus & aliis mortificationis generibus subtrahit promerendi materiam. *S. Clim. cap. 4.*

XVI. Justinus Minoritæ cum opulenta Satrapia, & Regis Ungariæ favoribus spretis institutum Minorum amplexus fuisset, & in eo usque adeo in contemplationis dono profecisset, ut frequentes ecstases pateretur, & semel prandentibus illis ad imaginem B. Virginis supra Fratrum capita in muro depictæ elevatus coram ea flecti videretur; & ob factum Eugenius IV. eum citasset, & pedes osculari volentem ulnis, & osculo excepisset, & sibi assidere jusso post longum sermonem munuscula, & indulgentias copiosas dedisset, adeo tanto favore elatus est, ut quotidie insolentior factus, demum ob Fratrem quemdam cultro vulneratum carceri fuerit mancipatus. In quo cum pœnitentiam explesset, profugiens in regnum Neapolitanum ea perpetravit crimina, ob quæ in urbem relegatus in vinculis misere decessit. *Luc. Vvadingus t. 3. Ann. Ordin. Min. ad ann. 1441. nu. 15.*

Utilitas.

XVII. Cum quidam ex antiquis Patribus nullum corporis affligendi modum teneret, ideoque ab aliis de rigore temperando moneretur, respondit ille: Mihi credite, filii, si & locus, & status, conditioque Beatorum in cælis dolorem aliquem admitteret, displicentiæve alicujus capax esset, profecto hoc unum maxime dolerent, quod plures, & graviores affligendi se mortificandique occasiones non quæsivissent. *In vitis PP.*

XVIII. Senex quidam cum ad molestiam vitandam in aqua portanda, cellam fonti propiorem exstruere decrevisset, ubi Angelum se sequentem, & gressus, ut pro eis mercedem a Deo Clienti suo peteret, numerantem audivit, *Patrum spir. Sophr.*

divit, eamdem remotiorem facere decrevit.

In vitis PP. p. 3. f. 237. XIX. Cum Juvenis quidam prisci cujusdam Patris discipulus, sene suo obdormiscente septies ad somnum pariter capiendum incitatus, septies vicisset, & perstitisset, senex in ecstasim raptus vidit thronum pulcherrimum pro discipulo paratum, & septem coronas pensiles, multoque auro interlineatas supra thronum pendere.

Dignitas.

XX. Juvenem Monachum apud senem solitarium deprædicabant aliqui, quasi jam longius in virtutum stadio provectum, id experiri, & reipsa probare voluit senex: & assumptis comitibus juvenis cellulam adit, hortum intrat, & bene cultum aspicit, ac olera hinc inde adulta; suspicatus ille, heriles esse delicias, baculo, quo innitebatur, quasi ludibundus ea demetit, & prosternit, unum dumtaxat intactum relinquens; inde ut moris est, simul Psalmos recitant; quibus finitis, Juvenis Monachus vultu modesto, & hilari senem rogat, velitne olus, quod restabat, in collatiunculam apparari. Ad quam petitionem attonito similis insilit in ejus collum senex, dixitque: Video, fili mi, te, ut audieram, vere mortuum appetitionibus tuis: quandoquidem ad tantam a me factam in hortulo labem, atque vastitatem, tam parum commoveris. — *Peneg. in Isag. p. 2. c. 4. n. 9.*

XXI. Perlustrabat suæ Diœcesis Monasteria Sanctus Basilius, & in eorum aliquo Abbatem rogavit, an ex suis quemquam e prædestinatorum numero præ cæteris esse censeret. Ad talem quæstionem parum hæsitans Abbas, accersitum unum e simplicioribus Basilio sistit. Ad quem continuo vir sanctus: Adfer mihi aquam in pelvi, ut pedes lavem, currit ille, aquam defert; sedere illum jubet Basilius, & ipsemet ad pedes Monachi inclinatus ejus pedes non se moventis, nec reluctantis abluit: mandat, deinde, ut die sequenti cum sacristiam ingrederetur, compareret, moneretque, ut sacerdotio initiaretur. Facit ille adamussim omnia: atque hinc Basilius illum proprio judicio voluntatique mortuum dijudicans, vera habere argumenta judicavit, quibus inter prædestinatos censeri merito posset, eumque sibi deinceps in suis functionibus comitem adlegit. — *Ibid. n. 8.*

XXII. Narrat Cæsarius, fuisse in suo monasterio Ordinis Cisterciensis insignem quemdam Dei servum Rodulphum nomine, Monachum laicum divinis revelationibus illustrem: qui quadam nocte fecundum matutinum orationis extrahendæ gratia in Ecclesia remanens, viderit Christum Dominum, gloriosum quidem illum, fixum tamen in cruce, cum quindecim aliis suæ familiæ religiosis sua itidem unumquemque cruce tam splendida fulgentem, ut fulgor ex crucibus egrediens, ipsas etiam cæcæ noctis tenebras facile dissiparet; hos omnes Rodulphus probe cognoverat; in vivis quippe adhuc erant singuli, ex illis quini laici, sacerdotes reliqui deni. Stupore defixus frater, ex tam insolita visione, audit Christum e cruce hac voce se alloquentem: Nosti hos, Rodulphe, cruci mecum affixos? Novi equidem, ait, at rei novitatem, hoc est, visum tam admirandum non novi. Audi ergo, & intellige, quæ loquor, subjungit Christus: Hi soli ex tota familiæ hujus religione sunt isti, qui confixi mecum in cruce, vitam suam omnem conversationemque sacræ meæ passioni mortique ignominiosissimæ, pro ipsis obitæ, conformant. — *Cæsarius l. 8. c. 31.*

Facilitas.

XXIII. Cum aliquando in templo caneretur, qui vult venire post me, vidit S. Gertrudis Christum via quidem florida, & vernante incedentem: sed tamen spinis obsita, & horrescente: crucem vero præcedere, spinas hinc inde amoventem, & dissipantem, quibus significatum volebat Christus, asperam quidem esse virtutis viam, sed crucis, & passionis suæ meritis mirum in modum asperitatem mitigari, & se continuo adesse, ubi suæ voluntatis auspicatu homo sacrificium, gratia cooperante inchoarit. — *Peneg. p. 2. c. 7. n. 3.*

XXIV. Abbatem Theodosium cum vitam solitariam esset auspicatus, ductum in Theatrum ingentis magnitudinis, monuit Angelus, pugnandum esse cum Æthiope tam vastæ molis, ut capite nubes tangere videretur. Ad hæc verba exhorruit Theodosius, sed iostitit Angelus, addiditque: Ingredere cum omni alacritate, & fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriam reponam; atque ita factum ubi enim luctari invicem cœpere, continuo Angelus adfuit, & coronam capiti ejus imposuit. Aliud luculentius subministrat exemplum, ad Macarium scribens: S. Paulinus, qui senem, oborta tempestate, cæteris per lembum delapsis, solum in navi relictum mirabilem a Christo adjutum memorat, ita tamen, ut primum conatum semper ab illo Christus exigeret. Jubetur a Christo malum excidere, quem eo tempore excidi pro navis remedio oportebat; id multi homines, iique validissimi, sine suo & navis periculo facere non potuissent, ille tamen verbo Dei nixus, ad id se accingit, & ecce malus leviter bis senili manu tactus magis, quam securi ictus, in mare sine periculo prosilit: ita ad alia omnia nautica munia, tantum specie agendi, manum porrigere jubebator ad singula: cætera Christi virtus, & potentia supplebat, atque hoc modo portum, quem petebat, feliciter attigit. — *Ibid. n. 4.*

Jucunditas.

XXV. S. Antonius quondam rogatus, quomodo totas noctes orando transigere, posset? Respondit: Scias, mi Frater, tamdiu me latuisse, in quo vera contemplatio sita sit, quamdiu ullam mei ipsius habui rationem; ubi vero inquietis motibus mentem purgavi, & ab omni terrena concretione segregatum cor ad superiora transtuli, mox degustare cœpi mirificum illum divinæ voluntatis fructum, qui cælestium rerum contemplatione a perpurgatis animis percipi solet. — *Vit. P. Gonzal. Spl. l. 3. c. 3.*

XXVI.

Arias de mort. c. 31.

XXVI. S. Dorotheus cum mox ab initio ſui in Religionem ingreſſus, totus in abnegationem voluntatis, aliarumque affectionum inordinatarum iocubuiſſet; ideoque ob ſummam, quam exinde percipiebat, animi tranquillitatem, dubitans, num recta via incederet, a Patre ſpirituali conſilium peteret, reſpondit, ſine metu eum eſſe poſſe; tranquillitatem quippe illam ex mortificandi ſtudio natam, ejuſdem mortificationis præclarum eſſe fructum.

Pœnæ neglectæ mortificationis.

S. Aug. tr. 1. ſup. Jo.

XXVII. Refert S. Auguſtinus, virum quemdam Catholicum, a certis quibuſdam muſcis graviſſime aliquando moleſtatum, inviſiſſe hominem quemdam hæreſi Manichæorum infectum, eique importunitatem animalculorum horum expoſuiſſe: ratus Hæreticus, non incommodam ſibi oblatam ex hoc occaſionem defendendi erroris ſui (erat is, duo eſſe rerum principia; inviſibilium unum, & hoc eſſe Deum; viſibilium alterum, quod Manichæi dæmonem conſtituebant: cui errori oppoſuit Eccleſia Catholica in ſymbolo illas voces, viſibilium omnium & inviſibilium; quibus verbis confitemur, creaſſe Deum omnia, non ſpiritualia ſolum, & inviſibilia, ſed corporalia etiam & viſibilia) ratus in quam, ille, nactum ſeſe erroris ſui confirmandi occaſionem, eumque orthodoxo inſtillandi, dixit illi: Quis creavit has muſcas? & quoniam hæ ſummam illi afferrentes moleſtiam, ob idque viderentur malæ, non auſus eſt aſſerere, ipſas creatas fuiſſe a Deo: unde ſtringendo illum magis Manichæus, intulit: Si ergo a Deo non ſunt, unde ſunt? ad quod hic: Credo, quod dæmon illas creavit. Inſiſtit ille: Si ergo dæmon muſcas fecit, ut affirmas, quis igitur apes fecerit, muſcis non multo grandiores: in has ille conjectus pedicas, nec, qood ſatis apte reſponderet inveniens, eo tandem amentiæ deductus eſt, ut cooſiteretur, & muſcarum, & apum conditorem eſſe diabolum. Convictus io his Catholicus ad perículoſiorem ſcopulum alliſus eſt, deducente eum Manichæo ab apibus ad locuſtas, ab his ad lacertas, inde ad aves, ab his ad ovem, ab ove ad bovem, mox ad Elephantem, & ad extremum ad hominem: Et perſuaſit homini, quod non a Deo factus eſt homo. Ecce tibi in quod infelicitatis pelagus prolapſus ſit miſer iſte, ex eo ſolo capite, quod in perferendis pauculis muſcarum morſibus defecerit. Subjungit igitur Auguſtinus: Claudite, fratres, aures cordis veſtri adverſus dolos inimici, ne moleſtati a muſcis, in par miſeriarum barathrum, cum ſtolidiſſimo iſto Catholico, agamini præcipites: ſolent enim (pergit S. Doctor) aucupes ponere in muſcipulam muſcas, ut eſurientes aves decipiant: fecit idipſum hic dæmon, qui huic everteodo laqueum tetendit, muſcaſque ad illecebram oppoſuit. Et ſane hic veteratoris infernalis genius eſt, irretire hominem in minoribus, ut facilius poſtea ipſum in majoribus transverſum agat.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Hiſt. Soc. p. 13. l. 16. n. 109.

I. S. Ignatius per continuam mortificationem eo devenit, ut vel carere perturbationibus videretur, vel ſicubi uſus poſceret, iis uteretur tamquam modeſtis famulis non audentibus ſe ante rationis præſcriptum Domini commovere. Idem licet natura bilioſus eſſet, ita tamen animi motus moderabatur, ut ob ſummam lenitatem Medicis frigidus lentuſque videretur. Cum quidam ex noſtris Religioſum quemdam virum laudaret, & diceret, eum eſſe virum multæ orationis, Ignatius voce motata dixit: Vir eſt multæ mortificationis. Profectum ſuorum ſpiritualem non ex facilitate naturæ, aut vultu, ſed ex contentione & victoria metiebatur Unde fratrem quemdam vehementis naturæ alloquens, vince ajebat, vince te; ſi enim te viceris ſplendidiorem, quam alii, qui mitiori ſunt ingenio, habebis in cælo coronam. Et cum hunc ipſum adoleſcentem Miniſter Romani Collegii quaſi minus tractabilem graviter accuſaret, S. Pater eidem dixit: Mitius, quæſo, & blandius. Equidem iſtum ego in via Dei plus profeciſſe paucis menſibus puto, quam duos illos (nominabat autem morum lenitate, & ſuavitate maxime amabiles) integro anno. Pariſiis adhuc degens cum peſtiferum quemdam inviſiſſet, & ex ejuſdem contracta manu imaginationem peſtis afflatæ concepiſſet, nec ejicere poſſet, tandem ſumpto animo, digitos ori infertos diu in eo verſans dixit: Si habes peſtem in manu, habeas & in ore: quo facto omnis imaginatio evanuit.

Ribad. l. 5. c. 9.

Ib. c. 2.

Ib. c. 10.

Polancus in vita M. S.

Vit. l. 1. c. 2.

II. S. Franciſcus Xaverius ut ſeipſum, & nauſeam, quam ex ægri ulceroſi ſervitio ſentiebat, vinceret, ſaniem ex illius ulceribus exſuxit. Idem ſociis ideotidem ingerebat illud S. Patris Ignatii familiare monitum: *Vince teipſum*, cauſamque rogatos tam frequentis repetitionis, reſpondit: Quia hoc a S. Patre meo Ignatio didici. Ad ſocios quondam in hæc verba ſcripſit: Quam beatum eſt vivere quotidie moriendo, noſtraſque frangendo voluntates, ut quæramus, non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. Quæ enim crux acerbior eſſe poteſt, quam ſine Chriſto, ubi ſemel eum guſtaveris, vives eumque non deſeres, ut tuas cupiditates ſequaris?

Lyræus in apophteg. l. 2. fol. 393.

Lib. 1. ep. 2.

Lib. 1. c. 3.

III. S. Franciſcus Borgia cum adhuc ſæcularis miram ex falconum aucupio voluptatem caperet, ut ſe mortificaret, ipſo, quo falco herodium inſectabatur, & occidere parabat, tempore oculos claudebat. Poſtea Religioſus factus dicere ſolebat unum illum diem ſine ulla dubitatione amariſſimum futurum, quem ſine aliqua carnis afflictatione meminiſſet exactum. Conſueverat impenſe rogare Deum, ut eum ſingulari hac gratia dignaretur, & vitæ hujus commoditates omnes in ſupplicium ipſi verterentur. In vigiliis erat perpetuus, noctesque non paucas inſomnes duxit. Qui illi mortificationis cujuſpiam Authores extitiſſent, ſuos Adjutores, & Amicos vocabat. Scrupulos calceis ad dilacerandos pedes inſerebat. In graviſſimo Solis ardore lente incedebat. Pharmaca quoque licet amariſſima tarde

forbillabat, pilulasque in ore deotibus comminutas diu in ore versabat.

Vita l. 2. n. 31. IV. P. Petrus Faber studebat ipse diligenter ei, quam tantopere Sanctorum commendabat usus, animi permolestæ compunctioni, & iter ad eam dicebat esse voluntariam corporis afflictationem. Multos enim sæpe angi, quod numquam animo compungantur, cum tamen compungi raro corpore velint: & multos expetere tormenta animæ suæ, qui numquam velint torquere carnem suam. *Ib. c. 11.* Cum suæ ægrotis præberet obsequia, ad vincendum, inter eorum pœdores atque contagia, naturæ repugnantis horrorem, animadvertit nihil tam valere, quam inductionem quamdam animi, ultima quæque perpeti cupientis, & in eo ipso munere, si usus esset, se offerentis ad mortem.

Vita l. 2. c. 16. V. P. Jacobus Laynes corpus spiritui, rectæque rationi ita subjecerat, domitasque animi perturbationes habebat, ut pene de ipso dici potuerit, quod de S. Bonaventura Alexander Alensis dixisse fertur, scilicet eum in Adam minime peccasse.

Vita tom. prafixa. VI. P. Thomas Sanchez, quotiescumque cubiculo exibat, petiit a Deo, ut aliquam sibi mortificationem mitteret; quoties vero a Superioribus aliquid petiit, rogavit Deum, ut illi contrarium facerent. Inter comedendum sæpe pedem in altum elevabat: Salem, piper, acorem, & cætera ciborum condimenta omnino respuebat: nec ipsa quidem elixa olera, satis ex se insipida, oleo aut aceto condiebat.

Hist. Soc. p. 2. l. 9. n. 79. VII. P. Franciscus Villanova ita curiositatem domuerat, ut diceret, si nuntiaretur sibi, Angelum e cælo lapsum in via ante ædes Collegii concionari, se minime ad audiendum accessurum, si studio duci se non pio adverteret. Coquo adjutor datus cum gravissime ob id tentaretur, ante Christi Crucifixi imaginem vovit se, quaodiu vixerit, si per moderatores liceat, eo in opere permansurum, qua similibusque victoriis ita profecit, ut diceret, nihil sibi objectum in actione virtutis, a quo *Ib. n. 88.* sensus abhorreret; quod Deo juvante non subiisset.

Vita c. 15. VIII. P. Leonardus Lessius adeo rerum magnarum aviditatem io se extinxerat, ut diceret, universi mundi desiderium e corde suo esse ablatum; hinc cum Romæ aut alibi subinde occasionem haberet, multas res curiosas videndi, constanter eas negligebat. Meotis animositatem, quam bilis commota sæpe in iram excitabat, adeo compressit, ut columbina eum modestia sine selle diceret. Ajebat carnem blande vulpeculari, proinde dolos ejus sedula indagatione retegendos, petulantiamque constanti fræno compescendam, id quod ipse assiduus faciebat; hinc quotidiana flagella, complura jejunia, & cilicia usurpabat, adulta hyeme ignem vitabat, oblata solatia morborum respuebat, aut si assumere necessarium foret, dulcedinem prius piæ cogitatione aut alia simili ratione temperabat. Rogatus, cur adeo in se severus esset? Respondit: Eo quod, dum mortificationes fugimus, ultro nos ipsæ divina dispositione insequantur.

IX. P. Booaventura Barradinas Rector Landspergensis, numquam, quamdiu in Societate vixit, scilicet viginti novem annis, quidquam sui commodi causa a Superioribus petivit; quam mortificationem, suam virginitatem appellabat. *Annale Landisp. 1593. Prov. Ger. Super.*

X. P. Joannes Paulus Navarola ex jugi divinæ præsentiæ memoria eo devenerat, ut nemo in eo uoquam commoti animi signum adverteret. *An. Rom. 1597.*

XI. P. Petrus de Aoasco crebro e fœtidissimis Indorum ulceribus pus, & vermes radebat, ulcera sanie scatentia osculabatur, & non semel patellam pure plenam, sui vincendi causa, exhauriebat. *An. Perus. 1607. in Miss. Tutr.*

XII. P. Joannes de la Placa Hispanus suos in alio modo, quam mortificatione, & pœnitentia ad orationem ducebat, aversans illos, qui soli Dei familiaritati inhiabant, oon studentes interim animi corporisque mortificationi. Roganti cuidam e nostris Adolescenti summæ spei, sed fervido, qui fieret, quod non proficeret, quia, respondit, vivido ingenio cum sis, parum tibi imperas; illud proin apud te statue, ideo tam paucos esse viros spirituales, quia pauci suis moriuntur cupiditatibus, dicente Deo: oon videbit me homo, & vivet. *An. Mex. c. 1602.*

XIII. Quidam magnus Pater dicere solebat, omnes de Societate sibi persuadere debere, omoia nostra munera esse intra montem Oliveti, & Calvariæ sita. *Ex Hist. Ingolstad. M. S. c. 13. §. 17.*

XIV. S. Bernardinus Realinus culices fronti vel faciei insidentes non abigebat, quod idem etiam Alphonsus Rodriquez faciebat, uti de utroque testatur Lancizius, addens, novisse se homines in Societate, quibus post non impeditos per plures hebdomades morsus culicum, admiranda virtutum heroicarum munera coocesserit Deus, per multos annos frustra expetita. *Lancic. op. 2. n. 69.*

XV. P. Joanoes Trexus ne a mortificatione cessaret, totam buccam, linguam, & palatum abluebat selle, tanquam rosacea aqua, ipsumque masticabat, ut interdiu amaror ille perduraret. *Nierемb. l. 3. doctr. ascet. c. 28. doct. 1.*

XVI. Joannes Berchmannus sic se ipsum compellabat: Vis videre, an ames vocationem tuam? vide, an ames mortificationem tuam. Vocatio tua est, esse Socium Jesu. Quomodo autem vis esse Socius Jesu, nisi sis crucifixus cum Jesu? Ejus axioma erat: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. *Vita p. 4. pag. 230.*

XVII. Alphonsus Rodriquez dicere solitus erat, duos esse pedes, quibus ad perfectionem fiat progressus, mortificatiooem scilicet, & amorem Dei, illam sinistrum, hunc dextrum esse. *Lancic. op. 2. n. 4.*

XVIII. Joannes Ximenes fassus est, Deum sibi, quotiescumque mortificatiooem intermitteret, statim deesse, & solitam portionem detrahere. *Vita P. Alv. c. 44.*

XIX. Bartholomæus Alvarus Coadjutor, quæ ægrotus post S. Eucharistiam acceptam evomuerat, nixis genibus exhausit. *Annal. Lus. Dom. prof. Olyss. 1614.*

XX. Tarracone quidnam Novitius vas plenum putis cum feret, summeque nausearet, vincendi sui stadium totum epotavit. *An. Arra. 1597.*

§. VII.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

Plato in Phædone. I. SOcrates immotus cælo immititis, ab uno Solis ortu ad alterum, eodem in loco persistebat; vestitu utebatur vili, lacero & pervetusto; injurias & contumelias uxoris, quæ lotio illum etiam perfundebat, æquissimo ferebat animo.

Diog. Laertius in vita. II. Plato tam sobrie vivebat, ut sæpe semel tantum de dic cibum sumeret; patrimonium suum Fratribus relinquebat, honores in republica numquam ambiebat, injurias a Dionysio Syracusano illatas placidissime ferebat.

Laert. in vita. III. Diogenes herbis, & crudis carnibus vescebatur, veste abjecta utebatur, dolio pro domo utebatur, hyeme nudis pedibus, nives calcabat, & statuas nive coopertas amplectebatur, pluvio cælo imbres maximos excipiebat.

Plutarch. in vita. IV. Cato major, dictus Censorius, numquam pro cœna cibos coctos inferri patiebatur, vestitu utebatur vulgari, nam sua prædia colebat: uno apparitore contentus; licet Prætor in publicum pedes processit, cum alii non nisi rheda vecti, & cum magno comitatu exiissent.

Ibid. V. Cato minor, Uticensis dictus, nunquam purpura, uti alii Magistratus, utebatur; sæpe domo sine calceis exibat, nonnumquam etiam sine tunica: quando aliquo proficiscebatur, socio æquitanies pedes incedebat; cælo perfrigido, nudo capite prodibat.

Sozomen. VI. Theodosius Arcadii filius per Bithyniam, fervente cælo iter faciens: cum miles phialam frigida plenam obtulisset, eumdem remuneratus, vas reddidit, sitimque cum sociis tolerare maluit.

Curtius l. 7. VII. Alexander Magnus per loca arida exercitum ducens oblatam aquam ante pedes effudit.

VIII. Solimannus Turcarum Imperator, cum ex monte Salahia urbem Damascenam situ loci, palatiorum amœnitate, & omni deliciarum genere abundantem conspexisset: salve, inquiebat, terrestris Paradise, alteque ingemiscens subjungebat: Cum mihi pulchra hæc civitas cælesti munere donata sit, non ingrediar eam, veritus, ne cor animumque mihi surripiat, quo cæli cælestiumque oblivifcar, quibus dictis recessit, & numquam eam vidit.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Jul. Patl. de mortif. §. 2. I. SIcut periti Equitis est frænum inhibere, quando equus ad ima tendit: si vero in altum, laxare; ita & nos, cum ad virtutum culmina ascendimus, potentiis nostris, quam maxime possumus, fræna laxare, tendendo autem ad ima, id est, mundi voluptates, maximo conatu inhibere debemus, nisi in abyssum stultitiæ, & erroris gravissimi præcipites agi velimus.

Rodriq. p. 2. tr. 1. c. 1. II. Sicut miles domi latitans facile infirmitatem suam dissimulat, non autem perinde, si manus cum hoste conserendæ sint; ita Religiosus intra cellæ angustias latitans, facile defectus suos occultat; cum vero cum mundo, & proximo agendum est, excellentis sit virtutis mortificationisque necesse est.

Ibid. c. 4. III. Sicut infirmus licet brachium suum propter bonum totius corporis ustulari permittat, non tamen odisse illud, sed amare censetur; ita & nemo animam suam odisse dicendus est, licet ferro mortificationis eam propter bonum totius hominis aduri permittat.

Cass. l. 4. inst. c. 14. IV. Sicut crucifixus quis jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi habet potestatem; ita & nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat in præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus.

S. Basil. de virgin. col. 7. V. Sicut per ciborum abundantiam lasciviens equus noster Aurigam quandoque excutit, quacumque vult, pessime præcipitem fert; ita & per nimiam abstinentiam propositum virtutis impedit iter.

S. Greg. VI. Sicut in organo vel cithara folles vel chordæ præ nimia laxitate non sonant, vel nimia intensione vel inflatione rumpuntur; ita & vires nostræ temperiem si non habeant, nimio rigore, & conniventia franguntur.

Mansi tr. 11. disc. 4. n. 6. VII. Sicut herbæ noxiæ in plena sunt hortulani potestate, ut illas recidat, evellat, vel pro suo arbitrio eradicet; ita quoque nos per mortificationem plenum in passiones nostras habere debemus dominium, ut illas eradicemus, corrigamus, & moderemur, prout necessum esse judicaverimus.

Necessitas.

S. Greg. in ps. 142. VIII. Sicut id, quod seminaverimus, non vivificatur, nisi moriatur prius; sic qui mundo & concupiscentiis ejus non moritur, in fructu bonorum operum non multiplicatur; superest ergo, ut mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, quatenus vivificet nos author vitæ.

Mansi d. 1. n. 4. IX. Sicut prudens vinitor viti nequaquam permittit, ut pro sua libidine multum dilatetur, & germinet; hac enim ratione aliud nihil produceret, præterquam sarmenta, & palmites, in quos omnis humor magis substantiosus inutiliter diffunderetur in præjudicium vitium fertiliorum. Eodem modo in præsenti discurrere licet; si enim permitteremus, ut totus cordis amor divideretur in appetitus, affectus, & passiones inordinatas, quæ nobis prædominantur, nihil profecto pro Deo reliquum esset, qui tamen totum amorem nostrum sibi vendicat: Mortificatio igitur est ferrum, quod hæc superflua, & infructuosa sarmenta rescindit; ac proinde hoc ferro utendum est, ut voluntas afficiatur virtutibus, omnesque portionis inferioris motus, & appetitus superiori animæ portioni subjecti maneant.

Rodriq. p. 2. tr. 2. X. Sicut in aqua turbida impossibile est, hominem vel suam intueri faciem, vel aliud quidvis; ita & impossibile est, cor hominis a terrenis affectam fœcibus non secretum ac purificatum, Dei faciem vel videre, vel videri ab

ab ipsa; soli quippe Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt.

Id. l. c. XI. Sicut non satis est, ferrum virtute ignis mollefacere, nisi & malleorum ictibus, debita ei forma figuraque imprimatur; ita nec satis est, ut cor nostrum orationis beneficio resolutum veluti liquescat, nisi porro, & mortificationis malleo exerceatur, contundaturque, ut exclusis ab anima vitiosis carnis cupiditatibus, omnium ei virtutum forma insculpatur. Et ad hunc effectum, orationis dulcedinem, suavitatemque deservire par est, ut videlicet ea, quodam quasi saccaro, labor, difficultas, atque mortificationis horror condiatur, atque mitigetur. Ea propter ab oratione numquam est discedendum, donec gratia Servatoris nostri Jesu, perfectæ mortificationis passionum nostrarum apicem feliciter contingamus, cujus equidem tanta nobis incumbit necessitas, quanto studio affectuque eam nobis, cum a Scripturis, tum a Patribus videbimus, ubique comendari.

Penneq. p. 2 c. 8. n. 12. XII. Sicut panis confici non potest, nisi prius granum a palea excutias, & separes; ita nec animus ad cælestes aptari delicias, nisi abducatur a corpore.

S. Thom. opusc. de erud. pr. lep. 5. §. 6. XIII. Sicut, cum aqua igni sit contraria, difficulter ligna vel candelæ ignem suscipiunt, quæ habent aquam: aqua enim resistit: ita ubi malitia primo mentem hominis occupavit, non est verisimile Deum adeo libenter ponere balsamum gratiæ in vase sordido, & immundo; etsi illud a sordibus emundaveris ac deterseris, ac poneres in eo vase, in quo immunditia numquam fuit; ita sane oportet vel præcedat, impediatque sordes mortificatio, vel succedat, si irruperint, easque diluat, & abstergat, priusquam amoris divini balsamum in animum infundatur.

Jul. Fest. n. 5. §. 2. XIV. Sicut avis novis plumis contegi non potest, nisi veteribus exutis; ita nemo veris virtutum plumis vestiri potest, nisi prius veteres inordinatorum suorum affectuum, & passionum habitus exuat.

Idem §. 4. XV. Sicut navis litori multis funibus alligata, numquam in portum progredi poterit, quantumvis vela pandatur, & remis impellatur; ita homo, licet in cœpto virtutis itinere laboret, bonaque desideria velut vela explicet, numquam tamen ad perfectionem perveniet, nisi mortificatione pravorum habituum vincula rumpat, quæ ipsum terrenis rebus alligatum tenent.

Ibid. §. 10. XVI. Sicut Chirurgus scindere membrum volens, prius carnem mortificat, ne nimium ex sectione dolorem concipiat; ita qui difficultatem in Dei servitio occurrentem parum aut nihil sentire cupit, prius spiritum mortificare debet.

Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 1. XVII. Sicut si quis large cœnavit, inquietam experitur noctem, cruditate stomachi, & crassis vaporibus in caput ascendentibus; ita cor nimiis affectionibus gravatum, mentem a somno spirituali orationis impedit, facitque, ut huc illuc se verset.

Ib. c. 4. XVIII. Sicut terra sibi relicta non nisi carduos, spinas, & tribulos profert; ita neque a terra animæ nostræ sperari aliud poterit, si aratro mortificationis exculta non fuerit.

Ib. c. 10. XIX. Sicut ii, qui aliqua parte corporis sauciati sunt, semper timent, ne quis ad illos accedat, & afflictam illam partem lædat; ita male mortificatus in continuis versatur angoribus, ne quod honori ipsius non respondet, nisi imponatur aut accidat.

Beirlink. in festo S. Laur. th. 2. XX. Sicut muscæ, dum succo dulcissimo pascuntur, jam saturæ tenaci liquore adhærent, intereunt; ita qui dulcedinem voluptatum terrestrium avidius sectantur, manifestum animabus suis exitium creant.

Jac. Alv. t. 2. l. 2. pag. 1. c. 4. XXI. Sicut is, qui divitias congregare cupit, etiam parva despicere lucra non debet; ita qui virtute dives esse desiderat, etiam minimas mortificandi se occasiones negligere non debet.

Ibid. XXII. Sicut modica sementis detractio non modicum affert messis detrimentum; sic modica propriæ abnegationis prætermissio, quæ seminis vicem obtinet, non parvam affert spiritualis profectus jacturam.

Ibid. l. 2. p. 2. c. 4. XXIII. Sicut Respublica a Rege suo deficiens infelici pace fruitur, quamdiu a Rege ad obedientiam non adigitur; ita animus per peccatum a Deo desciscens nullam habet pacis imaginem, dum armis & vi ad sui Creatoris obedientiam minime revocatur.

Ibid. l. 2. p. 2. c. 6. XXIV. Sicut ligna prius siccanda sunt, quam igne splendeote flammescant; sic mens a pravis humoribus liberanda est, ut lucem cælestem accipere mereatur.

Ibid. XXV. Sicut animal immolandum prius ad gladium, quam ad ignem veniebat, & prius in frusta concidi, & excoriari, quam in holocaustum accendi debebat; ita & homo Dei se offerre cupiens, prius per mortificationis gladium interimi, quam eidem Deo offerri debet.

Utilitas.

S. Climac. de discr. gr. 26. XXVI. Sicut exsiccatum lutum jam non porcis usui esse potest, ut ibi se volutent; ita & caro per abstinentiam marcida effecta, dæmonibus ultra non præbebit in se quiescendi locum.

Rodr. p. 2 tr. 1. c. 1. XXVII. Sicut lignum bene arefactum momento quasi ignem concipit; ita anima ab humoribus noxiis inordinatarum affectionum liberata facile orationis, & fervoris flamma concipiet.

Cassian. coll. 9. c. 4. XXVIII. Sicut penna humore gravata difficulter ad alta sustollitur, libera vero ab illo tenuissimo flatu adjuta in aera subvolat; ita mens vitiis gravata, & affectibus inordinata suo pondere ad terram tendet, quæ tamen si per mortificationem purgata fuerit, sine difficultate ad cælum sublevatur.

Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 5. XXIX. Sicut aurum, quo magis liquatur, & a scoria secernitur, ac veluti consumitur, taoto purius efficitur; ita amor Dei tanto consummatior perfectiorque evadit, quanto rerum creatarum cupiditas amplius contrahitur, quæ si demum tota consumatur, pura erit perfectaque Dei charitas.

XXX.

Ib. c. 7. XXX. Sicut si saxum aliquod debite levigatum est, magna facilitate murarius illud, quo vult, collocat; ita homo per mortificationem bene positus, ad omnem Dei ac Superiorum dispositionem paratissimus existit.

Ib. c. 8. XXXI. Sicut lapis in sublimi pendens, remotis impedimentis, suopte ingenio centrum, velut naturaliter sibi debitum petit; ita anima nostra, sublatis appetituum inordinatorum obstaculis, mox ad Deum, velut centrum suum subvolat, eumque arctissimis amoris brachiis stringit.

Arias tr. de mort. c. 12. XXXII. Sicut mater si infans desiderans ubera, suum desiderium tantum signis, & nutibus declarat, renuit ac differt certe porrigere; at vero quando cum lacrymis postulat, non potest se continere, quin confestim ea tradat; sic homo, quando in oratione verbis tantum rem desideratam a Deo postulat, non tam facile impetrat, ac si etiam mortificationis opera jungat.

Ja. Alva. t. 2. l. 2. par. 2. c. 2. XXXIII. Sicut vitis putanda est, ut suavissimos fructus ferat; ita homo mortificari per varias afflictiones debet, ut abunde fructificet.

Dignitas.

Ibid. XXXIV. Sicut si parvulus filiolus ob infirmitatem, cibum salutarem aversetur, pater primogenito imperat, ut ipse prægustans cibum, exemplo suo fraterculum alliciat ad gustandum; ita Deus videns aversionem, quam homines habent erga tribulationes, Filio suo unigenito prælibandas obtulit, ut vel illius exemplo moti homines reliqui, pariter illas amare, & desiderare discerent.

Ibid. c. 23. XXXV. Sicut ad templum Deo ædificandum olim ligna in monte Libano cædebantur & Jerosolymam comportabantur; ita quos Deus olim pro templo sibi in cælis inhabitando elegit, prius in hac vita per mortificationem cædere & præparare solet.

Jul. Fapius c. 5. S. 2. XXXVI. Sicut Salomon dum mulæ regiæ insidebat, omnis eum Judæa Regem agnoscebat, & honorabat; ita quicumque carnem, & sensus suos subegerit, illico Rex, & Dominus sui ipsius evadit, meritoque ab aliis honoratur.

Jucunditas.

Rodr. p. 2. tr. 1. c. 10. XXXVII. Sicut elementa non citius quiescunt, quam ubi centrum attigerunt; ita homo non citius pacem obtinebit, quam si remotis per mortificationem creaturis in solo Deo, velut centro quiescat.

Ibid. XXXVIII. Sicut quamdiu venti mare agitant, tranquillum hoc esse non potest; ita nec cor hominis quiescere potest, quamdiu inordinata aliqua affectio in eodem reperitur.

Jac. Alv. t. 2. l. 2. p. 2. c. 6 XXXIX. Sicut manna non prius Israelitis datum est, quam panis Ægypti defecit; ita non citius cælestibus consolationibus homo reficitur, quam per mortificationem terrena solatia abjecerit.

Ibid. XL. Sicut Sara non citius concepit Isaac, seu risum & lætitiam, quam muliebria illi fieri desierunt; ita nec homo prius ad lætitiam spiritualem perveniet, quam carnalia desideria removerit.

XLI. Sicut oleæ per se sumptæ, amaræ ac gustatu insuaves sunt, ac salsugine conditæ gratissimæ, & acceptæ, ita animæ parum gratæ sunt Deo; secus vero, si mortificationis condimentum accedat. *Id. c. 10.*

Æquitas.

XLII. Sicut si quis cordato viro diceret, esse quempiam in domo ipsius, qui ex summo odio insidias vitæ ipsius strueret, talis utique summe in hunc hominem excandesceret, & vindictam de illo sumere studeret; ita erga corpus suum & passiones suas merito quis affici deberet, cum sciat ab his tantum damni, quin & ipsam mortem æternam parari. *Rodrig. p. 2. tr. 2. 4.*

XLIII. Sicut equus etiam mansuetissimus nunquam facile sine fræno relinquitur a sessore; ita nec animus noster ab homine sine fræno mortificationis relinquendus est, quantumcumque in virtutis studio profecerit. *Rodrig. p. 2. c. 10. tr. 1.*

XLIV. Sicut qui artem aliquam exerciturus est, ante omnia quærit instrumenta apta ad illam exercendam; ita qui Religionem & perfectionem profiteri cupit, mortificationi specialiter studeat, oportet; ad quid enim omnes res relinqueret, si desideria retinere liceret? *S. Aug. s. 77. de verb. Dom.*

§. IX. MOTIVA.

I. NEcessitas: quia sine mortificatione neque officio hominis, neque Christiani, neque Religiosi satisfacere quis potest, sed contingit, quod in horto imaginibus ex myrto aut alio herbarum genere efformatis evenire videmus, ut scilicet, nisi assiduo luxuriantes herbæ amputentur, hominis aut alterius rei figuram amittant. Hinc recte S. Bernardus dixit: Parum est, semel putasse, sæpe putandum est, imo si fieri potest, semper quia semper, quod putari oportet, si non dissimules, invenies. *Rodr. p. 2. tr. 2. c. 18.*

II. *Æquitas*: quid enim æquius quam ut ancilla dominari non sinatur? quid æquius, quam ut equo frænum semper applicetur? quid æquius, quam ut hostem vitæ, & quidem æternæ, insidiantem assiduo persequamur? quid æquius, quam ut is, qui toties Dei Filium occidit, ad mortem saltem spiritualem damnetur. *S. 58. super Cant.*

III. *Utilitas: sive ad peccatorum remissionem obtinendam* nam per hoc, quod a licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus illicita, condonantur, inquit recte S. Bernardus. Et adstipulatur S. Chrysost. dicens: Non vis a Deo castigari, nec in hac, nec in altera vita? sis Judex tui ipsius, rationes a te exige, te reprehende, & corrige: sive ad *virtutes producendas*; nam arbores & vites præcipue, numquam plus fructificant, quam si diligenter suo tempore putentur: sive ad *orationem efficacem ac facilem reddendam*; nam teste S. Gregorio, mens ad contemplanda interna non perducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, subtrahatur. Hinc Sponsus ait: Vadam ad *S. Bern. ser. 4. de quadr.* *S. Chrys. in 1 Cor. 11.* *S. Greg. l. 5. mor. c. 22.* *S. Greg. in c. 4.*

Cant. v. 6.

ad montem myrrhæ & thuris: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suaviter redolere perspicit. Ideo S. Danieli dictum ab Angelo: Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua (sive ad *proximum ædificandum*) cum enim plerique homines addicti voluptatibus afflictiones fugiant, vehementer admirantur, si quem cernant ejusmodi blandimenta contemnere, & mortificationem amare. Hinc S. Petrus dixit: in quo admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem. Certe exemplum S. Dominici Loricati virgis se, donec psalterium Davidis integrum recitasset, cædentis tam efficax fuit, ut disciplinæ usus in ditione primum illa, postea in orbe propemodum toto invaluerit, (sive ad *crucem alleviandam*); nam caro mortificata facile suffert incisionem, aut adustionem chirurgi.

Daniel. c. 10. v. 12. — *1. Petr. 4. v. 4.* — *B. Petrus Dam. in ejus vit.*

Prov. 16. v. 12.

IV. *Dignitas*: Melior quippe est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium; quia graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infesti, teste S. Ambrosio.

S. Amb. f. 87 de SS.

V. *Jucunditas*: nam quando quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quam si multos mortuos ad vitam revocaret. Neque minoris faciendum testimonium Avilæ sic loquentis: Pone in bilanciis una parte labores, & cruces hominis seipsum sponte sua mortificantis; in altera vero tormenta, quæ tepidus, remissus, negligensque Religiosus intra se persentiscit: invenies profecto mortificationes hujus, prioris illius non exequare modo, sed & mille partibus superare. Nam, ut bene notavit Franciscus Arrias, tales incipiunt gustum serenissimæ pacis, quæ erit in cælis: prægustare: quia, ut Richardus de S. Victore notavit, duabus in rebus consistit beatitudo scilicet ut careat quis iis rebus quas habere non cupit: & ut possideat omnia, quæ habere desiderat. Utrumque autem consequitur mortificationis amator; nam cum ex amore Dei abhorreat, a voluptatibus sæculi, & corporis afflictiones diligat, ubicumque tandem fuerit, inveniet, quod desiderat, nec adversitatem aliquam patietur, quam non optarit; qui status hominis non est aliud, quam principium & delibatio quædam æternæ felicitatis.

Blosius de instit. spir. c. 2. — *Jo. Avila in lib. ep.* — *Arrias tr. de malej. c. 19.*

§. X. M E D I A.

Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 22.

I. CHristi *exemplum*: Si enim Elephantes viso sanguine ad bellum acrius inardescunt: quidni Christianus posito ante oculos Christi tam pretioso, & quidem ob amorem & salutem illius profuso sanguine, ad seipsum & passiones suas debellandas accendatur? Hinc recte S. Cyprianus: Quis, inquit non libenter & prompte calicem salutis accipiat? quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipse Domino suo retribuat? quis non pretiosam in conspectu Dei, & fortiter, & constanter mortem excipiat, complaciturus ejus oculis, qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione paternæ pietatis remunerans in nobis, quidquid ipse præstitit, & honorans, quod ipse perfecit.

S. Cyp. l. 3 ep. ult. ad Menes.

II. *Oratio*: sic suasit S. Bernardus, dicens: Id quidem (nempe contra seipsum indesatigabiliter præliari) durum. Si tuis attemperaveris viribus, tale erit, ac si in uno digitorum tuorum torrentis impetum sistere, aut ipsum denuo coneris Jordanem convertere retrorsum. Quid facies? Quære verbum, cui consentias, ipso faciente, ut consentias. Fuge ad illum, qui adversatur, per quem talis fias, cum jam non adversetur, ut blandiatur, qui minabatur, & fit ad immutandum efficacior infusa gratia, quam incensa ira. Hinc merito Sanctus Paulus dixit: Omnia possum in eo qui me confortat. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.

S. Bern. f. 85. in Cant. — *Phil. 4. v. 13.* — *1. Cor. 15. v. 10.*

III. *Seria resolutio:* hoc medium senex quidam suasit, dum quærenti cuipiam, unde fieret, quod, cum tantum perfectionis consequendæ desiderium sentiat, tam parum tamen in eo studio proficiat? respondit, id unice ex defectu seriæ, & cordatæ resolutionis contingere.

Rodrig. p. 2. tr. 1. c. 12.

IV. *Exercitatio assidua:* ut enim qui in arte militandi vel digladiandi excellere cupiunt, prius privatim se per ludicra certamina exercent; ita idem faciendum ei, qui in arte mortificandi sese perfectus evadere cupit.

Ib. c. 11.

V. *Amor Dei*: fortis enim est ut mors dilectio; quia sicut mors corpus interimit, sic ab amore rerum corporalim æternæ vitæ charitatis occidit; nam quem perfecte absorbuerit, ad terrena foris desideria velut insensibilem reddit. Hinc Apostolus exclamat: Quis nos separabit a charitate Christi?

S. Greg. sup. Evan. ho. 11.

VI. *Spes præmii*: nam omne opus, teste Sancto Augustino, leve fieri solet, cum ejus pretium cogitatur: & spes præmii solatium est laboris. Hinc merito Sanctus Paulus: Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Sed & Basilius: Semper cor tuum promissa cælestia meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent?

S. Aug. ep. 147. ad Demetria. Virg. — *1. Cor. 9. v. 25.* — *S. Basil. in admon. ad Fil. spi.*

VII. *Exempla secularium considerare:* Illudque S. Augustini sibi de bis dictum applicare: Potuerunt isti, & istæ (milites, mercatores, agricolæ, aulici, pauperes, ægri) & tu non poteris?

Arrias tr. de mortif. p. 3. c. 10.

VIII. *Victoria frequens in minoribus rebus*: uti Eusebius, teste Thodoreto, faciebat, causamque hujus studii rogatus, respondit, quod hac ratione, & graviores tentationes in leviores convertantur, & in his, si quis succumbat, parum deperdat, si vero viocat, diabolus magoopere confusus recedere cogatur, utpote videos, se ne in parvis quidem de tali homine triumphare posse.

In sua bi. relat.

IX. *Opinionis correctio:* toties mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse, quidquid face-

Senec. ep. 104.

re

re non possunt, & ajunt nos loqui majora, quam quæ natura humana sustineat, at quanto ego de illis melius existimo! ipsi quoque hæc possunt facere, sed nolunt. Denique quem unquam ista destituere tentantem? Cui non faciliora apparuere in actu? non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus, difficilia sunt. Vere notavit idem Philosophus, nos umbris nostris terreri, quæ luce experientiæ dissipantur: Multa, inquit, pernoctem habita terrori dies vertit in risum.

S. Ansel. de mensur. crucis.

X. S. Anselmus quoque ex istis verbis: *Si quis vult, &c.* recte colligit, Christum uti gratia excitante prævenit voluntatem; ita ubi illa consensum præbuit, ejusdem gratiæ subsidio operantem comitari, & laborantem sublevare. Arsenii celebratur pronuntiatum, teste S. Dorotheo, eum, qui se vincere conatur, experturum Domini auxilium, quo facile id efficiat, quod sibi difficultatibus implexum videbatur. Hinc Sanctus Gregorius Nazianzenus Dei bonitatem admirans exclamat: O faustam contrahendi cum Deo rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur.

§. XI. ASCETICA.

Rodr. p. 2. tr. 2. c. 2.

I. OCto potissimum sunt capita, quæ de hac virtute bene addiscere, allisque inculcare debet Asceta. *Primum est, ut bene addiscat naturam, & substantiam mortificationis*, quæ quidem in eo fere consistit, ut inferior animæ pars seu appetitus sensitivus, superiori ejusdem animæ parti, id est, rationis perfectæ subjiciatur, & sicut homo per peccatum spoliatus est gratuitis (id est, donis supernaturalibus) & vulneratus in naturalibus (idest imaginationem nactus inconstantem, memoriam dispersam, intellectum obscuratum, voluntatem ad malum proclivem, & ad bonum languidam) ita mortificationis beneficio duplex hoc malum a se removeat, seque in antiquum Justitiæ originalis statum, quoad cum divino auxilio fieri potest, reducat, ne alioqui sensualem suum appetitum secutus, in se verificet illud Prophetæ: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Ps. 48. v. 13.

Matt. 16. v. 25. Rodr. p. 2. tr. 2. c. 8.

II. *Secundum est, ut bene apprehendat axioma illud a Christo propositum, cui tota mortificationis praxis innititur: Qui amat animam suam, perdet eam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam:* quod scilicet odium sui quoad inferiorem partem sit verus amor sui quoad superiorem partem, quatenus per hoc odium procuratur animæ verum ac summum bonum, quod est beatitudo, cujus etiam corpus olim suo modo fiet particeps. Unde qui sic se odit, perinde censebitur agere, ac is, qui ut vitam salvet corporis, illud incidi, & uri patitur, multaque ab eo desiderata objecta negat; cum e contrario alius omnia appetitui suo vitioso concedens, & per hoc sanitatem magis destruens, verius se odisse dicatur.

Ib. c. 32. & 34.

III. *Tertium est, ut sciat, quem ordinem ut mortificationis exercitio observare debeat*, nimirum ut 1. in rebus ultro obvenientibus, sive ex rigore Superiorum, sive imperfectione Fratrum, sive difficultate officiorum id contingat, mortificare nos discamus. 2. Ut inde gradum ad res necessarias, id est, ab observatione mandatorum aut regularum impedientes, faciamus. 3. Ut etiam in licitis nos superare assuescamus. 4. Ut opera ex obligatione obeunda, non ex necessitate, aut consuetudine, sed unico voluntatis & beneplaciti divini implendi desiderio, peragere studeamus.

S. Macar. Hom. 19. in to. 2. Bibl.

IV. *Quartum est, ut solitam discat praxim, hoc mortificationis exercitium fructuose instituendi*, quæ quidem in tribus fere præceptis consistit. 1. Ut non conjunctim, sed per partes hoc studium arripiat: nam, ut bene advertit S. Macarius, quemadmodum in utero imperfectus infans non quam primum crescit in hominem, sed paulatim formatur, ac gignitur; ita in rebus quoque spiritualibus paulatim augetur homo, evaditque in virum perfectum, & plenitudinem ætatis. Certe ipse Deus mundum non uno (ut tamen æque facile potuisse) sed sex diebus produxit, ut vel suo exemplo prudentem in studio perfectionis maturationem doceret. 2. Ut initium fiat ab iis, quæ validius nos occupant, & graviora mala accersunt. Ita Cassianus suasit his verbis: Ita adversus vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque vitium, quo maxime infestetur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem mentis curam ac solicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens. Cumque ab eo se senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, atque exploret, quam sibi inter reliquas passiones perspexerit ditiorem, atque adversus eam specialius omnia Spiritus arma commoveat. 3. Ut discrete hoc negotium assumat: nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, sic necesse est, ut artem continentiæ teneat quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat, nam plerumque dum plus nimio caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiva vitiorum in se funditus suffocare festinat. Optimus est in omni re modus, & laudabilis ubique mensura (inquit recte S. Hieronymus) corpus non frangendum sed regendum est. Regulam autem pro hac discretione optimam assignat Sanctus Augustinus, dum enarratis gravibus Sanctorum sui ævi pœnitentiis subjungit: Charitas præcipue custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur: hanc si quis offendit, uno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commendatam esse a Christo & Apostolis, ut si hæc una absit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia.

Coll. 5. v. 14.

S. Greg. l. 30. mor. c. 28.

S. Hier. ad Demetriad.

S. Aug. in 1. de morib. Eccl. c. 33.

Rodrig. p. 2. tr. 3. c. 17.

V. *Quintum est, ut fraudes diaboli in hoc studio occurrentes bene intelligat, & prudenter declinare studeat.* Pro quibus dignoscendis noverit triplex esse hominum genus ejusmodi fraudibus obnoxium. Primi sunt, qui natura difficili præditi, gravem ad virtutes exercendas repugnantiam sentiunt; ideoque ruinæ se pro-

ximos arbitrantur. Quibus proinde fæpe illa Doctorum & SS. PP. regula *: Non nocet fenfus, fi abfit confenfus :* objicienda eft. Alii funt, qui, quia naturaliter fortiti funt animam bonam, nullam in ulla prope re difficultatem fentiunt: qui proinde monendi, ne propterea altum fapiant, aliofve defpiciant, aut focordiæ occafionem arripiant, fed potius infirmitati fuæ atque fragilitati adfcribant, quod in graves tentationes cadere non finantur. Ultimi funt, qui altiffima pace, non propter virtutis ftudium, nec per naturæ bonitatem obtenta fruuntur, fed quia omnia indulgent appetitui, quibus proinde id, quod fenior quidam fimilis genii Monacho dixit, exprobrandum eft: Similis es portæ, per quam quifquis vult, ingreditur, & egreditur abfque eo, quod fciat quid intus geratur; unde quia hoftibus omnia patent, in perpetuo verfantur animæ periculo, quod tunc primum intelligent, quando, ut avis laqueis irretita, avolare voluerint.

Rodr. p. 2. tr. 1. c. 7. VI. *Sextum eft, ut bene cognofcat neceffitatem hujus mortificationis, maxime refpectu illarum perfonarum, quæ falutem proximi curandam fufceperunt :* hos enim multiplex ratio ad hoc ftudium jure merito impellere debet. 1. Quia in medio nationis pravæ verfantur, atque adeo majorem delinquendi exorbitandique occafionem habeant. 2. Quia cum omnibus omnia fieri debeant, ut omnes lucrifaciant, merito magnum requiritur paffionum dominium, ut cum gaudentibus gaudere, & cum triftibus triftari quis innoxie poffit. 3. Quia cum fumma inter operarios ejufmodi unio requiratur, neceffe eft, ut non quod fibi utile eft, fed quod multis, confiderent, quærantque id, quod neutiquam fine mortificationis exercitio obtineri poteft. 4. Quia etiam orationis exercitium ejufmodi perfonis apprime neceffarium eft, ut manentes in Chrifto tamquam vite, faciant fructum multum; hoc autem fine mortificationis ftudio obtineri non poffe, tum ex fupradictis, tum ex quotidiana experientia patet.

Tenneq. p. 1. c. 4. n. 3. VII. *Septimum eft, ut bene cognofcat quid fit mors fpiritualis :* a quo mortificatio nomen accepit, nempe quod tunc aliquis mortuus mundo dicatur, quando ab omnibus, quæ mundus amat, animum cohibet, nulla blanditiarum ejus & voluptatum cupiditate tangitur, eumque ad illas deguftandas follicitare, cruciare eft: quia, ut ait S. Bernardus, crux illi eft omne, cui mundus inhæret. Magnum eft inter mortem corporis, & hanc, quam mortem fpiritus vocamus, difcrimen: Illa in inftanti conficitur, hæc paulatim, & totam fere vitam occupat: illa omni fenfu, & actione hominem privat, hæc fenfum non tollit, fed confenfum: nec operandi facultatem extinguit, fed in meliorem partem eam detorquet, impeditque, quo minus aliquid contra Deum, vel amorem fanctum audeat: illa hominem truncum reddit, ad omne bonum, omnemque cum hominibus confuetudinem inutilem: hæc alacriorem efficit, & ad omnia publicæ rei, hominumque commoda procuranda expeditum, fibique & multis proficuum, quia quod corruptionis ab Adamo contractum eft, inftaurat, omnefque animi, corporifque facultates in meliorem ftatum reftituit: quod ex parte fignificare voluiffe videtur Apoftolus dum dicit: Vivo, ego, jam non ego; vivit vero in me Chriftus.

VIII. *Octavum eft, ut poft victoriam, per mortificationem obtentam meminerit, debitas Deo gratias referre:* nam, ut fapienter Origenes advertit, moris eft fanctorum ubi adverfarius vincitur, tamquam qui fciant non fua virtute, fed gratia Dei victoriam factam, hymnum Deo gratulationis offerre, accipiunt hymnum canentes, etiam tympanum in manibus fuis, ficut de Maria forore Moyfis & Aaron refertur. Et tu ergo fi mare rubrum tranfieris, fi Ægyptios in mari fubmergi videris, & extingui Pharaonem, atque in abyffi profundum præcipitari, potes hymnum canere Deo, potes vocem gratulationis emittere, & dicere: Cantemus Domino &c. Melius autem & dignius hæc dices: Si habueris tympanum in manu tua, id eft, fi carnem tuam crucifixeris cum vitiis, & concupifcentiis, fi mortificaveris membra tua, quæ funt fuper terram: Hæc enim via eft, quæ ad veram promiffionis terram, id eft, ad cælum nos fecure perducit. *Orig. Hom. 6. in Exod.*

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occafione thematis: *Nifi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipfum folum manet: fi autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* In prima parte oftendi poteft, quomodo homo mortificatus fit verum granum frumenti; quia per multiplices afflictiones flagellatus, ventilatus, cribratus, & a paleis imperfectionum liberatus eft. In fecunda oftendatur, quomodo in terram projici, & mori debeat, omnem vitam fenfualem amittendo; ita ut non jam per potentias fuas quærat, quæ fua funt, fed quæ Jefu Chrifti. In tertia tandem explicetur multiplex fructus, quem tale granum affert, dum fcilicet Deo fingulare beneplacitum, fibi grande meritum, proximo pulcherrimum exemplum, & defunctis non leve folatium caufat. De qua materia videri poteft Faber conc. 4. pro fefto S. Laurentii. *Jo. 12. v. 24.*

II. Ex occafione thematis: *Qui odit animam fuam in hoc mundo, in vitam æternam cuftodit eam:* oftendi poteft, quomodo odiffe debeamus nos, & noftra (hæc enim intelliguntur etiam per animam) ut ea pro altera vita cuftodiamus. 1. ergo oftendatur, quomodo amicos. 2. Divitias. 3. Gloriam & honorem. 4. Formam & venuftatem corporis. 5. Corpus. 6. Vitam corporalem odiffe debeamus, atque ad fingula demonftretur, quomodo per tale odium melius, quam per amorem conferventur. Qua de materia iterum videri poteft Faber conc. 7. in fefto S. Laurentii. *Jo. 12. v. 25.*

III. Ex occafione thematis: *Eamus & nos, & moriamur cum illo:* comparari poteft mortificatio mortis, idque probari ex quatuor conditionibus a Seneca morti attributis, dum dixit: Mors eft naturæ lex, tributum, officium- *Jo. 11. v. 16.* *Senec. ep. 99. c. 12.*

ciumque mortalium, malorumque omnium remedium. 1. Itaque ostendatur, quod etiam mortificatio sit lex ab ipso Christo lata, dum dixit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Quam quidem legem verbo & exemplo Christus promulgavit, hinc tanta ejus vis est, ut ipse Christus dixerit: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. 2. Probetur, quod sit tributum, juxta illud Apostoli: Ergo Fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus; si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 3. Quod sit *officium hominum*; quia militia est vita hominis super terram; & quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hinc S. Augustinus ait: Hoc est opus vestrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. 4. Quod sit *malorum omnium remedium*: quia tollit concupiscentiam, quæ omnium malorum radix est: juxta illud S. Jacobi: Unde bella & lites in vobis? nonne hinc, ex concupiscentiis vestris? Concludatur ejusdem Senecæ verbis? Omnibus omissis hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis (& mortificationis) nomen reformides. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Nieremberg. lib. 3. doctrin. Ascet. 3. cap. 27. & seq.

Matt. 16. v. 24. — *Rom. 8. v. 12.* — *Job. 7. v. 1.* — *Matt. 11. v. 12.* — *S. Aug. s. 13. de ver. Dom.* — *Jac. 4. v. 1.*

IV. Ex occasione sententiæ; *Propter te mortificamur tota die*: explicari potest necessitas, æquitas, utilitas, dignitas, & jucunditas mortificationis, juxta ea, quæ §. 9. fusius sunt dicta.

Ps. 43. v. 22.

V. Ex occasione thematis: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* ostendatur 1. quid sit esse crucifixum mundo, scilicet ea, quæ mundus æstimat, & amat, fugere, & odisse; & quæ ille fugit & odit, amare, & æstimare, quemadmodum S. Ignatius socios suos hortatus est. 2. Ostendatur, quam pretiosa sit hæc mors in conspectu Dei, quamque merito sperare possit talis, quod sicut socius Christi fuit in cruce, sic socius quoque in gloria sit futurus. Vide Rodr. p. 2. tr. 1. c. ult.

Gal. 6. v. 1.

VI. Ex occasione thematis: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me*: dicatur, Christum in cathedra crucis docuisse veram Philosophiam, quam, ut olim Philosophi, in duabus tantum voculis constituerunt, scilicet, *abstine & sustine*, quarum primum indicaverit vocibus illis: *abneget semetipsum*: alteram vocibus: *tollat crucem suam*: Ostendatur dein, quam æquum sit, ut omnes Christiani ad hanc scholam veniant, & Philosophiam hanc avide addiscant, tum ob præstantiam Magistri, tum ob excellentiam ipsius scientiæ, utpote quæ sola veram animæ tranquillitatem, verosque honores & gloriam in hac & altera vita afferat.

Matt. 16. v. 24.

VII. Ex occasione thematis: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*: ostendatur, quam vere dixerit Thomas Kempensis: Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. Quia qui vere mortificatus est. 1. proficit in *virtute charitatis*, quæ radix est aliarum virtutum, cum augmentum charitatis sit imminutio cupiditatis. *In gratia*, quæ tanto major datur, quanto difficilius, & præstantius opus patratum est. 3. *In divitiis, & meritis cælestibus*: quæ gratiæ correspondent. 4. *In honore, & gloria*: quæ propter tam excellentem victoriam obtinetur. 5. *In pace, & animi jucunditate*, quia vicenti dabitur manna absconditum, hinc, & Israelitæ prius hostes vincere debebant, quam in terram lacte, & melle manantem fuerint introducti. Videri potest Arrias de mortif. l. 1. c. 3. 14. 15. & 17. Item Jac. Alvarez to. 2. lib. 2. part. 1. tota.

Matt. 11. v. 12. l. 1. de imit. c. 25.

VIII. Ex occasione thematis: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*: ostendatur victoriam omnium præstantissimam esse victoriam sui ipsius 1. Quia *difficilis* ob hostis potentiam; quis enim habet fortius certamen, quam qui nititur vincere seipsum, inquit recte Thomas Kempensis; non enim est molestior, & pejor animæ hostis, quam tu ipse non bene concordans spiritui. 2. Quia *longissima*; nam bellum militum breve, sed monachi (imo cujusvis etiam hominis) pugna, quoad vixerit, durat, teste S. Ephrem. 3. Quia *generosissima* cum aperto semper *Marte*, & campo sit obtinenda. 4. Quia *efficacissima*: qui enim seipsum vicerit, cætera facilius subjugabit. Perfecta ergo victoria est, de semetipso triumphare. Hoc itaque sit negotium nostrum, vincere seipsum, & quotidie seipso fortiorem fieri, atque in melius proficere.

Apoc. 3. v. 21. — *L. 1. c. 3.* — *L. 3. c. 12.* — *L. 1. c. 13.* — *L. 1. c. 13.*

IX. Ex occasione thematis: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisteum*: ostendi possunt fructus mortificationis, & probari, quod idem præmium, quod Saul olim percussori Philisthæi promisit, daturus sit Deus illi, qui seipsum, velut robustissimum Philisthæum, & carneam turrim vicerit. Nam 1. *Ditabit divitiis multis*: iisque veris, scilicet virtutibus, & meritis cælestibus, ita ut vere de tali dici possit: multæ filiæ (& duces) congregaverunt divitias (per varias victorias contra hostes carnales) tu supergressa es universas. *Filiam suam dabit illi uxorem*, & per hoc ad summos honores, & dignitates elevabit, dando calculum candidum, & in eo scriptum nomen novum, quod nemo scit, nisi qui accipit. 3. Et *domum Patris ejus faciet absque tributo*, scilicet miseriæ, & tristitiæ, quibus vita humana subjecta est, quia dabit manna lætitiæ absconditum, & pacem animi perfectissimam. Excitentur igitur Auditores ad hunc hostem fortiter aggrediendum, & generose debellandum.

1. Reg. 17. v. 26. — *Prov. 31. v. 29.*

X. Ex occasione thematis: *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel*: proponi potest medium efficacissimum ad concupiscentiam, velut hostem fortissimum vincendum, scilicet gladius S. Michaelis: *quis ut Deus*. Ostendatur ergo, quomodo per hunc gladium facili negotio vincatur concupiscentia divitiarum, qui Deum habet, authorem omnium divitiarum

2. Mach. c. 15. v. 16.

ha-

habet, ut adeo intrepide dicere possit: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, si enim non est inopia timentibus eum, quanto minus erit amantibus illum? 2. Ostendatur, quam efficaciter per hunc gladium superetur concupiscentia carnis, cum gustato spiritu, & Deo, desipiat omnis caro: hinc S. David dixit: Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum. 3. Pariter ostendatur, quam potenter, quoque superbia vitæ, seu concupiscentia bonorum, hoc gladio superetur, cum Deum amare sit summus honor, & dignitas, juxta illud S. Augustini: Si terram amas, terra es: si Deum amas, quidvis, ut dicam? Deus es. Ut adeo vere dixerit S. David: Nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Excitentur proinde Auditores, ut petant hunc gladium a S. Michaele, dicantque cum Davide: Non est huic alter similis.

Ps. 76. v. 4.

Ps. 138. v. 17.

XI. Ex occasione thematis: *Vivo autem jam non ego: vivit vero in me Christus*: dici potest, omnibus nobis Christum propositum esse tamquam exemplar, qui vitam nostram tamquam imaginem conformemus. Itaque 1. ostendatur, quomodo per asciam mortificationis superfluas partes in capite, oculis, labiis, manibus, & pedibus abscindere, & abjicere debeamus, ut prodeant membra Christo conformia. 2. Ostendatur, quantus hinc fructus, & gloria speranda sit, nempe quod, ut imago Christi magno in honore habendi, & plurima beneficia corporalia, & spiritualia per nos, ut imagines Christi, Deus hominibus collaturus; & tandem omnino in cæleste templum suæ gloriæ translaturus sit. Excitentur proinde Auditores, ut sæpe quærant: cujus est imago hæc? & si necdum Christi imaginem esse advertant, reformare, Christoque conformare studeant.

2. Reg. 21. v. 9.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

Mansi d. 8. n. 8. I. PHilippus Nerius dicere consueverat, veram sanctitatem in quatuor digitis consistere, quod dicens, frontem tangebat, insinuare volens rationalis partis mortificationem.

S. Ansel. in c. 12. Rom. II. S. Anselmus in illa verba Pauli: *Exhibentes hostiam viventem*, sic loquitur: Hostia quippe immolatur, & viva est, quando, & ab hac vita homo non deficit, & tamen se a carnalibus desideriis occidit. Hostia enim occiditur, ut offeratur, sed hostia vivens est corpus pro Domino afflictum, quod, & hostia dicitur, & vivens, quia vivit in virtutibus, & est a vitiis occisum. Hostia videlicet, quia jam huic mundo est a pravis actibus mortuum: vivens autem, quia cuncta, quæ prævalet, bona operatur.

Mansi d. 9. n. 9. III. Notandum est, Apostolum non de una solum corporis nostri parte loqui, sed absolute dicere: Corpora nostra: quia non unus dumtaxat sensus mortificari debet, sed omnes: debent enim esse holocaustum, quod est perfectissimum sacrificium, quo omnia in Dei honorem consumuntur. Unde interpres quidam ait: Diminutam oblationem Deo offerunt, qui membrum aliquod mortificant, non omnia. Et Sanctus Hieronymus ad Celantiam ita scribit: Quid autem prodest extenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallorum jejuniis, si invidia lividi simus? quid virtutis habet, vinum non bibere, & ira atque odio inebriari.

IV. Olim a primis mundi natalibus, ut S. Irenæus observat inventum est cilicium? ut in natura corrupta caro per hoc reprimeretur. Idem quoque Sanctus indagat, quodnam in eo lateat mysterium, qood, mox, ut primi Parentes nostri divinum prævaricati sunt præceptum, carnisque suæ experti sunt rebellionem, eamdem carnem foliis ficus, non vero aliis frondibus delicatioribus contexerint; dicitque, ipsos ideo hoc fecisse, quia folia ficus aspera sunt, & pungitiva, ut hac ratione aliqua ex parte corpus suum rebelle macerarent. S. Irenæ. as l. 3. cont. Hæres. c. 3.

V. Sanctus Martinus aliquando circa vesperam quemdam Parisiis offendens aurigam, ab eodem, ut currum conscenderet, rogatus fuit, cui Sanctus, si modeste, & discrete rotas promoveris conscendam; Sin minus, numquam: quibus verbis se illusum ratus auriga, equos agitare cœpit, in quo proinde violento cursu ruptæ fuerunt rotæ, dum quæ iis resarciendis insudaret, tantam fecit temporis jacturam, ut ab urbem accedere prohiberetur, præventus a tenebris. Ita quoque quamplurimi in perfectionis quadriga gradientes, magnos meditantur facere progressus, eoque fine multas sine obedientia, & discretione aggrediuntur austeritates, suis superiores viribus, laborant, debilitantur, & tandem perseverare non volentes retro respiciunt, nausea replentur, aut certe complexionem suam penitus debilitant. Mansi d. 10. n. 9.

Necessitas.

VI. Deus a principio mundi hominem vitam impertiens ut facer Chronista scribit inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. At vero si hujus scire vultis mysterium, Sanctum Ambrosium auscultate dicentem: Nunc intelligo, qua de causa Deus insufflaverit in faciem hominis: ibi enim sunt sensus omnes: ibi sedes atque illecebræ delectationes in oculis, auribus, naribus, atque ore, ut sensus nostros adversus delectationes fortiores faceret, atque eos sanctificaret, ne aliquid profanum aut falsum deferrent in animum. S. Ambr. ad Sabin.

VII. Sanctus Bernardus hanc virtutem paris durationis esse debere dicit, cujus est vitæ nostræ respiratio: sicut enim pro conservatione vitæ necessum est, ut hæc numquam deficiat, ne quidem pro brevissimo temporis spatio, quia alias homo ipse esse desinerent, & moreretur: Ita quoque desinente in nobis mortificatione, vita quoque spiritus, & gratia in nobis deficiet. Quæris, in quo sit respiratio ista? inquit Sanctus Bernardus, in S. Bern. f. 37. in Cant.

eo

eo si incipiat spiritus vicissim concupiscere adversus carnem: huic si repugnas, respiras; si spiritu facta carnis mortificas, respirasti; si hanc cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifigis, respirasti: *Castigo*, inquit Paulus, *corpus meum & in servitutem redigo:* Vox est respirantis: Imo qui jam respirat; vade, & tu fac similiter.

Æquitas.

Idem ser. de Om. SS. VIII. Ingeniosa est illa S. Bernardi ponderatio, qua illos perstringit, qui primo Parenti nostro ideo indignantur, quia obtemperando conjugis suæ beneplacito nos omnes in profundum adeo barathrum protraxit; at verò audite, quamobrem illos hac de re reprehendat: ita enim scribit: Indignantur adversus Adam, quod obedierit voci uxoris suæ plus, quam Dei; & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet, audiunt plus, quam Deum.

Rodr. p. 2. tr. 2. c. 4. IX. Si quis cordato alicui viro diceret: scias, velim, esse quempiam ex hac ipsa domo tua, & ex familiaribus tuis, qui struit insidias vitæ tuæ; quam (Deus bone!) expavesceret? quod si adderet his: odium, quod adversus te gerit domesticus ille tuus, tam atrox est, ut ipse vel suam etiam mortem contemnat, dum videat tuam: quin etiam scit, & vincula ipsum manere, & carceres, & mortem crudelissimam, & quidem mox post patratum scelus: & tamen hæc omnia lusum ducit, dummodo laniena te tradat. Quid, obsecro, animi huic foret? quo odio in cædis hujus machinatorem exardesceret, si eum nosset? quam vindictam in eum non excogitaret? En tibi, hostis hic noster, corpus est nostrum: nobiscum bibens, & comedens, ingrediens, & egrediens: minime etiam ignarum, malum animæ nostræ esse, & suum; inferorum incendia ex æquo utrique suo tempore cessura. Quo tamen non impediente, ut gustet modicum quid voluptatulæ sensualis (quod citius sæpe præterit, & terminatur, quam sentiatur) supplicia contemnit omnia, ipsum etiam væ æternitatis.

Mansi dis. 12. n. 6. X. Raphael Archangelus Tobiæ peregrinanti præcepit, ingentem illum a se captum piscem exenteraret, reservando sibi illius interiora fel scilicet, & cor: Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum: fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. Ecce igitur tibi potentissimum quoddam remedium ad superandum universum infernum, omneque genus dæmoniorum; sive sint spiritus fornicationis, sive odii, sive invidiæ, sive cujuscumque alterius. Ecce tibi pariter ad acquirendum verum lumen, & Dei notitiam exquisitum remedium: solum curate, ut cor vestrum conjugatur cum felle virtuosæ cujusdam mortificationis, & super ignem amoris Dei collocetur. Sic enim extricabit omne genus dæmoniorum, vosque in omni tentatione victores remanebitis.

Dignitas.

XI. Richardus de Sancto Victore ait, sponsum per illa verba: Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham &c. animam electam monere voluisse; ipsam, postquam se in actibus mortificationis exercuit, ad culmen virtutum feliciter pertigisse; quasi diceret: Afflictionem pœnitentiæ tolerasti, pugnam tentationum, laborem correctionis morum, & venisti ad messem perfectionis virtutum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus; quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, & perfecta in te virtutum aromata. *Ricard. in c. 5. Cant.*

XII. Sanctus Hieronymus curiosum quoddam movet dubium, quænam causa sit, quod Deus per altissimam suam sapientiam disposuerit, ut in templo Hierosolymitano tam celebri, & famoso, supellectileque valoris inæstimabilis locupletato, in ejus honorem non cerei, sed lampades oleo instructæ, arderent, cum tamen cera mundior sit, nobilius quoque nutrimentum lumini præbeat, lumenque clarius, magisque perspicuum pariat quam oleum. Respondet vero, ceram ab apibus elaborari, quæ mel conficiunt, quod in cellulis ex cera fabricatis reconditur: E contra vero oleum ex olivis exprimitur, quæ amaræ sunt: Voluit igitur non cereos in templo ardere, sed lampades oleo instructas, ut per hoc innuat, quantum sibi mortificatio præ quavis alia virtute placeat. In Domini sacrificiis mel non offeruor, inquit Sanctus Hieronymus, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei; quod de amaritudine exprimitur olivarum. Pascha quoque cum amaritudinibus comedi in azymis sinceritatis, & veritatis jubetur. Unde colligitur, quod, ubi aliqua, quantumvis distans, hujus virtutis umbra reperitur; ab illa se Deus honorari censeat. *S. Hier. l. 2. ep. 16.*

XIII. Quam grata, & amabilis Christo mortificatio fuerit, suo nos ipsemet exemplo docuit; siquidem de illo Sanctus Paulus ait: *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta*. Biblia Regia legunt, *pro gaudio, quod habebat, sustinuit crucem*. Quibus verbis Apostolus, ex mente Ruperti Abbatis, dicere voluit: æternum Patrem in primo instanti conceptionis Filii sui, eidem proposuisse hanc optionem; an in hasce terra ei venire placeret, ut Mundum redimeret per gaudia, non vero per passiones; an vero per passiones hominem vellet redimere, non vero per gaudia; ipsum vero crucem gaudio prætulisse; Ideo dicit Apostolus: *sustinuit*, seu, ut melius dicam, elegit crucem, *confusione, contempta*; id est, non obstantibus opprobriis, & contumeliarum confusionibus, quas passurus erat; imo hasce unice volebat, & ardenter desiderabat. Ac proinde Apostolus ad mortificationem amplectendam nos animare volens, subjungit: *Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes; nondum enim usque ad* *Rupertus Abb. in c. 12. Heb.*

san-

ſanguinem reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.

XIV. Dum pro ſacrificio incruento offerendo Altare accedimus, ut illud Deo tanto reddamus acceptius; illa Pſalmi 42. recitare ſolemus: *Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus*: per hoc autem inſtrumentum muſicum, citharam videlicet, mortificationem intelligere poſſumus; Chordæ enim, quæ in hoc inſtrumento plectro tanguntur ex mortuorum animalium ſunt confectæ nervis; per quos ſenſus, & appetitus noſtros, ſi non mortuos, ſaltem mortificatos intelligere poſſumus. Chordæ citharæ alicujus extenduntur, ut ſonum edant; ſi enim laxatæ fuerint, gratum ſonum reſonare nequibunt. Idem quoque circa ſenſus noſtros contingit: niſi enim hi mortificati fuerint, gratum Deo ſonum edere non poterunt. Cithara fit ex ſicco, ſubtili, maturo, & artificioſe polito ligno; ita pariter quanto corpus noſtrum magis extenuatum, & ab omni inordinato affectu mundatum fuerit, tanto gratiorem Deo harmoniam edet.

Manſ. diſ. a. n. 7.

XV. D. Chryſologus in illud Apoſtoli: obſecro vos, Fratres, ut exhibeatis, &c. ſic ait: Apoſtolus rogando ſic omnes homines, ad ſacerdotale faſtigium provexit, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam. O inauditum Chriſtiani Pontificatus officium! quando homo ſibi ipſi eſt & hoſtia, & ſacerdos; quando homo non extrinſecus, quod Deo eſt immolaturus, inquirit; quando homo ſecum, & in ſe, & quod pro ſe eſt, Deo ſacrificaturus apportat, quando, & eadem manet hoſtia, idem permanet, & ſacerdos; quando hoſtia mactatur, & vivit ſacrificium, ubi corpus ſine corpore, ſine ſanguine ſanguinis offertur.

S. Chryſ. ſer. 108.

Facilitas.

XVI. Novit Deus, ſuæ gratiæ ſubſidium nobis eſſe perquam neceſſarium, illamque libentius elargitur, quam ad eam flagitandam prompti ſimus; quod triplici ſimilitudine declarat S. Macharius: Si aliquis filium ſuum vellet ad inſtar avis volare & ſurſum ferri, ei alas ſubminiſtraret: item ſi in regionem longinquam emitteret, ubi ſciret illi cum venenatis ſerpentibus negotium fore, illum pharmacis, & antidotis communiret: denique ſi juberet illum mare trajicere, inſtrueret navim, qua vehi poſſet, ne, ſi nando id agere tentaret, fluctibus obrutus ſubmergeretur. Vult Deus nos in perfectionis montem quaſi volando evadere: vult cum Dæmone, Mundo, & Carne, virulentis beſtiis, colluctari: vult per hujus vitæ tempeſtuoſum fretum, ad æternitatis portum curſum dirigere: quis eſt Paternorum viſcerum, quibus Deus plenus eſt, tam ignarus, ut putet, de rebus ad hæc neceſſariis non continuo nobis proviſurum?

Pamag. in Haag. p. 2. c. 7. n. 6.

XVII. Quintilianus ait: res inter initia urere, ſed conſuetudine molleſcere: quod Medicinæ ſimilitudine enucleatius oſtendit S. Anſelmus: hæc enim accepta, & in ſtomacum tranſmiſſa convulſiones, & vomitus provocat, ac ægrum ad querelas, & in medicum convicia jacenda compellit; ubi vero aliquot horarum lapſu malignos humores hinc inde collectos expulit, ubi caput, & ſtomacum, aliaſque corporis partes ſublevavit, tum demum, & Medicus, & Medicina laudatur. Ad hunc modum divina gratia in animum a Deo immiſſa, primo cum vitiis, & malis affectionibus congreſſu, omnia interiora tumultu & ſeditione complere videtur: poſtea vero ad inſtar apis in alveolo, & ita illa in corde hominis, ſuum mel, ab aſpectu hominium abſcondita, & retruſa, ſuaviter operatur, ut notat S. Macarius; aut, ut ait S. Diadocus, ad inſtar Pictoris in officina ſua concluſi, qui paulatim imaginem ſuam efformat, ac primo craſſiores colores ſubſternendo, tum alios pulchriores apponendo, denique præſtantiſſimos cum ſubtilibus lineamentis ex arte deducendo picturam effingit, ſpectantium oculis acceptiſſimam: ita cum anima noſtra divina agit gratia.

Ibid.

Perſeverantia.

XVIII. S. Chryſoſtomus ſuper illa verba: *Propter te mortificamur tota die*, ita ſcribit: quandoquidem fieri minime poterat, ut, qui homines eſſent, ii, infinitas mortes tolerarent, oſtendit, ne hac quidem ratione præmia eſſe imminuta; nam ut natura ſortiti id ſimus, ſemel tantum ut moriamur, tamen voluntate id quotidie perpeti, ſi id in animum induxerimus, dedit Deus. Unde liquet fore, ut cum tot hinc coronis diſcedamus, quot dies hic vixerimus, imo vero multo pluribus: licet enim die uno, & ſemel, & bis, & ſæpe mori: Qui igitur ad id comparatus fuerit; is ſemper mercedem abſolutam recipit: Hoc igitur, & Propheta ſignificans, dixit: *Propter te mortificamur tota die.*

S. Chryſ. h. 15. ad Rom.

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. S. Auguſtinus docet, ſicut in templo Salomonis duo fuerunt altaria, unum exterius, ubi victimæ ſacrificii deputatæ cedebantur: alterum interius intra Sancta Sanctorum, ubi diverſa generis incenſa offerebantur; ita & in nobis debere eſſe duo altaria, unum intra penetralia cordis, in quo incenſum orationis adoleatur, alterum exterius in corpore, quod eſt ſancta mortificatio.

S. Aug. ſ. 215. de temp.

II. Quidam frater dixit ad ſenem: doce me Pater: & reſpondit ſenex: vade, ama tibi ipſe vim facere, Evagina gladium tuum, & exi in bellum. Cumque diceret Frater: non permittunt meæ cogitationes, dixit iterum ſenex: ſcriptum eſt: Invoca me in die tribulationis tuæ: eripiam te, & glorificabis me.

Vita PP.

III. S. Bernardus dicere ſolebat religionem ingredi cupientibus: Attendite filii, ut ſolus in monaſterium veſtrum Spiritus ingrediatur, corpus autem foris remaneat.

In Vita. Bloſius Inſt. ſpir. c. 2.

IV. Ludovicus Bloſius virum vere mortificatum pulcherrimo uvæ botro, maturo, excocto, dulci ac ſapido comparabat; male vero mortificatum botro accido, duro, amaro, gu-

Iſ. 2. m. 4. Sueton. c. 6. in Tit.

ſtui-

stuique ingrato, conformiter illi Prophetico: *Is. c. v. 4.* expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruseas.

Suetonius c. 8. in Ti. V. Cæsar, quando dies elapsus est, quo non meminisset, se beneficium alicui contulisse, dicere solitus erat: Amici diem perdidi, quasi diceret: Hodie Imperator non fui, non enim minus proprium est homini passionibus dominari, quam Cæsarem benefacere.

Lyraeus l. 2. epig. 1. VI. Abraham immolaturus Isaac, gladium & ignem portavit. Idem faciat, qui se immolare cupit, ignem portet orationis, & gladium mortificationis.

Necessitas.

VII. Mens est charta virginea, in qua non *Rodrig. p. 2. tr. 2.* scribitur, nisi bene sit lævigata: est lignum, quod non accenditur, nisi bene sit arefactum: est pluma, quæ non attollitur, nisi ab omni humore liberata.

T. 2. Bib. SS. PP. f. 2. VIII. Abbas Nilos dicebat: Si Moyses prohibitus fuit accedere ad rubum, donec calceamenta de pedibus detraxit, qua fronte nos ad videndum per orationem Deum accedere audebimus, terrenarum rerum affectu nondum exuto?

L. 1. de Cain c. 7. IX. Moysi Deus in rubo apparuit, ut significaret populo Israelitico, eum nonnisi per difficultatum spinas ad promissam terram evasurum, rosasque felicitatis capturum.

X. Ideo juxta S. Ambrosium Ægyptii abominati sunt pastores, quoniam, qui passionibus serviunt, & voluptatibus indulgent, doctorem virtutis quadam detestatione declinant.

S. Basil. h. 24. ex var. XI. Pythagoras cum cognovisset quemdam ex familiaribus se edulis probe saginare, dicebat illi: non desines graviorem tibi ipsi carcerem parare.

Utilitas.

Vita. XII. Socrates a medico Incontinens, & ebriosus judicatus, dixit: Omnino talis fuissem, nisi me Philosophia, & continuum vincendi studium cohibuisset.

In Dial. XIII. Christus S. Catharinæ Senensi dicebat: Quanto magis morieris in te, tanto magis vives in me: & quod purgatius ejicies, quod tuum est, tanto abundantius ipse reponam, quod meum est.

XIV. Idem Christus S. Francisco dicebat; me desideras; amara tibi dulcia, dulcia amara sunto.

Dignitas.

Rod. p. 2. tr. 2. ... XV. S. Chrysostomus ait plus præstitisse Davidem, non sumendo vindictam de Saule, cum potuisset, quam Goliathum sternendo: nec tam multas in ipsius occursum egressas mulieres cantantes, quam in cælis Angelorum turmæ magnitudini ejus applauserint.

S. Chrys. h. de David. & Saule. XVI. Plutarchus Alexandrum Magnum supra alios omnes mundi Monarchas extollit, quando alii Monarchæ nati sunt, hic vero regna, & imperia suis lacertis, & armis comparavit.

Rodr. p. 2. tr. 1. c. 37. XVII. O quam magnis homines erroribus tenentur, qui jus dominandi transmaria cupiunt mittere, felicissimosque se judicant, si multas per milites provincias obtinent, & novas veteribus adjungunt, ignari, quod sit illud ingens paratumque regnum. Imperare *Seneca ep. 113.* sibi, maximum imperium est.

Jucunditas.

XVIII. S. Abraham convivium fecit, non in die Nativitatis, sed ablactationis; quo indicare voluit Deus, tunc demum solidæ veræque lætitiæ locum esse, quando homo in virum perfectum crescit, & desinit esse inter eos, de quibus Apostolus ait: Tamquam parvulis *S. Aug. Sup. Gen. 21. c. 10.* in Christo lac vobis potum dedi.

XIX. Hoc commentemur, mihi crede, disjungam usque nos a corporibus, id est, consuescamus mori (nobis ipsis) Hoc, & dum erimus in terris, erit illi cælesti vitæ simile. *Cic. l. 1. Tusc. q.* Et cum illam emissi ferremur e vinculis, minus tardabitur cursus amicorum.

§. XV. AXIOMATA.

I. Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. *Thom. Kemp. l. 1. c. 25.*

II. Major sum, & ad majora genitus, quam ut mancipium sim mei corporis. *Seneca ap. Rod. 2. p. 2. tr. 1. c. 27.*

III. Si vis perfectam bene discere Philosophiam, Omnibus abstineas, omnia sustineas.

IV. Si vis perfectam condiscere Theologiam, Sit tibi mors mundus: sit tibi vita Deus. *Sen. ep. 113.*

V. Imperare sibi maximum est imperium. *Luc. Wido de tranquil. anim. in dial.*

VI. Tunc omnia jure tenebis, si poteris Rex esse tui.

VII. Tantum virtuti adjicies, quantum voluptati detraxeris. *S. Cath. Sen.*

VIII. Tantum quisque vivit Deo, quantum moritur sibi.

IX. Maxima, quæ minimo victoria sanguine patta est.

§. XVI. AUCTORES.

I. Alphonsus Rodriquez p. 2. tr. 1. toto.

II. Franciscus Arrias in 3. tractatibus spiritualibus tr. 3.

III. Julius Fatius de mortificatione.

IV. Jacobus Alvarez tom. 2. lib. 2. toto.

V. Jeremias Drexel. in Rosis Marianis p. 2. c. 10.

VI. Lucas Pinellus de perfect. l. 3. c. 7.

VII. Bernardinus Rosignolius de disciplina Christ. Perfectionis l. 2. c. 9. & seqq.

VIII. Joannes Busæus in Panario. V. Immortificatio Passionum.

IX. Hugo Rott. in via Regia p. 1. c. 7. §. 6. & p. 2. c. 19.

X. Cassianus collat. 24. Instit. spirit.

XI. Josephus Mansi Bibl. mor. tr. 51.

TITULUS C.

MULIER.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. Est homo ad liberos passive procreandos a Deo creatus; per hanc enim passivam generationem (saltem in actu primo) distinguitur mulier a viro; quod a fortiori locum habet in ea medicorum sententia; qui solum virile semen ad generationem necessarium esse contendunt. *Juxta Philosophor. opinionem.*

Di-

Divisio,

II. Dividitur in *Cælibem* seu *solutam*, quæ nulli unquam viro nupta fuit: *Conjugatam*, quæ vinculo Matrimonii actu illigata est: & *Viduam*, quæ per mortem mariti a conjugii vinculo soluta est.

§. II. EX S. SRIPTURA.

Qualitas,

Eccl. 7. v. 29. I. VIrum de mille unum reperi (perfectum intellige, & virtute præditum) mulierem ex omnibus non inveni.

Prov. 31. v. 30. II. Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

1. Tim. 2. v. 9. III. Mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crisa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

Eccl. 26. v. 18. IV. Mulier sensata, & tacita non est immutatio eruditæ animæ (id est, non est ullo pretio comparabilis).

Ib. v. 19. V. Gratia super gratiam mulier sancta, & pudorata.

Prov. 31. v. 10. VI. Mulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.

Ephes. 5. v. 22. VII. Mulieres subjectæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris.

1. Tim. 2. v. 12. VIII. Mulieri non permitto dominari in virum, sed esse in silentio.

Gen. 3. v. 17. IX. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

Deut. 22. v. 5. X. Non induetur mulier veste virili, abominabilis enim est apud Deum, qui hæc facit.

Utilitas,

Prov. 18. v. 22. XI. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem a Domino.

Eccl. 26. v. 1. XII. Mulieris bonæ beatus vir, nam numerus dierum ipsius conduplicatur. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.

Ib. v. 3. XIII. Pars bona mulier bona: in parte bona timentium Dominum dabitur viro pro factis suis.

Ib. c. 7. v. 21. XIV. Noli discedere a muliere sensata, & bona, quam sortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius super aurum.

Prov. 14. v. 1. XV. Sapiens mulier ædificat domum suam: insipiens exstructam quoque manibus destruet.

Damnum.

Eccl. 7. v. 27. XVI. Inveni amariorem morte mulierem; quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est capietur ab illa.

Ib. 25. v. 26. XVII. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris. Sors peccatorum cadat super illam.

Ib. 42. v. 13. XVIII. De vestimentis procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.

Ib. 25. v. 33. XIX. A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.

Ib. 19. v. 2. XX. Vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.

Ib. 42. v. 14. XXI. Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens & mulier confundens in opprobrium.

Fuga.

Prov. 6. v. 27. XXII. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus; sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cum tetigerit eam.

Eccl. 42. v. 12. XXIII. In medio mulierum noli commorari, de vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.

Ib. 25. v. 23. XXIV. Commorari Leoni, & Draconi placebit magis, quam habitare cum muliere nequam.

Eccl. 9. v. 8. XXV. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

Prov. 5. v. 3. XXVI. Ne attendas fallaciæ mulieris, favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.

Eccl. 9. v. 2. XXVIII. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas,

S. Chrys. sup. Ps. 50. I. QUid est speciosa mulier? sepulchrum dealbatum, nisi fuerit casta, & pudica. Pulchritudo autem sine his virtutibus, est præcipitium patens, venenum inspicientibus compositum.

S. Ber. s. 65. in Cant. II. Habitare cum fœmina, & non cognoscere fœminam plus est, quam mortuum ad vitam suscitare. Quod minus est, non potes: quod majus est, vis, credam tibi?

S. Aug. l. 22. in Genes. III. Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœminæ viris: quia & illic justitia est hæc, ut infirmior ratio serviat fortiori? & hæc in dominationibus & servitutibus clara justitia est, ut, qui excellunt ratione, excellant dominatione.

S. Aug. in Epist. IV. Mulier pulchra cito adamatur, facile concupiscitur, difficile custoditur quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur, minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur.

Valer. in ep. ad Ruf. V. Audax est ad omnia, quæcumque amat vel odit fœmina, & artificiosa est nocere cum vult.

Ambr. v. l. Nov. & Vet. Test. VI. Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam authoritatem habere: nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec judicare.

Isidor. VII. Fœminæ dum maritantur, ut se noverint semper maritis suis subdictas esse & humiles.

Cypr. de hab. virg. VIII. Fœmina viri portio est.

Chrys. sup. Jo. h. 60. IX. Muliere bona, nihil potentius.

Damnum,

Idem de Cor. mul. X. Cum fœmina dominatur in virum, perversa & misera domus est.

Idem l. 8. soliloq. XI. Nihil esse sentio, quod magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminæ, cordiumque ille contractus, sine quo uxor haberi non potest.

XII.

S. Chrys. sup. Matt. 19. XII. Quid aliud est mala mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta.

S. Aug. ep. Lug. Do. 1. post Vent. S. S. XIII. Experto crede, coram Deo non mentior: cedros Libani, Duces gregum, sub hac peste concidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Hieronymi, vel Ambrosii.

S. Cypr. de sing. cler. XIV. Post confessionem, victoriarumque calcata certamina, post magnalia & signa mirabilia, noscuntur in his omnibus naufragasse, cum volunt in navi fragili navigare. Quantos Leones domuit una infirmitas delicata.

S. Isidor. l. 2. solil. XV. Ante ignem consistens, etsi ferreus sis, aliquando dissolveris: proximus periculo, diu tutus non erit.

S. Chrys. l. 6. de Sacerd. c. 8. XVI. Animum ferit, & commovet non impudicæ tantum, sed pudicæ quoque mulieris oculus.

Fuga.

S. Hier. in ep. ad Nep. XVII. Hospitiolum tuum aut raro, aut numquam Mulierum pedes terant: omnes Puellas, aut Virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Vide, ne sub eodem tecto manseris, ne præterite castitati confidas. Non es Sampsone fortior, nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior. Memento semper, quod Paradisi Colonum de possessione sua mulier ejecit.

Ibid. XVIII. Matrem tuam ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillulas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis; & quanto vilior est earum conditio, tanto facilior est ruina.

S. Cyp. l. de sing. cler. XIX. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, de vestimentis procedit tinea, de muliere peccati aculeus, sibilus concupiscentiæ, fomes pestilentiæ.

§. IV. EXEMPLA.

Fuga.

Vita c. 26. I. S. Augustinus ne germanam quidem sororem, aut filiam fratris sui in domo sua habitare permisit, causamque rogatus dixit: Quia licet de sorore aut nepte non sit suspicio, tamen illæ, quæ ad eas ventitant, suspicionem possunt movere, & inde infirmioribus scandalum nasci.

S. Hier. ep. 47. II. S. Hieronymus, ut ab hac pugna se expediret, inter feras & lustra vitam egit; cumque Vigillantius illi objiceret, hoc non esse pugnare, sed fugere, respondit: Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.

S. Greg. Tur. l. de glor. Conf. n. 26. III. S. Simeon Stylita nullam unquam mulierem post conversionem oculis intentis aspexit: postquam vero columnæ editiori se sanctitate fervens invexit, non modo extraneæ mulieri, verum etiam nec propriæ matri se videndum præbuit.

Vita c. 1. IV. S. Franciscus Seraph. adeo averterat oculos, ne ullam mulierem videret, ut, sicut ipse socio fassus est, nullam de facie nosset; non enim securum putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut indomitæ carnis excitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem.

Chron. Francisc. p. 2. l. 4. c. 12. V. Idem B. Rugerius Franciscanus fecerat, cumque Confessarius ejus rogasset, cur ita fugeret aspectum fœminarum, cum puritatis dono a Deo donatum se sciret, respondit: Dum homo facit, quod in se est, Deum quoque facere, quod in ipso est, & hominem custodire a lapsu: sed dum homo permittit naturam libere ferri in ea, ad quæ propendet, tunc Deum permittere, ut homo, sufficienti tantum auxilio adjutus cadat facile.

Vita c. 14. VI. S. Ludovicus Episcopus Tolosanus colloquia fœminarum prorsus abhorrebat, præcipue secreta, aversabatur aspectus, absque probo teste, & arbitro solus non loquebatur ulli mulieri? nisi forsan matri aut sororibus. In testimonium illibatæ pudicitiæ, semper cum illo duo fratres minores in cubiculo dormiebant. Cavebat omnes suspiciones, quidquid probabiliter fingi poterat, ante, ne fingeretur, devitans.

Lanciz. op. 2. num. 376. VII. S. Andreas Corsinus, adeo Castimoniæ deditus fuit, ut ne matris quidem, & sororum colloquia sine rubore sustineret: Aliarum vero mulierum aspectus rejiceret prorsus, aut si necessitas urgeret, non nisi defixis in terram oculis eas colloqueretur; Ob quam severam oculorum, sensuumque custodiam, dum Parisiis ageret, frater cæcus, surdus, mutusque appellabatur.

Ibid. VIII. S. Sabbas Abbas cum advertisset multos aliquam mulierem comitatos esse, socium suum probare volens dixit: Compatior huic mulieri, quod unum dumtaxat oculum habeat; cui cum socius responderet, utroque, & quidem eleganti esse præditam, ergone eam, inquit, vidisti? discede, nolo talem socium, qui sit tam curiosus.

Engelgr. cæl. 43. §. 1. IX. Reverendissimus Antistes Gropperus, cum Bonnæ per diem comperisset, ancillam in cubili suo lectum sternentem, ancillam cubiculo, & simul lectum per fenestram in plateam deturbavit.

Gen. c. 39. X. Joseph Patriarcha formosus adolescens, ab uxore Putipharis ad turpitudinem allectus, fuga relicto in ejus manibus pallio, tentationem fortiter repellit & vincit.

Guil. Abb. S. Theod. l. 1. de vi. S. Bernar. XI. D. Bernardo, eleganti corpore adolescenti & jam sæculum ingrediendi plures se viæ sæculi ipsi offerre cœperunt, & omnis assurgere prosperitati vitæ hujus & magnæ spes undique arridere. Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, & amicitiæ procellosæ, similem sibi facere gestientem: quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipuæ invidens tortuosus coluber, spargebat laqueos tentationum, ac variis occursibus calcaneo ejus insidiabatur. Unde cum aliquando Matrona quædam pulchritudine, divitiis, cultu & aliis hujusmodi irritamentis concupiscentiæ & peccati præcellens, in secretiori domus cubiculo eum aggressa pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus ver-

bis demulcent, donec e manibus ejus & amplexibus elaberetur, fugit, & evasit.

Damnum.

Cantipr. l. 2. Apum. c. 30. §. 47. XII. Canonicus quidam cum Canonicatum præpinguem in curam animarum convertisset, ut eas Deo lucri faceret, septuagenariam Virginem, quæ cilicium ejus lavare solebat, deperire cœpit, & opportunitate pellectus vitiavit. Quo scelere admisso, illa quidem pœnitens resipuit, at ille infixus limo profundi, misere periit.

§. V. EXEMPLA DOMESTICA.

Ribad. l. 5. c. 11. I. SAnctus Ignatius omnium mulierum familiaritatem, etiam earum, quæ spirituales aut sunt, aut videri nolunt, vitandam esse dicebat: sed earum maxime, quæ etate, conditione, statu periculosiores sunt. Quarum ex consuetudine plerumque, aut fumus sequitur, aut flamma.

V.l.6.c.17. II. S. Franciscus Xaverius Gaspari Vicario dans monita, inter reliqua dicebat: Cum mulieribus cujusvis conditionis non nisi luce palam atque in publico, hoc est, in æde sacra colloquere. Nec unquam domum ad eas ibis, nisi forte graviori aliquo casu cogente, veluti ægræ cujuspiam confessionem excepturus, ac tum curandum erit, ut illius maritus adsit, aut cognatus aliquis, aut certe vicinus idoneus. Si forte virginem aut viduam convenire oportebit, ad ejus domum accedes, viris spectatæ vitæ comitantibus, quorum scilicet comitatus non solum offensionem, sed etiam suspicionem hominum excludat. Talia vero officia conveniendarum mulierum, & rara sint, & necessaria. Quippe lubricum est negotium, ubi minimum lucri fit maximo periculo.

Vita. III. Beatus Aloysius adeo mulieres fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere diceres; nullam certe etiam consanguinitate conjunctam aspicere sustinebat.

Vita c. 5. IV. P. Baltassar Alvarez, ne solus esset cum fœmina numquam sedebat, priusquam socio sedes afferretur. Majorem vero dicebat cum fœminis spiritualibus cautelam adhibendam, eo quod spiritualis amor soleat transgredi limites suos, & fieri carnalis. Sicut optimum vinum in fortissimum acetum convertitur, quod tamen non advertitur, donec voluntates ita agglutinatæ sint, ut potius a Christo, quam a se mutuo discedant, & separentur.

Vit. l. 1. c. 4. V. Alphonsus Rodriquez, etsi per quadraginta annos Janitor fuerit, nullam tamen fœminam de facie noverat.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Prov. 11. v. 22. I. SIcut circulus aureus in naribus suis, sic mulier pulchra, & fatua; perinde enim pulchritudine sua abutetur, eaque in lutu luxuriæ se volutabit.

Plutarch. in mor. II. Sicut nemo sentit, qua parte calceus stringat, nisi qui eo inductus est; ita nemo novit ingenium mulieris, nisi qui cohabitat illi.

S. Basil. l. de Virg. III. Sicut magnes trahit ferrum; ita mulier terrea licet virorum corda ad communionem voluptatis trahit.

Damnum.

Trivor. in Apoph. 113. IV. Sicut flores spinarum admodum suaviter spirant, sed pungunt eos qui negligenter carpunt; ita mulierum pulchritudo alacriter redolet, sed fere offenditur, qui illis imprudenter utitur.

§. VII. ASCETICA.

I. QUatuor sunt, quæ circa hanc materiam præcipue observare debet Asceta. Primum est, ut, quantum fieri potest, omnem cum hoc sexu consuetudinem, & familiaritatem penitus abscindat, eumque in finem, memorabilem S. Hieronymi sententiam ob oculos semper habeat: Quid tibi necesse est in ea versari domo, in qua necesse habeas quotidie, aut perire, aut vincere? quis unquam apud viperam securus somnum capit? quæ etsi non percutiat, certe sollicitat. *S. Hier. ep. 47.*

II. Alterum est, ut, ubi charitas aut necessitas ejusmodi conversationem aut cohabitationem suaserit, cum magna cautela eam suscipiat; nimium enim præceps est, qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse. Neque fidat sibi, si cum vetulis agendum erit, nam etiam ab his periculum imminere, pulchre quondam Abbas quidam Monachis suis ostendit, dum omnes ancillas & lotrices a Monasterio removit, & Monachi propterea, quod vetulæ essent, murmurantibus, cœnam probe salitam cum modico potu apposuit. Qui cum ingenti siti accensi, defectu frigidæ, aquam e limoso stagno biberent, Abbas id advertens, dixit, eodem modo rem cum concupiscentia se habere, quæ, ubi cum virginibus satiari non potest, in vetulis quærit satietatem. *Vita PP.*

III. Tertium est, ut non timeat inordinate spirituale damnum, si tria hæc concurrant. 1. Superiorum voluntates id jubentium. 2. Pura intentio, nullum ex conversatione solatium aliud, quam Dei gloriam, & animarum salutem quærens. 3. Si omnis levitas, & nimia libertas agendi absit. Ob quas causas P. Baltassar Alvarez dicebat, securitatem in agendo cum proximis, cum ex obedientia fit, esse valde magnam, adeo ut, si quis obediendi causa infames fœminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum iis agens mundissimas haberet cogitationes, quasi Angelus Dei; at si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdis ibi cogitationibus uteretur. *Vita c. 5.*

IV. Quartum est, ut non facile committat alicui Mulieri secretum, quod aliis divulgari nollet; ita enim jam olim Prophetas Micheas monuit, dicens: Ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Hinc jam olim Censorius Cato dicebat: trium se pœnitudine tangi. 1. Quod iter fecisset mari, cum terra potuisset. 2. Quod idem non condito testamento transegisset. 3. Quod secretum fœminæ commisisset. *Mich. 7. v. 5. Plutar. in Caton.*

§. VIII.

§. VIII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Alex. l. 11. c. 26. I. QUod Mulieres debeant esse subditæ viris, vel ipsa etiam natura docuit, dum in ipsis quoque brutis masculum prætulit, & Draconem ac Gallum gallinaceum crista, Cervum cornibus, Leonem jubis, & Cicadam marem canora voce instruxit.

Anton. in meliss. to. 2. f. 14. II. Turpe semper existimatum est, regi a fœmina; hinc Cato dedecus hoc exprimere volens in Romanis, dixit: Mulieres regunt nos, nos Senatum, Senatus Romam, Roma orbem; ergo Mulieres orbi dominantur.

Liv. l. 34. III. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.

Theoph. in prat. spir. S. 97. IV. Mulier Hebræa, fœdati conjugii suspicione apud maritum laborabat. Nec vana erat suspicio; nam revera inquinarat se mulier eo scelere, cujus sola suspicio ad maritum pervaserat. Is igitur justo dolore saucius postulat uxorem ex lege Domini ad præstandum coram Synagogæ Præside juramentum, de servata thori fide, simulque poculum aqua zelotypiæ refertum hauriendum, iisque omnibus diris se subjiciendam, quas mystes ex lege imprecatu uxori fœdifragæ. Mulier sibi male conscia, astu & arte fœminea excogitat devitandi perjurii dolum. Componit se in cunis, ibique se ab ancillula herilis ædificii nescia, agitari aliquamdiu mandat. Ubi satis visa sibi infantem finxisse, maritum de concepta suspicione blande arguens, constantiam animi, & æternam erga eum benevolentiam fide præferens, irruit in ejus collum palam omnibus, & osculum figit, innocentiam infeliciter appetitam contestata. Inde ad judicii Præsidem advolat, & juramentum rite concipit, omni se viro, præterquam suo, intactam, ex quo e cunis excessisset. Credita est simpliciter agere, ac dicere, & pro innoxia pronunciatum; præsertim ex quo vires poculi, jam emortuæ, una cum lege veteri, nihil in mulierem valuisse sunt deprehensæ. Sed Deus fraudulenta æquivocatione non est delusus, sicut homo Judex, & corniger maritus. Mox enim mulier rem totam non absque tutelæ per audientes detestatione patefecit.

Ib. §. 31. V. In urbe Monasterio mulier falso rumore de viri obitu disseminato, secundas nuptias celebravit præproperis votis. Nam vir haud ita multo post inexpectatus revenit. Mulier & prioris viri regressum pertesa, & posteriores nuptias discusso æstro, ex quo celebratæ fuerant, jam fastidiens, consilium suscepit, & atrox, & nequitia refertum. Monet maritum secundum (revera procum) ut una secum ad tollendum da medio importunum gaudiorum utriusque interpellatorem, accingatur. Sic nuptias miras ratas fore. Pellectus scrophæ illius monitis alieni tbori conspurcator, consensit in iniquitatem, & scelus patravit administra, & urgente muliere, a qua veri mariti cadaver, sacco inclusum, sub noctem cruenta sarcina humeris viri suffecti, imo proci, est imposita: sed ita, ut extrema sacci ora cum miseri vectoris extimo indumento consueretur. Quare ille dum in præterfluentem Isaram, e loco edito sarcinam excutit, magna totius corporis successione ac nisu, una cum sacco valide excusso, devolvitur in profluentem, & perit læna decreto Senatus Sabaudiensis ante paucos menses, quam hæc scribimus, una cæde, quia pluribus non poterat, utramque expiavit.

VI. Haud procul Lugduno mulier, quæ mariti superstitis insigni amore flagrarat, eo vita functo, inconsolabiliter mœrens, captavit sibi orbitatis solamen ax demortui capite, quod tumulo educi, appensa pro statu suo, haud exigua pecunia impetravit, exacto jam semestri a tumulatione. Caput sic a trunco avulsum, mulier scrinio diligenter obserato inclusit, & per singulos dies quam frequenter recluso, prehensum affabatur, ac suaviabatur. Postea vero inflammatiore per satanam foco, idem caput impuri amoris ignitabulum, in lecto simul cubiturum collocavit. Hæc per aliquod tempus sic gesta sunt; sed non ita multo post, pro capite, corpus hominis integrum sibi accubare deprehendit; quod illecebrosis cum ea affatibus agens; maritum se quondam ejus esse, fasque sibi esse tamquam viro, ab ea, quæ juris mariti sunt, exigere, significavit. Annuit mulier, & per tempus satis diuturnum perrexit in scelere, rata sibi fas esse, propudiosum commercium cum reduce quondam viro exercere, qui fuit error admodum crassus. Nam præterquam quod nonnisi vana species viri quondam sui erat, cui illa faciebat sui copiam; etiamsi verus quondam vir revixisset, tamen conjugii vinculo per mortem disrupto, nefas mulieri suisset, redivivum excipere tamquam virum, nulla facta de novo conjugii celebratione, iis adhibitis, quæ ad conjugium legitimum ineundum desiderantur. Itaque nefaria omni ex parte fuit ea viduæ commistio. Tandem vero conscientia miseram fodicante, accessit ad ævi nostri in his oris Holdam, eique sincere totum negotium retexit: hæc ut est cum Deo conjunctissima, & malignitatum satanæ bene intelligens, dedocuit viduam, a qua consulebatur, & prætensum conjugem diabolum esse, sub demortui mariti specie, confirmavit; gravissime contestans, non esse ultra ei consuescendum, vel si mors oppetenda esset, & quantivis cruciatus subeundi; præteritam vero noxam sincera confessione expiandam esse. Excepit bono animo vidua salubre monitum; itaque domum regressa, revenientem satanam, & criminosum commercium continuare tentantem generose abjecit. Quare exacerbatus fœminæ obfirmatione diabolus, blanditias in furorem vertens, misellam dire excruciavit. Rediit illa ad Holdam suam, & quam male cessisset, auscultare sano consilio, exposuit. Confirmante Holda, persistandum esse in sancta obfirmatione, spiritus nequam crudelius, & acerbius miseram mulierem excepit; ita ut ejus constantia pene flecteretur, & statueret reverti in id ipsum potius quam diræ flagellationi obnoxia esse. Quin etiam agens cum Holda, ab inconspicua ma- *Ib. §. 6.*

mu alapam excepit, adeo vehementer impaſtam, ut conquereretur miſerrime. Holda ad vacillationem mulieris ad repetendum ſcelus inclinantis, interpellavit Deum, ut loco viduæ conſultricis, dæmon furorem in ipſius Holdæ corpus vertere lineretor. Exinde, vidua conſultrix immunis a ſatanæ vexatione fuit. Sed Holda impaſto gravi colapho, multata primum eſt: Tum per undecim conſequentes dies ac noctes, vix ulla interpoſita quiete dire vexata. exactis autem iis, quos dixi diebus ac noctibus, Holda quoque indemnis fuit a dæmoniaca infeſtatione.

Card. de rerum variet. l. 12. c. 50. VII. Cum Kemethus Rex Scotorum Eruthlintum Fenellæ filium ſimul etiam Malconum Druſſum Regem, & affinem Fenellæ occidiſſet; illa ſtatuam mira arte fabricari juſſit, in cujus manu aureum pomum gemmis refertum erat, quod quicumque retigiſſet, ſtatim multis jaculis confodiebatur: eo Regem nil tale ſuſpicantem invitatum in Feſticarit oppido, verſipellis fœmina interimit.

Delrio l. 3. Mag. q. 2. VIII. Non procul a Beoeventana Hiſpaniæ urbe uxor ruſtici cujuſdam pertæſa malæ tractationis, quod ſterilis eſſet, nocte quadam aufugit, & in veſte virili, ceu famulus domeſticus variis locis ſervivit: donec ſexum in ſe mutatum ſentiens, uxorem duxit, clam priori viro, tandem a quodam, qui illam prius noverat, agnita & rogata rem omnem enarravit.

Olaus Wormius l. 4. IX. Olaus Wormius in Muſeo Wormerario l. 4. c. 12. ait fuiſſe Coppenhagii in Dania fœminam Anglam gente, Eliſabetham nomine, quæ anno 1620. calamo, cum brachiis careret, ore ſumpto nomen ſuum chartæ inſcripſit; ore præterea nevit eleganter, filum lingua acui intruſit, & alia multa munia manibus propria executa eſt ore.

Damnum.

Wading. to. 1. ann. Minor. an. 10. X. B. Gnalterus e Fratrum Minorum Ordine ſæpius a nobili virgine Maria Garcia rogatus, ut veniret ad ſuas ædes, renuit; tandem venit toties fatigatus precibus; ſed ut una manu geſtans ignem, altera ſiccam paleam, quam ut propius admovit, igne concepto in cineres abiit. Tunc vir ſanctus, *ſcias velim*, ait virgini, *quod paleis ignis eſt, hoc Religioſis eſſe mulierum alloquia.* Dixit, & rubore ſuffuſa mulier ſe ſubduxit, & Gualterus diſceſſit.

Diſcipul. prompt. tit. l. ex. 21. XI. Juvenis Eremita, qui in Eremo a pueritia nutritus fuit, ivit cum Abbate ſuo ad civitatem. Et cum vidiſſet mulieres in chorea; & quid eſſent, ab Abbate quæſivit ſollicite. Cui Abbas: Anſeres ſunt. Et reverſus puer ad clauſtrum flere cœpit. Cui Abbas: Fili, quid vis? Pater volo comedere de illis anſeribus, quos in civitate vidi. Tunc Abbas convocatis fratribus dixit: Conſiderate fratres mente ſollicite quam periculoſus eſt mulieris aſpectus. Nam hic innocens puer, qui prius mulierem non viderat, in eremo nutritus fuerat; & ſolo viſu mulieris igne carnalis concupiſcentiæ eſt accenſus, & inflammatus. Unde nihil tam damnoſum bonis moribus, quam in aliquo ſpectaculo reſidere, & mulieres ſollicite inſpicere. David enim oculos ſuos injecit in mulierem, & illicito appetitu ductus homicidium & adulterium perpetravit: & niſi incaute mulierem reſpexiſſet, in tantam tentationem carnis minime incidiſſet.

XII. Senex quidam dicebat Juveni Religioſo: Chariſſime attende, quia ſal ex aqua eſt, & ſi appropinquat aquæ, continuo ſolvitur, & deficit. Et Monachus ſimiliter ex muliere eſt, & ſi appropinquat mulieri, ſolvitur & ipſe. *Sophron. l. 10. Vit. PP. c. 117.*

XIII. Non male cecinit quidam: *S. Hier. in ep. ad Nep.*

Adam, Sampſonem, Petrum, Davidem, Salomonem,
Decepit Mulier: quis modo tutus erit?

XIV. Ariſtippus Mulierem parvam conſpicatus, ſed pulchram: Parvum quidem pulchrum, inquit, ſed magnum malum. *Anton. ſ. de mul. fortis.*

XV. Democritus interrogatus, cur magnus ipſe parvam uxorem duxiſſet? reſpondit: In malo eligendo minimum elegi. *Id. ſ. de mul. imp.*

XVI. Protagoras quæſitus, cur Inimico ſuo filiam uxorem dediſſet? reſpondit: Quia nihil ei deterius dare poterant. *Ibid.*

XVII. Secundus interrogatus, quid eſſet mulier mala? reſpondit: Viri naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, ſumptuoſum bellum, bellua conviva, ſollicitudo confidens, leæna complectens, exornata ſcylla, animal malitioſum, malum neceſſarium. *Max. ſ. 9.*

XVIII. Quibus gradibus Mulier trahat in ruinam, non male quidam explicavit ſequentibus verſibus: *Engelgr. embl. 41. §. 1.*

Poſt viſum, riſum: poſt riſum venit ad uſum:
Poſt uſum ad tactum: poſt tactum venit ad actum.
Poſt actum, factum: poſt factum pœnitet actum.

XIX. Nec imperite quidam de Sampſone: *Ibid.*

Leænam non potuit, potuit ſuperare Leænam:
Quem fera non potuit vincere, vincit hera.

§. IX. AUTHORES.

I. Nicolaus Lancizius opuſc. 2. c. 4. & opuſc. 13. l. 3. c. 8.

II. Henricus Engelgrave part. 1. Lucis Evangelicæ embl. 41.

III. Mathias Faber conc. 3. in Feſto SS. Simeonis & Judæ.

IV. Joannes Buſæus de ſtatibus Hominum tit. Virginitatis & Viduitatis ſtatus.

V. Jacobus Marcantius in Horto Paſt. Virga Aaronis tr. 4. lect. 8.

VI. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

VII. Joſephus Langius in Polyant. V. eod.

TITULUS CI.

MUNDUS.

§. I. QUOAD ESSENTIAN.

Definitio.

Jo. c. 1. v. 19. I. EST, prout hic accipitur, vitiosa, & misera naturæ humanæ conditio, ex peccato primi hominis & parentis contracta. Unde S. Joannes dicit: Scimus quoniam ex Deo oati sumus, & Mundus totus io maligno positus est.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

1. Jo. 2. v. 17. I. MUndus transit, & concupiscentia ejus. II. Omne quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est de Patre, sed ex Mundo est.

Fuga.

Ib. v. 15. III. Nolite diligere Mundum, neque ea, quæ in Mundo sunt. Si quis diligit Mundum, non est charitas Patris in eo.

Rom. 12. v. 2. IV. Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri.

2. Tim. 2. v. 4. V. Nemo militaos Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.

Jac. 4. v. 4. VI. Adulteri, nescitis, quia amicitia hujus Mundi inimica est Dei? quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.

3. Reg. 18. v. 21. VII. Unusquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, (Id est, Mundus) sequimini illum.

1. Cor. 7. v. 29. VIII. Tempus breve est, reliquum est, ut sint, qoi utuntur hoc Muodo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus Mundi.

If. 52. v. 11. IX. Recedite, recedite, exite hinc, pollutom nolite tangere; exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.

Apoc. 18. v. 4. X. Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Aug. sup. 1. Jo. I. MUndus transit, & coocupiscentia ejos. Quid vis? utrum amare temporalia, & transire cum tempore? an Christum amare, & in æteroum vivere?

Petr. Blef. II. Fallax est hic Mundus, finis dubius, exitus horribilis, judex terribilis, pœna infinibilis.

Aug. ad Diofcor. III. In hoc Mundo non timere, non dolere, non laborare, oon periclitari impossibile: Sed plurimum interest, qoa causa, qua expectatiooe quo animo quisque patiatur.

Fuga.

IV. Discite in hoc Mundo supra Mundum esse, & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior. *S. Ambr. l. de Virg.*

V. Sancti viri, qui nihil hujus Mundi appetunt, procul dubio nullis tumultibus io corde premuntur. *S. Greg. l. 4. mor.*

VI. Si Christos pro te cælesti sede descendit, tu propter ipsum fuge terrena. Si dulcis est Mundus, dulcior est Christus. Si amarus est Mundus, omnia pro te sustinuit Christus. *S. Aug. de mund. contempt.*

VII. O amatores Mundi, cujus rei gratia militatis? major non poterit esse spes vestra in Mundo, quam ut amici Mundi sitis. Ibi quid nisi fragile, plenum periculis? & per qoot pericula pervenitur ad majus periculum? pereaot hæc omnia, & dimittamus hæc vana & inania, conferamus nos ad solam ioquisitiooem eorum, quæ finem non habent. *Idem lib. confess.*

VIII. Mundus clamat: ego deficiam. Caro clamat: ego inficiam. Diabolus clamat: ego decipiam. Christus vero dicit: ego reficiam; & tamen superba meos magis sequi vult deficientem, quam reficientem. *S. Bern. in ep.*

IX. Mundus iste periculosior est blandus, quam molestus: magis caveodus, cum se allicit diligi, quam com admooet, exigitque contemni. *S. Aug. ad Diosc.*

X. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis; pannis secundus involvitur. Noo est tale judicium Mundi. Aut iste fallitur, aut Mundus errat. Sed divinam falli impossibile est Sapientiam. Et paulo post: Christus otiqoe, qui non fallitur, elegit, quod molestius est; id ergo melius, id utilius id potius eligendum. Et qoisquis aliud doceat, vel soadeat, ab eo tamquam seductore cavendum. *S. Bern. f. 2. de nat.*

XII. Cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere Mundum. *Bernard. de ferm.*

XIII. Mundi amor & Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conspiciunt. *Cypr. de 12. abuf.*

Damnum.

XIV. Vincula hujus Mundi asperitatem habent veram, jucuoditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem beatitudinis ioanem. *S. Aug. ep. Long. in Polian. V. eod.*

XV. Ecce jam in seipso Mundus aruit, & adhuc in nostris cordibus floret, ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio, ubique percutimur, ubique amaritudine replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ejus amaritudines amamus, fugientem sequimur, labenti inhæremus, & quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. *S. Greg. in hom.*

XVI. Mundus est, ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia viscosa, omnia lubrica suot, omnia operta tenebris, & obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, & affliguntur corpora, ubi omoia vanitas & afflictio spiritus. *S. Bern. in ferm.*

XVII. Mari juste comparatus hic Mundus, quia falsitatibus amarus est, fluctibus diabolicis quatitur, vitiorum tempestatibus commovetur. *Cassiod. sup. Ps. 44.*

V 2 XVIII.

S. Greg. in mor. XVIII. Qui transeuntia amplectitur, eo ipso ad decursum ducitur, quo decurrentibus implicatur.

Idem in Dial. XIX. Despiciendus a nobis hic Mundus foret, etiamsi blandiretur, & rebus prosperis demulceret animum; at postquam tot flagellis premitur, tanta adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quam ne diligatur, clamat?

§. IV. EXEMPLA.

Fuga.

Gal. 6. v. 14. I. S. Paulus, quantopere Mundum oderit, ipsemet testatur dum ait: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.

Plat. l. 3. c. 16. II. Petrus Consalvus, dum quadam die equo superbe vectus per urbem cum sodalibus incederet, subito ab equo in subjectum lutum excussus est, ex quo extractus cum a pueris & plebe circumstante affatim rideretur, rubore suffusus, sibique iratus dixit: Quandoquidem o Munde, cui tam graviter servivi, sic a te tractor, ego quoque te, ut mereris, tractabo. Itaque eo momento decrevit, se Deo in Religione aliqua famulaturum, quod paulo post in Ordinem S. Dominici receptus præstitit.

Zachar. Lipelous 19. Julii. III. S. Arsenius cum ex aula Theodosii, conspecta Mundi vanitate, in solitudinem secessisset, ab Arcadio humanissimis litteris, & totius Ægypti vectigalibus promissis ad aulam invitatus est. Sed is nec rescribere dignatus, hoc solum renunciari jussit: Det veniam Deus nostris erroribus: Ego quidem Mundo mortuus sum, pecuniam construere mei muneris non est; neque enim mortui nummos tractant, æterna cogitare, id unum ad me spectat. Cum vero postea Magistrianus e paterna domo testamentum illi afferret, quo hæres ex asse scribebatur, respondit: Ego prius mortuus sum, quam Pater meus: qua ergo ratione mortuum mortuus hæredem scribit? tolle quidquid hoc scripti est, & abi.

Idem 17. Jul. IV. S. Alexius ipsa Nuptiarum suarum die a paterna domo profugus, & post aliquot annos rediens, sub specie mendici usque ad mortem delituit, raroque, sed pulcherrimo exemplo, Mundo illusit.

Idem Jan. V. Idem S. Joannes Calybita fecit, qui, ut Mundum, diabolumque reditum ad parentes & patriam assiduo suadentes generose vinceret, rediit quidem; sed mendicorum assumptis vestibus, sicque incognitus in paterna domo usque ad mortem latuit.

Baron. ann. 110. & 112. VI. S. Gallicanus Romani Dux exercitus, post Sauromatas, Gothos, & plures alios populos domitos, Constantiam Constantini Augusti filiam matrimonio sibi locatam, cum immensis opibus reliquit, & ex urbe ad ostia Tiberina secedens, hominum infirmorum servitiis se totum addixit. Cujus rei fama divulgata, undique multi illuc confluxerunt, ut viderent Patricium, Consularem, Triumphalem, Imperatoris Generum ad infima ministeria abjectum. Quo Mundi contemptu Gallicanus effecit, ut postea palmam Martyrii Alexandriæ sit consecutus.

In vita ejus apud Surium 3. Mart. VII. Cunigundis Augusta Henricii II. Imperatoris conjux, & virgo sanctissima Conrado sibi succedente in Regno, curis sæcularibus, sicut jam diu desideraverat, exonerata, jam in ipso anniversario die transitus S. Henrici, Archiepiscopos ad dedicationem Consugiensis Ecclesiæ convocavit, ubi inter Missarum solemnia Imperiali decentissime omni ornatu culta, ante principale Altare Virgo Deo devota processit: Ibique thesaurum incomparabilem ligni videlicet Dominici crucem, parvam quidem in materia, sed maxima in virtute Domini obtulit: At ubi lectio Evangelii (quod dici consuevit ex præscripto sacrorum rituum in dedicatione alicujus Ecclesiæ) in qua super arborem Sycomorum ascendens, conspiciendum se Jesum suscipere, & ab eo benedictionem Zachæus pusillus meruit accipere, lecta fuit, regalem purpuram exuens, tunicam fusciorem, quam ipsa sibi manibus suis operata fuerat, Sacerdotali benedictione data, vestem religionis induit, & multis quidem pro se flentibus, pro illa autem gaudentibus, quæ jam sæculum damnasset in vestibus, capillis, qui huc usque in eodem monasterio pro veneratione servantur, præcisis, imposito sibi ab Episcopo velo, annulo fidei subarrhata gratulabunda concinnuit: Posuit signum in faciem meam &c. Et annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus. Ita sponso Christo consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo contubernio applicuisset, non ut mater filiabus se præferebat, sed omnibus inserviens servilem personam se ostendebat; ita tamen ut cum omnia faceret, ostentationem fugeret singulorum, ne reciperet in præsenti sæculo mercedem suam.

VIII. Anno Christi Domini 855. Lotharius Imperator relicto Imperio, atque Regno diviso, Ludovico Italiam, Lothario Regnum quod in Francia possidebat, præterquam Provinciam, quam Carolo tradidit, dedit, cæterisque rebus cunctis bene dispositis, abdicans se ab omnibus mundanis curis, Primiacense ingressus est monasterium, ubi coma deposita habitans, Sanctæ religionis accepto habitu fit monachus, in eoque spiritum Deo reddidit IV. Kalend. Octobris. Sive ut alii tradunt VI. Kalend. ejusdem. *Baron. t. 10. Ann. ad anno 855.*

IX. Anno Domini 920. Ugo, qui simul Provinciæ Rex, idemque Imperator, multis rebus bello præclare gestis, multis cumulatus victoriis, amplissimo denique cœnobio ædificato, ipse quoque in eo Christi humilitatem complexus, mundum reliquit, & imperatorias opes ac purpuram cum vili tunica & solitaria cella libentissime comutavit. *Platius lib. 2. de bono stat. relig. c. 26.*

Inconstantia.

X. Carolus Tertius Imperator, dictus Crassus, Francofordiæ dejectus ab Imperio, dejectus ab omnibus etiam famulis, triduo integro, fame periisset, nisi Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus hominis fortunam miseratus, aliquot diebus illum pavisset. Is postea ab Arnulpho successore suo saltem victum postulans, pagum aliquem in Suevia, Neyding dictum, pro se alendo obtinuit. *Avent. in l. 4. Boii. annal.*

XI.

Michov. l. 4. ver. Polon. c. 50. XI. Boleslaus III. Rex Poloniæ ob interemptum S. Stanislaum conscientiæ stimulis exagitatus, & omnibus exosus, ex regno profugit, tandem in Monasterio Carinthiæ, Ossach dicto, occultus ministeria culinæ obiisse scribitur.

§. V. EXEMPLA PROFANA.

Inconstantia.

Dionys. l. 58. I. SEjanus Consul sub Tiberio Imperatore tantæ fuerat authoritatis, ut illo absente Romæ Imperatorem ageret, aureoque in curru veheretur. Sed subito ad illum litteræ sunt allatæ, quibus cum speraret dignitatem suam tribunitia potestate auctum iri, jussus est in vincula conjici, capite plecti, unco trahi, & in Tiberim præcipitari.

Fab. conc. 2. in Dom. 3. Advent. n. 2. II. Pertinax Imperator (sic dictus, quod imperium oblatum pertinaciter recusasset), primum Grammaticam professus, postea alimentorum Procurator, inde Consul designatus, demum Africæ Proconsul, & ex hoc Imperator a militibus electus, vix octoginta dies imperium tenuit, & ab iisdem militibus occisus est.

Drex. p. 1. Rof. c. 12. S. 5. III. Belisarius post ingentes de Barbaris victorias reportatas, demum a Justiniano Imperatore oculis orbatus, e tuguriolo a prætereuntibus stipem rogavit, dicens: Viator, obsecro, da obolum Belisario, quem invidia cæcavit, non culpa.

Baron. an. 203. IV. Plautianus Antonini Cæsaris Socer, opulentissimus ac potentissimus, filiæ dotem dedit, quæ Reginis quinquaginta sufficisset. Sed & populo magis, quam ipse Imperator erat formidabilis. Vox omnium una erat, cælum prius ruiturum, quam Socero Imperator noceret. Sed vices, ut fit, verterunt; nam Plautianum cædis structæ insimulatum Antoninus in palatio occidit, nomenque illius ex omnibus monumentis ac tabulis eradi jussit. Sed & filium ejus Plautum ac Plautillam filiam in Lyparium exulare, & paulo post occidi jussit.

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Cran. in loc. comm. f. 630. I. SIcut parvuli Nutricem magis amant Matre; fecus vero, ubi adoleverit, & Matris atque Nutricis discrimen agnoscunt; ita qui sensu ac judicio parvuli sunt, Mundum magis, quam Deum diligunt; fecus vero, qui sensu ratione in spirituales viros evaserunt.

Ib. f. 637. II. Sicut aulea ex lana, serico & auro contexta intus deformia, exterius vero formosa ac pulchra sunt; ita felicitas Principum exterius nitet, & fulget; interius autem mille curarum ac miseriarum aculeis laceratur, quas nemo sentit, nisi qui patitur.

Bellarm. conc. 27. III. Sicut pueri ranas piscantes pellem ranæ filo alligatam escam objiciunt, &, ubi eam aliqua cum hamo deglutierit, occidit, & escam ex ore detractam aliis objicit, pluresque capit; ita Mundus divitias & dignitates aliis ereptas, aliis objicit, sicque unum post alterum hamo suo in mortem trahit.

IV. Sicut Caupones Hospitem divertentem peramanter & humane excipiunt, & optima quæque promittunt, sed in discessu caram symbolam severo vultu rigorose exigunt; ita mundus ab initio quidem amatoribus suis blanditur, sed in fine gravissimis suppliciis luere gustatas delicias cogit. *Id. c. 13.*

V. Sicut nuces paucæ leviter commotæ multum edunt strepitum, sed triplicem habent corticem amarum, qui detrahi debet, antequam comedantur; ita Mundi deliciæ quidem a multis laudantur, sed triplices habent dolores ac solicitudines in acquirendo, conservando, ac perdendo. *Fab. conc. 2. in Do. 3. Quadr. n. 2.*

VI. Sicut is, qui thesauro in area clauso ostenso, clavibusque diversis, quarum aliqua ferrea, & ad aperiendum apta; altera aurea, & ad referandum inepta foret, oblatis, auream eligeret, merito insipiens crederetur; ita qui voluptates hujus Mundi velut clavem auream, sed ad referandum cæli thesaurum ineptam præferunt crucibus & tribulationibus, quæ ferreæ quidem clavi, sed ad cælum aperiendum aptæ comparantur, merito decipere dicuntur. *Stapleт. f. 2. in Domin. 9. post Pent.*

VII. Sicut deficientibus lignis deficit ignis; sic quia Mundus transit, & concupiscentia ejus, haud dubium, quin & lætitia quoque transeat. *S. Bern. f. 4. in Oct. Epip.*

Fuga.

VIII. Sicut turpe est, virum ætate provectum in pulvere considentem puerilia opera facere; ita non minus turpe est, eos, qui de rebus alterius sæculi perfruendis deberent esse folliciti, in rerum terrenarum pulvere volutari, & studiorum turpitudine, possessionis suæ fœdare perfectionem. *S. Nilus in l. Ascet.*

IX. Sicut nemo non aversatur Judam falso Christum osculo prodentem; ita nemo quoque non fugere deberet Mundum, falsis amatores suos deliciis decipientem, & diabolo prodentem. *Fab. conc. 7. in Fer. Cin. Dom. n. 2.*

Damnum.

X. Sicut sanguis veneno infectus ad cor velut præsidium confluit, & propterea, unde remedium sperabat, exitium parat; ita Mundi amatores, dum ex falsis voluptatibus summam sibi felicitatem pollicentur, perpetuum sibi interitum conciliant. *Staplet. the. 2. in Domin. 7. post Pent.*

XI. Sicut ii, qui in aquis merguntur, quidquid in manu tenent, nullo modo dimittunt, sed secum submergi cogunt; ita qui rebus mundanis immersi sunt, ea, quæ tenent, nunquam dimittere volunt, sicque nunquam ad Christum vocati veniunt. *Ib. th. 3. in Do. 19. post Pent.*

XII. Sicut, qui picem aut viscum vel leviter tangit, inquinatur, & difficulter iterum a se amovere potest; sic vix possibile videtur, ut, qui semel Mundo adhæsit, ab eo non inquinetur, iterumque ab eo liberetur. *Jos. Lang. in Polia. V. col.*

XIII. Sicut David indutus armis Saulis incedere non poterat, nec contra Goliathum pugnare; sic armis Mundi indutus, id est, negotiis sæcularibus se implicans Deo militare contra dæmonem non potest. *Stapl. Id.*

XIV. Sicut nemo, qui Patriam nimis diligit, peregrinæ regionis studio tenetur; ita ne- *Trivor. apoph. 10.*

mo ad cælum aspirat, qui hujus Mundi illecebris delectatur.

§. VII. MOTIVA.

Ad fugiendum Mundum.

S. Bern. ser. 3. de Nativ.

I. E*Xemplum Christi*: qui omnia Mundo contraria elegit. Aut ergo Mundus errat, aut Christus fallitur? atqui hunc, cum sit infinita sapientia, falli impossibile est; ergo Mundum errare necesse est.

Joann. 15. v. 19.

II. *Exemplum Sanctorum*: quos Mundus constanter odio habuit; unde illud Christi eisdem convenit: Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret. Quia vero de Mundo non estis; sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.

2. Reg. 20.

III. *Fallacia Mundi*: imitatur enim factum Joabi, qui, dum Amasam amice salutavit, & manu dextra mentum ejus, quasi osculans tenuit, sinistra gladium ejus lateri infixit. Unde & ob eandem fallaciam a nonnemine Mundus anteriori parte pulcher admodum, a tergo vero turpissimus conspectus est.

Eccl. 2. v. 10.

IV. *Vanitas Mundi*: quam, si ullus, & cognovit, & explicavit Salomon, dum dixit: Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ paraveram. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.

1. Joan. 2. v. 17.

V. *Inconstantia Mundi*: transit enim Mundus, & concupiscentia ejus, unde non male mari ab aliquibus comparatur, quod modo tranquillum est, & ad navigandum invitat; modo a ventis concitatum, fluctibus omnia involvit.

§. VIII. MEDIA.

S. Bern. in serm.

I. C*Hristi amor*: nam, ut S. Bernardus ait, cui Christus incipit dulcescere, necesse est amarescere Mundum.

S. Greg. in registro.

II. *Cælestium bonorum amor*: uti S. Gregorius suasit his verbis: Si consideramus, Fratres charissimi, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris.

S. Bern. in serm. Ecce nos reliq. Idem in medit.

III. *Vanitatis mundanæ consideratio*: nam, ut sapienter S. Bernardus advertit, ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris rebus occupari potest, repleri non potest. Hinc & alibi ait: Dic mihi, ubi sunt amatores Mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? nihil ex eis remansit, nisi cineres & vermes.

Stapleton. 1. in Domin. 9. post Pent.

Ideo, teste Stapletono, Jacob, cum nasceretur, tenuit Fratrem Esau in planta pedis, quia justus & electus Dei considerat peccatum, & Mundi vanitatem in fine suo.

§. IX. ASCETICA.

I. Q*Uatuor sunt, quæ de hac materia considerare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi, aliisque persuadeat id, quod unanimiter SS. Patres & Ascetæ docent, & cum Illis S. Cyprianus dicens: Mundi amor & Dei pariter in uno corde habitare non possunt, quemadmodum oculi pariter cælum & terram nequaquam conspiciunt. Quod idem confirmat S. Hieronymus: Difficile, ait, imo Impossibile est, ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat ad delicias: ut in utroque sæculo primus sit, & in cælo ac in terra appareat gloriosus.

S. Cypr. de 12. ab. — *S. Hier. in epist.*

Joan. 15. v. 9.

II. Alterum est, ut certo sibi persuadeat, non posse se Christi discipulum esse, nisi & Mundum odisse, & ab ipso haberi velit; sic enim ipse Christus prædixit: Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret. Quia vero de Mundo non estis, sed ego elegi vos, propterea odit vos Mundus.

Lansig. opusc. 21. — *Fer. 2. Domin. 4. post Pasc.*

III. Tertium est, ut sciat, quid sit relinquere Mundum, nempe relinquere ea, quæ quærunt mundani, puta voluptates, divitias, & honores & similia. Deinde relinquere modum imperfectum, quo mundani opera ad cultum Dei & proximorum spectantia peragunt. Et tandem relinquere finem, propter quem mundani plerumque sua opera peragunt, scilicet proprium commodum & amorem. Hoc modo enim impletur consilium Apostoli suadentis, ut Mundo tamquam non utentes utamur.

S. Aug. in Ps. 31. — *S. Chrysl. s. 12.*

IV. Quartum est, ut studeat non quocumque modo recedere a Mundo, sed ita, ut eodem, aut majori fervore, quo prius Mundo serviebat, deinceps Deo serviat, juxta consilium S. Augustini dicentis: Amorem vestrum purgate, & quales impetus habebatis ad Mundum, tales habeatis ad Artificem Mundi. Quod ipsum etiam suadens S. Chrysol.: vivamus, inquit, Deo paululum, qui sæculo viximus toti: dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. Tempus est, ut aliquando tibi, domuique tuæ provideas.

§. X. MISCELLANEA.

Qualitas.

S. Greg. 18. mor. c. 11.

I. C*Or humanum Mundi illecebris deditum, & carnalibus desideriis æstuans, a diabolo succensum & fervens per consensum, ollæ succensæ simile est, quia, licet tot undas quasi fervescendo projiciat, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit, tamen exundat, dumtaxat non abundat.

Engelgr. p. 3. Luc. Ev. emb. 12.

II. Cynicus Philosophus testamenti sui tabulis cavit, ne se supinum, sed dorso cælum versus tumularent, eo quod censeret, universam orbis machinam inversam esse, consideret tamen, rursus aliquando convertendam, & tum se oculos ad cælum erectos habiturum.

Ibid.

III. In Ægypto nemo Aratorum cælum aspicit, eo quod terra non a cælo per pluvias, sed a Nilo fluvio exundante irrigetur; idem faciunt Mundi amatores, quia omnia bona sua a Mundo habere se putant.

Sen. præf. nat. qu.

IV. Non male Mundi vanitatem declarans Seneca: punctum est, inquit, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini, cum te in illa vere magna fu-

fustuleris, videbis exercitus ire subjectis vexillis, & licebit dicere: it nigrum campis agmen: formicarum iste discursus est in angusto laborantium.

Philo de Deo. V. Nihil est in rebus humanis, inquit Philo, ac negotiis præter umbram, auramque levissimam, sine mora prætervolantem.

S. Greg. ep. Drex. in aurif. l. 1. c. ult. VI. Bobus triturantibus similes sunt Mundani; quia pro Mundi gloria cuncti sudoribus libenter inserviunt, & gravium laborum jugo colla devotissime submittunt.

Damnum.

Fab. conc. 3. in Dom. 2. Quadr. VII. Persæ Saccorum solemne hoc modo celebrant. Vinctorum, qui ad supplicium duci debent, aliquem in sella Regis collocant, & veste regia ornant, faciuntque ei potestatem delicate & molliter vivendi, regiisque pellicibus per eos dies utendi, nec quisquam impedit, quo minus, quod vult faciat; completo vero tempore flagellatum suspendunt: Idem fere Mundus cum amatoribus suis facit.

Staplet. tr. 5. in Dom. 19. VIII. Stapletonus recte Mundo illud Apocalypsis: Vidi in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo: accomoda; est enim Mundus mare tumidum per superbiam, lividum per invidiam, fervidum per iracundiam, profundum per avaritiam, inquietum per acediam, spumosum per luxuriam, absorbens per ventris curam, ubi etiam major piscis minorem devorat. Sed dicitur vitreum propter fragilitatem, nam transit Mundus & concupiscentia ejus.

§. XI. AUTHORES.

I. Didacus Stella de contemptu Mundi.

II. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 636.

III. Mathias Faber conc. 5. in Festo SS. Simeonis & Judæ & conc. 2. in Dom. 2. Quadr.

IV. Hieremias Drex. in Rosis p. 2. c. 12.

V. Henricus Engelgrave part. 2. Lucis Evangelicæ embl. 36.

VI. Thomas Staplet. te. 5. in Dom. 19. post Pent. & te. 2. in Dom. 9. post Pent.

VII. Josephus Langius in Polyant. V. eod.

VIII. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ. V. eodem.

IX. Joannes Major in magno Speculo Exemplorum. V. eodem.

TITULUS CII.

NOBILITAS.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Arist. l. 2. Rhet. I. EST quædam a Progenitoribus accepta claritas juxta Aristotelem. Quia tamen interdum per propria merita aut divitias acquiritur Nobilitas; ideo, ut etiam hæc comprehendatur in definitione, latius forte sic describi posset: Est quædam status eminentia seu dignitas, certis quibusdam privilegiis gaudens.

Divisio.

II. Dividitur a S. Gregorio Nazianzeno in tres species; quarum prima suam originem superne trahit, quatenus scilicet omnes ad imaginem Dei conditi sumus; & de hac recte cecinit quidam Poeta: *S. Greg. Naz. ap. Drex. l. in Tob. p. 1. c. 1. §. 2.*

Si Pater est Adam cunctorum, Mater & Eva,
Omnes nonne sumus nobilitate pares?

Altera priscum sanguinem & claros Natales præfert; & hæc uti suum ortum habet, ita suum interitum ignorare non potest. Tertia est, quam propria virtus & eruditio parit.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. GEnerositatem (id est, Nobilitatem) illius glorificat, contubernium habens Dei, sed & Dominus omnium dilexit illam. *Sap. 8. v. 3.*

II. Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. *1. Cor. 1. v. 26.*

III. Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus (id est, qui se jactat ob nobilitatem) indigens pane. *Prov. 12. v. 9.*

IV. Beata terra, cujus Rex nobilis est. *Eccl. 10. v. 17.*

V. Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ. *Prov. 31. v. 23.*

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. ILle apud Deum est potior, non quem nobilitas generis, nec dignitas sæculi, sed quem devotio fidei & sancta vita commendat. *S. Hier. in quadam epist.*

II. Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, nec obscuras quasque & humiliori loco natas te inferiores putes. Nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos respicit singulorum, servum & nobilem de moribus pronunciat. Summa apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. *S. Hier. ep. 14.*

III. Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quod Nobiles quadam necessitate constringantur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Non enim datur nobili equo palma, sed cursui: & plerumque nobilitas carnis ignobilitatem parit mentis. *Ibid.*

IV. Vacuum se ostendit in bonis, qui gloriatur in Patribus. *S. Chrys. in Matth.*

V. Quid prodest ei, quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet ei generatio vilis, quem mores adornant? *Ibid.*

VI. Licet longam Progenitorum seriem, & quidem clarissimam numeremus, in his gloriandum non est, nisi eorum virtutes superare contendamus, scientes, aliorum opera nihil nobis in judicio profutura; verum graviter nos condemnatura, cum optimorum Parentum filii, & domesticis exemplis eruditi nihil profecerimus. *Idem ho. 20. in Jo.*

Ibid. VII. Cunctis unam atque eamdem nobilitetem donavit Deus, cum dignatus est omnium Pater vocari.

S. Aug. ser. de I. Dom. in monte. VIII. Admonentur hic divites; vel genere nobiles secundum sæculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire edversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo: Pater noster, quod non possunt vere ec pie dicere, nisi se Fratres esse cognoscent.

S. Chrys. sup. Matt. IX. Ille clarus, ille nobilis, ille tunc integram nobilitatem suam putet, cum dedignatur servire vitiis & eb eis non superari.

Ibid. X. Melius est, ut in te glorientur parentes, quam tu in parentibus.

Idem in Ep. XI. Ingenia generosa doceri cupiunt, cogi non ferunt.

S. Greg. in Dial. XII. Nonnullis solet generis nobilitas parere ignominiam.

S. Chrys. de curial. nug. XIII. Omnino iniquum est, nobiliora ingenia studiis dehonestari minoribus, & eos, quos gravia expectant officia voluptatis, ac vanitatis occupationibus agitari.

XIV. Animus ingenuus nil magis, quam rogari erubescit.

§. IV. EXEMPLA.

Qualitas.

Drex. in Trib. p. 1. c. 1. §. 2. I. ROmanus Martyr vir nobilissimus Asclepiadi Præfecto in os dixit: Absit a me, ut nobilem me præstet Parentum sanguis, aut lex Curiæ, generosa Christi sequele nobilitat viros. Non cupio, ut mihi, meoque generi quidquam parcas. Christi Sanguis pro me fusus me nobilitet.

Sur. 5. Febr. II. S. Agathe, cum Quintilianus Prætor ei dixisset: Non te pudet nobili genere natam humilem & servilem Christianorum vitam agere? respondit: multo præstantior est Christiena humilitas, & servitus, Regum opibus & superbia.

Beyrlinck. tom. 4. in Festo S. Io. Bapt. III. Maximilianus Imperator cuidam nobilitatem mille ducatorum pretio affectanti: ditare te possum respondit, at nobilitare non nisi propria virtus poterit.

Panorm. l. 1. de gestis Alph. IV. Alphonsus Aregonum Rex, cum aliquis ipsum a nobilitate maxime laudare, quod scilicet esset Ree, Regius filius, Regis nepos, Regis freter, hominem interpellans dixit, nihil esse, quod in vite minoris ipse duceret, quam quod ille tenti facere videretur; leudem enim illam non suam, sed majorum suorum esse, quippe qui justitia, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparassent, successoribus vero non nisi onera regni cedere, & ita demum honori fore, si virtute potius, quam testamento iile suscipiant. A se itaque, si qua modo extent, eliceret ornamenta, non a Patribus mortuis extorqueret.

§. V. EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Plut. in apopht. I. CIcero, cum ob cognomen dicteriis incesseretur, monitus ab eliis, ut aliud cognomen essumeret, negavit, se id facturum, sed potius Ciceronis nomen factis illustrius effecturum, quam illustrissima Catonum, Catulorum, & similium nomina fuerint.

II. Socretes sciscitenti, quid esset nobilitas? respondit: Animæ & corporis bona temperies. *Stob. ser. 84.*

III. Democritus quæsitus, in quo consisteret nobilitas? Pecudum nobilitas, eit, in bono, velidoque corporis habitu, hominum autem nobilitas in bonitate morum sita est.

IV. Diogenes interrogetus, quinam homines nobilissimi essent? respondit: Contemptores opum, gloriæ, voluptatis, vitæ, contrariis autem, peupertate, obscuritate, fame, labore ec morte superiores. *Ibid.*

V. Theocritus audiens quemdam ob Parentum nobilitetem gloriari, heus, ajebat, vir bone, generosos arbitreris esse non eos, qui ex bonorum & illustrium stirpe prognati sunt, sed qui honestatem omnibus rebus præposuerunt. *Ibid.*

VI. Lycurgus studens cives suos ad morum emendationem traducere, non nobis, inquiebat, nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi ea opera gesserimus, per quæ ille mortalium clarissimus effectus est, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt, & discamus, & exerceamus. *Plut. in Lycur.*

VII. Iphicrates, cum Hermodius illi objiceret, quod Patre sutore natus esset, meum, inquiebat, genus a me sumit originem, tuum vero in te desiit. *Berr. to. 2. in Festo Nat. B. V.*

Damnum.

VIII. Socrates opes & generis nobilitatem non solum nihil in se habere nobilitatis dicebat, verum etiem omne malum ex illis oriri dicebat. *Laer. l. 2. c. 5.*

IX. Sed & Diogenes nobilitatem, aliaque fortunæ bona, nihil aliud esse, quam velamina melitiæ dicebat, cum enim nobiles nihilo sint aliis meliores, tamen aliis licentius peccant. *Ibid.*

§. VI. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut, cum sagittarii eliguntur, non genus eorum, sed sagittandi dexterites inquiritur; sic in amicorum electione, non unde nati, sed quales sint, inquirendum, uti recte Bion Antigono Regi dixit. *Stob. ser. 84.*

II. Sicut leteres figulis ex luto tantum originem ducunt; sic nobilitas obscuris ex Parentibus quoque nascitur. *S. Greg. Nyss. ep. Lang. in Polyant.*

III. Sicut neminem nutrit fumus obsoniorum, sed nares tantum provocet; ite neminem beat stemmatus antiquitas, sed virtutis dumtaxat admonet. *Theocr. in apopht.*

IV. Sicut Luna, quo remotior est a Sole, megis splendet: ita nobilitas, quo magis se deprimit, & elongat a Deo, eo megis fulget. *Fab. tom. 2. in Fest.*

V. Sicut longe præstantius, majorique dignum laude est, domum ædificare, quam inhabitare, aut ornare ædificatam; ita excellentius longe est, ab se partam nobilitatem possidere, quem servare ab aliis acceptam. *Nat. B. V. Beyrl. to. in Festo Nat.*

VI. Sicut canum & equorum origo nihil ad cursum expeditiorem facit, neque illis palma detur, sed cursui; ita non nobilitas, sed virtus expeditum facit ad viam salutis decurrendam. *Id. ex S. Ambr.*

VII. Sicut Phydias inclytus ille sculptor Mi- *Arist. l. de mund.*

Minervæ effigiem suam ita insculpsit, ut non nisi confracto clypeo eximi posset; ita Deus nobilium indoli & sanguini sic appetitum honoris impressit, ut nisi prava educatione corrumpantur, aut morte frangantur, eripi non possit.

§. VII. MISCELLANEA.

Juv. sat. 8. I. NOn male stemmatum vanitatem expressit Juvenalis, dum cecinit:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice longo
Sanguine censeri? pictosque ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

Senec. l. 2. de benef. II. Sapienter etiam Seneca, bona mens, inquit, omnibus patet. Omnes ad hoc nati sumus nobiles: Nec ejicit quemquam Philosophia, nec eligit, omnibus licet. Patritius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit.

Lud. Vives in introd. ad Sapient. c. 1. III. Quid aliud est nobilitas, inquit Ludovicus Vives, quam nascendi sors & opinio a Populi stultitia indicta? aut quæ sæpenumero latrociniis quæritur.

Utilitas.

Cicero pro Sestio. IV. Omnes boni, inquit Cicero, nobilitati favemus, quia Reipubl. utile est, nobiles esse homines, dignos majoribus suis.

Cat. sbe. P. auff. V. Pontifex in Veteri Testamento, ut majori cum authoritate docere legem & Principes posset, non aliam, quam nobilem Virginem ducere audebat, uti Lev. 21. dicatur.

§. VIII. AUTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Tob. p. 2. c. 1.
II. Mathias Faber them. 4. in auctar. & conc. 9. in Festo Nat. n. 3.
III. Laurentius Beyrlinck in theatro vitæ humanæ, V. eod. & text. 1. in Festo Nativ. B. Virg.
IV. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 196.
V. Josephus Langius in Polyant. V. eod.
VI. L. Annæus Seneca lib. 3. de benef. & lib. 1. controverf.

TITULUS CIII.

OBEDIENTIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

Jac. Alv. de adept. virt. l. 3. p. 2. c. 7. §. 12. 23. q. 104. a. 2. ad 3. In concil. p. 2. sess. 44. I. EST virtus, qua exequimur jussa, & præcepta majorum, quia præcepta sunt. S. Thomas eam sic definit: Est virtus, quæ promptam reddit hominis voluntatem ad implendam voluntatem præcipientis. Vel ut S. Bonaventura ait, est spontaneum & rationabile voluntatis propriæ sacrificium.

Divisio.

II. Dividitur communiter obedientia in *divinam, & humanam*, spectando personam, cui immediate præstatur. *Divina* est, per quam præcepta ab ipsomet Deo posita implentur. *Humana* est, per quam hominis mandata executioni mandantur. Aliam quoque divisionem indicavit S. Ignatius sic loquens: Quemadmodum in hominum vita, duæ sunt hominibus propositæ ad beatitudinem viæ, altera pervulgata & communis, quæ divinis præceptis servandis continetur; altera illorum tantum, qui Christi consilia toto corde complectuntur; sic in ipsa Religione duo esse obedientiæ genera, quorum alterum est imperfectum, alterum perfectum, & omnibus absolutum numeris, in quo vis obedientiæ elucet, hominisque religiosi virtus maxime apparet. Imperfectam obedientiam male oculatam esse, perfectam sapienter cœcam; illam judicium sibi de imperatis rebus servare, hanc judicium proprium non habere: illam in alteram propendere partem, hanc in neutram potius moveri: illam mandatis parere judicio repugnante, neque ad eo obedientiæ nomen mereri: hanc judicium judicio, voluntatem suorum superiorum subjicere voluntati, rectum credendo, quodcumque sit a superioribus præscriptum, neque rationes præscripti requirere aut sequi, sed imperata avide arripere nulla alia de causa, nisi quia obedientia est. *Lud. de Pont. t. 3. de perf. st. 6. c. 13. §. 2. vita c. 6.*

Actus.

III. *Magnam de suis Superioribus æstimationem concipere:* quod obtinebitur, si iidem non ut homines fragilitatibus & imperfectionibus humanis obnoxii, sed ut Dei & Christi Vicarii considerentur, quemadmodum S. Paulus suos Ephesios monuit, & S. Bernardus clare sequentibus verbis confirmavit: Obedientia, quæ exhibetur Majoribus, Deo exhibetur, ipse enim dixit: Qui vos audit, me audit. Unde quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus; quid enim interest, utrum ipse per se, aut per suos Ministros, sive homines, sive Angelos hominibus patefaciat suum beneplacitum? *Eph. 6. v. 6. S. Bern. l. de disp. & prae.*

IV. *De iisdem reverenter loqui, neque eorum defectus aliis manifestare:* (hoc enim foret cum Cam nudationem Patris sui fratribus nunciare) sed potius ea silentio supprimere, exemplo Sem & Japhet, qui pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda Patris sui, ideoque benedictionem & amorem singularem Patris meruerunt. *Gen. 9. v. 23.*

V. *Etiam exterioribus signis honorem & reverentiam illis exhibere*, exemplo S. Francisci Borgiæ, qui non tantum, dum actu fungebatur superioris officio, sed etiam, postquam eam personam deposuerant, peculiari reverentia eos prosequebatur. *Lauda opusc. 2. c. 8.*

V. *Eorum dispositiones, quæ manifestum peccatum non continent: tam circa se, quam circa* alios

alios approbare, *iisque placide acquiescere*, atque eum in finem illud S. Davidis in similibus casibus usurpare: Obmutui, & non aperui os meum: quonian tu fecisti. Ps. 38. v. 10.

VII. *Eorum voluntatem sive verbis manifestatam, sive undecumque tandem cognitam, non aliter ac mandatum Dei, cum omni diligentia atque perfectione juxta gradus mox referendos implere*: quemadmodum S. Paulus suafit, dicens: Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem. Col. 3. v. 23.

Gradus.

To. 3. de perf. tr. 6. c. 33. VIII. Quemadmodum, teste Ludovico de Ponte, quatuor sunt radices, ex quibus diversitas & perfectio obedientiæ oritur, ita varii quoque in quavis gradus assignari possunt. Prima radix sunt, *ipsæ personæ*, quibus obedientia præstatur, in qua sequentes gradus assignari queunt. 1. Ut ipsi Deo velut supremo Domino & universali gubernatori obediatur. 2. Ut aliis sive Angelis, sive hominibus propter Deum obedientia præstetur. 3. Ut dominis & superioribus, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis subditi simus, quemadmodum, S. Petrus monet. 1. Pet. 2. v. 18. 4. Ut etiam invicem superiores nos arbitremur, & subjecti simus in timore Christi, ut S. Paulus hortatur. Phil. 2. v. 3. & Eph. 5. v. 21. 5. Ut subjecti simus omni humanæ creaturæ propter Deum, juxta S. Petri consilium; atque adeo etiam ab inferioribus voluntatem Dei cognoscere non horreamus juxta exemplum Heli per Samuelem consilia Dei intelligentis, & Sancti Augustini, qui de se ipso fassus est, paratum se esse, alterius etiam inferioris judicium in omnibus sequi. 1. Reg. 3. v. 18.

Ludov. de Ponte l. c. c. 34. IX. Secunda radix sunt *res ipsæ* in quibus obediendum est; circa quas sequentes gradus assignantur. 1. Ut mandata legis naturalis & Evangelicæ accurate observemus. 2. Ut etiam consilia, a Deo sive per occultas inspirationes, sive per creaturas manifestata, prompte exequamur. 3. Ut Regulas ab Ordine vel Superioribus præscriptas studiose servemus. 4. Ut in rebus maxime arduis, & quæ vires nostras quodammodo excedere videntur, prompte pareamus, uti Abraham filium immolare jussus, & multi alii Sancti fecerunt.

Ib. c. 35. X. Tertia radix sunt *ipsi subditi*, qui obedientiam præstare debent, pro quibus tres gradus idem Ludovicus de Ponte assignat. 1. Potentiarum externarum in ipso operum præcepto exequendo necessaria mortificatio. 2. Voluntatis propriæ abnegatio, & cum Superioris voluntate conformatio. 3. Proprii judicii subjectio. Quos quidem tres gradus fuse & sapienter explicat S. Ignatius in aurea epistola, quam ad socios suos in Lusitaniam scripsit, quam tanti fecit zelosus quidam ex Ordine S. Augustini Religiosus, ut diceret non sit veritus, se nescivisse, quid sit vera obedientia, donec id ex hac epistola sæpius studiose perlecta didicit. Ann. Phil. lipp. 1609. f. 276.

XI. Quarta radix est ipse *modus* obediendi, seu *circumstantiæ*, quæ in obedientia præstanda sunt observandæ, quæque ad sequentes potissimum revocantur. 1. Ut obediat *libenter* & *hilariter*, non ex tristitia aut necessitate; nam serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis, teste S. Bernardo: difficile quippe est, ut vultum non mutent, qui voluntatem mutant. 2. Ut quis *simpliciter* obediat, ut S. Hieronymus suasit his verbis: Credas tibi salutare, quidquid monasterii Præpositus præceperit, nec de Majorum sententia judices, cujus officii est, obedire & implere, quæ jussa sunt, dicente Moyse: Audi Israel & tace. Sic certe, teste Cassiano, Ægyptii Monachi universa complere, quæcumque fuerant a Præposito suo præcepta, tamquam si a Deo cœlitus edita forent, sine ulla discussione festinabant. 3. Ut *velociter* obediat; fidelis quippe obediens, teste S. Bernardo, nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. 4. Ut *humiliter obediat*; Christi exemplo, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. 5. Ut *perseveranter obediat* usque ad mortem, quanto magis aliæ difficultates minores fortiter superandæ erunt? S. Bern. S. de virt. obed. Ep. 4. ad Rustic. Cassian. Coll. 10. l. 4. instit. S. Bern. S. de virt. obed. Phil. 2. v. 8.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. ET facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum. Deut. 17. v. 10.

II. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere. Matt. 23. v. 2.

III. Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. 1. Petr. 2. v. 13.

IV. Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. 2. Cor. 11. v. 3.

V. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. Ps. 38. v. 10.

VI. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem. Coll. 3. v. 23.

VII. Servi obedite dominis vestris carnalibus cum timore & tremore, & in simplicitate cordis vestri sicut Christo. Eph. 6. v. 5.

Necessitas.

VIII. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem. Benedictionem, si obedieritis mandatis Dei vestri, maledictionem, si non audieritis. Deut. 11. v. 26.

IX. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt potestates, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordina-

nationi resistunt. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

Ibid. X. Vis non timere potestatem? bonum fac & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum: si autem male feceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est; vindex in iram ei, qui male agit.

1. Reg. 15. v. 22. XI. Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius, ut obediatur nomini Domini?

Deut. 17. v. 12. XII. Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.

Æquitas.

Hebr. 13. v. 17. XVIII. Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.

Jer. 35. v. 14. XIV. Prævaluerunt sermones Jonadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, ut non biberent vinum: & non biberunt usque ad diem hanc, quia obdierunt præcepto Patris sui: ego autem locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens & non obedistis mihi.

Mat. 8. v. 9. XV. Et ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alii, veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.

Utilitas.

Pr. 1. v. 33. XVI. Qui me audierit, absque terrore erit, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.

Pr. 3. v. 22. XVII. Custodi legem meam, atque consilium meum, & erit vita animæ tuæ.

If. 1. v. 19. XVIII. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

Pr. 21. v. 28. XIX. Vir obediens loquetur victorias.

Matt. 7. v. 24. XX. Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

Dignitas.

1. Reg. 15. v. 22. XXI. Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quam offerre adipem arietum.

Phil. 2. v. 8. XXII. Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super nome nomen.

Jucunditas.

Deut. 5. v. 29. XXIII. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis, & filiis eorum in æternum?

If. 55. v. 2. XXIV. Audite audientes me, & comedite bonum; & delectabitur in crassitudine anima vestra.

XXV. Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. VErus obediens non attendit, quale præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. *S. Bern. de præc. & disp.*

II. Imponitur nomen obedientiæ præcepto, facto, & loco, ut designet, quod præcipitur: monstret, quod agitur: nominet locum, in quo quis moratur. Prima facilis, secunda gravis, tertia ad utramque se habet. Leve enim est præcipere, sed grave est adimplere. Locus vero aliquando placet, aliquando displicet: placet quibusdam, non quia abundat fratribus, sed quia abundat piscibus, placet, quia solus cuncta possidet; & sic fit, ut doceatur obedientia, cum non sit. Hanc obedientiam multi desiderant, ut extra obedientiam esse queant. *Hugo de 12. abus.*

III. Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit; nescit judicare, quisquis perfecte didicerit obedire. *S. Greg. l. 2. in 1. Reg. c. 2.*

IV. Bonus obediens verbum non expectat, ubi de voluntate Superioris constiterit. Illum ego optimum obedientiæ gradum dixerim, cum eo animo opus recipitur, quo injungitur, adeoque ex voluntate jubentis, intentio pendet exequentis. *S. Bern. c. 4. spec.*

V. Quisquis vel aperte, vel occulte satagit, ut, quod habet in voluntate, hoc ei Pater spiritualis injungat, ipse se seducit, si forte sibi de obedientia blandiatur: neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit. *S. Ber. s. de tribus ord. Eccl.*

VI. Perfecta obedientia est maxime in obediente indiscreta, hoc est, non discernere, quid vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter & humiliter fiat, quod a majore præcipitur. *S. Bern. de vit. sol. ad FF. de monte Dei.*

VII. Novi prudentem, insipientem sapientem in cella diu posse consistere, in coogregatione durare (moraliter loquendo) impossibile esse. Stultus ergo fiat, ut sit sapiens. Et hæc omnis sit ejus discretio; & hæc omnis ejus sapientia sit, ut in hac parte nulla ei sit. Discernere Superioris est, subditorum est obedire. *Ibid.*

VIII. Saulem David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, Præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehenduntur; qui etsi quando pro infirmitate abstinere vix possunt; ut extrema quædam atque exteriora mala Præpositorum, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram clamydis silenter incidunt, quia videlicet dum prælatæ dignitatis saltem innoxie & latenter derogant, quasi Regis superpositi vestem fœdant. Sed tamen ad semetipsos redeunt, seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. *Nicolaus 1. epist. ad Mich. Imp.*

IX. Prælati cum magna reverentia tractandi sunt, nec eorum sunt mores, aut vita taxanda, quia cum Dei locum teneant, ejusque personam referant, ipse sibi injuriam irrogatam deputat, quam in Prælatos factam considerat: Diis non detrahes, inquit, & Principi populi tui non maledices. Deos vocat Prælatos,

tos, ae pritcipes populi, ut in illis Deum confideremus, & injuriam illorum, Dei effa injuriam fciamus.

S. Greg. 35. mor. c. 104. X. Notandum vero eft, quod hoc loco (Jobi c. 42. v. 11. ubi dicitur, venerunt ad eum amici ajus, & obtulerunt ei finguli ovem unam, & inaurem auream unam) cum inaure ovis, cum ove inauris offertur; quia nimirum innocuis mentibus ornamentum femper obedientiæ jungitur, Domino teftante, qui ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognofco eas, & fequuntur me. Beato igitur Job nemo inaurem fine ove, nemo ovem fine inaure obtulit, quia profecto Redemptori fuo non obedit, qui innocens non eft, & innocens non eft, qui obedire contemnit. Quia vero ipfa obedientia non fervili metu, fed charitatis affectu fervanda eft; non terrore pœnæ, fed amora juftitiæ, cuncti, qui ad convivium veniunt, auream inaurem obtuliffa perhibentur, ut videlicet in ea quæ exhibetur, obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quafi auri amore cætera metalla tranfcendat.

S. Amb. l. 2. de Cain c. 8. XI. Prima voti gratia aft celeritas folutionis. Hinc Abraham filium fuum juffus offerre ad holocauftum, non poft dies, ut Cain obtulit, fed exurgens mane ftravit afinam.

S. Laur. Juft. de grad. perf. c. 12. XII. Magni prorfus obedientia virtus apud Deum meriti eft, dummodo fub ipfa fponte, ac viriliter militetur. Nemo ab illa fecluditur, nullufque eorum, qui animæ fuæ falutem defiderant, ab ejus farvitute efficitur alienus; Omnes recipit, omnes fovet, omnibus fe diligentibus materno congratulatur affectu, perfonam non refpicit, ætatem non fpernit, conditionem non fecernit.

S. Bon. p. 9. folior. XIII. Ut obedientia Religiofi Deo fit acceptabilis, debet affe prompta fine dilatione: devota fine dedignatione, voluntaria fine contradictione: ordinata fina deviationa: jucunda fine turbatione: ftrenua fina pufillanimitate; & univerfalis fine exceptione.

S. Ber. f. 48. c. 9. XIV. Hilaritas in vultu, ducendo in fermone, multum decorant obedientiam fubfequenti.

S. Laur. Juftin. de ligno vit. c. 3. XV. Perfectus in obedientia ille cenfendus eft, qui in nullo prorfus refiftit majoribus, aut invidet paribus, vel contra minores per fuperbiam fe extollit: fed Prælatus eft obediens, fociis congruens, fubditis utiliter condefcendens, Deo devotus, Magiftro fubditus, Senioribus obtemperans, & minoribus placens; verbo utilis, corde humilis, & omnibus manfuetus, atque eo animo opus injunctum recipit, quo præcipitur.

S. Ber. f. de Virt. obed. XVI. Verus obediens nefcit moram, mandatum non procraftinat, fed ftatim parat oculos vifui, aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & totum fe interius colligit, ut imperantis faciat voluntatem.

Greg. 11. moral. XVII. Obedientia non fervili metu, fed charitatis affectu fervanda eft: non timore pœnæ fed amore juftitiæ.

Bern. de præcep. & difpen. XVIII. Inobedientia non tam penfanda eft, quam intentio inobedientis.

Neceffitas.

S. Chryf. h. 14. ad Heb. XIX. Magiftratum, ducemque & rectorem non habere, malum aft, & eft argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis, ac confufionis. Nam ficut fi chori coryphæum & ducem fuftuleris, non arit amplius chorus modo congruus & ordinatus; Et fi a phalange axercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius ordinata acias, & fi navigio ademeris gubernatorem, navem demerges; ita etiam fi a grege paftorem abftuleris, omnia evertifti.

Jo. Alv. c. 5. XX. Manifeftum aft, neminem poffe fine obediantia fpiritualiter vivare, nam fumma fpiritualis vitæ non eft alia quam divinæ executio voluntatis, & idem prorfus eft fpiritualitar converfari, & divinam voluntatem fequi.

S. Bern. de præc. & difp. XXI. Melius eft obedire Deo, quam hominibus, & Magiftris melius, quam difcipulis: porro Magiftris melius noftris, quam externis. Quibus autem melius conftat obedire, ipfis proculdubio non obedire eft deteftabilius.

Caffian. in coll. Ab. Moyfi. XXII. Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit & perducit ad mortem, quam cum eum neglectis confiliis feniorum fuo judicio perfuaferit definitionique confidere.

S. Bern. ep. 87. XXIII. Qui fe fibi Magiftrum conftituit, ftulto fe difcipulum fubdit.

Gerfon p. 3. confid. de lib. leg. XXIV. Qui fibi dux effe vult, fpreto duce proprio, non jam indiget dæmone tentante, quia factus eft fibi ipfe dæmon.

S. Bon. tr. de inter h. c. 2. XXV. Te Prælato dedifti propter Dominum & regnum cælorum, & jam non es tuus, fed ejus, cui te vendidifti, & ideo nihil tibi licet agere de ta fine ejus voluntate: Ipfe enim eft Dominus voluntatis tuæ, & contrectatio rei alienæ invito Domino, furtum eft, fur autem cælo non appropiat.

Æquitas.

S. Aug. fup. Gen. 8. XXVI. Pro omnibus mihi rationibus fufficit, quod ille Dominus eft, & ego fervus; ille fapiens corde, & fortis robore, ego rudis & imbecillis ignoro agraffum & introitum meum. Illi contradicere impium eft: quis enim reftitit ei, & pacem habuit, ego autem idcirco ordinem ingreffus fum, ubi fubfim, & in me Domini voluntas impleatur.

S. Ifid. l. 2. ep. 210. XXVII. Ridiculum plane eft, eum, ut vilium & mechanicarum artium Magiftros nancifcamur, huc atque illuc oberremus, divinam tamen Philofophiam tamquam vile aliquid, ac defpiciendum nobis ipfis committamus.

S. Hier. ep. ad Lic. Hifp. XXVIII. Deponere aurum, infipientium aft, non perfectorum, fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antifthenes: fe ipfum offerre Deo proprium Chriftianorum eft atque Apoftolorum.

S. Bruno 2. tr. de ortu Eccl. c. 10. XXIX. Quid dicent Monachi inobediantes, & fuas voluntates facientes: ac per hoc Deo non placentes, cum tota Monachorum Religio obedientia fit, cum viderint non folum rationales creaturas, ficut Angelos & homines, fed etiam quæ fenfu & ratione carent, jubentis Domini obedire voluntati? inde enim

aft,

est, quod cæli enarrant gloriam Dei: inde est, quod mare & venti obediunt ei: inde est, quod terra nostra dedit fructum suum: id est, quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Denique, quod virga in serpentem, & aqua mutatur in sanguinem, quod mare aperitur, quod petra fundit aquas, quod manna pluit, quod asina loquitur, quod Jordanis convertitur retrorsum, quod jubente homine sol non movetur. Totum hoc obedientia facit.

Ja. Alv. s. 2. l. 1. p. 3. c. 1. XXX. Prima vox Dei, quæ post creationem hominis in auribus ejus insonuit, præceptum fuit, cujus impletionem ad obedientiam pertinere certum est, facto enim homine, & in Paradiso voluptatis collocato, præcepit ei Dominus, de omni ligno, &c.

S. Laur. Justin. XXXI. Voluit Deus rationalem creaturam voluntarii boni munere, & liberi arbitrii potestate dotare, ut boni & mali capax utrumque naturaliter posset; licet quippe illi eligere & respuere, probare & reprobare. Nec est, quo magis rationalis creatura cæteris præferatur, nisi quod cum alia omnia conditionis & necessitatis tantum habeant bonum, hæc sola etiam voluntatis; ideo dignum est, ut munus a Deo collatum ipsius largitoris famuletur obsequio.

S. Ant. de Padua in Dom. Ep. XXXII. Liquefiat omnis superbia, defluat omnis contumacia, humilies se omnis inobedientia, cum audit, quod *Jesus erat subditus illis*, quis nam est subditus illi, qui solo verbo creavit omnia ex nihilo? qui, ut dicit Isaias, *Mensus est pugillo aquas, & cælos palma ponderavit, qui appendit tribus digitis terram*. Ille talis ac tantus erat subditus illis; quibus illis? fabro, & pauperculæ virgini. O primus! O novissimus! O Angelorum Prælatus, & hominibus subditus: Cæli creator subditur fabro: Deus æternæ gloriæ subditur virgini pauperculæ. Quis audivit unquam tale? & quis vidit huic similes? non ergo dedignetur obedire & subdi philosophus piscatori, sapiens simplici, litteratus idiotæ, filius Principis ignobili.

Utilitas.

Jac. Alv. l. c. XXXIII. Obedientia concordiam servat in Angelis, unitatem tribuit Ecclesiis, pacem constituit in cœnobiis, tranquillitatem facit in Regnis, in rebus publicis & familiis; & quicumque excessus, quæcumque exorbitatio a lege in istis conspicitur, ex obedientiæ defectu progreditur. Hanc brutis vis naturæ inseruit, inanimatis præbuit. Hæc terrenis cælestia, & humanis divina religavit, sine qua nihil omnino paccatum, ordinatumque consistit.

S. Lauren. Justin. de contempt. mundi c. 9. XXXIV. A diluvio servatus Noe, constitutus pater multarum gentium Abraham, ditatus Jacob, Joseph Ægypto Præfectus, electus dux populi Moyses: David unctus in Regem, eruditi Prophetæ, clarificatus Christus, honorati Apostoli, Martyres coronati, universique glorificati fideles, eo excellentius quo perfectius ipsam peragunt.

Th. Kem. conc. 19. n. 5. XXXV. Elias deserti vasta penetrans, & apud se libere commorans, ab Angelo admonitus surrexit, & comedit, & dum implet verbum Angeli, ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei: ducit enim vera obedientia per brevem laborem ad perfectionis culmen, & ad montem quietis æternæ.

XXXVI. Utilissimum est, viam regiam, qua itur ad urbem, scire; at utilius & amabilius esse solet, viam compendiariam agnoscere, si per eam brevius & tutius ad civitatem acceditur, & viator a multis laboribus & periculis liberatur. Hoc igitur vitæ spiritualis perfectionisque compendium est, obedientia, qua una retenta miro modo universas virtutes possidemus, & cunctas vitæ vias brevi conficimus, & ad vitam æternam, ad finem nimirum omnis desiderii nostri, & omnis perfectionis festinamus. *Jac. Alv. l. c.*

XXXVII. Obedientia maxima est virtus, &, ut sic dixerim, omnium origo, materque virtutum. *S. Aug. con. adv.*

XXXVIII. Obedientia est fidei opus, probatio veræ spei, argumentum charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis Dei, quæ exuperat omnem sensum. *Prov. c. 14.*

XXXIX. Obedientia sanctorum omnibus cibus est: ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt. *S. Franc. Assis. cra. 27. vit. PP.*

XL. Hæc virtus hominem ditat, lætificat Ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, cælum aperit, vitam felicem homini tribuit, omnes virtutes custodit. *S. Laur. Just. de lign. vit. c. 8.*

XLI. Obedientia unicum bonum est ad recuperationem vitæ, sicut inobedientiæ culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus. *S. Greg. l. 2. in Reg. c. 14.*

XLII. Movere nos debent multa, & magna bona, quæ perdimus, & quibus per inobedientiam privamur, quæ sunt duodecim, sicut sunt fructus duodecim ligni vitæ, quibus licitum fuisset homini vesci, si se his per inobedientiam non privasset. Obedientia quippe est lignum vitæ, cujus fructus ducit ad vitam perpetuam; inobedientia vero lignum mortis, cujus fructus ducit ad mortem: fructus autem duodecim sunt, immortalitas corporis, vita æterna, ornamenta virtutum, merita bonorum operum, benefaciendi facultas, promtitas virium, animæ puritas & perspicacitas, sanctorum associatio, bonorum Ecclesiæ communicatio, pax & concordia superiorum, obedientia inferiorum, abundantia terrenorum, & temporalium bonorum. *Bellov. l. 2. sp. mor. dist. 20. p. 1.*

XLIII. Vereor, ne & inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quod non redoleant lilia; Etenim si in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum; quod non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observatione Monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui, id ipsum sentio. *S. Ber. s. 71. in cant.*

XLIV. Quanto quis altius in obedientiæ virtute profecerit, tanto ei Deus erit exorabilior, *S. Bon. l. 3. de prof. Rel. c. 41.*

lior, & omnis creatura ad obediendum homini creata subjectior, & obsequiosior.

Idem ro. 9. ecclat. 3. XLV. Qualiter nos audimus nostros superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes.

S. Greg. XLVI. Si obedierimus Præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris.

S. Bonav. in Reg. Nov. c. 13. XLVII. Citius exauditur una oratio peccatoris obedientis, quam decem mille contemptoris.

S. Laur. Just. de casto connub. c. 24. XLVIII. Ad hoc ordinatum est mysterium tam sanctum (Eucharistiæ) ut frequentaretur. Non enim ex sola indignitatis æstimatione a communione se quisque subducere debet, nam peccato amoto, eo quisque fit dignior, quod indignorem se putat; nemo enim ad hoc suscipiendum per se dignus est, quamvis multa sit præditus sanctitate; obedientia quemque dignum facit non vita. Obedientia enim puritatem impertitur, quæ est optima ad hoc sacramentum dispositio; Unde B. Humbertus ait: Obedientia a libidine vitiorum mentem purgat; Et 1. Petr. 1. dicitur: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.*

S. Greg. l. moral. XLIX. Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit. Melior est obedientia quam victimæ; obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur.

S. Greg. l. 2. in 1. Reg. c. 3. L. Nec magna lucra jejunii, nec asperæ vitæ studia, devotis Christi militibus in Majorum præcepta pensanda sunt, majoris enim meriti est charitatis injuncta refectio jejunio propria deliberatione perfecto. Qui enim jussus carnem reficit, invitus jejunit præmium devotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando acquisivit.

Quidam Senex in vita PP. l. 3. libell. 14. n. 19. LI. Intendite, filii, virtutis hujus aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium Fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia Regni cælorum inventrix est. Obedientia cælos aperiens, & homines de terra elevans est. Obedientia cohabitatrix Angelorum est. Obedientia Sanctorum cibus est; ex hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.

S. Hier. reg. mon. c. 6. LII. O felix & abundans gratia! in obedientia summa virtus clausa est, nam simplici ingressu hominem ducit ad Christum.

Ibid. LIII. O summa libertas, qua obtenta vix possit homo peccare.

S. Chrys. s. de Zachæo. LIV. Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus, & non posse illa, quæ nolumus.

Jo. Avil. to. 2. l. 5. p. 1. c. 1. LV. Hæc est quadriga, qua Elias est a mortalium cœtu sublatus, & ad superas sedes evectus. Hæc paupertatem fovet, castitatem perficit, virtutes reliquas urget, ne segnes vacent, & in suorum operum labore torpescant. Hæc denique est, quæ ut fidelissima comes, & solertissima adjutrix viro justo adstat, ut viam salutis currere incipiat, ut in ea progressus faciat, & ut feliciter ad finem optatum sanctitatis perveniat.

S. Clim. grad. 4. LVI. Obedientia est spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis contemptio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihil discernit mortuus in omnibus bonis, aut in his quæ videntur mala. Nam qui pie animam suam mortificaverit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter divitias discretionis.

LVII. Obedientia sola est, quæ Deo hominem conciliat. *S. Anselm. sup. Ep. ad Hebr.*

LVIII. Obedientia vincimus dæmones, cæteris virtutibus impugnamus. *S. Greg. in 1. Reg.*

Dignitas.

LIX. Vere beatus est, qui obedientiæ fruitur possessione, quia, cum Domini sit imitator, etiam cohæres efficitur illius. *S. Ephr. de vita & de obed.*

LX. Quid est adeps arietum, nisi pinguis & interna devotio electoris; adipem ergo arietum offert, qui in studio secretæ conversationis devotæ orationis affectum habet. Melior tamen est obedientia, quam victimæ, & quam offerre adipes arietum. Quia qui perfecte voluntatem sui Præceptoris implere didicit, in cælesti regno & abstinentibus & flentibus excellit. *S. Greg. in Reg. c. 15.*

LXI. Hæc in nobis summa & sola virtus est obedientia. Si jejunaveris diebus ac noctibus, orationemque feceris, si in sacco fueris, vel in cinere, si nihil aliud feceris, nisi quodcumque præceptum est in lege, & tibi visus fueris quasi sapiens, & obediens Patri non fueris, omnes virtutes perdidisti: Una obedientia plus valet, quam omnes virtutes. *S. Aug. tr. 11. de obed. & humil.*

LXII. Quid expedit tibi, nisi esse sub Domino? quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? sola obedientia tenet palmam, sola inobedientia invenit pœnam. *Idem tract. in Ps. 70.*

LXIII. Victimæ sunt obsequia obedientium, quia cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt; quia dum voluntatem suam aliis perfecte subjiciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur. *S. Greg. in l. 4. Reg. c. 4.*

LXIV. Pulchritudo animæ pendet ab obedientia erga Deum, anima enim quamlibet deformis, siquidem obtemperaverit deponit peccatum, speciosa redditur. *Saule quid me persequeris?* ille vero, *Quis es Domine: ego sum Jesus.* Obedivit, & obedientia ipsa deformem prius animam apprime formosam reddidit. Rursum Publicano dicit: *Veni sequere me*; & surrexit Publicanus, & factus est Apostolus. Utique anima deformis prius, venustatem recepit formæ. Unde? Ab obedientia. *S. Chrys. in Ps. 44.*

LXV. Nullum in hac vita charius, dignique sacrificium Deo omnipotenti offerri potest, quam cor humile & obediens; unde posset aliquis sub uno momento, tam humiliter ac pure propter Deum obedire, propriamque abnegare voluntatem, ut amplius, veriusque in Deum sine medio duceretur, quam si toto decennio in propriis conceptibus, atque institutis magna cum devotione vixisset. *Taulet. s. 1. in Dom. 9. post Pent.*

LXVI. Obedientia est holocaustum, quod ni- *Jo. Avil. p. 1. c. 4.*

nihil non Deo consecratum relinquit. Paupertas opes immolat; temperantia carnem mactat, at obedientia corpus hominis, & appetitiones ejus, & voluntatem, & judicium & breviter Deo omnia hominis bona submittit, qua propter verissime Anselmus bonum sæcularem homini comparat, Domino fructus cujusdam arboris offerenti; Religiosum vero, non tantum fructus, sed & arborem ipsam donanti. Ille dicit: En, Domine, fructus vitæ meæ tibi trado: Hic vero ait: Et ego non tantum opera, sed & me ipsum totum committo.

S. Aug. s. 8. ad frat. LXVII. Ut non esset nobis obedientia laboriosa, exitum præsentis vitæ Salvator per obedientiam terminavit. Jure ergo obedientia omni sacrificio præponitur, quia de potestate diaboli nos eripuit, quod nullum legale sacrificium facere potuit.

S. Greg. l. 35. mor. c. 10. LXVIII. Per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus: quid enim sunt bona electorum opera, nisi victimæ & holocausta? cum ergo holocausta, & victimas per legem offeri Dominus præcepisset, & quid est, quod Dominus holocausta & victimas nolle dicitur, velle autem ut ei obediatur, nisi quæ propter obedientiam fiunt, holocausta & victimæ non sunt; quasi dicat: tunc bona sunt opera, quando a præpositorum conscientia non discordant.

Th. Kem. opusc. 7. c. 1. §. 2. LXIX. Si est aliquid genus supplicii, quod Martyres facit, tunc maxime illi Martyres fiunt, qui toties verbo Dei tamquam gladio submissi plectuntur, quoties sibi ipsis per obedientiam moriuntur. O quam sublimiter de talibus filiis gloriari potest sponsa Christi Ecclesia dicens: *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*

S. Humbert. p. 1. e Ser. 10. LXX. Per obedientiam nobilissimus triumphus acquiritur: nobilissimum enim genus triumphi est, vincere seipsum, quod facit obediens. Multi urbes & regna subjugaverunt sibi, qui tamen ad hunc nobilissimum triumphum non pervenerunt; Hinc triumphus proprius est hominis.

Jac. Alvar. p. 1. c. 2. LXXI. Neque sumus minus felices Apostolis, quia illis Christus per seipsum præcepit, nobis per homines, imo quodammodo feliciores. Quid enim magnum est, si homo Deo immediate sibi præcipienti obediat: At magnæ fidei indicium est, hominem homini propter Deum humiliter obedire & in homine abjecto, & sibi simili, Deum præcipientem agnoscere. Certe Thomæ Christum resuscitatum videnti, ipsumque Deum esse credenti, dixit ipse Dominus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt;* Idem omnino sibi obedientibus, quia immediate præcipiebat, posset dicere: quia vidistis me, obedistis mihi; beati qui me non viderunt, & in suis Prælatis mihi obedierunt.

Aug. de bon. conjug. LXXII. Obedientiæ majus bonum quam continentiæ.

Jucunditas.

C.limac. gr. 4. LXXIII. Vivere in obedientia nihil aliud est, quam suum onus aliorum humeris imponere, natare super aliorum ulnas, & sustentari in aquis, ne mergamur, sed sine periculo, hoc grande pelagus hujus vitæ transeamus, & quidem brevissima navigatione.

LXXIV. Præcepta Dei nolentibus gravia, volentibus sunt levia, sicut ipse ait: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Audiamus Dominum & Salvatorem nostrum, præcipientem nobis, & suo exemplo nos admonentem: *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum.* Quid est jugum Dei super se tollere, nisi sanctæ obedientiæ præcepto seipsum propter Deum subjicere? quantus sit obedientiæ fructus, ostenditur, cum subinfertur: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Obedientiæ quidem disciplina modo in labore est, sed in futuro fructum habet pacatissimum. *S. Aug. ser. 61. ad frat.*

LXXV. Si quis erga Patris subjectionem, suam conscientiam ad summum possedit mundam, iste de cætero per singulos dies mortem quasi somnum, magis vero vitam expectans, non conturbatur, cognoscens in solido, quia non ipse in tempore separationis, sed qui præest, reddet rationem. *S. Benru. 20. 7. coll. 3.*

LXXVI. Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus & facile omnia præcepta veniunt in affectum, quando & gratiæ præcedit auxilium, & obedientia mollit imperium; nec dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. *S. Leo in apparit. Dom.*

LXXVII. Quanto sapor divinus excedit omnem naturalem gustum vel saporem, tanto etiam obedientia omni proprietatem melius sapit. *Rusbroch. de præst. virt. c. 1.*

LXXVIII. Quamvis supra actiones omnes jucundum sit laudare Deum, multo tamen jucundius est, esse proprium Dei. *Idem c. 2.*

LXXIX. Obedientia mortis securitatem parit, & obedientibus licet esse imperterritis. *Theod. Studita.*

LXXX. Si liberari perfecte volumus, & ab hoc sæculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, & sic brevi divino præsidio ad impassibilitatem animi (qualis in hac vita haberi potest) perveniemus. Nihil enim adjuvat hominem ad hoc, quam sensus suos odisse. Atque ita se habet hæc ratio ad omnem virtutem, ut si viator iter ingressus scipione invento, cui innitatur, iter magis acceleret, & præoccupet viam: hic enim qui viam hanc incedit, si propriam voluntatem abscindat, abscindit, & pristinas affectiones, quibus abscissis fit Dei opere, certa quadam ratione impassibilis. *S. Dor. doctr. 1.*

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Qualitas.

I. Disce obtemperare pulvis: disce te humiliare terra & limus: & sub omnium pedibus incurvari: disce voluntates tuas frangere: & ad omnem subjectionem te dare. *L. 3. c. 13. §. 2.*

II. Exardesce contra te, nec patiaris tumorem in te vivere, sed ita subjectum & parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint, & sicut lutum platearum conculcare. *Ibid. §. 3.*

III. Quia

III. Quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plene te resignare aliorum voluntati trepidas. *Ibid. §. 2.*

Necessitas.

IV. Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate, quam ex charitate, & illi pœnam habent, & leniter murmurant, nec libertatem mentis acquirent, nisi ex toto corde propter Deum se subjiciant. *L. 1. c. 9. §. 1.*

V. Curre huc vel illuc, non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub Prælati regimine. *Ibid.*

VI. Fili, qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit a gratia: & qui quærit habere privata, amittit communia. *L. 3. c. 13. §. 1.*

Æquitas.

VII. Quis est ita sapiens, ut omnia scire possit? ergo noli nimis in tuo sensu confidere, sed velis etiam libenter aliorum sensum audire. *L. 1. c. 9. §. 2.*

VIII. Quid magnum! si tu, qui pulvis es, & nihil propter Deum te homini subdis, quando ego Omnipotens, & Altissimus, qui cuncta creavi ex nihilo, me homini propter te subjeci. Factus sum omnium humillimus, & infimus; ut tuam superbiam mea humilitate vinceres. *L. 3. c. 13. §. 2.*

IX. Quid habes homo inanis conqueri? quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti? sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo: ut cognosceres dilectionem meam, & gratus semper pro beneficiis existeres, & ut ad veram subjectionem, & humilitatem te jugiter dares. *Ibid. §. 3.*

Utilitas.

X. Si bonum est tuum sentire, & hoc ipsum propter Deum dimittis, & alium sequeris, magis exinde proficies. *L. 1. c. 9. §. 2.*

XI. Valde magnum est in obedientia stare, sub Prælato vivere, & sui juris non esse: multo tutius est stare in subjectione, quam in Prælatura. *Ibid. §. 1.*

XII. Disce ergo celeriter Superiori tuo te submittere, si carnem propriam optas subjugare; citius namque exterior vincitur inimicus, si interior homo non fuerit devastatus. *L. 3. c. 13. §. 3.*

Jucunditas.

XIII. Utinam si tecum esset, & ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, & ejus, quem tibi præposui Patris, tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio, & pace transiret. *L. 3. c. 32. §. 2.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

I. Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Philip. 2.*

II. B. Virgo tam perfectam Parentibus obedientiam exhibuit, ut ne in minima quidem re unquam illos contristarit. Inter alia specialem gratiam quotidie petiit a Deo, ut omnibus mandatis Pontificis parere posset. Sed, & Josepho Marito summam semper reverentiam, & obedientiam præstitit. *S. Mechtil. l. 7. art. c. 3.*

III. Samuel ab Heli vocatum se putans, mox e lecto surrexit, & occurrens dixit: Ecce ego, quia vocasti me. *1. Reg. 3. v. 6.*

IV. Cassianus de Monachis sui ævi sic scribit: Confidentes intra cubilia sua, & operi ac meditationi pariter intendentes, cum sonitum pulsantis ostium ac diversorum cellulas percutientis audierint, ad orationem scilicet eos, seu ad opus aliquod invitantis, certatim e cubilibus suis prorumpunt, ita ut is, qui opus Scriptoris exercet; quam repertus fuerit inchoasse litteram, finire non audeat, sed in eodem puncto, quoad aures ejus sonitus pulsantis advenerit summa velocitate prosiliens, ne tantum quidem moræ interponat, quantum cæpti apicis consummet effigiem: sed imperfectam lineam litteræ relinquens, non tam operis compendia, lucrave sectetur, quam obedientiæ virtutem exequi toto studio atque æmulatione festinet. Quam non solum operi manuum, seu lectioni, vel silentio, & quieti cellæ, verum etiam cunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia postponenda, & universa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violare videantur. *L. 4. de Instit.*

V. S. Franciscus Seraphicus de se ita dicere solebat: Inter alias gratias, quas divina bonitas in me plena congessit manu, etiam hac me dignata est, ut animo tam libenti unius horæ Novitio, quam cuivis veterano quamlibet prudenti obtemperarem. *L. 1. Chr. p. 1. c. 31.*

VI. S. Theresia adeo fundata erat in obedientia, ut dicere solita sit: Si omnes Angeli dicerent aliquid, & Superior contrarium præciperet, se tamen hujus imperium prælaturam; Superiorum enim obedientiam in S. Scriptura a Deo commendatam esse, atque adeo esse de fide, in qua non possit esse deceptio; at revelationes Angelorum illusionibus obnoxias esse. *Vit. l. 4. c. 20.*

VII. S. Francisca Romana etiam illas res, quas sciebat divinitus se debere exequi, non exequebatur sine Confessarii consensu, idque Deus in illa probabat. Eidem S. Birgitta apparens dixit, ut ad imitationem sui numquam discederet ab obedientia, cum sit vera via operandi mirabilia; & addidit, ut si forte evocaretur ab obedientia, dum cum magna suavitate loquitur cum dilecto Domino, sine ulla mora relinqueret illam conversationem propter obedientiam. *L. 1. vit. c. 27. & l. 3. c. 17.*

VIII. Obedientissimi duo adolescentes mori maluerunt, quam ficos, quos ad alium deferri jussi erant, attingere. *Spec. Ex. dist. 2. ex 330.*

IX. S. Bernardus cum mortuus tot miracula faceret, ut propterea concursus hominum divina officia impediret, idcoque Abbas ei præciperet, ut cessaret ab iis patrandis, ab illo momento nullum amplius patravit. Idem S. Antonius de Monacho quodam defuncto, ad imperium Jancellini Prioris Generalis Car- *Lyraeus l. 2. apophth. S. Ign. 12.*

thu-

thusianorum, & Lyræus de Petro Cajetano ad S. Francisci mandatum testatur.

Ibid. X. Cum quædam Abbatissa simplicior a suis, quam vitæ ratio exigeret, crederetur, ideoque nullam audientiam impetrare posset, ad mortuorum sororum sepulchra se conferens, illis præcepit, ut surgerent, & sua mandata perficerent, quod istæ statim fecerunt.

Ibid. ex Lippelo 2. Octob. XI. B. Geoebaldus Laudunensis Episcopus in cœnobii cellulam a S. Remigio conclusus, ut septennio toto expiabilem duceret vitam, cum ante completum septennium Angeli voce moneretur egredi, in formam Crucis prostratus respondit: Etiamsi ipse Dominus Jesus ad me indignissimum venire dignaretur, pedem tamen hinc prius foras non efferrem, donec ille, qui me illius nomine hoc ergastulo conclusit, advenerit.

Drex. in Rost. p. 2. c. 12. §. 6. XII. Euphrosina Virgo Alexandrina, cum virili habitu, & Smaragdi nomine assumpto, in Monasterium admissa, ob vultus decorem, ne aliis periculum crearet, in cellula inclusa, & humanis æque ac divinis officiis abstinere jussa esset, toties triginta octo annis in ea constantissime, & cum magna quiete perseveravit.

Mons. tr. 24. disc. 1. n. 8. XIII. De Venerabili Patre Joanne a Cruce Carmelita discalceato legitur, quod, postquam in religionem ingressus absolutis Salmanticæ studiis suis (ubi, velut flos ingeniorum, omnibus admirationi fuerat), ad vitam conventualem reverteretur, Director ipsius ad ejus probandum spiritum, obedientiam, velut exploratricem adhibuerit: nam quia scientiæ suæ opinione tumidum advertit, obedientia ei medicinam facere decrevit; libellum igitur, in quo prima elementa Christianæ fidei continebantur, homini ab aliis abstinere jusso in manus tradit, imperatque ut puerorum more stylum per singulas litterarum notas ducat easque ut legendi ignarus componat, hoc illi studium convenire. Paruit strenue adolescens, diuque id fecit, tanto animi sensu, ut per eam exercitationem, non unius modo obedientiæ, quæ prima petebatur, sed reliquarum virtutum, quæ comites adesse solent, ingentibus se auctum incrementis fateretur.

Vita Patrum l. 5. libello 14. n. 17. XIV. Duo fratres carnales venerunt habitare in Monasterio quodam, ex quibus unus erat præclaræ continentiæ alter obedientiæ magnæ, cui dicebat Pater: Fac hoc, & faciebat, manduca mane, & manducabat; De qua se magnam opinionem in Monasterio habebat, qui ita obediens existebat. Punctus autem invidiæ mucrone frater ejus, ille continens, adversus eum dixit in seipso: Ego probo eum, si habeat obedientiam; & accedens ad Patrem Monasterii, dixit ei: Mittite mecum fratrem meum, ut eamus alicubi, & dimisit eos Abbas abire; & assumens eum ille frater abstinens, voluit eum tentare, & cum venissent ad flumen, ubi erat multitudo crocodilorum, dicit ei: Descende in flumen, & transi. Quanam vero navi illum Nilum trajecisse existimatis? Utique non alia, quam ea, de qua paulo ante diximus, scilicet obedientiæ navi, nam statim subditur: Et ille mox descendit. Cumque obediens fuisset, nullum inter procellas ab invidia fraterna sibi commotas sustinuit pericolum, quin potius venerunt crocodili, & lingebant corpus ejus, in nullo lædentes eum. Quod cum vidisset frater ejus, dixit ei: Ascende de flumine &c.

XV. S. Hieronymus refert, quod Monachos in eremo visitando quemdam viderit, cui Superior præceperat, ut quotidie saxum ingens per trium milliarum spatium humeris suis portaret, tametsi illius nec utilitas nec necessitas ulla esset. Octo jam anni præterierant, quibus præceptum istud punctualiter adimpleverat. Et quia, inquit S. Doctor, jussio hæc puerilis quidam lusus videri poterat illis, qui meritum obedientiæ non agnoscebant, eumdem sciscitatus sum, an libenter præcepto huic paruisset, qui respondit: Adeo id libenter, & prompte feci, quando ingens hoc pondus ad tantum spatium detuli, ut idipsum velut rem sublimem maximique ponderis interpretatus fuerim. Scribit vero Sanctus Hieronymus, se ab hoc responso adeo fuisse permotum, ut ab eo tempore, & deinceps Monachi vitam agere cœperit. Huc digitum intendit Rodriquez, quando alicubi scribit: Monachus quidam octo annis per tria milliaria jussus ingentis ponderis lapidem bis quotidie ad Monasterium deferre, dicebat, se tam lætum ac contentum illo tempore fuisse, ac si rem omnium, quæ injungi poterant, honorificentissimam fecisset. *S. Hier. in reg. Monach. c. 12.* *Rodr. p. 3. tr. 5.*

XVI. Cum Augustinus Mannius Ordinis Clericorum Regularium S. Philippi eleganter ad concionem dixisset, eadem, quæ dixerat, summa fide, ne verbo quidem mutato, sex consequentibus diebus, quibus ei dicendi sors obtigerat, repetere a Philippo jubetur, arduum plane imperatum, & humana spectantibus ineptum. Verum Mannius obedientiam populari anteferens judicio, ac sibilorum securus, constanter executus est, quamquam ridente corona, quumque in suggestum ascenderet ad dicendum, claro susurro obmurmurante: En hominem unius orationis, sed ea multorum olim erat sermonibus prædicanda. *Jo. Rho l. 4. c. 8. ex. 2.*

XVII. Parem consuetudinis, ac naturæ vim esse, detrito sapientum proverbio, quum scitum sit, validissimam illam oportet esse obedientiam, quæ centum annorum mores valeat immutare; facilius aliquando naturæ ingenium, quam mores exuimus, sed nihil virtuti est inaccessum; Gratia Ordinis Minimorum Virgo ab ultima infantia ad senectam usque centum, & amplius annorum ætatem, durissimo vitæ genere usa, post abdicatam paternam hæreditatem, atque in pauperes distributam, sine lare ac tecto, aspera veste, cibo, ac lectulo prope nullo transegerat, eique vitæ generi veluti inoleverat. In eo ne obiret, visum est sacerdoti, quoad arcana animi arbitro utebatur molliendum esse, & parcendum tam exactæ senectuti. Ne verbo quidem imperium deprecata tam prope metam abjunxit, lacrymis modo obortis testata, difficilius esse, mollius ex alieno, quam durius ex animi sui sensu vivere, adeoque virtutis amplioris. *Ib. ex. 12*

XVIII. Tertio post S. Viti mortem die,

Menol. rr. 14. S. 146. m. 6. cum consuetas pro illo preces, & exequias celebraremus, repente totum odæum, seu locus, in quo funus jacebat, gratissimo odore perfusus completur. Itaque Præses Cœnobii jubet aperiri feretrum; tum vero præsentes omnes cernimus ex veneraodis ejus plantis geminos quasi fontes fragrantis ungueoti scaturire: quare Præfectus Mooasterii: Videtis, inquit, omnes miraculum? en laborum, & fatigationum de pedibus ipsius expressi sudores, tam gratum Deo odorem unguenti per obedientiæ sacrificium obtinuerunt.

Marul. l. 2. XIX. Paulus Monachus cognomento Simplex, Antonii discipulus, cum primitus Mysteriorum ignarus quæsisset, essetne Prophetis prior Christus, ineptam interrogationem silentio diluere jussus, triennio tacuit. Posthæc cum multa illi absurda & supervacua experiundæ taotum obedientiæ causa imperarentur, veluti necessaria, perficere ounquam distulit: sicuti aquam haurire, & haustam effundere, vestes dissuere & easdem dissutas iterum consuere, & alia hujusmodi: quæ ille non quod frivola essent, sed quod jussa perpendens, libenter exequebatur & diligenter implebat.

Bernard. XX. Joanni cuidam apud Lycum Thebaidis oppidum commoranti Abbas ejus obsequii experiundi causa præcepit, ut palum aridum in terra defixum, aqua, quæ duo millia passuum a Monasterio distabat, bis per diem advecta, totidem vicibus irrigaret, cum vidisset neque labore illum defatigari, neque ligni nunquam ad viriditatem redituri desperatione commoveri, post annum in tali opere consumptum ioterrogat, an lignum illud jam radices egisset, & se nescire respondentem, everso ligno ab irrigatione desistere jussit.

Ibid. XXI. Lambertus Trajectensis Episcopus, cum invidorum malignitate motus ad Monasterium Scabolanense confugisset, monachalem servans vitæ modum a lectulo desiliens percusso pedibus pavimento, strepitum fecisset, Abbas eo quod sileotii ea hora erat, quasi subindigne ferens, voce sublata ait, ut quisquis illud culpæ commisisset, contiono ad crucem exiret, non antequam diei crepusculum esset, reversurus, Crux autem ipsa extra Monasterii septa diu erecta stabat: repente itaque Lambertus, sicut nudis pedibus adhuc & cilicio tantum indutus erat, abiit, & hoc quidem brumæ tempore, ut multi mirarentur, quomodo algore contractus non expirasset, mane semivivum reduxerunt, & Abbas veoiam petiit, affirmans numquam se putasse hoc Monachorum aliquem facturum, nedum Episcopum. Ideoque joco magis quam serio verbum protulisse, hac tamen obedientiæ subjectione Lambertus meruit, in Episcopatus sui sedem restitui, & tandem martyrio coronari.

Ibid. XXII. Frater quidam non obscuro loco natus cum relictis mundanæ conversationis rebus religioni sese tradidisset, sportulas venales Abbatis jussu publice circumtulit, unamquamque singulatim distrahendo, ea tantum de causa, ut diutius in foro esset, & an illum tam abjectæ negotiationis puderet, vel longiore experientia plenius noisceretur; omnia summa animi constantia curaque peregit, postposita generis nobilitate sanctæ obedientiæ humilitati, ne stivam maou teneos & aspiciens retro, ineptum se faceret regno Dei.

Utilitas.

XXIII. Plantaverat quidam senex lignum aridum in eremo, & volens obedientiam Fratris probare, dixit ei: Per singulos dies riga lignum illud, donec fructum faciat. Erat autem longe ab eis aqua, ita ut vespere pergeret, & mane veniret. Quod cum fecisset per tres aonos Frater, illud lignum viride factum est, & fructum attulit; sumens autem ex fructu ejus senex attulit ad cellam, & dixit Fratribus: Accipite, & manducate obedientiæ fructum, dicebat senex, quia nihil sic quærit Deus ad initium conversionis, quam obedientiæ laborem. *Smaragd. Abbas c. 2 de obed.*

XXIV. De Goilielmo quondam Aqoitaniæ Duce referuot Scriptores, quod Monachus existens jussus panes coquere, cum jam cœnæ tempus instaret, confestim succendit fornacem, rutabulo ignem circumverrit, sed scopam, qua prunas everreret, & locum ponendis panibus aptaret, non habuit. Insiliens ergo in fornacem, melote pro scopa est usus. Tum demum coctos panes Fratribus nihilo tardius, quam reposcebat, attulit, nulla corporis aut indumentorum parte læsa, ut propensæ obedientiæ alacritatem intelligas, & inter pericula securam, & inter infima nobilem. Factus erat quidem de Aquitaniæ Provinciæque Domino Monachorum Furnarius, sed de Monachorum Furnario factus est Regni cælestis perpetuus possessor, terræ Regibus major, Angelis par. *M. Menol. l. 4. c. 1.*

XXV. Sanctus Antonius Sanctum Paulum simplicem in dictaminibus veri spiritus erudiens, ad ejus probandam obedientiam valde peregrina, & paradoxa eidem præcepit, quæ, dum ipse sine contradictione exequeretur, virtutem ejus magnopere est admiratos. Multa tamen eum docere volens, de obedientia præcipere ei solitus erat, etiam quæ ratio, & causa non poscerer, in quibus ejus animus erga obedieotiam probaretur. Haurire enim aliquando eum aquam jussit ex puteo, & in terram tota die effundere, & contextas sportellas resolvere, ac denuo contexere, & vestimentum dissuere, atque iterum resuere, & sursum resolvere. Demum vero historia, ad nostrum propositum in hæc verba concludit: Ita per hæc ioformatus, brevi ad perfectionem venit: ex cujus exemplo docebat B. Antonius, quod si quis velit ad perfectionem velociter pervenire, non sibi ipsi fieret Magister, nec propriis voluntatibus obediret, etiamsi rectum videatur esse, quod vellet, sed secundum mandatum Salvatoris observandum esse, ut ante omnia unusquisque abneget semetipsum sibi, & renunciet propriis voluntatibus, quia, & Salvator ipse dixit: *Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Ea utique voluntas Christi non erat contraria voluntati Patris, sed qui venerat obedientiam docere, non inve- *Vit. PP. l. 2. c. 30.*

vaniretur obediens, si propriam feceret voluntatem.

To. 1. op. S. Franc. Apoph. 41.

XXVI. Da Sancto Francisco Assisinate legitur, quod, cum mortuo Beato Petro Cataneo propter ejus sanctitatem, & crebra miracula catervatim in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Angelis ad ejus sepulchrum non sina fratrum incommodo, & quiatis, silantiique Monastici detrimento, undique populi confluerent, ed ajus tumulum accedens Beatus Pater, & super illum stans ait: Frater Petre, qui mihi in vita propensissimam præstitisti obedientiam, in morte humile non denegebis obsequium. Propter te fratrum tuorum religiosa quies perturbatur, dum a tot tentisque populis debitus honor tuo corpori exhibetur. Per sanctam tibi injungo obedientiem, ne plure deinceps perpetres miracula, ne quod in Dei, & Sanctorum ordinatur honorem, in hujus religiosæ ædiculæ manifestius vergat detrimantum. Mirabile dictu! Nullum postea fecit miraculum, nec populi tumultus amplius venit ad sepulchrum.

Revel. l. 4. c. 26.

XXVII. In revelationibus Sanctæ Birgittæ legitur, cum ob interruptas de mandeto Prælati asperitates corporis, mirum in modum tristaretur, apparuit Baeta Virgo, eique meritum obedientiæ aperuit; qui anim dixit efficacem voluntatem jejunii, aut pii operis habens, ob Prælati mandatum omittit, meritum ejusdem operis omissi non perdit, & meritum aliud obedientiæ conquirit.

Vit. S. Phil. Nerii l. 3. c. 20. n. 5.

XXVIII. Cardinalis Baronius dum in nostre atiamnum Congregatione moraretur, utpote unus ex primis Sancti Philippi Nerii Discipulis, cui directionem suam totaliter commendeverat, stomachum adeo languantem heberet, ut modicus quisqua cibus magnum ai fastidium, capitisque causaret dolorem, adeo ut vir sanctus ai Orationi, & cuivis altari mentis applicationi insistera prohibuerit: Et taman cum Sanctus Philippus die quodem post meridiem illum conveniens, panem satis megnum, & limonem, sive melum Massilicum in ajus camera vidisset, eidem, ut utrumqua in sua præsentia manducaret, mandavit, quod tametsi secundum discursum humenum timorem ingerere potuisset, ne talis obedientiæ executio mortem ai conciliarat, siquidem malum Massilicum ajus infirmitati natura sua plurimum nocere debuisset: ipse tamen non discurrendo, sed obediendo, & intellectum suum captivendo viro Dei promptissima obedivit. Unde Dei dispositione tactum ast, ut proptar tem heroicæ virtutis merita a capitis dolore, & languore stomechi plane liber evaderet.

Spec. ex. dist. 3. n. 37.

XXIX. Instabat eliqnando Sacratissima Solemnitas Assumptionis (si rite mamini) intemeratæ, & Immaculatæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, & fretres Grengiarum Claræveilis ob reverentiam tentæ diei ed Abbatem festinebant, verum in une ex his Grangiis, quæ viciniores erant, fuit conversus quidem Religiosus, ac timens Deum, qui atsi pro simplicitate sua, perfectiora quæque sacræ Religionis apprehendere nequibat, bonæ tamen voluntatis, & devotionis existens, piissimam Dei Genitricam Dominem nostram sincero venerabatur effectu. Cum Magister Grangiæ ordinerat, quisnam ad Abbetiam ire deberet, vel qui ob tutelam domi ramanerent. Inter cæteros, qui remansuri arant, eidem fretri cura custodiendarum ovium commissa est. Quam commissionem licet ægarrima feret, quoniam sperabat, & multum desiderebat divinis Hymnis, & cantilenis spiritualibus interesse, quas in honorem Reginæ cæli a sancto illo Conventu, devotissime persolvendas fore sciebat, nihil tamen ausus contradicere, obedientissime paruit imperenti. Unde eccidit, ut devotio sancta, quam manta conceperet, quemque per inquiatudinem terrenæ occupetionis, quam obedientia injunxerat, pardera timebat, eadem obedientia promptam voluntetem ipsius remunerenta, velut ignis scintillans, & æstuans in præcordiis ajus, magis ac magis diletate, fervantior afficeretur. Nocte itequa sacratissimæ celebritetis, dum sollicitas excubias, super gregem suum in pascuis quiascentem ferveret, factum est, ut sonitus signi Matutinalis, quo fratres ad divinas laudes persolvendas in cœnobio axcitabantur, quodque ob conticinii silentium procul eudire poterat, enree ipsius reverbereret. Tum varo concaluit cor ejus in ipso, & in meditatione ipsius exersit ignis, cogitantis sanctæ illius multitudinis irequantiam, qualitar sincero affectu piissimæ Matri misericordiæ cælestis harmoniæ laude in communa persolvarent, seu qualiter singuli quique epud se in secreto suo ejusdem Beatæ Virginis patrocinium, votis, & suspiriis implorarent. Protinus ergo axurgens, tantæque davotionis pro modulo suo particeps effici cupiens, versus illam plegam cæli, qua monesterium situm erat, vultu, & animo intentus stabat, dehinc consuetudinariis precibus, quæ Conversis vice Matutinarum statutæ sunt, quanto potuit devotius explatis, cum in paupere oratoriolo cordis sui anixius quæreret, quid precis, sau quid leudis Dominæ nostræ offerret, unde protelatas, & in longum valde productas fratrum vigilias eliquo modo recompensara potuisset, nihil aliud præter salutetionem ejusdam piæ Dominæ, quam utcunque didiceret, se scise invanit. Hinc itaque tanquem verbum consummens, & abbreviatum, in quo plenitudo totius devotionis invenire posset, assumens, & oculos ed cælum dirigens, venias veniis, suspiria suspiriis, salutationas salutationibus superaddidit, in tam raligioso negotio reliquam noctis, & diluculi partem sine tædio transegit. Deniqua quod non frustra in gemitu suo laboraverit, nec in cessum misericordiam a Matre misericordiæ quæsierit, Dominus Reverendissimo Abbati Bernardo per spiritum revelara dignatus est. Qui divinis Hymnis expletis, cum in conventu Fretrum ob tantæ Solemnitetis prærogetivam commandandam, sermonem faceret, Spiritus sancti gratia vehementer ignitum, inter cætera sic eit: Et quidem, Fratres mei dulcissimi, dubitare fas non est, vos Domino Jesu Chri-

cto vero Regi, nec non gloriosæ Virgini Matri ipsius sanctum, beneplacens, & acceptabile devotionis nostræ sacrificium hanc nocte obtulisse, ideoque fructum laboris vestri mercedem æternam apud Dominum, & eamdem benignissimam Protectricem nostram vobis repositam esse, certissima fide tenere debetis. Verumtamen scire vos volo, unum ex minoribus, & simplicioribus nostris Conversis, quem obedientia hac nocte in montibus, & sylvis istis sub diu tantæ festivitatis gaudia celebrare coegerat, tam jucundum, tam devotum, tam festivum Dominæ nostræ Matutinarum exolvisse servitium, ut nullius quantacumque suspensa contemplatio, seu intensa devotio, ipsius devotioni, (quam non alta contemplationis sublimitas, sed submissa sanctæ simplicitatis humilitas efficit) præferri potuerit. Quo audito mirati sunt universi, præcipue non solum mirati, sed & gratulati sunt, & vehementer ædificati fratres Laici, quos obedientia tam festivis, quam privatis diebus frequenter in diversa opera trahebat, certissime scientes, quoniam sicut septa claustri, & parietes templi sanctum non faciunt, timorem Domini negligentem, sic etiam negotia, quæ causa terrenæ necessitatis obedientia injunxerit, nihil obesse poterunt, puras manus in oratione levanti.

18. dist. 7. exemp. 6. 2. XXX. De Beato fratre Nicolao de Tolentino fertur, quod, cum semel graviter infirmatus esset, ita ut fratres de vita ejus dubitarent, vocatus Medicus jussit eum carnes comedere, quod ipse recusavit, donec Prior, qui erat in loco hoc, sibi præcepit. Tunc angustiatus vir sanctus, vocato Priore loci dicit ei: Generali omnino est obediendum, hoc est, quod promisi, hoc est, quod Salvatori meo, suæ sanctissimæ Genitrici, & Beato Augustino primo obtuli, & usque ad mortem servare cupivi. Cum ergo Prior, & Infirmarius carnes sibi offerrent comedendas, ipse omnino obedire volens, acceptas parva particula semel tantum gustavit de carnibus, dicens: Ecce obedivi. Nolite me amplius de vitio gulæ molestare quia melioris Medici adhæsi consilio. Et tunc celeriter est sanatus, quod certe non efui tantillæ carnis, sed cælestis Medici medicamini, & merito obedientiæ adscribebatur. Item fertur de eodem, quod, cum quadam vice in infirmitate sua una perdix assata, ad manducandum sibi fuisset apposita, & ipse de ea comedere recusasset, præceptum fuit sibi a Priore per obedientiam, ut manum poneret ad manducandum. At ille volens obedire ingemuit, & elevatis oculis in cælum, facto crucis signo manum ad perdicem posuit, & ecce perdix reviviscens protinus avolavit.

18. dist. 2. exempl. 336. XXXI. Legitur in vita Sancti Arnulphi de Bruxella Monachi Cisterciensis, quod, cum æstatis tempore fratres Grangiæ regulam imitantes Monachorum, post prandium pausarent in lectis sui Dominicis diebus, & festivitatibus Sanctorum: vir Domini quærens sibi aliquod diversorium, ubi orationes suas secretius ad Dominum funderet, & inter ulnas sancti amoris interius in spiritu suo suaviter obdormiret, dormire exterius corpore recusabat. Factum est autem, ut quidam frater pro hac re reprehenderet eum coram Magistro Conversorum. Qui statim præcepit ei, ut aliis ea hora dormientibus ipse quoque dormiret, ne, si forte vigilaret, cæteri fratres, qui compatiebantur corpori ejus magnis fatigato cruciatibus, id moleste ferrent. Paruit ille præcepto Magistri sui, sicut ad omnia paratus, & obediens erat. Cum autem post prandium intrasset dormitorium, & calceamenta sua extraheret, & in lectulo suo se collocare deberet, astitit ei subito dæmon, qui ridendo & irridendo eum, in hæc verba prorupit: Eja frater, eja quid est, quod agis? ubi est nunc sancta Religio tua? & ubi sunt vigiliæ tuæ, quas hora ista observare consuevisti? Certe fervor tuus pro nihilo reputandus est, quoniam membra tua torpore sinens perseverare negligis in opere, quod cœpisti. Surge ergo velociter, & vigiliis atque orationibus intende, sicut jam pridem fecisti. Cumque vir beatus dæmonem sibi astare conspiceret, verba ejus seductoria contemnens, quia eum contra præceptum Magistri sui ad vigilandum provocabat, cum indignatione ait: Recede a me miser, recede a me, modo enim velis, nolis, dormiam, ut confundaris, & somno meo torquearis. Et cum hæc dixisset, antiquus hostis in fugam conversus est.

XXXII. Senex quidam erat in Thebaida sedens in spelunca, & habuit quemdam discipulum probatum. Consuetudo autem erat, ut senex vespere doceret discipulum, & commoneret eum, quæ essent animæ profutura. Post admonitionem faciebat orationem, & admittebat eum dormire. Contingit autem Laicos quosdam religiosos scientes multam abstinentiam senis venire ad eum, & cum consolatus fuisset eos, discesserunt. Et postquam discesserunt, sedit iterum senex vespere post Missas, secundum consuetudinem admonens illum fratrem, & instruens eum, &, cum loqueretur, gravatus est somno. Frater eum sustinebat, donec excitaretur senex, & faceret ei secundum consuetudinem orationem. Cum ergo non evigilante sene diu sederet, discipulus illius compulsus est cogitationum suarum molestia, ut recederet, & dormiret. Qui extorquens sibi, restitit cogitationi, & resedit. Iterum autem compellebatur somno, & non abiit. Similiter factum est usque septies, & restitit semper animo suo. Post hoc jam media nocte transacta, evigilavit senex, & invenit eum assistentem sibi, & dixit ei: Usque modo non discessit? Et ille respondit: non, quia non dimiseras me Pater. Ex senex dixit: Et quare non me excitasti? & respondit: Non præsumpsi pulsare, ne te contribularem. Surgentes autem cœperunt facere matutinas, & post matutinarum finem dimisit senex discipulum. Qui cum sederet solus, factus est in excessu mentis, & ecce quidam ostendebat ei locum gloriosum, & sedem in eo; & super sedem septem coronas. Interrogabat autem illum, qui ei hoc ostendebat, dicens: Cujus sunt hæc? & ille dicebat: Discipuli tui, & locum quidem, 18. dist. 2. exempl. 337.

& se-

& sedem pro conversatione sua donavit el Deus, has autem septem coronas nocte ista promeruit. Hæc audiens senex miratus est, & tremefactus vocavit discipulum, & dixit ei: Dic mihi, quid fecisti nocte ista? At ille: Ignosce mihi Pater, quia nihil feci. Senex autem existimans, quia humiliando se non confiteretur, dixit ei: Crede, non quiesco, nisi dixeris mihi, quid fecisti, vel quid cogitasti hac nocte. Frater autem nihil sibi conscius, quid egisset, non inveniebat, quid diceret. Dicebat autem seni: Ignosce mihi, Pater, quia nihil feci, nisi tantum hoc, quod compulsus motu cogitationum mearum ut discederem, & dormirem, septies, sed quia a te dimissus secundum consuetudinem non fueram, non recessi. Audiens autem hoc senex, statim intellexit, quia quoties quis resistit cogitationi suæ, toties coronatur a Deo: Et fratri quidem huic nihil horum dixit causa utilitatis suæ, sed aliis narravit hoc spiritualibus fratribus, ut discamus, quia, & pro parvis cogitationibus nobis Deus coronas tribuit. Bonum est ergo, ut extorqueat sibi ipsi homo in omni re propter Deum. Etenim scriptum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.*

Spec. Ex. dist. 3. ex. 20. XXXIII. Cum Frater quidam obedientiæ causa micas post mensam colligeret, & Abbati ostenderet, in uniones conversæ apparuerunt.

Ib. dist. 2. ex. 244. XXXIV. Cum quondam Fratres ad Innocentii Monachi sepulchrum se conferentes dicerent: ergone o Innocentii, mortuus es? respondit ille ex sepulchro: Obediens mori non potest.

Rodriq. p. 3. tr. 5. c. 3. XXXV. S. Dositheus cum ob delicatam indolem graves pœnitentias suscipere non posset, coronam S. Antonio parem per quinque annorum exactam obedientiam promeruit.

Spec. ex. in appen. ex. 91. XXXVI. Virgo quædam cum a Christo parvulo visitata, eam ad opus commune vocata deseruisset, in cellam reversa velut adultum Juvenem invenit, dicentemque audivit: Tam magnum me tua obedientia fecit.

XXXVII. Rogerius Monachus moriturus Arsenium Abbatem sic collocutus est: quæso te, Pater, ex obedientia me mori jube, ut etiam moriendo merear, siquidem 60. jam anni sunt, quibus hanc gratiam a Deo petii, ne Patris mei injussu morerer. Ergo ut Arsenius: Morere, mi Frater, quo dicto statim mortuus est, & eadem nocte se spectandum Arsenio præbuit, dixitque, mortem sic obitam pluris a Christo æstimatam esse, quam ullam totius vitæ actionem.

Vita PP. l. 3. n. 28. XXXVIII. Discipulus quidam senis ad aquam hauriendam missus, cum funis oblitus esset, dixit puteo: Putee, servus Christi Abbas meus, misit me, ut hauriam aquam. Et mox aqua ascendit.

Ib. n. 144. XXXIX. Cum quidam Frater ad mandatum senis in locum periculosum profectus, a Meretrice ad opus impudicum sollicitaretur, mirabiliter per vim occultam ad Monasterium translatus est.

Vita l. 1. c. 10. XL. S. Francisca Romana cum a Marito ter evocata ante, quam unicam Antiphonam recitaret, statim paruisset, ultima vice aureis litteris exaratam invenit. Id quod etiam Monacho cuidam imperfectam litteram ex obedientia relinquenti contigisse scribitur. *Rodriq. p. 3. tr. 5. c. 3.*

XLI. Cum duo Religiosi in Cœna Domini eo ipso, quo communicandum erat, tempore, ad eleemosynam colligendam missi, redeuntes in Sacello, ubi S. Eucharistia asservabatur, suam infelicitatem quod eo die sacro epulo abstinere deberent, deplorarent, pulcherrimus Juvenis ex arca Eucharistica prosiliit, seque Jesum esse asserens, utrique corpus suum porrexit. *Jo. Nad. in an. hebd. cal. fer. 4. hebd. 1.*

XLII. S. Gertrudi ostendebatur via animarum ad cælum in similitudine asseris valde proclivis, qui difficulter poterat ascendi; unde ascendentes se juvabant ambabus manibus, & ex utraque parte erant dæmones impedientes. Religiosorum tamen asser habebat ex utraque parte perticas, & præterea etiam Angeli in ascensu juvabant. *Lib. 3. in sin. c. 24.*

XLIII. Quidam senex cum Fratres noctu psallerent, Angelum prodeuntem, & calicem cum hostia portantem vidit, in quem intingens signabat frontem præsentium, imo & aliquorum absentium sedes, quia ex obedientia aberant, &, licet somno vacarent, commune tamen cum aliis meritum reportabant. *S. Dorot. doct. 21.*

XLIV. Cum Anna de S. Augustino ex Theres. Familia juberetur improviso absentis vices in choro supplere, & lectionem legere, ad pulpitum accedens, & partem Breviarii, in qua lectio non erat, ex errore arripiens dum aperit, totam lectionem aureis scriptam litteris vidit, legitque. *Lyræus l. 1. apophe. 32.*

Jucunditas.

XLV. Joannes Abbas cum post annos triginta in Monasterio exactos, alios viginti in solitudine cum summa sanctitate transegit, ad Monasterium rediit, asserens, familiaritatis cum Deo jucunditatem, quæ in solitudine percipitur, in Monasterio per jucunditatem libertatis, & pacis, qua Religiosi ob sollicitudinum carentiam perfruuntur, compensari. *Rodriq. p. 3. tr. 5. c. 10.*

XLVI. In Villanovana domo Carmelitana cum Monialem quampiam Christus sæpius de nocte visitasset, verita Priorissa, ne illusio esset, illam dormire jussit, & non dare audientiam apparitioni, quod cum fecisset illa, & apud Christum redeuntem se excusans dormire cœpisset, eumdem juxta caput reperit, & hæc dicentem audivit: Quia obedisti, te custodivi, & disparens consolatione plenam reliquit. *Lyræus l. 1. apo. 2.*

XLVII. S. Dorotheus de seipso fassus est, obedientia factum esse, ut in tanta quiete viveret, ut plerumque pœniteret ipsum tantæ tranquillitatis; quosque hac sua tentatione Patri spirituali exposita, intellexit, hunc propriom obedientiæ fructum esse. *S. Dorot. doct. 1.*

XLIII. B. Æzydius cum data ei a S. Francisco facultas esset, locum, quem vellet, eligendi, post tres dies ad antiquum locum rediens enixe S. Patrem rogavit, ut sibi & locum, & occupationem præscriberet, alias enim quiete se vivere non posse. *Jac. Alv. l. 2. l. 3. p. 2. c. 3.*

Spec. ex. dist. 1. ex. 19.

XLIX. Conversus quidam de Fratribus Claraevallis innocentis vitæ, & conversationis honestæ, cum graviter aliquamdiu ægrotasset, tandem ad extrema devenit. Intravit ad eum gratiæ visitationis Beatus Bernardus, & confortans eum, ait: Confide fili, quia migraturus es jam nunc de morte ad vitam, de labore temporali ad requiem æternam. Ille vero cum ingenti fiducia respondit: Quidni pergam ad Dominum, & Creatorem meum? vere confido, & quantum de misericordia Domini mei Jesu Christi præsumere audeo, certus sum, quia cito visurus sum bona Domini in terra viventium. Porro Beatus Bernardus, ut erat Medicus sapiens, pastorque sollicitus, timens homini rusticano, ne tam fida responsio de præsumptionis magis temeritate, quam conscientiæ puritate procederet, ait: Signa cor tuum, frater, signa cor tuum frater, signa cor tuum, quid est, quod locutus es? Unde tibi subrepere potuit tantæ præsumptionis audacia? Enim vero tu es ille pauperculus, & miserabilis homo, qui cum nihil, aut prope nil haberes in sæculo, necessitate forsitan magis, quam timore Dei cogente, ad nos confugisti, multis precibus tandem aditum impetrando. Nos vero causa Dei collegimus inopem, & parem te fecimus victu, atque vestitu, cæterisque commoditatibus his, qui nobiscum sunt sapientibus, atque nobilibus viris, & factus es quasi unus ex illis. Quid igitur tribuisti Domino pro omnibus istis? & ecce non sufficit ingratitudini tuæ, gratis accepisse tot beneficia de manu Domini, nisi, & regnum ipsius hæreditario vendices tibi. Ad hæc ille respondens blando vultu, & tranquillo animo dixit: Bene, Pater charissime, bene utique perorasti, & vera sunt omnia, quæ dixisti, verumtamen si jubes, loquar ad te dominum, & Patrem meum, & paucis aperiam; unde mihi pauperi, & misero suggeri potuit tantæ non præsumptionis, sed (ut ego spero) devotionis occasio, si tamen vera est illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, qua scilicet Regnum Dei, non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur. Hanc, inquam, sententiam, tanquam verbum abbreviatum a Domino, sedula commemoratione apud me continui, ponens illud quasi signaculum supra cor meum, assidue meditando, & super brachium meum, sollicite operando. Quærite, si placet ab omnibus Magistris, & sociis, quibus me obsequi, ac servire jussistis, si cuiquam illorum aliquando inobediens fui, si de fratribus nostris quempiam verbo, aut signo, vel alio quolibet modo, quantum in me fuit, contristavi. Quia si operam dedi omnibus in Christo obedire, omnibus servire, cunctosque per Dei gratiam diligere, quis prohibere me potest, ut de misericordia ejus non confidam? Beatus itaque Pater cum tale responsum ab homine rusticano accepisset, gavisus est gaudio magno, & ait: Vere beatus es, charissime fili, quia caro, & sanguis non revelavit tibi sapientiam hanc: sed Pater cælestis ipse te docuit, ipse posuit animam tuam ad vitam, rectissimoque tramite perduxit ad patriam. Jam ergo securus egredere, quoniam patefacta est tibi janua vitæ. Defuncto itaque fratre, & exequiis celebratis, venerabilis Pater de conversatione, & consummatione ejus sermonem in Capitulo luculentum sua illa devotione, & facundia peroravit, omnesque illius exemplo, ad amorem obedientiæ mirabiliter accendit; vehementer namque affectus fuit in responsione illius, & magis congratulabatur ei super obedientiæ virtute, & super ipsius animæ puritate, quam si vidisset eum signis, & prodigiis coruscantem.

Dignitas.

L. Cæsarius Heisterbacensis refert, quod, cum Prædicator quidam peccatoribus pœnam, comminatus fuisset Inferni, lasciva quædam mulier in oratorio compuncta sermonem Prædicatoris interruperit, interrogando, quonam modo concubinæ Prædicatorum pœnas evasuræ essent infernales? Cui Prædicator sive delicti exaggerandi causa, sive quia interius ad hoc motus fuisset, respondit: Delictum hoc alio modo dilui non posse, quam ut ejusmodi concubinæ clibanum ingrederentur ardentem. Hæc igitur ad litteram obedire volens, quia talis concubinatus se ream agnoscebat, ut de vitæ æternæ securitate sibi prospiceret, die quadam expectavit, quo fornax accendebatur, cumque omnes domestici egressi fuissent, ipsa fornacem ingressa ibidem mortua fuit. Deus autem insinuare volens, quam sibi accepta fuisset obedientia illa; In ipsa hora, ut præfatus Author scribit, effecit, ut qui circa domum fuerant, contemplati sint columbam candidissimam de ore fornacis exire, & cum multa claritate cæli secreta penetrare. Stupefacti de visione, effractis foribus ingressi, fœminam semiustam extrahentes, ad verbum prædicti Sacerdotis, tamquam proprii corporis interfectricem, in campo sepelierunt. Ut autem Deus ostenderet, mortem tam simpliciter illatam non fuisset ex malitia, sed ex obedientia, noctibus candelis ardentibus multis tumulum ejus illustravit. *Cæsar. l. 6. c. 35.*

LI. Quidam sæcularis renuntiavit sæculo, ut venit in Monasterium, adducens secum filium suum parvulum, quem Abbas tenens infantulum osculabatur, & dixit Patri ejus: Amas hunc? & ille respondit: etiam. Et iterum dixit illi. Diligis me? & respondit: etiam. Post dixit illi Abbas: Tolle ergo, si amas eum, & mitte illum in furnum ardentem, & tenens eum pater suus jactavit in fornacem ardentem, & statim facta est fornax velut ros, ipseque filium illæsum recepit. Ex quo facto acquisivit sibi gloriam in tempore illo, quemadmodum Abrabam Patriarcha. *Smaragd. Abbas c. 11. de bob.*

LII. S. Joannes Climacus historiam quamdam memorabilem in hæc verba recenset: Joannes Sabaites vir mihi in paucis charus, res mihi auditu dignissimas retulit. Hic mihi sic narrationem exorsus est: Erat, inquit, in eo Asiæ cœnobio, in quo degebam (inde enim vir hic sanctus venerat) e senibus quidam Religiosus admodum solutus, & male sane moratus, testor hoc veri causa, non homini judi- *Climac. grad. 4. n. 8.*

cem

candi. Nactus hic erat discipulum, nescio quando, admodum juvenem, cui nomen Acacius, ingenio simplici, sed animo cætera minime imprudenti. Hic ab illo tetrico Silvernio tanta, ac tam indigna sæpe tulit, ut multis fortasse res supra fidem videri possit. Quippe qui non convitiis tantum, & contumeliis illum exagitarit, sed quotidie verberibus, & plagis male mulctarit, & Acacius omnia prudenter, & patienter perferebat. Hunc ego cum in singulos dies, velut emptitium mancipium, pessime tractari cernerem, sæpenumero occurrentem allocutus: Quid est, inquam, frater Acaci, quomodo habes hodie? tunc ille mihi mox nunc liventes oculos, nunc læsum collum, nunc caput plagis contusum ostendit. At ego, quod germanum patientiæ alumnum scirem, bene se res habet, bene habet, inquam; sustine, fructum patientiæ feres. Hoc pacto cum novennium totum apud immitem illum senem Acacius egisset, ad cælum profectus est. Post quintum inde diem, Magister ille sævus Acacii mortui abiit ad quemdam e senioribus magni nominis virum, quem affatus: Pater, inquit, frater Acacius mortuus est. At senior hoc audito, crede mihi, inquit, Pater, non credo mortuum; Tum Magister Acacii, veni, inquit, & vide. Ubi ad sepulchrum constitit, exclamat Pater, & velut viventem (nam vere in quiete sanctorum vivebat) compellans, frater Acaci, inquit, es mortuus? Hic ille præclarus obedientiæ filius, etiam a morte specimen obedientiæ præbiturus: Quomodo, inquit, mi Pater, fieri potest, ut vetus obedientiæ alumnus moriatur?

Rho. hist. virt. l. 4. c. 6. n. 4. LIII. Devotissima Francisca a Jesu Ordinis Minorum Joannis Borgiæ soror, virginitati nuptias, & Christianæ paupertati Principum aulas posthabuit, brevi tantum profecit, ut virginibus Sodalibus moderaretur. Manebat inter Virgines Franciscæ Mater, anus grandæva, exæquato viduitatis labore, tam facili ad omnem religiosi moris legem consuetudine, ut in illa ætate, filiæ obtemperaret, ac pro miraculo haberetur. Optaverat aliquando pridie, quam communicaret, divinæ Eucharistiæ vigilem ante aram noctem agere, idque sibi a filia induigeri volebat, quod Angelos adesse diceret vigilantibus. Cui Francisca: Abi, inquit, domina Mater, nam quod ad Angelos pertinet, assistunt etiam ex obedientia dormientibus.

Philipp. 2. LIV. Christus propter obedientiam accepit nomen super omne nomen, ut in nomine ejus genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.

S. Bern. s. 13. de festiv. B. Virg. LV. B. Virgo unica illa obedientia per verbum *fiat* expressa, plus merita est, quam omnes Sancti suis actibus, teste S. Bernardino: elevata quippe est, ut ipse ait, ad infinitatem perfectionum, & gratiarum, ad imperscrutabilem abyssum charismatum Spiritus sancti.

Vit. PP. l. 5. de ob. LVI. Cum aliquando quatuor fratres de Scythi ad Abbatem Pambonem venissent, & unusquisque virtutem alterius explicaret; nimirum quod unus jejunaret multum, alter nihil possideret, tertius plurimam charitatem haberet, quartus vero viginti duobus annis in obedientia vixisset, dixit Abbas Pambo: Dico vobis, quia istius virtus major est, quam reliquorum, quia unusquisque horum virtutem, quam possidet, voluntate propria retinuit; hic autem voluntatem suam abscindens, alienæ se voluntati servum fecit.

LVII. Quidam Patrum narravit, se vidisse quatuor ordines in cælo, infirmorum, hospitalitatem Sectantium, Eremitarum, Obedientium, hos vero torque, & corona aurea fuisse exornatos. *Ib. l. 14. n. 19.*

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas.

I. S. Ignatius quanti fecerit obedientiam primario ex ejus epistola colli potest. Item cum Patrem quemdam insignem, sed in rebus agendis suæ sententiæ tenaciorem post multa media frustra adhibita e Societate ejecit, advocatoque ad se P. Joanne Philippo Viro Socio Secretarii, ades, dixit, excipe: testatum volo Societati, quid de obedientia sentiam, simulque undecim dictavit capita, quæ P. Ribadeneira testamentum S. Ignatii appellabat, & ab eo l. c. referuntur. Dicere quoque solebat, eos, qui in obediendo voluntatem tantum, & non judicium pariter cum Superioris judicio conformarent, altero tantum pede in Religione esse, & plerumque in magna incommoda incidere, & gravissimis perturbatæ conscientiæ stimulis ac molestiis implicari. Hinc cum P. Jacobo Lostio in Siciliam abeunti mandasset, ut singulis octiduis ad se scriberet, & ille diligenter singulis octiduis id præstitisset, sæpius scribens hoc ipsum, quod nihil scriptu dignum illa hebdomade contigisset, legens tales litteras affirmabat, confessionem illam longe graviorem sibi fuisse, quam si multa, & præclara gessisset. *Vit. l. 4. c. 4. Item H.S. p. 2. l. 7. a n. 20. Vit. ibid. Maff. l. 3. c. 7. Hist. Soc. p. 1. l. 8. n. 27.*

II. S. Franciscus Xaverius tam erat obedientiæ studiosus, ut vix indicata S. Ignatii voluntate, qua volebat, ut Indiam peteret, mox omnes difficultates, & discrimina contemnens ad iter se pararet, nec minori alacritate susciperet. S. Ignatium velut Superiorem suum adeo æstimabat, & venerabatur, ut nomen illius a litteris præcisum in reliquiaria theca inclusum collo circumferret. Sed & ipse S. Ignatius adeo ejus obedientiæ confidebat, ut litteris, quibus eum ex India Romam revocabat, solam litteram I in calce adscripserit, non dubitans, quin ea sufficeret, ad iter illud pari velocitate, & alacritate, qua ingressus Indiam fuerat, suscipiendum. Episcopos eorumque Vicarios adeo venerabatur, & tam perfecte obediebat, ut nihil sine eorum auctoritate tentare præsumeret. *Vit. l. 2. c. 8. Ib. l. 6. c. 8.*

III. S. Franciscus Borgia Superiores usque eo vereri solebat, ut, licet jam eo munere defuncti essent, eadem, quo antea, reverentia coleret. Non tantum S. Ignatii jussa ad unguem expediebat, sed etiam fratri Coadjutori Michaeli Marco, qui ei comes a S. Ignatio additus fuerat, in iis, quæ valetudinem cer- *Vit. l. 4. c. 3.*

cernebant, exactissime obediebat. In Œgnatensi secessu lapides, calcem, & ligna ad ædes construendas portare jussus, tam libenter, & expedite paruit, ac si Angeli vocem audivisset.

Vita. IV. B. Aloysius nullum unquam vel levissimum imperium præterivit. Mandata Superiorum non aliter, ac si ab ipso Christo data essent, accipiebat. Erga Manuductoris socium tantam reverentiam, & observantiam exhibebat, ut ipsum P. Generalem majore colere vix posset. Jussus a meditando abstinere, Deo interius consolationes, & illustrationes multiplicanti dicebat: Recede, Domine, a me ut obedire possim. Si ab aliis ob Superiorum mandata vexaretur, id unum respondebat: quid vis, faciam tibi? Prophetæ dictum est: ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

Vit. l. 2. c. 17. V. P. Petrus Faber ad nutum parebat S. Ignatio, licet sciret, ex suo ad locum imperatum discessu spem fructus, aut valetudinem primum recuperatam læsum iri; neque enim nos, ajebat, voto obstringi, ut ad salutem multos arbitratu nostro vocemus, sed ut filii simus obedientes. Unde licet sciret, pro se retinendo scribere Principes, Respublicas, Proceres &c. tamen ad nutum S. Ignatii abibat. Volebat Subditos non considerare mala in Superioribus, sed sola bona, ut sic eos ex animo possent honorare. Imo si viderent, Superiores longe a virtute abesse, eo acrius ipsis enitendum esse, ut ipsi se divini amoris, timorisque respectu, in statu suo persisterent diligentia, fidelitate, alacritate obsequii, nam ita demum ubi se gratos ipsi Deo efficerent, dignos per obedientiam fore, quibus etiam boni Præsides concederentur.

Hist. Soc. p. 1. l. 14. n. 116. VI. P. Joannes Nuncius Barretus ex morbo ad mortem decumbens ajebat, se, modo S. Ignatius annueret, nequaquam recusaturum, ita animam agentem, ac vel postridie expiraturum, in navim inferri, cum tamen ita alioqui a mari abhorreret, ut tritum illud: At tu sæve Aquilo numquam mea vela videbis: identidem sibi occineret.

Ib. l. 6. n. 97. VII. Emmanuel Alvarius Conimbricæ 1546. jussus scribere, affectum suum ad gradum in Societate, nihil, ajebat, mihi melius est, majusque eligere, quam obedientiam parentem felicitatis. Antonius vero Quadrius paratissimus, ajebat, sum, summis, & infimis de hac Societate Dei mei, & Domini Jesu Christi inservire. Id unum cupio, nihil ut mibi unquam mandent, vel mandare omittant, vel concedant, quo mihi indulgeant, sed me severe ac libere ad suam voluntatem regant.

In l. Ingolst. c. 13. §. 47. VIII. Quidam Pater dicebat, homines Societatis esse debere, sicut materia prima, patientes scilicet se e Superiore quavis forma informari.

Annal. Lusit. an. 1591. IX. P. Valentinus Carvalius cum duodecim jam annis eximia cum laude superiores scholas docuisset, & Theses doctissimas pro defensione imprimi curasset, vocatus repente ad navim, ut in Japoniam navigaret, relictis omnibus, nec verbulo addito, itineri se commisit.

Vit. p. 3. p. 30. X. Joannes Berchman censebat, in rebus minimis studio maximo obediri debere, quo intelligerent Superiores, quanto in pretio mandata sua haberentur. S. Ignatium eo etiam nomine magis diligebat, quod tam præstantem de obedientia Epistolam scripsisset. Semel in summo æstu ter quaterque uno die foras ex obedientia egressus cum a cubiculi socio moneretur, ut attenderet, ne per imprudentiam peccet, & in morbum incidat, respondit: Mi frater, prudentiam ego moderatoribus relinquo, obedire mea solius cautio est. *P. 2. pag. 335.*

XI. Septimanea quidam ex S. Francisci Familia apud nos exercitia faciebat, cumque sacrum legeret, casu intererant Novitiorum aliqui. Jam in sacro ad tremendi Mysterii elevationem ventum erat, cum ecce pulsatur Novitiis campanula, & repente audito signo omnes consurgunt, & abeunt. Post sacrum obstupefactus Pater, & conversus ad nostrum, tanta, inquit, de Societatis obedientia audivi, quanta numquam credidi: nunc tanta vidi quanta audivi. *Hist. Soc. l. 15. n. 81.*

XII. Joannes Antonius Apulus Novitius sæpe a Magistro Novitiorum rogatus in morbo, quando mori vellet? semper respondit: cum tu Pater veniam dederis: Cui Pater, ergo, inquiebat, cras hora secunda morere; ita factum. *Ib. l. 15. n. 19.*

XIII. Ildephonsus Lopez cum prius ipse fuisset Medicus, & in Societate Coadjutor factus, gravi denique dolore laterum pressus, videret Medicum ab ea curandi arte recedere, quam ipse longo usu expertus fuisset salutarem, magna cum animi tranquillitate ad ejus præscriptum sumpsit medicinas, & sic obiit. *Annua 1556. f. 557.*

XIV. Pater Gonzalez Cardosus quamquam divinitus fuisset admonitus in eo, quod imperabatur itinere, sibi sceleratorum hominum insidiis esse occumbendum, non ideo tamen abeundo se continuit, sed jubenti dixit: Ego vero iter ingrediar, sed scito, me neque eo, quo mittor, perventurum, neque huc porro reversurum. Cumque ea dicta joco elevarentur, iter illud sibi supremum intrepide ingressus est, in eoque, monito prius socio, ut fuga se periculo jamjam instanti subduceret, paulo post ab impiis cæsus, obedientiæ laudem ab ipsa morte decerpsit. *Jo. Rho. Hist. vir. l. 4. c. 6. n. 3. ex nostris.*

XV. Difficilius adhuc pietatis ardoribus, quam ingenio moderamur, quia honestius ejus retinendæ causa obluctari videmur; sed hujus etiam luxuriam veluti quamdam, obedientia depascit, ut ipsa validior injuria frugem ferat. Rodulphus Societatis ineundæ certus, fuga se paterna e domo in nostram receperat, & repetitus parentis precibus, jubente Pontifice, tantisper apud suos esse jubebatur, simul explorandi constantiæ gratia, simul ut aliquid justo Patris dolori daretur; sed nec parentis lacrymæ, nec virorum Principum, qui domum reducturi aderant, preces, nec Pontificis imperia, quæ subrepta esse dicebat, apud adolescentem tanti erant, ut quidquam illis concedendum sibi putaret; aditurum se ad Pontificem, & causam suam apud æquissimum Principem Christi Vicarium feliciter peroraturum; illos vero inimicorum, non affinium partes sustinere, qui se e salutis portu abreptum, ite- *Ib. ex. 10.*

rum

rum furentibus rerum humanarum fluctibus vellent exponere. Talia dicentem ardenti ore, oculisque ubertim flentibus, quum flectere se posse desperarent, qui advenerant, Proceres, Franciscus Borgia præpositus Generalis, qui adolescentis ardore fuerat delectatus, objecto obedientiæ nomine, monitumque, ne, dum contra legitima imperia acrius tendit, Societatem ipsam amitteret, cui obsequii cura esset prima; ita momento refrigeravit ut ne verbulo quidem mutire ausus, sed lacrymarum plenus abierit, currumque fratris conscenderit. Valuit obedientia egregiæ indolis index, & post aliquantos dies victor, ac tyronibus redditus, ejus sanctimoniæ locavit fundamenta, cui Salsetanæ palmæ coronam imposuerunt.

Ib. n. 13. XVI. Violentius adhuc blanditur Evangelii propagandi affulgens e propinquo spes, viris præsertim, quos hujusce operis amor extra patriam, Europamque, ultra Oceanum traxit, & nihilominus in hac tanta generosæ mentis illecebra obsequium Xaverii Caspari Barzæo potius fuit. Bis exemplum dedit. Ormuzii agitantem evocarunt, missis Legatis Arabiæ vicini accolæ, ad quos viri fama pervaserat, & pollicebantur, se monita, ac scita Christiana sequuturos, si ad ipsos iret. Sollicitabant Persidis Regiones, quæ albam ac metendi opportunam messem ostentabant ex propinquo, ipse ardens animi & longinqua aggredi paratus, & Xaverius ad Orientis fines, ignotamque Japoniam abierat, ut facile consuli non posset. His quamquam blandientibus, quia insula excedere Xaverius vetuerat, major fuit Barzæus, obsequii laudem tot Gentium conversioni præhabens, ne ducis injuria pugnaret. Idem Goæ subsistere jussus, nulla rerum gerendarum spe, ab illo, quod obtinebat, præsidio, elici potuit; sed ardorem animi in vicina vertens, tanto validius ad Evangelicum opus incubuit, quanto longinquis excursionibus prohibebatur, nempe arctioribus finibus inclusum ignem, acrioribus flammis, in proxima grassari videmus.

Ib. n. 14. XVII. P. Joannes Baptista Piscator, B. Aloysii Gonzagæ olim Tyrocinii Magister fuit, quod ad præcipiendam viri sanctimoniam prædicendum fuit, & Neapolitani Collegii Rector diem clausit extremum, ad illum usque obedientiæ summus. Ægro ac tenuiter spiritum reciprocanti cibum (id erat ex cocto olere acetarium (obtulit valetudinarii minister, quem, ut alacrius sumeret, medentis prætendit imperium. Ad eam vocem nihil effatus Piscator, conniti, & quamvis stomacho reluctante, esse cœpit, tanta vi, ut tumente ac rubente facie, oculi ipsi orbibus jam extantes, multo sanguine suffunderentur, ac spiritu intercepto pene suffocaretur: nec tamen desinebat, donec reversus adminster propere inde inimicum naturæ cibum amolitus est, hominis virtutem fine fine admirans, qui debitam nostris ex legibus medicantis obedientiam in tanto vitæ discrimine, vel verbo violare, religioni sibi duxerit; ut qui optime sciret, nobis quidem obedientiam votum esse, vivere opus non esse.

XVIII. Judicent viri sapientes, paremne, an majorem laudem meritus sit in eo, quod subjiciam, Hieronymus, Natalis; ego enim, qui utriusque factum arduæ plenum virtutis esse video, rem in medio relinquam: Missus ab Ignatio Natalis, ut per Hispaniam constitutiones a se longa meditatione descriptas evulgaret; atque interpretaretur, quamquam tantus esset, tamen modestiæ usurpandæ causa Pintiæ, quum a Borgia Collegii fundatore religiosi epulis exciperetur, easdem super mensam legere non dubitavit. Id maxime agebat, ad novum illud Ignatianæ prudentiæ atque sapientiæ lumen omnium animis suspensis, & ecce tibi a Borgia, qui aliorum quidem moderator, nullum tamen in Natalem imperii jus haberet, aliquid extemplo his, qui recitabat, explicandis, ornandisque dicere jubetur. Res erat paulo durior, & humana sapientibus etiam iniquior, juberi ab eo, qui imperium in se non haberet, & personæ, quam sustinebat, auctoritatem extemporaneæ orationis periculo exponi. Sed potior Natali obsequendi cura fuit, & victo egregie animo constitutionum legumque nostrarum celsitudinem facto ipso, cui paria verba non inveniret, luculenter approbavit. *Ib. n. 15.*

XIX. Invidendum veteranis apud Lugdunenses, celebri Joannis laudatissimi olim Monachi exemplo revocato, obedientiæ tyrocinium Sebastianus Davinus deposuit. Jacentem enim temere in horto aridum ramum, ut depangeret, atque affunderet tamdiu quotidie aquam, donec viresceret, jussus, nulla præ absurdi imperii interpretatione usus, parere ut subito cœpit; ita diutissime summa quadam alacritate perseveravit. Risum movere poterat vanissimus labor, nisi admodum comprobasset eventus, uberem esse obedientiæ fructum, illique ipsam parere naturam. Sive ea ignoti ligni conditio fuit, ut etiam aridum longa irrigatione iterum viveret, sive, quod vero propius, adolescentis obedientiam commendare voluit Deus, longos post menses rediit paulatim viror, & ramus jam arbuscula in novas se frondes, ignotique generis induit, auctaque ad justam magnitudinem tyronibus, qui eam obedientiæ arborem appellavere, diu exemplo fuit, atque admirationi. Nollem equidem novarum ædium substructione, in hortum progrediente excisam fuisse, potuit transferri, ut nobile virtutis monumentum; ideoque ne omnium oblivione exarescat, in hos virtutum hortos libenter intulimus. *Ib. n. 30.*

Necessitas.

XX. P. Melchior Nunnins Indiæ Provincialis in Japoniam primum, postea ad Sinas Evangelii promulgandi causa profectus, nullum fere aut exiguum fructum fecit; causam satis clare indicat historia Societatis, quia scilicet illud iter non susceperat Superiorum nutu, sed suæ pietatis, Sociorum & Proregis impulsu. *Hist. Soc. p. 1. l. 14. n. 231. & seq. 14. n. 236. l. 16. n. 87.*

XXI. Cum anno 1552. omnia inter nostros Conimbricæ turbarentur, jussit S. Ignatius P. Michaelem Turrianum, & P. Borgiam ex *Hist. Soc. p. 1. l. 13. n. 30.*

Hif-

Hispania eo se conferre; sed cum res per se viderentur jam compositæ, necesse non duxerunt illi, loco se movere. Verum dein graviores turbæ exortæ sunt, quæ ex omnium sententia eventuræ non fuissent, si dicti duo Patres in Lusitaniam se, ut Ignatius jusserat, contulissent, nimirum ait Orlandinus, summa potissimum capita Deus movet, docetque, ac multa in rebus gerendis per imprudentiam prudentium nimis Administratorum peccantur.

Hist. Soc. l.12.n.82. XXII. Scripserat P. Laynes Provincialis Italiæ ad S. Patrem Ignatium, leniter expostulans, quod omnes Patres Romam vocaret. Respondit S. Pater, dolere se vicem Laynis, quod, licet admonitus, nondum tamen communia privatis antepooneret, rescriberet proinde, quid pœnitentiæ ob hanc culpam subire vellet; cui respondit Laynes, se has litteras non semel multis cum lacrymis legisse, ac angi vehementer, quod Parentem suum hac in re offenderit, quodque viginti annis nondum perfecte judicium suum deponere didicerit. Dolere se summopere, agnoscere culpam, ac petere, ut se quamprimum Provincialato, concionibus, aliisque litteris æternum exoneret, Romam vocaret, & vel ad culinam, vel ad hortos, aut domum purgandam, aut Grammaticam docendam æternum, si vellet, & quamdiu vellet, manciparet, vel si menstruas disciplinas aut jejunia imponeret, omnia se facturum pro colpa hac expianda. Satis id fuit S. Ignatio voluisse.

Utilitas,

Lib. 2. epist. 3. XXIII. S. Franciscus Xaverius scribens ad P. Paulum Camertem, credas mihi, inquit, tibique persuadeas velim, nihil esse tutius atque ab omni errore remotius, quam semper optare sibi ab aliis imperari, & imperantibus ex animo obtemperare. Hinc sæpe, licet de subditorum obedientia non dubitaret, tamen sub obedientia imperare solebat pro majori, ut ajebat, ipsorum merito.

L. 2. ep. 3. Hist. Soc. p. 1. l. 6. n. 110. XXIV. P. Caspar Barzæus Goæ in morbum lapsus a P. Antonio Gomio Rectore per jocum jussus est convalescere quamprimum, quod imponendam humeris ejus crucem domi jam paratam haberet. Postridie P. Caspar de cubili surgit, Gomio se sistit ad omnia expeditus & alacer. Idem ex tempore jussus concionari in refectorio, tam expedite id fecit, ut numquam meminerit, se solutius dixisse, & cum majori fructu. Alio tempore a Gomio Rectore jussus Andream Carvalium Ducis Alcacesi filium ad Societatem adducere; fecit, adduxit.

Vit. l. 4. c. 7. XXV. P. Baltassar Alvarez ajebat, securitatem in agendo cum proximo, cum ex obedientia fit, esse valde magnam, adeo ut si quis obediendi causa infames fœminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum eis agens mundissimas cogitationes haberet, quasi esset aliquis Angelus, & si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdis ibi cogitationibus uteretur. Ipse numquam animum abjiciebat in arduis, in quibus obedientia illum collocabat, etsi adverteret se talentis destitutum ad eas sustinendas. Dicebat enim, ex quo Deus Religiosum posuit, ipse eumdem deducet, etiam cum profectu; quod si illum plus oneret, quam ferre possit, seipsum onerat, quia in se recepit supplere, quod illi deest.

XXVI. Neapoli Magister quidam ob culpam jussus a Bobadilla cibum humi sumere, & frigida levare sitim, cum apud Oviedum quæreretur, se pœnitentiam talem sine valetudinis detrimento peragere non posse, hortatus est ipsum Oviedo, ut alacriter pareret, nam frigidæ poculum medicinæ calicem fore, paruit ille, atque ex eo potu, & sessione convaluit, firmiorque est factus. *Hist. Soc. l.12.n.35.*

Jucunditas,

XXVII. B. Aloysius dicere solebat, se magnopere recreari, quod sciret, Religionem navi esse similem, in qua propter obedientiam non minores facerent progressus, qui jussu Gubernatoris otiosi sedent, quam in remigando desudant. *Vita*,

XXVIII. P. Joannes Gerardinus Belga quatuor votorum Professus in agone rogatus, quid de obedientia sentiret, respondit: Qui vult lætus esse in agone sit obediens Superioribus, & resignatus ad omnia officia. *Annal. Litteræ Coll. Bolson. 1606.*

XXIX. P. Nicolaus Denotarius olim Provincialis Romæ moriturus cum rogaretur a domesticis, quid vellet eos meminisse? respondit, studium obedientiæ se commendare; id enim sibi in hoc articulo mortis summam securitatem afferre. *Annua 1536. p. 29.*

XXX. P. Ignatius Martinus dicebat, id sibi solatii, & spei ad immortalitatem consequendam præsertim esse, quod numquam meminisset, egisse se, ut ad suam voluntatem flecteret judicium Superioris. Unde obtemperavit illis summa semper fide, numquam de præsidio, & statione decessit, in qua obedientia illum collocavit. *Annua 1598. f. 318.*

§. VII. EXEMPLA PROFANA,

I. Agesilaus celeberrimus Lacedæmoniorum Dux cum ei rem non minus feliciter, quam fortiter gerendi mandata ab Senatu allata essent, quibus domum revocabatur, e medio scilicet honorum cursu, omissa rei prospere conficiendæ maxima opportunitate domum illico se recepit; quod quidem majori laudi, quam universa reliqua illius facta, ducebatur. *Plut. ap. Rodr. p. 3. tr. 5. c. 1.*

II. Chysantha miles cum elata jam ac vibrata bipenni hostem esset percussurus, ut tubam receptui canentem audivit, actu tum ab hoste illæso, placide ac composite recessit. *Xenoph. l. 4. de Cyri disc.*

III. Pausanias Græci agminis Imperator cum inter sacrificandum Mardonius Dux Persarum inexpectatus irrueret, suos omnes abjectis ad pedes clypeis jussit quiescere, nec prius hostem repellere, quam pugnæ signum daretur. Quod illi tam obedienter præstiterunt, ut, licet plures eorum ab hoste jam cæsi fuissent, nemo tamen inventus sit, qui ante signum pugnæ hostem repellere tentaret. *Plut. to. 1. in Mor.*

IV. Duo Turcarum Principes, Mustapha, qui Cyprum expugnavit, & Mahometes, in col- *Florim. Remond. l. 4. de ortu hær. c. 9.*

colloquio cum Oratoribus Christianis habito dixisse feruntur, mirari se, in Europa non severius in rebelles, & seditiosos cives animadverti; suum quidem Dominum uti pro symbolo his verbis: aut moriendum aut obediendum. Et hanc legem ab omni Principe inviolatam esse servandam.

Beijlinh. in theatr. V. Obed. n. 10. V. Scipio Africanus cum in Africa bellum gereret, ostendit viros armatos, quos secum habebat, & turrim præterea excelsam in mari, & dixit: Nullus horum omnium est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si ego jussero.

Fulgos. l. 2. c. 4. rerum memorab. VI. Fulgosus de quodam Assyriorum Principe refert, quod dum in præsentia exteri cujusdam Legati de militum suorum gloriaretur obedientia, ipseque ex multis, qui in turris cacumine vigilias agebant, unum ex illis nomine ad se accersivisset, is confestim ex eadem se turri deorsum egerit præcipitem.

§. VIII. EXEMPLA BESTIARUM.

M. Mer. 44. c. 1. I. GAllus Columbani Abbatis discipulus, & Hildeboldus Diaconus pisciculos, quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi ignem concinnabant, cum interim ursus miræ magnitudinis propius accedens, Diaconum quidem terruit, sed Gallo jubente, ut ligna igni inferret, obedivit. Hoc ideo sane hic referendum duximus, ut qui præpositis suis reniti audent, tali exemplo magis confundantur, quando & sylvestres feræ jussa Sanctorum revereantur, & observent. Sic & D. Hieronymo ursis etiam bellua ferocior leo obsequium præstitisse dicitur; Asellum Monasterii ad pascua educere, pascentemque comitari assuetus, agasonis fungebatur officio. Sed asello ammisso jussus ipse ligna dorso deferre, onerari se multa cum mansuetudine patiebatur, donec postea inventum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalium seniorum jussis obsequuntur, & homo rationis capax audet refragari.

Specul. exempl. dist. 8. exemp. 135. II. Legitur in vita S. Arnulphi de Bruxella Monachi Cisterciensis, quod quodam tempore, cum in Grangia (cui certum nomen est) moraretur, id officium impositum fuit ei, ut famulo sibi adjuncto, quotiescumque necesse esset: fruges saccis impositas, ad Monasterium carrucaret. Iterumque in iisdem saccis panes, qui fratribus Grangiæ certis per hebdomadam diebus sufficere possent, reportaret. Contigit autem die quadam eum curru frugibus onerato ad monasterium devenisse. Cumque ante molendinum saccis ac frugibus evacuatis currum suum exonerasset, cum eodem curru ad proximam Grangiam (quæ nova curia dicitur) profectus est. Ubi cum negotium, pro quo illuc ierat, explesset, etiam duos porcos, quos a Prælato suo licentiatus dare pauperibus proposuerat, in duobus saccis includens ora saccorum ligavit, eisque in curru locatis ad monasterium remeavit. Cumque jam portæ monasterii appropinquaret, eidemque porci tamquam animalia inquieta importune grunnirent, timens vir Dei, ne forte quisquam hujusmodi occasione in suspicionem laberetur, brutis animalibus tamquam ratione utentibus locutus est dicens: Audite porci, audite verba mea, si displicet in oculis Dei, ne, sicut proposui in usus pauperum vos expendam, licentiam habet grunniendi, sicut & facitis. Si vero gratum est, & acceptabile Deo meo, ut per me de carnibus vestris avide pauperum reficiatur esuries, præcipio vobis in nomine Domini, ut penitus ab hoc importuno grunnitu cessetis. Res mira! Continuo porci illi, qui diu multumque intra saccos clamitaverant, præcipientis obedientes adjurationi, atque imperio, grunnire cessaverunt. Tunc vir Dei silentibus porcis monasterium ingressus, ad pristinum usque perrexit, ubi saccos suos panibus implevit. Quod dum factum fuisset, & iidem sacci super porcos jactarentur, qui in duobus saccis inclusi habebantur, miro modo, ac si mortui essent, incitari ad grunnitum minime potuerunt. Quoniam Dominus noster omnipotens, qui precibus famuli sui eos quodammodo obmutescere fecit, non nisi permissione ejusdem naturalem ejus grunnitum reddidit. Igitur panibus onerato curru, in viam suam profectus est. Cumque jam longe remotus esset a muro monasterii, porcis suis licentiam grunniendi (sicut antea consueverant) verbo reddidit, qui statim inquietudine solita clamorem emittentes, donec ad Grangiam ventum est, grunnire, & clamoribus insanire non cessaverunt. Eosdem autem porcos, sicut proposuerat, pauperibus dedit.

III. Erat in Diœcesi Monasteriensi, sed & nunc est insigne quoddam Monasterium Ordinis cruciferorum, cujus nomen ob certas causas subticeo, habens in circumjacentibus sibi locis sylvas amplissimas, ad quas non suos modo, verum etiam aliorum porcellos sumpto condigno pretio idcirco minare soliti sunt, ut autumnali tempore rapidis flatibus dejectas glandes infra transeuntes porci colligerent, & sic dulci pabulo incrassati esibus hominum fierent aptiores. Cum igitur quodam tempore dives quercubus sylva, delapsis glandibus ultra solitum copiose respersa jaceret, & monasterium prædictum non facilem nummum de alienis saginandis porcellis in pretium caperet (quia solet invidis supplicium esse aliena felicitas) villani circum commorantes, qui & ipsi in proximis sylvis simili spe porcos alebant, monachis de suo lucro diffaventes, communicato invicem consilio statuerunt diligentius se observare velle, ne forte porci Monachorum exorbatis metis in sua sylvas improvidos pedes defigerent, quatenus vel sic in Monachorum damna sumpta occasione sævirent. Percepit ista secretius Prior, & rusticam plebem fraterna invidia laborantem ingemuit. Ne tamen infausti desiderii sui male sperati consequerentur effectus, advocatum ad se Laicum fratrem in sylvam ire præcepit, atque sollicite agere, ne porcelli illic demorati, aut proprias transcenderent metas, aut alienam glandem in sua damna manducarent. Abiit frater læta fronte, & libentissimo animo, quia obediens erat, jussa facturus in sylvam processit. Sed cum multi transissent dies, *16. dist. 10. 12. 13.*

& tem-

& tempus post tempus fugaces vices perageret, prædictus frater, quippe qui devotus esset, graviter ferre cœpit, se divinis exemptum mysteriis, nec Missarum celebrationibus, nec excessuum capitulis cum reliquis fratribus posse interesse. Unde pio quodam zelo accensus omnes porcellos in unum congestos, his similibusque verbis affatur: Ecce, inquit, fratres porci, quoniam his diebus, quibus vobis sollicitus custos interfui, satis abundeque docui, instruxi, informavi, ubi, & ubi non liceat vobis pascentia ora porrigere, peto, ne has amplissimas metas excedentes, vel Conventui lites, vel vicinis damna lascivis discursibus eacitetis, præsertim quia nec spatiamenta licita concessaque vobis arcta sunt, nec glandium copiæ, quibus pascendi estis, parciori hic manu jacent dispersæ. Ego jam ad Conventum pergo, ubi torpentem jam, & languentem animum paululum resocillabo, atque sic vos revisurus revertor. His igitur verbis porcellos divinæ custodiæ commendavit, & abiit. Verum cum iniqui vicini rescivissent, porcos custodem non habere, & liberis, quo vellent discursibus agi, (quippe cum nullus adesset, qui prohiberet) ceu jam nunc ad sua vota prata virerent, gavisi sunt, clam in insidiis positi sunt, curiosissimo oculo intuiti sunt, utrumne præscriptas sibi metas improvidum pecus transvaderet. Sed cum diu desideraffent, & spei suæ frustrarentur effectu: porcis impositas leges devoti custodis stricta servantibus, vi eos ad prævaricationem impellere statuerunt, Unde arreptis sustibus, flagris, trideotibus versus prohibitas sylvas invitas bestias minaverunt. Sed, o res nimium admiranda! cum porcelli vi, ut dictum est, acti usque ad punctum præfixi termini devenissent, putavissent actores, jam jamque se infausti voti finem visuros, memores facti præcepti, quod frater imposuit, rejectis cum impetu vultibus, terrenti se armis contemptis, pede quoque in transversum girato, trans divaricata impellentium crura rapidis cursibus agebantur. Stabant attoniti hoc videntes hostes fraternæ felicitatis, & ad rem nimis insolitam invidi obstupuere bubulci. Demum tamen non minus suam invidiam, quam bruti animalis obedientiam admirantes, projectis armis, depositaque invidia, concito ad priorem Monasterii gressu abierunt, cui recenter orta prodigia enarrantes, reparata charitate veniam de invidia petierunt. De quo sit Deus benedictus in secula. Amen.

In Aff. F. cit. 23. IV. Accidit quoddam mirabila, & celebri memoria dignum, apud civitatem Eugubii. Nam cum adhuc viveret Sanctus Pater Franciscus, erat in territorio ejusdem quidam lupus terribilis magnitudine corporis, & ferocissimus rabie famis, qui non solum animalia, sed homines, & fœminas devorabat: ita quod omnes cives in tanto terrore tenebat, quod omnes ibant muniti, cum egrediebantur terram, ac si deberent ad bella funesta procedere: nec tamen sic armati valebant dicti lupi mordaces dentes ac truculentam rabiem evadere, quin aidem per infortunium obviabant. Unde tantus terror omnes invasit, quod vix aliquis extra portam civitatis audebat securus exire. Volens autem Deus notificare sanctitatem beati Francisci civibus supra dictis. Cum ipse beatus Pater tunc temporis esset ibidem compariens illis, disposuit exire obviam dicto lupo: cui cives dicebant: Cave Pater Francisce, ne portam exeas; quia lupus, qui jam multos devoravit, penitus te occidet. Sanctus autem Franciscus sperans in Domino Jesu Christo, qui universæ carnis spiritibus dominatur: non clypeo protectus, vel galea, sed signo S. Crucis se muniens, exivit portam cum socio, totam fiduciam suam jactans in Domino. Et sic fidelissimus Pater Franciscus intrepidus exivit ad lupum: Et ecce multis cernentibus de locis, in quibus ad spectandum ascenderant, lupus ille terribilis contra Sanctum Franciscum, & socium aperto ore currit, contra quem S. Pater opposuit signum crucis, & tam a se quam a socio virtute divina, lupum compescuit: & cursum retinuit, & os truculenter apertum conclusit, & demum advocans eum, ait: Veni ad me frater lupe, & ex parte Christi tibi præcipio, quod nec mihi, nec alteri noceas. Mirabile dictu! statim facta cruce conclusit os illud terribile: & facto mandato, statim se ad pedes Sancti, jam factus quasi agnus ex lupo, capite inclinato prostravit. Sic autem prostrato ante se, dixit Sanctus Franciscus: Frater lupe, tu facis multa damna in partibus istis, & horrenda maleficia perpetrasti, creaturas Dei sine misericordia destruendo, non solum autem irrationalia animalia destruis, sed quod detestationis audaciæ est, occidis, & devoras homines ad imaginem Dei factos: Unde tu es dignus horrenda morte mutilari, tamquam prædator, & pessimus homicida: propter quod omnes contra te juste clamant, & murmurant, & tota ista civitas est inimica. Sed, frater lupe, ago volo inter te, & istos facere pacem, ita quod a te ipsi non lædantur amplius; & ipse tibi omnem offensam præteritam dimittentes, nec homines, nec canes te amplius persequentur. Es lupus gestibus corporis, & caudæ, & aurium ac capitis inclinatione monstrabat illa, quæ Sanctus dicebat, omnimode acceptare; & ait iterum Sanctus Franciscus: Frater lupe, ex quo tibi placet facere pacam istam: ego promitto tibi, quod faciam tibi dari expensas quotidie, donec vixeris, per homines istius civitatis, ita quod numquam famem amplius patieris: quia ego scio, quod, quidquid male facis propter rabiem famis facis. Sed, frater mi lupe, ex quo acquiram tibi talam gratiam, volo, quod tu promittas mihi, quod numquam aliquod animal, vel hominem lædas: promittis mihi ista? Et lupus signum avidens inclinato capite fecit, quod permittebat facere illa, quæ sibi imponebantur a Sancto. Et S. Franciscus ait: Frater lupe, ego volo, quod tu des mihi fidem, ut possim evidanter credere, quod promittis. Et cum extendisset S. Franciscus manum pro recipienda fide, lupus etiam levavit pedem anteriorem dexterum: & blande, & leniter posuit super manum S. Francisci, signo, quo poterat, fidem dando. Tunc San-

ctus

ctus Franciscus ait: Frater lupe, præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi, quod venias amodo mecum nil dubitans in civitatem, ad faciendam pacem tuam. Et lupus obediens statim cœpit iter cum S. Francisco, tamquam mansuetissimus agnus: quod videntes illi de civitate, cœperunt vehementer mirari, & novitas hæc statim per civitatem totam insonuit: ita quod omnes tam viri, quam mulieres, magni, & parvi, ad plateam simul convenerunt: quia Sanctus Franciscus ibi erat cum lupo. Congregata igitur populi maxima multitudine, surgens Sanctus Franciscus, fecit illis mirabilem prædicationem dicens, inter alia, quomodo propter peccata tales pestilentiæ permittuntur, & quanto sit periculosior vorax flamma gehennæ, quæ habet in æternum devorare damnatos, quam rabies lupi, quæ non potest occidere, nisi corpus, & quam sit pavendum in barathrum infernale demergi, quando tantam multitudinem unum parvum animal in tanto pavore, & periculo detinebat. Revertamini ergo, charissimi, ad Dominum, & facite pœnitentiam dignam, a lupo liberavit vos Deus in præsenti, & in futuro ab iis barathro devorantis, & his dictis, ait: Audite, charissimi, frater lupus, qui hic coram vobis astat, promisit mihi, & de promissione fidem exhibuit, facere pacem vobiscum, & numquam vos lædere in aliquo, si tamen vos promittitis sibi quotidie expensas dare, & ego pro fratre lupo fidejubebo, quod pactum pacis firmiter observabit: tunc omnes ibi congregati cum clamore valido, promiserunt lupum nutrire continue. Et Sanctus Franciscus coram omnibus dixit lupo: & tu frater lupe, promittis servare pactum istis, scilicet, quod nec animal aliquod, nec personam alicujus lædas? Et lupus se ingeniculans, cum inclinatione capitis, & gestibus corporis, & caudæ, & aurium blandimentis, se servaturum pacta promissa omnibus evidenter ostendit. Et Sanctus Franciscus ait: Frater lupe, ego volo, quod, sicut tu de hoc dedisti fidem, cum essemus extra portam, ita & hic coram toto populo isto des mihi fidem, quod ista observabis, & in fidejussione pro te facta minime delinques. Tunc lupus levato pede dextero dedit fidem in manu S. Francisci fidejussoris sui, coram cunctis astantibus, & facta est tanta admiratio, & gaudium omnium tam pro devotione Sancti, quam pro novitate miraculi, quam insuper pro pace lupi, & populi, ut omnes clamarent ad sidera, laudantes, & benedicentes Dominum Jesum Christum, qui eos meritis illius Sancti, de ore feræ pessimæ liberavit; & de tam horrenda peste, in pace posuit, & quiete. Ex illo igitur die lupus populo, & populus lupo pactas, per Sanctum Franciscum ordinata servavit, & lupus per duos annos vivens, & per civitatem ostiatim victitans neminem lædens: nec ipse læsus ab aliquo, fuit curialiter nutritus. Et mirum est valde, quod numquam latrabat canis aliquis contra eum. Tandem lupus leniens, mortuus est, de cujus morte cives plurimum doluerunt, quia dicti lupi pacifica, & benigna patientia quandocumque per civitatem pergebat, mirans S. Francisci virtutem, & sanctitatem mirifieam in memoriam revocabat.

§. IX. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. Sicut apis quocumque vadit, mel operatur; ita & Monachus (& quivis alius obedientiæ amator) quocumque pergit, si propter Deum perrexerit, dulcedinem bonorum actuum semper potest perficere. *Vit. PP. de pat. & hum.*

II. Sicut Pastori suo oves obtemperant, & viam, quamcumque ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum jussa curiosius perscrutantes. *S. Basil. in const. Monast. c. 23.*

III. Sicut cadaver quoquo versus, & quacumque ratione tractare se sinit; ita obediens totus in Superiorum suorum esse potestate cupit. *S. Ign. 6. p. const. §. 1.*

IV. Sicut baculus, scipiore non movet se, nisi ab alio moveatur; sic neque obediens quidquam aggreditur, nisi Superioris voluntate permotus. *Id. l. c.*

V. Sicut Discipulus Magistrum super dubio consulens ejus consilio acquiescit, quia Magister est; ita subditus Superioris acquiescit imperio, quia superior est. *Rodr. p. 3. tr. 5. c. 35.*

VI. Sicut non stat penes chordam soni bonitas, vel suavitas, quin potius penes peritiam fidicinis, qui illam debito modo contemperare novit; ita quoque virtus pœnitentiæ non consistit in hac vel illa disciplina, in tam hispido cilicio vel in jejunio adeo rigido, sed potius in obedientia, per quam illi hæc omnia e Patre spirituali præscribuntur. Unde Sanctus Philippus Nerius inter alia de hac virtute tradita documenta, hoc quoque suis post se reliquit, videlicet obedientiam compendiosam quamdam esse viam, per quam subito ad perfectionem pervenitur, multoque majoris se æstimare illum, qui sub obedientia vitam quamdam agit ordinariam, quam alium, qui ex propria voluntate rigidissimam agit pœnitentiam. *Mans. tr. 14 dis. 35. n. 3.*

VII. Sicut nullus est, quantumvis impius, qui eumdem vultum, & venerationem defarre recuset Cruci alicui ligneæ, vel fictili, quam argenteæ, vel aureæ, quia non honorat materiam, sed patibulum, quod in ea repræsentatur Christi crucifixi. Eodem modo tametsi Superior sit homo imperfectus, vilis, & importunus, nihilominus illum venerari, eique obedire debet, qui Imaginem Dei in se portat. *Id. dis. 16. n. 6.*

VIII. Quemadmodum faber, ædificatorve singulis artis instrumentis pro arbitrio utitur suo, neque unquam ullum inventum est instrumentum, quod ad quemcumque ille usum voluisset, non se facile tractandum præbuerit, ac moderationis manui cesserit; ita quoque convenit rerum pietatis cultorem, perinde ut instrumentum quoddam utile opifici, ad complendam spiritualem fabricam omnibus in rebus parere, in quibus, ut ope- *S. Basil. const. mon. c. 3. & 28.*

operam suam navet, rectum esse Antistes judicaverit, oe si id facere recusaverit, impedimento sit, quo minus spirituale opus compleatur. Et ut instrumentum non sibi ipsi deligit, quo de facto usus sit ad artem juvandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam convenit, ipsum esse, qui sibi judicio suo opus deligat, sub gubernatione sui artificis prudentiæ debet, consilioque concedere. Brevius ita proponitur: Sicut instrumentum a Fabro quocumque modo, & ad quæcumque opera applicari se finit; ita verum obedientiæ cultorem ad compleodam spiritualiter fabricam perfectionis omnibus in rebus parere couveoit.

Necessitas.

Mansi tr. 41. disc. 1. n. 3. IX. Sicut cibus sine sale est insipidus, potiusque nauseam, quam nutrimentum causat, ita quoque nullum onus, quantumvis sit virtuosum, & perfectum, sine condimento hujus salis mystici obedientiæ Deo placet. Unde B. Petrus Damianus inquit: Ut ergo nostra sit devotio, vel affectio fructuosa, salutiferæ sit semper obedientiæ sale coodita, & quoscumque boni operis vita nostra ramos expandat, in radice semper obedientiæ necesse est, coalescat.

S. Macar. hom. 11. X. Sicut servus in Palatium Regis admissus, grandi periculo obnoxius est, si non ex ordine, & voluntate Regis ipsi ministret; ita homo quoque servitio Dei deputatus noo minorem reprehensionem pœnamque timere merito potest, si voluntatem Dei per Superiores declaratam exequi differat, aut omnino transgredi præsumat.

S. Laur. Just. in ligno vit. c. 1. de obed. XI. Sicut sine Duce non confiditur de victoria, & sine Gubernatore non pervenitur ad portum; ita & absque obedientia impossibile est in hujus vitæ pelago noo periclitari.

Utilitas.

Lud. de Ponte to. 3. de perf. tr. 6. c. 11. XII. Sicut cibus corporis in omnia ejus membra distribuitur, ut cuique det nutrimentum necessarium; ita obedientia alimentum est potentiarum, & sensuum boni Religiosi, omniumque virtutum, quæ in ejus aoima sedem habent.

Rod. p. 1. tr. 5. c. 3. XIII. Sicut qui equos refractarios domare cupiunt, nunc incitant, nunc inhibent, nunc in gyrum, nunc retro agunt, nunc adductis, repente habenis sistuot, quo sic lupatis parere, oeque suos impetus sequi, consuescant; ita experti Spiritus magistri faciunt, ut discipulos suos in obedientiæ virtute perficiant, & tractabiles reddant.

S. Doroth. doctr. 1. XIV. Sicut Viator iter aggressus, scipione invento, cui innitatur, magis illud accelerat, & præoccupat viam; ita qui propriam voluntatem abscindit, & voluntati Superioris acquiescit, celerius in perfectione progreditur.

S. Bern. S. de ob. c. 12. XV. Sicut arbores agrestes inseri duobus solent ramusculis alicujus arboris nobilis, & ex hoc arbor, quæ erat prius agrestis, producit flores, fructus, & folia secundum naturam arboris nobilis, de qua ramusculi sunt assumpti; sic obedientia alienam voluntatem, & sensum consumit, atque cordi ejus, qui obedientiam promittit, inserit, & jam cor illud, si in obedientia perseverat, secundum voluntatem, & sensum sui Superioris jam operatur: unde dicitur obedire, id est, contra proprium sensum, & voluntatem ire.

Id. ss. a. s. 40. s. 9. XVI. Sicut ex inobedientia primæ nostræ parentis sumus condemnati, ita per obedientiam Mariæ Virginis sumus a morte peremptoria liberati; Ideo hæc obedientia ab Eva rejecta, a Maria gratanter recepta, continue suadebat optare salutem Mundi. Ideo divinæ voluntati subdi, & omnino sub divino imperio ejus voluntatem annihilari; Unde audita Domini voluntate de conceptu Filii sui, valenter atque lætanter, etiam velociter Angelo ait: *Ecce Ancilla*, quasi dicat, ecce volenti corde, lætanti facie, atque veloci opera adimpleo, quidquid divinæ fuerit beneplacitum voluntati.

S. Clim. grad. 26. XVII. Sicut navis, quæ bonum habet navarchum seu gubernatorem, Deo adjuvante sine periculo in portum defertur; ita anima, quæ bonum habet pastorem, facile cælum conscendit; quamvis antea mala multa patrarit.

S.Bon. to. 6. Diet. salut. tit. 3. c. 2. XVIII. Sicut quis in navi est, semper procedit, & tamen ipsum quiescit, sic qui est in navi obedientiæ, semper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo; quia instar nautæ non movetur motu proprio, sed alieno.

Mansi tr. 34. disc. 24. n. 7. XIX. Sicut terra a semetipsa magna cum facilitate, teste experientia, herbas, flores, arbores, plantas, aliaque germina producit; Quando vero aratro, & ligonibus colitur, idipsum quidem facit, sed cum labore: requiruntur enim agricolæ sudores ad illam irrigandam, magna quoque industria opus est ad eam stercorandam, & fodiendam: Eodem quoque modo videmus, quod aliquis ex proprio cerebro facilis sit in abstinentiis, disciplinis, orationibus, & jejuniis faciendis; At vero si hæc omnia facienda sint ex præcepto, & per obedientiam alteri debitam, magnam in iis omnibus sentiat repugnantiam; ideoque consiliis opus est, exhortationibus, adductis motivis, & præceptis; Verumtamen magna quædam observanda est differentia; inter terram a semetipsa fructum proferentem, & inter eamdem terram proferentem fructum post cultivationem, & labores eidem adhibitos; Terra enim ex seipsa non producit, nisi lentes, urticas, lolia, aut arbores silvestres; At vero terra, bene culta herbas edit, flores, & fructus domesticos, ac salutiferos, arboresque ab ea productæ dulcissimos proferunt fructus: Eodem igitur modo hi, qui ex proprio cerebro se gubernare volunt, nequaquam virtuose operari possunt, quia deest illis meritum obedientiæ, qua propria voluntas abnegatur; Et ideo tales, ut plurimum deprehenduntur esse superbi, indiscreti, & præsumptuosi, plusque in illis reperietur emendatione, quam commendatione dignum, aut vero in bene cœptis minime perseverabunt. Hoc autem nequaquam accidit illis, qui dependenter ab alterius directione operantur; horum enim actiones talis sunt meriti, ut aegris earum etiam minima, hoc obedientiæ cha-

charactere consignata, Deo fit acceptissima, ab eoque liberaliter compensetur. Unde S. Bernardus ait: Quis se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.

Ib. n. 6. XX. Sicut si quis Alchymista esset tam excellens, ut plumbum, & lapides in perfectissimum transmutaret aurum, nemo non magni eum faceret, sic manducatio, dormitio, ambulatio, actiones sunt in seipsis omni carentes merito; obedientia autem illas exaltat, & ad æternæ vitæ sublevat meritum, Deo gratas acceptasque constituit, nec non æternæ efficit meritorias remunerationis, ideoque magni facienda est.

Dignitas.

Jac. Alv. to. 2. l. 5. p. 1. c. 4. XXI. Sicut Impressum Principis Insignem valorem confert, monetæ, de se quantumvis vili; ita, & voluntatis divinæ executio maximum recipit valorem, quantumvis in exilis momenti materia exerceatur.

S. Bon. de grad. virt. XXII. Sicut plus suum amorem erga amicum testatum facit, qui etiam servum ejus magna cum reverentia excipit, eique servit, quam si ipso solum Domino ea præstaret; ita sublimior quoque gradus est obedientiæ, quæ hominibus, quam quæ ipsi Deo exhibetur, si quidem cætera sint paria.

S. Chry. h. 4. de pæn. XXIII. Sicut illum equum præ cæteris æstimamus, & laudamus, qui sine ulla vi habenarum pro nutu compescitur; ita is tandem perfectionem obedientiæ, eandemque consecutus censetur, qui etiam sine imperio obedire, & vel præsumptam Superiorum voluntatem exequi didicit.

Jucunditas.

Rodr. p. 3. tr. 5. c. 6. XXIV. Sicut qui navi probe instructæ, & bonum Nautam habenti impositus, cum magna securitate, & tranquillitate ad portum destinatum pertingit; ita obediens aliorum se committens directioni, cum magna animi libertate, & jucunditate iter hujus vitæ atque perfectionis absolvit.

Anonym. XXV. Sicut is, qui iter molestum aut difficile sarcinis gravatus facere cogitur, felicem se putat, si sarcinas suas alterius tergo portandas committere queat; ita cum obediens gravissimam rationis reddendæ coram Deo sarcinam in humeros Superiorum conjicere queat, merito se beatum æstimare debet.

Jac. Alv. to. 2. l. 5. p. 2. c. 22. XXVI. Sicut qui in rheda aut lectica iter faciunt, omnibus notum est, quantis molestiis itineris liberentur. Neque solis ardoribus æstuant, nec hyemis rigore rigent, nec nive, aut grandine feriuntur, nec pluvia madefiunt; ita veri obedientes, in lectica sanctæ obedientiæ vecti, a mille tentationibus, & a multis animæ periculis liberantur. Sol indiscreti ferroris eos non urit, quem nubes obedientiæ temperat; nix ignaviæ, & trepiditatis non impedit, quam indumentum obedientiæ arcet.

Æquitas.

Rodr. p. 3. tr. 5. c. 9. XXVII. Sicut aqua e lagena superne obstructa deorsum non fluit; interdum vero etiam contra naturam sursum ascendit, ad continuationem, & bonum universi; ita obediens propter gloriam Dei, & bonum communitatis, cui aggregatus est, etiam actiones naturali suæ inclinationi contrarias suscipere non reformidat.

S. Aug. ap. Rodr. l. c. XXVIII. Sicut membra corporis quidem omnia ab anima informantur, capiti tamen parent, quia in eo solo quinque sensus vigent; ita cum in Superioribus potissimum authoritas Dei potestas ac prudentia reperiantur, merito his debita a subditis obedientia præstatur.

Jac. Alv. t. 2. l. 5. p. 3. c. 8. XXIX. Sicut præposterum, & simile monstro foret, si caput hominis reperet, & pedes sursum tollerentur, & capiti imperare vellent; ita non minus absurdum est, si inferior nollet parere, sed potius ipse sibi gubernationis officium assumeret.

S. Basil. c. 20. const. Monast. XXX. Sicut pro salute corporis ad Medicum spectat vim morbi cognoscere, & medicinam præscribere: ægrum vero obedire decet; ita ad Superiorem, velut Medicum spiritualem, curatio subditi pertinet; hic vero tanto promptius exactiusque obsequi debet, quanto amplius salus animæ sanitatem corporalem dignitate, præstantiaque sua antecedit.

§. X. MOTIVA.

Apoc. 22. v. 2. I. BReviter, & in compendio hæc explicavit, qui dixit, Obedientiam *similem esse arbori seu ligno vitæ*, quod S. Joannes olim in cælesti Jerusalem vidit, de quo audivit, quod afferat fructus duodecim, cum hoc solo discrimine, quod hoc lignum per menses dumtaxat singulos fructum suum dederit, obedientia vero toties fere, quoties exercetur, duodecim suos fructus afferat, qui proin merito pro totidem motivis servire possunt ad studium hujus virtutis, & amorem persuadendum.

S. Th. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 3. II. Primus itaque fructus est, quod obedientia *Hominem Deo carissimum efficiat*, cum, teste S. Thoma, nihil Deo sit gratius, quam si propriam voluntatem quis propter ipsum relinquat; & merito, si enim Abraham tantopere placuit Deo, qui voluit tantum sacrificare filium suum, & per hoc Deo obedire; quanto magis eidem placebit, qui actu non alium, sed seipsum per veram obedientiam immolaverit.

III. Secundus fructus est, quod *Christo simillimum* atque adeo etiam *gratissimum* faciat; ut qui in tota vita nullam perinde virtutem, atque obedientiam, verbo, & exemplo commendasse scitur, ut merito tandem dixerit, cibum suum esse facere voluntatem Patris sui, qui in cælis est.

Jo. 4. v. 34. IV. Tertius fructus est, quod etiam B. Virgini, aliisque Sanctis nullum obsequium perinde gratum sit, atque obedientia; per hanc enim vere cultus *purissimus* (quia ubi voluntas Dei impletur, peccatum intervenire non potest) *amplissimus* (utpote ad omnia totius diei, imo vitæ opera se extendens, & (*perpetuus*) utpote diu noctuque durans, & per hoc Sanctorum in cælis degentium, Deumque sine fine laudantium similis) præstatur; ut merito quidam dixerit:

San-

Sanctorum est cultus gratissimus, optima vita.

Quæ autem melior vita esse potest, quam quæ perfectissimæ regulæ, ipsi nempe voluntati Divinæ conformis est?

V. Quartus est, quod *Superioribus, & Sociis cohabitantibus valde amabilem, & acceptum faciat*, utpote per quam, & gravissimum onus quod sentiunt Superiores, si inobedientes, & immorigeros nacti sunt Subditos: quodque experiuntur boni Religiosi, se reliqui omnia onera in ipsos exonerare, seque velut membra dissociare velint, non modice imminuatur, ut clare S. Paulus indicavit, dum [Heb. 13. v. 17.] Hebræos ad obedientiam Superioribus exhibendam, ideo exhortatus est, ut cum gaudio, & non gementes onus Superioris portent. Idque confirmavit etiam S. Franciscus Borgia, dum inter ea, quæ ad conversationem Societatis necessaria duxit, tertio loco *Obedientiam* posuit, eo quod hæc membra Societatis, quæ *Oratio* cum Deo conjungit & *Persecutio* a Mundo abstrahit, inter se per charitatem copulet; vere enim quæ eadem sunt per obedientiam uni tertio nempe Superiori, etiam inter se eadem esse necesse est, ut adeo merito exclamare cum Davide liceat: O quam bo- [Ps. 131. v. 2.] num, & quam jucundum est, habitare fratres in unum, id est, omnes ab uno capite dirigi.

VI. Quintus fructus est, quod sit *aptissimum instrumentum ad victoriam de vitiis, & cupiditatibus obtinendam*: cum radicem ejusmodi vitiorum, & motuum tollat, propriam scilicet voluntatem, id quod sapienter advertit Abbas Achilles, dum quæsitus, quomodo dæmones superandi sint, dixit, id unice per voluntatis propriæ abdicationem, sine qua nullum omnino vitium superari posse: etiam reliqui antiquiores Patres persuasissimum habebant; unde recte S. Augustinus dicebat: Expedit inferius subjici Superiori, ut ille qui sibi subji- [S. Aug. in Ps. 103.] ci vult, quod est inferius, se subjiciat Superiori suo. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro, quid justius? quid pulchrius? Tu majori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est. Si autem tu contemnis servire, & obedire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro obtemperet. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. Sic S. Augustinus. Ut adeo vere dixerit Salomon obedientem loqui [Prov. 21. v. 28.] (atque adeo & prius obtinere) victorias.

VII. Sextus fructus est, quod *efficacissimum sit medium ad virtutes acquirendas*: cum teste S. Augustino, obedientia sit mater alia- [L. 1. contr. advers. leg. c. 14. S. Greg. l. 35. mor.] rum virtutum: & juxta S. Gregorium sit illa virtus, quæ reliquas virtutes menti inserit, insertasque custodit; id quod inductione singularum virtutum facile constabit.

VIII. Septimus fructus est, quod *ad media supernaturalia augenda sit optimum medium*; nam obedientia, teste Rusbrochio, tam exi- [Rusbrock l. de virt. c. 13.] mia virtus est, ut vel minimum opus ejus imperio factum, multo melius, Deoque acceptius sit, alio quolibet magno opere sine ipsa perpetrato. Hinc S. Dorotheus, ut supra vidimus, quinque annorum spatio gloriam S. Antonii meritis parem est nactus, sed & ipse Deus quondam voce de cælo lapsa testatus est. Monialem, quæ omissa propter obedientiam communione in culina ministraverat, plus meriti acquisivisse, quam quæ communicasset.

IX. Octavus fructus est, quod sit *utilissimum instrumentum ad proximi salutem procurandam*, cum enim perfectissime hominem cum Christo, propter quem obedientia præstatur, conjungat, necesse est, ut verificetur, quod idem Christus apud S. Joannem dixit: Qui [Jo. 15. v. 5.] manet in me, & ego in eo, hic fert fructum [Psal. 88. v. 21.] multum. De tali quippe cum veritate dicere iterum potest Deus, quod olim de S. Davide [Ps. 1. v. 3.] dixit: Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas; hinc oleo sancto unxi eum, & manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, ut omnia quæcumque facturus est, prosperentur.

X. Nonus est, quod *unum sit ex certioribus signis prædestinationis*: Quia hæc sola via, sicut a voluntate propria est remotissima, ita nullis ambagibus, aut erroribus est obnoxia. Hinc Christus intrepide dixit: Si vis ad vi- [Matt. 19.] tam ingredi, serva mandata. Hinc & S. Joan- [S. Clim. grad. 4.] nes Climacus dixit: Si quis conscientiam suam mundissimam in Patris spiritualis subjectione servavit, hic jam mortem ut somnum, imo vero ut vitam quotidie intrepidus expectat; certissime sciens, obitus tempore, sui ipsius non a se, sed a Patre rationem esse requirendam. Id quod ipse æternus Pater quondam S. Catharinæ revelavit dicens: Verus obe- [Dial. c. 163.] diens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælatus, cui subditus extitit. Et iterum: Religio est velut navicula [c. 158.] secura pro recipiendis animabus, quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissime perducat ad portum æternæ salutis. Obedientia est clavis, qua Christus cælum aperuit, quam in manu Vicarii sui reliquit. Hinc S. Ber- [S. Bern. s. 158. in Cant.] nardus dicere ausus est: Dignus ero, qui Deum videam, si prius, quam videam, obe- [In lib. de doct. Ber.] disse inveniat: Securus videbo, ad quem meæ obedientiæ munus præcesserit. Sed, & frater ejus Gerardus morti vicinus, cum in Spiritu raptus esset, post triduum ad se reversus di- [Petr. de Vargo in hist. sui Ordin.] xit: Bona est obedientia: ad tribunal Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsumque mihi dicentem audivi: Ecce locus tuus, inter fratres tuos: nullus tui Ordinis peribit, si Ordinem amaverit: aut in morte purgabitur, aut in brevi post mortem. Nec minus memorabile est, quod alteri cuipiam Religioso ex Ordine S. Hieronymi evenisse scribitur, quod videlicet post visitationem a Sanctis, quos singulariter colebat, factam, dixerit: Doleo, me tam parum in Religione laborasse; sed propter passionem, & crucem Christi, & Religionis obedientiam, quam observavi, vado ad regnum cælorum: & hoc mihi Dominus manifestavit, ad consolationem, & ædificationem Religiosorum, utpote tepidi ac negligentes vitam mutent. Quibus dictis paulo post ingenti gaudio repletus est; sed, & facies ejus velut Angeli resplenduit, sicque inter pias aspirationes animam Deo reddidit.

XI. Decimus fructus est, quod sit *fons, & radix spiritualis, & solidæ lætitiæ*: quem qui-

Ps. 44. v. 8. quidem S. David indicavit, dum dixit: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis; ubi recte lætitiam hanc oleo comparat, ut significet, sicut oleum omnibus reliquis humoribus supernatat, ita lætitiam quoque ac pacem, quæ ex obedientia sequitur, omnem sensum ac gaudium corporale longissime excellere; & merito, cum talis homo per obedientiam semper habeat, quod desiderat, sicque gustare incipiat manna absconditum, quod *Apoc. 2. v. 17.* Deus in Apocalypsi vincentibus (qualis utique est obediens, loquens victorias de seipso reportatas) promisit.

XII. Undecimus fructus est, quod sit *scutum impenetrabile adversus omnia mala corporis, & animæ*: illud videlicet, de quo S. David *Ps. 5. 13.* dixit: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, Domine. Cum vere obediens neque in prosperis elevetur (utpote qui nihil aliud, quam Dei voluntatem desiderat, & quærit) neque in adversis dejiciatur, cum memor sit doctrinæ a S. Petro datæ: & quis est, qui noceat vobis, si boni (id est, solius beneplaciti divini) æmulatores fueritis? atque adeo rectius de hoc scuto, qua olim Miles Myrtilus dicere queat.

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum premererque salo, dum premererque solo.

Qui scilicet in terra pugnando, victor evaserat: in mari vero cum naufragium fecisset, inverso clypeo velut navicula usus enatavit.

XIII. Duodecimus fructus est, quod sit *vera causa honoris, & dignitatis maximæ*, quæ in terris haberi potest; uti clare patet in Christo, qui, quia fuit obediens usque ad mortem, propterea accepit nomen super omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur Cælestium, terrestrium, & infernorum; id quod si in ullo, certe inobediente, vel maxime etiam adimpletum cernitur, utpote qui & Cælestibus specialiter charus per obedientiam efficitur, ut in primis tribus motivis vidimus: & a terrestribus, id est, hominibus præcipue honoratur, utpote qui pulcherrimum, & summum imperium sui ipsius nactus est: & ab infernalibus maxime timetur, & æstimatur, utpote quem victorem ipsorum fortissimum, & potentissimum non semel sunt experti.

§. XI. MEDIA.

I. CHristi *exemplum ob oculos habere*: quod efficax medium suasit S. Bernardus di- *S. Bern. t. 3. serm. de obedi. n. 1. 6.* cens: Obedientiam ostendit in Mundum veniens, in Mundo manens, & de Mundo transiens. In Mundo veniens, unde Jo. 6. ipse ait: *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Secundo in Mundo manens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Tertio de Mundo transiens, unde Jo. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*; Et de hoc Bernardus ait: Mementote fratres, ne perderet obedientiam, perdidit vitam, & in signum, quod obediendo mandato Patris mortem sustinuit, inclinato capite emisit Spiritum. Unde S. Bernardus alibi monet: Disce *S. Bern. s. suo unisus est.* homo obedire: disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De Authore tuo loquens Evangelista: & erat, inquit, subditus illis, haud dubium, quin Mariæ, & Joseph. Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus tuo te præponis Authori?

II. *Angelorum exemplum considerare.* Sic S. August. suasit dicens: Estote non pro sua, sed *S. Aug. s. 7. ad fratr.* pro vestra utilitate, & salute in omnibus sibi obedientes. Ecce enim fratres, Angelus in omnibus obedit Deo, & tu, qui cinis es, & vermis, contradicis Deo? Insensibilia obediunt Deo, & tu rationalis resistis Deo? Quod ipsum etiam confirmans S. Bernard. sic loquitur: Sed ipsos Spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, & in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam, minime tamen puto reperies in scripturis aliquando, quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur: saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eo sane acceptabiliora, quo in materia digniori.

III. *Militum exemplum ob oculos habere*: uti S. Laurentius Justinianus monet dicens: Qui *S. Laurentius Just. de discipl. Monastic. c. 7.* militat terrenam militiam, non sunt sine duce, & solus Christi miles erit sine directione? Ubi validior, & sagacior est hostis, ibi diligentior custodia adhibenda est. Et alibi pariter, inquit: Sicut sine duce non confiditur de victoria, & sine gubernatore non pervenitur ad portum, ita, & absque obedientia impossibile est, in hujus vitæ pelago non periclitari. Quævis enim minima inobedientia in bello subvertere potest, quamvis ingentem victoriam, hostique fores aperit ad faciendam stragem. Unde Centurio exactam militum suorum deprædicat obedientiam, dum ait: *Dico huic: vade, & vadit, & alii: veni, & venit, & servo meo: fac hoc, & facit.*

IV. *Irrationabilium creaturarum exemplum intueri*; uti paterne consulit S. Bruno: quid *S. Bruno de ornatu Eccles. c. 10.* dicent, inquiens, suas voluntates facientes, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angeli, & homines, verum etiam quæ sensu & ratione carent, jubentis Domini obedire voluntati? Inde est enim, quod cæli enarrant gloriam Dei; Inde est, quod venti, & mare obediant ei; inde est, quod terra nostra dedit fructum suum; inde est, quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Idemque post allata diversarum creaturarum insensatarum Creatori suo obedientium exempla, in hæc verba exclamat: Sed o miseria semper lugenda, & magis lacrymis, quam verbis exponenda! Omnis creatura est obediens Deo præter illam, quæ facta est ad Imaginem Dei. Et id ipsum confirmans S. Laurentius Justinianus: Non mediocris, inquit, *S. Laur. Just. c. 2. de lign. vitæ.* est pudor generi humano, imperio Dei insensibilia, irrationabiliaque parere, & hominem non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est Authore. Servaverunt cuncta animalia le-

legem, & ordinem sibi impositum, & ideo perstiterunt in natura, qua creata sunt; Inobediens autem homo idcirco corruit, quia non obtemperavit, & qui per gratiam futurus erat Angelorum collega, ex neglecto imperio effectus est ministrator jumentorum. De hac creaturarum irrationabilium obedientia plura in Sacris prostant testimonia. Sol, & Luna obedierunt Josue: cælum, terra, & mare Moysi, cum illud tenebras offunderet, hæc Dathan, & Abiron, istud Pharaonem hauriret. Aer, & grando Samueli paruerunt: pluvia, & ignis Eliæ: venti, & procellæ diaboli, & morbi, ac ipsa mors Christo. Serpentes, & colubri Apostolis; B. Antonio, & pluribus aliis feræ: S. Francisco Assisiati aves: P. Josepho Anchietæ pisces, & aliæ animantes: S. Sergius Abbas Leone, S. Gallus Urso, S. Norbertus Lupo, ad obsequium est usus: B. Theodora Crocodilo velut navigio est usa.

Drex. in Rosis p. 2. c. 13. §. 0.

V. *Non intueri in persona Superioris hominem* obnoxium erroribus atque miseriis, sed *Christum ipsum*, qui est Sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere. Quibus verbis S. Ignatius hoc medium suasit, adducens pro illius confirmatione etiam S. Bernardum dicentem: Sive Deus, sive Homo Vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, modo tamen Deo contraria non præcipiat homo.

In epist. de obed.

L. de præc. & disp.

VI. *Firmissime credere: eum Superiorem, quem quis habet, a Deo ipsi prædestinatum esse, & quidquid ipse præceperit, Dei præceptum esse:* sic enim perinde ut ad credenda, quæ fides Catholica proponit, toto animo, assensuque nostro statim incumbimus, sic ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine ulla disquisitione feremur; quemadmodum S. Abraham filium immolaturus fecisse credendus est. Ita iterum ejusdem fere verbis hoc remedium S. Ignatius commendavit. Quod etiam pius quidam Pater apud Blosium his valde bene notandis verbis suasit: Certo tibi persuade, ipsum Dominum Deum tuum sua æterna Sapientia ac bonitate illos Prælatos, quos habes in eo, quem aggressus es, statu tibi prædestinasse, & providisse, ac per eos potius, quam per alios suam gratiam tibi præstare velle.

In diff. PP. c. 1.

In ep. xiv.

VII. *Bene animatum affectumque esse ad id, quod Superior mandat, vel sentit*; sic enim fiet, inquit iterum S. Ignatius, non solum ut sine molestia sed etiam cum voluptate lætitiaque pareatur; nam, ut est apud S. Leonem, non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. Pro quo medio facilius practicando suadet P. Jacobus Alvarez, ut Superiores suos quis tamquam de se bene meritos Patres, & qui non tam esse, quam bene esse, dare soleant, aspiciat, diligatque.

S. Leo f. 4. de jejun. Sep. Mens.

VIII. *Omnem affectum inordinatum exuere*, præcipue amoris, & timoris immoderati, quod medium Richardus de S. Victore sequentibus verbis prudenter suasit: Duo sunt, quæ solent perfectionem obedientiæ præpedire, id est, ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel animus vel amore abstinentiæ, vel patientiæ perfecte incaluerit, protinus Ruben, id est, timor Dei ad omnem obedientiam absque ulla contradictione se subdit. Quis enim tam adversa perpeti, quam prosperis non delectari, apud semetipsum statuit, quæ difficultas ejus obedientiam minuere poterit? Si enim dura, & aspera quæque pro Dei amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hæc ex adjuncta obedientia, ad majoris meriti gloriam tolero?

Rich. op. Alv. t. 3. l. 3. p. 3. c. 37.

IX. *Assuefacere se, ut etiam minoribus se subdat, & obediat*: Sic enim non difficulter Majoribus obedientiam præstabit. Quo medium S. Bernardus his verbis suggessit: Parum est, subjectum esse Deo, nisi sis, & humanæ creaturæ propter Deum, sive Abbati tamquam præcellenti, sive Prioribus tamqnam ab eo constitutis. Ego plus dico: Subdere paribus, subdere & minoribus; sic enim nos decet implere omnem justitiam, & perfectionem obedientiæ.

S. Bern. s. 1. In Cen.

§. XII. ASCETICA.

I. QUatuor sunt potissimum, quæ Asceta de hac virtute præcipue scire, aliisque inculcare debet. Primum est substantia, & perfectio illius, quam quidem cognitionem haud difficulter consequetur, si eamdem secundum quatuor dimensiones consideraverit: Et 1. quidem *Altitudinem* sciat in eo consistere, ut non tantum in primo, & secundo gradu quis hæreat, id est, potentias exteriores, & voluntatem ad id, quod imperatum est, exequendum applicet, sed etiam judicium suum cum Superioris judicio conformet; quo sensu illud S. Apostoli intelligi potest: Omnis, id est, tota anima secundum omnes potentias, potestatibus sublimioribus subdita sit. 2. *Profunditatem* sciat in eo sitam esse, ut non tantum majoribus, sed etiam minoribus se subjiciat, quemadmodum S. Ignatius suis sociis commendavit dicens: Valde necessarium est, ut omnes non solum Superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo authoritatem acceperunt, obediant, & assuescant non intueri, quis ille sit, cui obediunt, sed potius, quis ille sit, propter quem, & cui in omnibus obediunt, qui est Christus Dominus. Ita sane B. Aloysius fecisse scribitur; qui licet genere natus illustrissimo, minimis tamen Coadjutoribus cum tanta humilitate ac reverentia obediebat, ut majore vix ipsi P. Generali obedire posset. 3. *Latitudinem* sciat in eo positam, ut non tantum in illis, quæ sub peccato a Superioribus præcepta sunt; sed etiam, quæ sine tali obligatione imperantur, imo, & in iis, in quibus nullum expressum præceptum, sed solum signum voluntatis Superioris cernitur, in spiritu amoris, & non perturbatione timoris, ut S. Ignatius loquitur, obediatur. 4. *Longitudinem* denique in eo consistere sciat, ut, juxta exemplum sui Servatoris supradictam obedientiam exerceat usque ad mortem, ut cum veritate olim in ultimo vitæ articulo dicere queat: Consummatum est:

Rom. 13. v. 1.

P. 3. const. c. 1. §. 23.

P. 6. const. c. 1. §. 1.

sibi-

sibique illud quoque ejusdem Christi cum magno suo solatio adjicere queat: In manus tuas commendo spiritum meum. *Jo. 19. v. 30. Luc. 23. v. 4.*

II. Secundum est, ut bene cognoscat circumstantias ad perfectionem obedientiæ requisitas; quæ quidem fusius supra §. 1. sunt explicatæ, breviter vero a Sanctus Bonaventura indicatæ, dum ait: Obedientia debet esse prompta sine dilatione, devota sine dedignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, perseverans sine cessatione, ordinata sine deviatione, jucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, & universalis sine exceptione. Qualiter nos audivimus nostros Superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes. *S. Bon. in tract. de sex alis. col. 3. c. 2. cp.*

III. Tertium est, ut non tantum summam de virtute ac æstimationem concipiat, sed etiam radices norit, ex quibus dignitas perfectioque illius oritur, quarum quidem quinque possunt assignari. 1. Quia per votum obedientiæ non tantum corpus proprium, quod per castitatem offertur nec tantum res exteriores, quæ per votum paupertatis Deo consecrantur; sed ipsa voluntas, quæ omnibus potior est, dedicatur. 2. Quia votum obedientiæ continet sub se alia vota, cum ad votum illud spectet, servare omnia, quæ sub præceptum cadunt, vel sub peccato obligant, qualia utique etiam castitas, & paupertas censentur. 3. Quia votum obedientiæ proprie se extendit ad actus Religionis, quanto autem aliquid propinquius fini est, tanto melius censetur. Atque hæ tres rationes a S. Thoma afferuntur, ex quibus ille deducit, hoc magis esse essentiale votum quam reliqua, cum illa duo sine obedientia neutiquam constituant Religiosum; obedientia vero secundum regulam sola a quibusdam Religionibus, ut Carthusiensi, & Benedictina voveatur. 4. Quia virtus obedientiæ est origo materque omnium virtutum, ut supra ex S. Augustino vidimus. 5. Quia summam cum charitate conjunctionem habet, cum utraque secundum beneplacitum divinum actiones suas dirigat: utraque sit virtus generalis ad mandatorum custodiam impellens: utraque sit virtutum reliquarum forma, & parens: utraque idem cum Deo velle, & nolle habeat, licet diversa ratione, nempe charitas per modum amici, obedientia per modum subditi. Ex quibus omnibus tandem colligitur, obedientiam afferre triplicem homini perfectionem, juxta triplicem scilicet titulum, secundum quem considerari potest. Nam quatenus *simpliciter ut homo* spectatur, eum in naturalem suum statum reducit, omnesque inferiores potentias rationi, velut parti superiori, subjicit: deinde quatenus *politice* consideratur, ut *membrum communitatis* vel reipublicæ, eumdem perficit; dum eum suo capiti subordinat, & per hoc ipsam politici corporis incolumitatem conservat: denique quatenus ut *Religiosus* perfectionis studiosus spectatur, ipsum perficit, dum eum Deo ipse perfectissime conjungit, & subjicit, secumque charitatem & reliquarum virtutum supernaturalium apparatum adducit.

IV. Quartum est, ut bene cognoscat potiora impedimenta, quæ ab hoc tam necessario, ac salutari obedientiæ exercitio impediunt, si multumque apta sciat medio pro iisdem removendis. Sunt autem ejusmodi impedimenta quatuor præcipue, & ea fere, quæ auditum quo minus vocem ab alio prohibitam exaudiat, impediunt. 1. Est, *si organum auditus sit destructum*, id est, si in Superiore non Deum, sed hominem dumtaxat spectemus; hoc enim errore perseverante, mirum non est, si Superioris mandata temere negligantur. Unde facile patet, quod sit remedium huic impedimento admovendum, illud scilicet, quod S. Ignatius præscripsit dicens: Versari debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur. 2. Est, *si digiti auri inserantur*, id est, carnalis amor cor occupet; nam, ut recte Thomas de Kempis dixit, quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plene te aliorum voluntati resignare trepidas. Hinc remedium ab eodem dictatum arripiendum: Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta, & decisa ex corde radicitus. Noli ergo concupiscere, quod non licet habere. Noli habere, quod te potest impedire, & libertate interiori privare. 3. Est *tumultus hominum*, id est, respectus, & timor iisdem displicendi; pro quo proin removendo adhibeadum iterum est medium a Thoma Kempensi suppeditatum dum ait: Quis es tu, ut timeas a mortali homine? hodie est, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expavescas. 4. Est *strepitus aquæ aut alterius rei:* id est, curæ, & sollicitudines animum vellicantes; vere enim frequenter frustra conturbatur homo: thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Unde sequendum S. Pauli consilium dicentis: Nolite conformari huic sæculo (inutilibus vos curis gravantes) sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis; quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. *Part. 1. c. 1. §. 1. Lib. 3. c. 43. §. 2. Lib. 3. c. 23. §. 2.*

§. XIII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione sententiæ: *Et erat subditus illis*: ostendi possunt fructus obedientiæ, quod scilicet obediens, 1. Crescat *ætate*, quæ annos non simpliciter, sed bene, id est, juxta Dei voluntatem transactos numerat. 2. *Sapientia*, id est, sapida scientia, omnes suas actiones velut media ad divinum beneplacitum velut ultimum finem ordinante. 3. *Gratia apud Deum*, & meritis supernaturalibus, uti ex §. 10. n. 8. patet. 4. *Gratia apud homines*, uti ex n. 5. ejusdem §. patet, item & ex variis historiis §. 5. n. 30. 31. citatis. *Luc. 2. v. 51.*

II. Ex occasione thematis: *Hæc est via, ambulate in ea*: probari potest, quod obedientia sit optima via ad cælum, quia habet omnes proprietates ad optatam viam requisitas. Nam 1. est via *certa*, cum sit inter signa certiora prædestinationis, uti §. 10. n. 10. demonstratum est. 2. Via *recta & brevissima*: quia de eo, qui ipsam ingreditur, vere dici potest: Consummatus in brevi explevit tempora multa, uti exemplo Dosithei sæpius citati patet. *Is. 30. v. 21. Sap. 4. v. 13.*

3. Via *secura*, quia non suo, sed aliorum innititur judicio, atque adeo nullis erroribus aut insidiis est obnoxia. 4. Via *jucunda*, & *plana*: cum de hac ipse Christus dixerit: Jugum meum (id est, obedientiæ) suave est, & onus leve. Adde quod plerique homines Sancti hanc viam calcare soliti non leve exemplo suo atque consortio levamentum, atque solatium afferant.

Cant. 6. v. 9. III. Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*; potest ostendi, quomodo hæc prædicata, obedientiæ studiosæ animæ conveniant. Et 1. quidem quomodo, ut aurora consurgens per viam purgativam dum progrediatur; dum devicta omnium vitiorum radice, nempe voluntate propria, plenam de omnibus vitiis victoriam refert. 2. Quomodo per viam illuminativam progressa, appareat plena ut luna, eo quod obedientia omnes virtutes menti inferat, infertasque custodiat; id quod per inductionem potiorum virtutum ostendi potest. 3. Quomodo per viam unitivam progressa, splendeat electa ut sol, quatenus proprium est obedientiæ, charitatem Dei velut sociam adducere, & per hanc Deo perfectissime unire. 4. Quomodo sit terribilis ut castrorum acies ordinata dæmonibus, ut qui neminem sic timent, ac eum, qui voluntatem propriam abdicavit, utpote sine qua impossibilem sibi de quoquam victoriam esse sciunt.

Pr. 21. v. 28. IV. Ex occasione thematis: *Obediens loquetur victorias*: ostendi potest, quomodo multiplicem hostem, sed quadruplicem præcipue vincat obediens, 1. *Diabolum*, juxta illud S. Gregorii: cum hominibus pro Deo subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. 2. *Mundum*, quia teste S. Chrysostomo, nihil aliud est mundum vincere, quam pessimorum hominum (& sui ipsius maxime) voluntati conversatione contradicere, & Dei voluntatem amplecti; hæc autem ille solus facit, qui fideliter ejus mandatis obedit. 3. *Carnem propriam*, id quod eleganter S. Bernardus super illa verba: Beati mites, quoniam possidebunt terram: ostendit, dicens: Hanc ego terram corpus nostrum intelligo: Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat, supra membra sua, necesse est, ut sit ipsa mitis, & Superiori suo subjecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit Superiori; armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus, quam oporteat, superioribus potestatibus esse subjectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu Dei altissimi, subjecta sit Deo, & his pariter, quibus vice ejus habet obedire Prælatis, & continuo corpus suum inveniet obediens, & subjectum. Certe si homo in eo, quod factus est, perdurasset, non esset potestas inimico ad carnem ejus accedere, & animæ contraria susurrare, ait recte Sanctus Ambrosius. 4. *Seipsum*; quia, ut Sanctus Gregorius ait, dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Et hæc est præcipua obedientiæ victoria; quia homo vincens semetipsum, qui vicit reliqua omnia, fortior ostenditur, & majorem ex hoc facinore, quam ex aliis gloriam assequitur. Vincit seipsum, quia suis desideriis vim infert, & libens propter amorem Domini alterius voluntati subjicit. Vincit seipsum, quoniam quidquid ipse est, & potest, fervore obedientiæ superat, ut non proprium judicium sequatur, aut propriam voluntatem faciat, sed Dei ac Prælatorum mandata custodiat. Quæ omnia fusius apud Jacobum Alvarum loco paulo ante citato explicata videri possunt.

S. Greg. l. 4. in 1. Reg. c. 3.

S. Chrys. ho. 10. in Joan.

S. Bern. s. de Omn. Sanctis.

S. Ambr. apud Jac. Alv. t. 2. l. 5. p. 3. c. 16.

S. Greg. 35. mor. c. 10.

V. Ex occasione ejusdem thematis posset explicari multiplex præmium obedientiæ, eumque in finem assumi sententia Sancti Hieronymi sic loquentis: Quia dum per obedientiam sua desideria vincere satagit, per justitiam judicis postmodum victoriæ palmam præripit. Is est ille, cui victoriam de se consecuto, tam illustria præmia in Apocalypsi promittuntur. 1. Ut Christum vitæ lignum in suavitate manducet, juxta illud: Vincenti dabo edere de ligno vitæ. 2. Ut æternam damnationem ignoret, juxta id: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. 3. Ut puritate ditatus, arcana divina cognoscat juxta illud: Vincenti dabo manna absconditum, & calculum candidum. 4. Ut suis appetitionibus dominetur juxta illud: Qui vicerit, & custodierit in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea. 5. Ut in hac vita, & futura virtutum præmiis cum honore vestiatur, juxta illud: qui vicerit, sic vestietur, vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. 6. Ut alios instar columnæ verbo, & exemplo sustentet, juxta illud: Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. 7. Ut cum Christo, obedientium capite, in æternum regnet juxta illud: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Quæ omnia facile dilatari, aut etiam alio modo explicari possunt.

S. Hier. in v. 28. Prov. 21.

Apoc. 2. v. 7. & 11.

V. 17.

V. 26.

c. 3. v. 5.

V. 12.

V. 21.

VI. Ex occasione thematis: *Melior est obedientia, quam victimæ*: explicari potest, quomodo obedientia omnes victimas antiqui testamenti eminenter contineat. Et 1. quidem sit pinguissimum *holocaustum*, cum per illam totus homo in sacrificium cedat. 2. Sit sacrificium *laudis*, & *gratiarum actionis*: juxta illud Sancti Augustini: Vis semper laudare Deum? bene fac omnia (quod fit per perfectam obedientiam) & laudasti Deum. 3. Sacrificium *propitiatorio* seu *pro peccatis*: quia est efficacissimum medium ad peccatorum remissionem impetrandam: juxta illud S. Greg. Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitrii sui superbia gladio præcepti se immolat. 4. Sacrificium *pacificum*, quia miram habet virtutem ad varia dona a Deo impetranda. 5. Sacrificium *Eucharisticum*: quia revocat in memoriam cruentum sacrificium, quo Christus seipsum Patri æterno obtulit, dum obediens usque ad mortem crucis factus est. Quæ omnia longe perfectiori

1. Reg. 15. v. 22.

In Psal. 148.

S. Greg. l. 35. mor. c. 10.

modo

modo convenire obedientiæ, quam veteribus sacrificiis facile probari potest, ut adeo merito Christus per Davidem dixerit: [Ps. 39. v. 7.] Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio: io capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam.

[Ps. 94. v. 8.] VII. Ex occasione thematis: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*: potest ostendi, cur vocem Superioris libenter audire debeant Subditi, nempe quia habet omnes proprietates vocis illius, quæ a sæculi filiis libenter & prompte auditur. Est enim 1. vox *potentis*: nempe ipsius Dei, de [Ps. 45. v. 6.] quo S. David dixit: Dedit vocem suam, & mota est terra: si ergo Regum, & Dominorum hujus mundi vox tam celeriter auditur, quanto promptius vox Regis Regum & Domini dominantium audienda erit? 2. Est vox *sapientis*: imo ipsius Sapientiæ increatæ, quæ per Superiorem loquitur? quidni ergo sibi quivis a Patre æterno de Superiore dictum cre- [Luc. 9. v. 35.] dat: Hic est Filius meus dilectus, in quo tamquam vicario meo, mihi complacui: ipsum [2. Paral. c. 9. v. 7.] audite? Quidni dicamus cum Regina Saba: Beati viri tui, & beati servi tui hi, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam? 3. Est vox *amantis*, miram amoris dulcedinem spirans, uti sponsa experta est, dum anima illius liquefacta est, ut dile- [Cant. 2. v. 14.] cta ejus locutus est. Quidni ergo dicatur cum eadem sponsa? sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. 4. Est vox *præmiantis*, cum hoc ipso, quod aliquid per Superiores imperare dignetur Deus, ad præmium vocet promissum illi, qui sermonem suum fervaverit; adeoque illi quodam- [Cant. 4. v. 8.] modo verba ad Sponsam olim dicta occulte insusurret: Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.

[Sap. 2. v. 24.] VIII. Ex occasione thematis; *Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum*: explicari possunt impedimenta, quæ communiter objicere solet dæmon, ne vox Superiorum exaudiatur; quæ quidem supra §. XII. n. 4. explicata videri possunt.

§. XIV. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

[Mons. n. 14. d. 1. n. 1.] I. Observandum, quod Moyses de aliarum creaturarum irrationabilium productione dixerit: *Et vidit Deus, quod esset bonum*, scilicet immediate postquam illas creavit; Non verò idem de homine dixit, licet is velut parvus quidam Mundus creatus fuerit: Scitisne quidnam in eo lateat mysterii? nimirum bonitas hominis ex ejus obedientia judicare debet, quia homo in tantum bonus erit, in quantum præcepto Creatoris sui fuerit obediens, & subjectus. Eamdem quoque observationem Bellovacensis super prædicta verba expressit dicens: Licet dicatur homo relictus esse in manu consilii sui, sicut dicitur Ecclesiastici 15. *Deus ab initio &c.* non est tamen intelligendum, quod ei licitum sit facere, quod velit; sed quia id, quod faciendum est, non coga- tur de necessitate naturæ facere, sicut creaturæ irrationales, sed libera electione ex proprio consilio procedente.

II. Eliæ Prophetæ a Deo olim, prout in [Ib. d. 12. n. 3.] c. 19. l. 3. Reg. legitur, mandatum fuit: *Egredere, & sta in monte coram Domino, & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis, subvertens montes, & convertens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio. Non in commotione Dominus; & post commotionem ignis. Non in igne Dominus; & post ignem sibilus auræ tenuis. Et in hoc tenuis auræ sibilo, Deus coram Propheta transiens, videndum se exhibuit*; Omnia autem in figura contingebant illis; Etenim ex hoc verus obediens infallibiliter agnoscitur, quando non solum obedit ad promulgationem legum, vel ad intimationem, seu comminationem pœnarum transgressoribus infligendarum, vel ad solam vocem præcipientis obtemperat; verum etiam ad quemlibet nutum, & sibilum obedit, & voluntati Superioris occurrit; Quisquis enim hoc facit, Deum in se esse manifeste ostendit.

III. Refert Herodotus de Amasi, qui ex vili [Ib. d. 10. n. 8.] plebecula ad Regnum Ægypti assumptus fuit, quod, dum populus eum ob infimam illius conditionem venerari dedignaretur, hoc fuerit usus consilio. Simulachrum quoddam Dei illius, quem adorabant, ex materia vasis ænei, in quo pedes lavabantur, fundi fecit, illudque publicæ adorationi exposuit. Cumque vidisset illud ab omnibus reverenter coli, dixit illis: Ob eamdem igitur causam, & me tanquam Regem vestrum agnoscere, mihique obedire debetis, non tam meos considerando natales, quam personam illius, quem repræsento. Ita quoque iidem Ægypti Josepho Ægypti Vice-Regi debitos exhibere honores, & reverentiam minime renuebant, tametsi illum pastorum ovium filium, & fratrem esse scirent, quorum professio Ægyptiis abominabilis erat; Imo tametsi scirent, eum tot annis cujusdam Ministri Aulæ, id est, Putipharis, fuisse mancipium, & servum, cui manus ejus in cophino servierunt.

IV. Celebris est illa Ezechielis Prophetæ ex- [Ibid.] hibita visio, quam his verbis describit: *Facies una, facies Cherubim; & facies secunda, facies hominis; & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* In omnibus aliis ejusdem Prophetæ locis, ubi hæc visio recensetur, pariter facies bovis exprimitur loco faciei Cherubinicæ; Unde colligitur hoc loco bovem in Cherubim transmutatum fuisse. Porro bos, qui adeo piger, & stolidus est, nequit æquiparari generositati leonis, nec velocitati aquilæ, nec hominis scientiæ; Et tamen hic bos in Cherubim transmutatus, primo loco positus, omnes præcedit, adeo ut aquila, leo, & homo, bovi in Cherubim transmutato venerabundam videantur exhibere reverentiam; tametsi ob ignorantiam, negligentiam, & stoliditatem bos quidam esset: Hæc autem omnia in figura contingebant; voluit enim Deus per hoc innuere, quod tametsi Prælatus intractabilis sit, & instar bovis stolidus, nihilominus tamen honorari debeat, veluti quidam e cælo dilapsus Cherubim, id est, ac si altissima esset

esset scientia, & sapientia dotatus, quia Deum repræsentat. Notandum vero, quod Ezechiel dicat; *Ibi erat impetus Spiritus*, quia Deus iis, qui locum suum tenent, specialiter divinum suum spiritum imprimit.

Tr. 6. 12. n. 2. V. Sponsa in sacris Canticis se audita voce cælestis amatorie sui, intus in anima, & corde liquefactam fuisse dicit: *Anima mea liquefacta est, ut locutus est.* Quo loquendi modo, ni fallor, perfectissimam quandam ionuere voluit obedientiam. Etenim si aurifex in manu sua ampullam quamdam auro liquefacto plenam habens, aurum illud interrogaret, in quidnam sibi magis, charum ornamentum, aut vas, se adhiberi vellet, an scilicet ax se annulos, an catenam aut torquem auream, an vero coronam regiam fieri mallet? utique si sensu, usuque rationis præditum esset, responsurum esset, ad omnes aurifici collibitas figuras subeundas, perinde se æque promptum, & dispositum esse: Eodem quoque sensu, & modo sponsa, id est, anima electa locuta fuisse videtur, scilicet ad vocem, & præceptum Dei indifferentem, & ad omnia, quæ sibi placeret imponere, exactissime exequenda se esse promptissimam: Anima mea liquefacta est per incendium charitatis (ita prædicta sponsæ verba Richardus de S. Victore exponit) parata videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis. Eumdem quoque sensum Gillibertus Abbas his verbis indicat: Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas. Intelligitis jam, ut arbitror, in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem.

Id. 6. 23. n. 6. VI. Apud Jobum scribitur: *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reverentia dicent tibi, adsumus?* Ubi Cajetanus advertit, quod in Hebræo non habeantur hæc verba: *Et reverentia*, sed solum: *Et dicente tibi, ecce nos*; Pineda tamen ait: Eo ordine, quo scripta est, accipienda est sententia, ut postquam reversa fueriot, dicant, Adsumus: ecce nos: Obsequii nimirum vox non solum præstandi, sed, & præstiti; Quasi dicant: Ecce jam absque ulla mora imperata confecimus. Etenim vero, ut experientia docet, fulguri proprium est, prius oculis nostris apparere per fulgorem evibratom, quam tonitrui strepitus ad aures perstringet; ac proinde fulgur, apta est veri ac perfecti obedientis figura, utpote cui similiter proprium est, quod priusquam præcepti Superioris tonitru audiatur, jam de facto illud ipsum resplendeat, per exactam ejusdem præcepti executionem, & adimpletionem. Tales erant Monachi tempore S. Hieronymi, de quibus idem Doctor in hæc verba scripsit: Subditi ante conabantur jussa implere, quam forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis.

Id. n. 1. VII. Dionysius Carthusianus subdit: In hoc patet suæ obedientiæ promptitudo, & devotionis alacritas, siquidem Dominus dixerat ei: Esto paratus mane, & ipse surrexit nocte. Cum Abraham dormiens a Deo jussus fuisset filium suum Isaac sacrificium immolare, dicit sacer Textus: *De nocte consurgens*; non expectavit auroram, quantumvis credibile sit, quod affectus paternus eum extimulaverit ad differendam præcepti adeo ardui, & legi naturali repugnantis executionem, quantum poterat. Attamen ipse de nocte consurgens, adorlri voluit præcepti executionem: Verebatur enim, ne votum mora offenderet, inquit D. Chrysostomus, aut jussionem tarditas impediret.

VIII. Propheta Regius se per suam erga Deum obedientiam, ut jumentum factum fuisse asserit: Et quidem quod id ipsum huic obedientiæ virtuti attribuerit, ex verbis sequentibus clare deducitur, quia ait: *Tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me*, quasi diceret omnes actiones meas juxta divinæ voluntatis tuæ voluntatem ordinasti; At vero cur se jumento potius assimilavit, quam alteri cuipiam animali, videbatur enim, quod, ut perfectam quamdam exprimeret obedientiam, melius dicturus fuisset; ut mancipium factus sum apud te. Pro resolutione observandum, hanc inter mancipium, & jumentum intercedere differentiam, quod, quando mancipium aliquod, vel servus emptitius ad pondus aliquod portandum vires suas insufficientes esse censet, vel honeste se excuset, vel certe oneris experientiam facere tentet; Non vero sic jumentum; Hoc enim os suum non aperit, nec recalcitrat, sed onus sibi impositum sine excusatione recipit, quod agitur, graditur, nec unquam conqueritur, neque discurrit; Talem se David apud Deum fuisse asserit, quando de præstanda ei obedientia agebatur. Nam sine discursu, aut examine, sine excusatione vel contradictione, quicquid ei impositum esset, vel Dei voluntati conformare judicare poterat, prompte exequebatur, hacque ratione gratiam Dei sibi comparavit, dicentis: *Inveni virum secundum cor meum, quia fecit omnes voluntates meas.* Id. 6. 20. n. 1.

IX. Saulus mox ut in Paulum mutatus, & ex persecutore Apostolus factus fuit, sine dilatione voluntatem suam in manus Dei consignavit, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Ut vero Deo cæcam obedientiam quam maxime placere intelligeret, sacer Textus de Paulo ait: *Nihil videbat*; Demum vero eumdem ad Ananiam misit; quia obedientia fertur ad audita exequenda, verus enim obediens soles aures habet ad audiendum, non autem oculos apertos ad videndum. Ibid.

Æquitas.

X. Quod Deus in creatione hominis nullum alium sibi scopum habuerit præfixum, quam ut illum sibi obedientem efficeret, ex hominis formatione sufficienter colligitur; Nam ut sacer Textus ait: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Voluit igitur Deus hominem ex terra non solida, sed aqua humectata producere, ut esset flexibilior ad omnes Psalmatoris collibitas formas recipiendas. Nam ut S. Paulus ad Romanos ait: *Voluntati ejus, quis resistit? Numquid dicit figmentum ei, qui finxit: Quid me fecisti sic* Id. 6. 1. n. 1.

An

An non habet potestatem figulus luti, ex eodem massa facere alind quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?

S. Ansel. ad Heb. c. 12.

XI. S. Anselmus non solum ad lutum, e quo plasmati sumus, verum etiam ad flatum & aspirationem, qua Deus nobis animam infudit, se reflectit inquiens: Nonne obtemperabimus Deo, qui formavit hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ? Non enim de materia fecit spiritum hominis, sicut corpus, sed de nihilo per insufflationem suam creavit, & ita se Patrem spiritus esse quodammodo demonstravit. Ideo etiam Pater spirituum dicitur, quia nos in Baptismo secundum spiritum generavit. Unde hanc deducit consequentiam, quod videlicet ideo Deo magis debeamus esse obedientes, magisque subjecti, quam sumus erga Patres nostros carnales: Et huic magis, inquit Anselmus, quam carnalibus parentibus obtemperare debemus.

S. Bonav. c. 7. l. 2. de profectu relig. c. 29.

XII. Omnes creaturæ ab omnipotenti Crsatoris manu tali cum sapientia, & dispositione esse suum acceperunt, ut omnes exemplo suo nos obedientiam doceant. Nam ut S. Bonav. in capite, cui titulus est: Cur sit obediendum aliis? inquit: Omnis creatura ita est ordinata a Deo quod licet ipse Deus omnibus, & singulis ita præsit, ut ab ipso solo accipiant, quod sunt, & habent, & possunt, tamen propinquiora sibi, non loco, sed similitudine plenius accipiunt ab ipso, quod inferioribus, & sibi propinquioribus influant, & illa iterum suis inferioribus usque ad infimum, & inferiora superioribus subdita sint, & superiora inferioribus præsint, & ea regant, ut summa mediis, & media præsint imis: Sic Angeli superiores inferioribus præsunt, & cælestia terrenis, & irratinnalibus ratinnabilia.

Idem to. 6. Diat. sal. tit. 3. c. 2.

XIII. Quantum Christus obedientiam amarit, priusquam in cælos ascenderet, ostendere voluit, siquidem, ut ex monte Oliveti in cælum ascenderet, prius Bethaniam transire voluit, quæ, ut paulo ante diximus, idem significat, quod domus obedientiæ, nam Lucæ ultimo dicitur: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam, & elevatis manibus suis benedixit eis.* Ubi S. Bonav. ait: Bethania quippe domus obedientiæ dicitur; In figura hujus Deus ascendit in cælum de Bethania.

Mans. tr. 34. disc. n. 8.

XIV. Obscurus est sensus verborum illorum, quæ Ecclesia in festo Ascensionis Christi canere solet, videlicet: *Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem.* Quid enim per captivam captivitatem hoc loco intelligendum venit? Num forte Ecclesia vult dicere, quod Christus in cælum ascendens, secum duxerit animas illas, quæ velut in deposito in sinu Abrahæ captivæ detinebantur, ut easdem cælestis gloriæ faceret participes? At vero si hic verborum illorum sensus est, potius dicendum fuisse videbatur, liberam duxit captivitatem, quia easdem secum ducebat, ut vera filiorum Dei libertate gauderent. Necessum igitur est dicere, Filium Dei tanto fuisse obedientiæ amore captum, ut etiam impassibilis, & immortalis ad dexteram Patris residens, continuo, & sine ulla intermissione in hac se virtute exercere voluerit. Ac proinde modum invenit, quo in Sacramento Eucharistiæ a se instituto in species Sacramentales, quotiescumque verba consecrationis a Sacerdotibus pronunciantur, obedientissimus descenderet; Obediente Deo voci hominis; captivam ergo duxit captivitatem, id est, humanitatem, quam in terris assumpserat, veluti mancipium & servam, soli modicorum verborum expressioni ad descendendum sub species panis & vini subjectam in cælos deduxit. Quisnam excogitari potest efficacior stimulus hoc, ut obedientes efficeremur? Quis unquam inventus est, qui adeo expedite & exacte majoribus suis obediat, quemadmodum quotidie Christus, Rex gloriæ, suis obedit Ministris & servis, Creator creaturæ? Circa hanc obedientiæ suæ imitationem Blosius sequentem refert Salvatoris nostri revelationem, inquiens: Christus sæpius revelare dignatus est, quod quilibet Christianus imitari debeat humilem suam obedientiam, quia ipse obedivit Patri suo cælesti, & hominibus non solum bonis, verum etiam impiis. Neque enim hæc virtus præclarissima a solis Monachis, vel Monialibus, sed prorsus ab omnibus eximie coli, & servari potest.

Necessitas.

S. Hier. to. 8. in reg. mo. nast. c. 6.

XV. S. Hieronymus nimia, quæ ex virtutis hujus transgressione, & omissione promanant damna, in tractatu de regula Monachali exprimit his verbis: Monstraretur portentum, navigatoribus, & pro certo numquam veniretur ad portum, si de directione & gubernatione navigii quicumque remigator, non ordinaret ad votum. Non civitas, non regnum, non minima domuncula diu maneret in rure, si cujus voluntati pareretur, deesset: Propter quod ipse Papa Petrus, qui Religionis Apostolicæ vitam volebat instruere, sicut a Magistro didicerat, ut magis intelligatur, qualiter anima perficiatur in obedientia charitatis, ac fraternitatis amore, exponit apertius: Omnes, inquit, honorificate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate; Et ne excusationis arripiatur, scutum, sub particulari nomine præminentis dignitatis generaliter infert omnibus: servi subditi estote in omni timore Domini; & ne Prælati in medium producatur pravitas, quæ plerumque subditis præstat causam magni casus, non tantum inquit, bonis & modestis, sed etiam discolis.

Utilitat.

Mans. tr. 34. disc. 4. n. 7.

XVI. Ad nostram quoque doctrinam disposuit, ut, cum a Lucifero in deserto tentaretur, certamen circa hujusce virtutis meritum institueretur; ait enim Evangelista: *Tunc Jesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.* Circa quæ verba sacer quidam interpres ait: Dominus Jesus omnia agit, aut missus, aut ductus, aut vocatus, aut spontaneus missus venit in mundum, ductus vadit in desertum, vocatus surrexit a mortuis. Eumdem quoque Dei Filium sæpius in Bethania hospitio exceptum reperietis, tametsi castellum

hoc procul a Jerosolyma remotum esset, idque, ut reor, ex hac causa, quia Bethania idem significat, quod domus obedientiæ: ipsum quoque sæpius reperietis mensæ accumbentem, sive in domo Simonis Pharisæi, sive in domo S. Petri, idque quia utriusque domus Paterfamilias Simonis nomine appellabatur: Simon enim idem est, quod obediens. Utrumque hoc S. Antonius observat, dum ait: Hospitabatur sæpe in Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, & Simonis, qui interpretatur obediens. Quod si in domum Zachæi ultro se ingesserit, mirum non est, cum hic Zachæus in virtute obedientiæ insignis fuerit, siquidem vix Christus ei hæc verba dixerat: *Hodie in domo tua oportet me manere*, cum ecce confestim obedivit; nam ille *festinans descendit*, & *excepit illum gaudens in domum suam*.

S. Bern. de perfect. obed. c. 1. XVII. S. Bernardinus multas adducit rationes, cur Deus domum voluntatis nostræ, dum eam obedientiæ subjicimus, adeo gratum & acceptum habeat: Inter cætera vero ait: Cum nullius rei possessores, aut domini simus, nisi per facultatem & usum libertatis nostræ, istam abdicare a se, quantum nobis possibile & licitum est, abdicare prout est possibile, omnia, quorum esse possumus possessores: Cum in nobis nihil sit charius, intimius, altius & majus, propria libertate, ac facultate usus ejus, abdicare hanc a se, prout est possibile, tanto est perfectius & altius, quanto ista præponderat omnibus alii abdicalibus nostris.

Jo. Bohemus l. de Afia. ap. Mans. tr. 41. disc. 7. 30. XVIII. Scriptor quidam Historicus, qui ritus & mores omnium nationum describit, de Orientalibus hæc habet: Orientales victimas non jugulant, sed præcluso spiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, sed integrum. Simili modo acceptissimum Deo sacrificium erat, si hoc ei ex toto spiritu, corde, affectu & voluntate nostra obtulerimus mortificando, reprimendo, & suffocando desideria nostra, affectus & appetitus nostros, ut terra mortificationis & obedientiæ jugulati, Deo consecrari possint.

Climacus grad. 4. n. 61. XIX. S. Joannes Climacus ait: Numquam ponas in omni vita memoriam illius ingentis Athletæ, qui totis decem & octo annis numquam auribus suis, a Præside suo, cui inservit, illam vocem accepit: Salvus esto; sed ille tandem idem interiori animi sensu quotidie audit a Domino, non quidem salvus sis, quod optantis est, & incertum, sed salvus es, quod affirmantis est, certum, & definitum.

XX. Humilitas & obedientia, ut similitudine Dorothei doctrina prima utar, sunt velut duo agiles equi, vitæ nostræ currum trahentes, & in cælestes mansiones sine ullo labore portantes. Sanctus Vincentius Ferrerius pariter obedientiam nobis ad cælum aditum aperire dicit: Non existimet, inquit, aliquis hominum, quod aliter possit intrare paradisum, nec per dominium, vel potestatem, vel spiritualem, sed per humilem obedientiam.

Vinc. Ferrer. ser. 4. in Dom. 2. post Ep.

S. Anton. de Pad. s. in fer. 2. Pasc. XXI. S. Antonius de Padua circa locum, in quo Magdalena plenariam accepit omnium peccatorum suorum absolutionem, id est, circa domum Simonis Pharisæi, sequentem instituit ingeniosam ponderationem, inquiens: Moraliter bene hic datur forma, quomodo anima peccatoris converti debeat, ut possit indulgentiam percipere de peccatis. Ubi primo occurrit videre, ubi ipsum veniæ largitorem valeas invenire. Respondeo: in domo Simonis, qui obediens interpretatur, intra domum obedientiæ, ibi ipsum invenies, quia obedientia ipsum ad suum hospitium trahit semper. Mulier peccatrix anima, quæ bene vocatur Maria a mari. Mare propter multitudinem amaritudinis peccatorum. Si vult a culpa sanari, oportet, quod vadat ad domum Simonis, id est, ad obedientiam.

XXII. Christus Redemptor noster Apostolis suis olim præcepit, dicens: *Neminem per viam salutaveritis*. At vero cum ita sit, ut certus quidam Dei servus illuminatus, S. Philippi Nerii discipulus, dicere solitus erat: Qui urbanitate morum caret, spiritum Dei numquam habebit, cur igitur Filius Dei scholæ suæ discipulis hanc præcepit inurbanitatem, ne scilicet in via obvios salutarent? Hujus rei mysterium S. Ambrosius nobis pandit, inquiens: Ergo & hic non salutationis officium aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut, quando divina mandantur, paulisper sequestrentur humana: pulchra est salutatio, sed eo pulchrior, quo præceptorum maturior executio divinorum, quæ per moram sæpe trahit offensam. Ubi notanda sunt verba illa: Pulchra est salutatio, sed pulchrior &c. Etenim oratio mentalis, cilicia, jejunia & aliæ similes austeritates bona quidem & laudabilia sunt opera. At vero longe majoris est meriti & profectus, si quis per obedientiam ab iisdem abstineat. In vita S. Philippi Nerii de Francisco Maria Tarugio, qui postea ad Cardinalitiam assumptus dignitatem fuit, unusque ex primis S. Filippi Nerii discipulis, nostræque Congregationis Pater fuit, legitur, quod dum nocturno tempore ad orationem faciendam surgere volens, a S. Philippo id faciendi postulasset licentiam, is complexionis ejus probe noscens debilitatem, hanc ei denegarit. Tarugius autem ideo a proposito suo minime destitit; quin potius proprii hujus operis permissionem solito ardentius sollicitavit: cum vero tandem suum executus fuisset desiderium, contingit, quod prima nocte, qua surrexerit, caput suum adeo debilitarit, ut deinceps per undecim menses orationis exercitio nequicquam vacare potuerit. *S. Ambr. l. 7. in Luc. c. 10.*

XXIII. In libris Regum legitur, quod, cum Naaman Syrus ad Elisæum accessisset, ut a lepra sua ab eo curaretur, a Propheta septies in aquis Jordanis se abluere jussus fuerit. At vero num forte aquæ Jordanis hac erant virtute præditæ, ut lepram curarent? & posito, quod ad malum hoc pellendum natura sua servirent, quonam spectabat numerus ille septenarius? Abulensis ait: Dicendum, quod ita poterat sanari Naaman lavando se unica vice in aqua, quam si lavaret septies, & tamen jussit, quod lavaret septies propter meritum obedientiæ; sicut interdum jubentur aliqua quibusdam, quæ non sunt necessaria, & ta- *Mans. l. 14. n. 1.*

tamen jubentur, ut obediant, & meteantur obediendo. Observandum tamen est, Naaman sanitatem non recepisse, nisi postquam discursum, & intellectum suum captivando mortificavit, quia ab initio in aquis illis se ablnere renuit, dicendo: Aquas Syriæ longe meliores esse. At vero quando a prudenti servo suo monitus, partem suam rationalem vicit, & arbitrio Prophetæ substravit, desideratum sanitatis fructum protinus obtinuit.

Didac. Nyssenus in vit. Abrah. c. 8. XXIV. Gravi edicto Redemptor mundi apud Matthæum divites mundanos perculit, dicens, *facilius posse camelum transire per foramen acus, quam opulentes intrare in Regnum cælorum.* Audierunt hæc cum stupore Discipuli, conterritique dixerunt: *Quis ergo poterit salvus esse?* Matth. 19. 25. Respondit Dominus, *apud homines hoc impossibile esse, apud Deum autem omnia possibilia.* Tunc dixit Simon Petrus ad illum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* S. Hieronymus in commentatione horum beati Petri verborum positus exclamat: Grandis fiducia! Quando cæteris Apostolis erigit comas mentemque & omnes artus tremor concutit, natus de terribili sententia, quam Christus contra divites pronuntiavit; ita ut dicerent: *Quis ergo poterit salvus esse?* Solus Simon Petrus audacter, animoseque vel intrepide ait ad Christum, non solum de se bene fisus, sed etiam de aliis securus, sibi videri edictum illud ad se, collegasque suos non pertinere, eo quod pauperes essent, & omnibus renuntiassent, adeoque certam sperarent salvationem. Qui factum, quod, cum alii Apostoli contremiscebant, solus Petrus fidenter Christo loquebatur, dicebatque, certam sibi, sociisque suis promittere beatitudinem. Respondet S. Petrus Damianus, moneique advertere, quis ille sit, qui loquitur; Dixit Simon Petrus. Simon ex interpretatione S. Hieronymi, Venerabilis Bedæ, Nicolai Lyrani & Pagnini, idem est, quod obediens. At si obediens loquebatur, quid mirum, quod confidenter præsumebat, & humiliter gloriabatur, quando alii angebantur animis, & trepidabant? qui enim perfecte obediens est, ille tuto cum Jesu, sive Salvatore loqui potest, nemo enim certius, quam verus obediens, posse sperare salutem videtur.

Idem p. 2. l. 6. c. 7. XXV. Pugnabat Jacob pertinaciter in Palæstra sacra, inclinabatque in illius partes victoria. Cum inter productiorem conflictum aurora proximum diem nuntiaret, dicebat ad Jacobum ille, quocum luctabatur: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. 26. At quid impedimenti adferre intermissioni pugnæ dies poterat? cur ille finem luctæ ante fieri voluit, quam dies appeteret? etsi concertatio illa & corporalis & spiritualis erat, sicut Jacob spiritu etiam pugnaret, ardentibusque precibus Deum appeteret, & plarimas illi ab oculis lacrymas affunderet, quare orandi studium propter ingruentem diem relinquere, aut seponere debuit? cum Deus amet audire orationes; & nulla illis impedimenta sel cum die per se adferat, qui erat, quo minus Jacob per diem tam sancto operi operam recte daret? Satisfaciunt huic dubitationi, saluberrimumque simul monitum suggerunt glossa Angelica, & Pererius, quia ajunt, illud: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora,* perinde fuisset, ac si dixisset: Tempus est, ut ab invisibilibus ad temporalia tractanda descendas. Habebat Jacob uxores non minus quatuor, sobolem multam ex pluribus matribus, familiam copiosam. Quando ergo dilucescere cœpit, jussus est intermittere studium orationis spirituale, & vacare gubernationi domus, disponere necessaria, & rem curare familiarem. Non enim est grata Deo oratio, quæ tunc fit, cum faciendum aliud. Multo autem magis probat, cum justa habetur ratio necessitatum, & illi primum occurritur, quæ maxima est; & quoniam magis congruebat, studere curæ domus, quam orationi; tunc cum dies appetebat, idcirco ille glorioso colluctatori suo dicebat: dimitte me, & vade procuratum res tuas familiares, & ordinatum operas domesticorum tuorum, hæc enim Deo acceptissima fuerit oratio. Deum enim pro Deo, ut ajunt, relinquere; non est illum deserere, sed potius majora apud illum lucra facere, amplioremque apud illum gratiam inire. Sanctum enim adagium docet, illum optime orare, qui officii sui partes recte curat, probeque exequitur. Ille verus quærendi, & inveniendi Deum est modus.

XXVI. Suavissimam fragrantiam, quam sponsæ vestimenta exhalabant, sponsus sentiens ajebat, thuri, quod carbonibus impositum supremo Numini votivo cultu adoletur, similem sibi eorum odorem videri, inquiens: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris;* Cant. 4. 11. Notorium est, quidquid rei materialis ad sponsæ commendationem assumitur, id allegoricum esse, & mysticum, nam sub cortice materialium latet spirituale, quod sponso maxime est propositum. Videamus itaque nunc, quid vestimenta sponsæ significent. Richardus de S. Victore cum omnibus aliis expositoribus ait, vestimenta esse symbola virtutum, & operum meritoriorum, quibus fovetur & contegitur anima, & omnium exercitationum piarum, quibus illa ornatur, & venustatur. Richardi verba sint ejusmodi: Vestimenta animæ sunt opera, quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, & non nudi inveniuntur ante Deum Electi. Cultus ergo animæ sunt opera misericordiæ ut visitatio infirmorum, consolatio in carcere detentorum erogatio eleemosynarum in pauperes, vestitio nudorum, & alia id genus opera sacra. Notandum vero, quod odor thuris erat, quem illa vestimenta spirabant. Cujusnam rei hieroglyphicum est thus? Non puto esse aliquem, qui nesciat, thus esse typum orationis. Nihil magis tritum, pervulgatumque, quam illud Psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Secundum hæc, quod sponsæ vestimenta, quæ erat virtutes, & opera charitatis &c. thus, ut sponsus ajebat, sive incensum olebant, perinde fuit, ac si dixisset, olere orationem. Verum cum visitare captivos, consolari lugentes, vestire nudos, sepelire mortuos, ferre opem egentibus sint opera plurimum distincta ab actu

& exer-

& exercitio orationis, quomodo omnia illa solebant thus, sive orationem? voluit Spiritus S. ea re tacite insinuare doctrinam, quam hic tradimus, & significare, illam esse optimam orationem, cum quis officium suum recte curant, Deumque, qui videtur esse in oratione relinquendum pro Deo, quando magis convenit, & res ita postulat; quia tunc Deo magis placent alia opera magis necessaria, quam oratio. Melius hæc dicet Richardus, quam ego. Vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio, sicut devota oratio. Sic enim propter occupationem utilem orationem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur, juxta Apostolum: Sine intermissione oret, qui semper operatur. Itaque intermittere orationem, contemplationem, aut aliud quodlibet spirituale exercitium, ut rebus aliis magis utilibus, & necessariis opera detur, etiam est orare, & contemplari, & secundum Pauli dictum, perpetuo precari. Ille namque legitime orat, qui, quod suæ obligationis est, facit, ille scit Deum quærere, qui novit ipsum pro illo relinquere, quando magis expedit, & majoris refert.

Ibid. XXVII. Tam vehementer flagrabat spiritus Prophetæ; ut non contentus, quod ipse sapientissimo Domino suo laudum cantica pangeret, & concinerct, etiam Angelos ad concelebrandas alternatim ejusdem Domini laudes ardentibus votis, & magis vocibus invitaret, inquiens: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus: benedicite Domino omnes virtutes ejus*. Ps. 102. 21. Non dissimulavit autem Propheta modum laudum, & orationum, quibus vacaturi erant Angeli dicens: *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus*; velut dixisset: Facite quæcumque illum velle nostis, quicquid voce imperat, aut annuit oculis, explete, est famuli ejus promptissimi & expeditissimi ad exequenda omnia jussa illius. Notandum hic quod S. Propheta non satis consequenter locutus, & hortatus Angelos videatur. Invitabat illos, ut communibus laudibus communem Dominum celebrarent, benedicerent, magnificarent, statimque dicebat, ut voluntatem ejus facerent, præcepta ejus opere perficerent, & verbis ejus citum obtemperantissime morem gererent, facientes verbum illius; Quid hic uni cum altero convenit? Quid connexionis inter invitationem ad orandum, & exhortationem ad faciendum, quæ juberentur? Quomodo qui vacare a laudibus suaserat, mox dare operam expiendis mandatis consuluit? Occurrit dubitationi S. Augustinus inquiens, non fuisse ita abreptum a fervore Spiritus Sancti Davidem, ut imprudenter verba effutiret; sed valde consequenter potius locutum, quando primum ita inclamavit Angelicos spiritus, *Benedicite Domino omnes Angeli ejus*, statimque subjunxit, *facite verbum illius*. Hoccine vero fit benedicere Domino, facere verbum illius? Isne laudet, & oret Deum, qui operatus quæ illi grata putat, & jussa illius exequitur? Imo vero, inquit Augustinus: Si vis benedicere Dominum, fac verbum ejus voluntatem ejus.

si vis vacare orationi, quæ Dei pergrata sit oculis, sepone orationem, intermitte contemplationem, cessa tantisper ab ipsius laudibus, quando aliæ status sui occupationes necessariæ alio te vocant, quando ex officio tuo facere aliud teneris, cui dum operam navas diligentem, acceptissimam Deo laudem offers. Optimum genus orandi est, Deum pro Deo relinquere, quod cum facis, devotissimum illi obsequium, & cultum religiosissimum offers: Si vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, voluntatem ejus.

XXVIII. Accipiamus hanc a cælesti Magistro doctrinam. Attentissimam ille, ardentissimamque in horto Gethsemani ad Patrem suum æternum fundebat orationem, inquiens: *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste*. Matth. 26. 39. At si non ita expedit, fiat tua per omnia voluntas, cui subjectissime obtemperare sum paratus. Habebat tunc apud se tres charissimos Apostolos, & monet S. Matthæus, quod intermissa ad tempus oratione venit illos invisum, invenitque somno oppressos, & objurgavit unum, maxime Petrum, qui tantam constantiæ firmitudinem tam jactanter pollicitus esset, & nec ad horulam cum Domino suo pro communi salute vigilante, & tribunal Patria sui appellante vigilare potuisset, postquam in mortem cum illo velle ire spopondisset. Matth. ib. v. 40. sic ait: *Venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes*. Recepit se denuo ad orationem anxie afflictus Dominus, sive, ut illud ib. v. 42. habet: iterum secundo abiit, & oravit. Aliquandiu precatus, etiam hanc tantisper seposuit orationem, & venit iterum solicitus Magister ad somniculosos discipulos. Confugit etiam tertio ad orationem, & tertio inde ad gregem suum impiger, ac pervigil pastor recurrit. Sed quid est, quod, cum Patre æterno Filius ejus coæternus loquens, toties ab illo recessit, ut abiret ad Discipulos? Siccine Creatorem reliquit, ut creaturas visitaret? Parum urbane factum videtur, quod susceptum cum tali Patre colloquium, iterum, atque iterum interrupit, ab illo ad tales creaturas secessit. Respondet Simon de Cassia, inquiens, magno consilio hoc fecisse Dominum & Magistrum, ut nobis inculcaret doctrinam, quam hic versamus, crebroque illo accessu ad orationem, & recessu ad Discipulos nos doceret, propter majorem quamdam necessitatem nonnumquam intermittendam orationem, & seponendas preces, quando res postulat, ut vel dormientem excitemus, vel negligentem stimulemus. Bona enim oratio fuerit, & qualis illa Christi, si orationem deferas, ut objurges somnum aliquorum Discipulorum, & socordiam Apostolorum corrigas, & castiges, qui tunc vigilare, & infervire suo Magistro, & insomnes illum sequi deberent. Simonis de Cassia verba lib. 3. in Evang. talia sunt: Nullo responso suscepto, interpolavit orare per modicum, reversus tamen ad piam, & utilem actionem, nam venit confortaturus Discipulos. Oportet si quidem orationem intermittere pro utilitatibus proximorum, maxime ubi bella spiritualia timentur, & discretionis insignis est virtus, actum virtutis præ alio

alio actu virtutis intermittere. Quod orationem Dominus intermisit, hoc fecit, ut alteri operi pietatis, hoc est, Discipulorum exhortationi, emendationi, corroborationi studeret. Convenit enim aliquando seponere orationem, quando aliorum salus curam, opemque nostram efflagitat; in primis cum anima cujuspiam periculo proxima per nos sospitari potest, tunc enim rem magis gratam Deo feceris, si illo etiam relicto, ad avertendum a periclitabundo exitium te converteris. Magnæ enim prudentiæ est, minus lucrum deserere, & majorem quæstum consectari. Omnibus ergo danda opera, & orationi præ omnibus, nisi quando gravior necessitas, & debita officii, vel status proprii officia nos ab ea alio vocant. Discretionis insignis est virtus, actum virtutis pro alio actu virtutis intermittere.

Dignitas.

XXIX. Videns cælestis Præcursor propius ad se accedere Solem, cujus ipse aurora erat, plenus gaudio, & lætitia, succlamabat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*. Joan. 1. 29. Non exiguam difficultatem habet statuere, de quo peccato S. Joannes loquatur. Nam cum in mundo tot sint peccata, quæ auferri debeant, tot maculæ, quæ postulent eradi, nimis parce de Agno Dei locutus Joannes videtur, cum de illo ait, quod tollit peccatum mundi, in quo affluentissima est scelerum colluvies, quæ exhauriri petat, & aboleri. Sed quoniam de uno tantum per Agnum Dei auferendo peccato loquitur, qualenam illud esse, dicemus? Magnus Bulgarorum Archiepiscopus Theophylactus in capit. 1. Joan. de hac re sic ait: Fortassis autem, quia inobediens fuit homo Deo, & in varias affectiones incidit, peccatum mundi inobedientia fuit, quam e medio abstulit Dominus, factus obediens usque ad mortem, & contrarium contrario sanans. Nonne videtis unam inobedientiam a S. Joanne vocari peccatum mundi? Tale autem hoc videtur, quale si dixisset, præter inobedientiam nullum esse vitium in mundo, nec virtutem aliquam præter obedientiam. Cum quis est inobediens, illum omnibus contaminatum esse flagitiis, præsupponere possumus. In solo inobedientiæ peccato peccata omnia videntur inclusa; unde & Joannes, cum indicare vellet, quod Christus auferret omnia peccata, ait, tollere inobedientiam: *Ecce qui tollit peccata mundi*. Ergo e contrario de illo, qui est vere obediens, affirmare, ut videtur, possumus, omnibus ornatum esse gratiis, & virtutibus. De obediente namque omnia bona credere, & cogitare, quidquid de integerrimo & sanctissimo possumus.

Idem in vita Abraham l. 1. c. 1.

XXX. Non inepta videtur ratio jam dicta, ob quam unicum Sacrificium, quo Abraham filium suum offerre volebat, multorum nomine est donatum, cum ille ait: *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est offerens Isaac filium super altare?* Sed ut sententiæ eruditi illius, quem dixi, Interpretis inhæream, dico, obedientiam Abrahæ fuisse appellatam multa opera, ad indicandum etiam, quam sublimis, quam excellens, quam Deo grata sit obedientiæ virtus, ut in qua virtutes omnes videantur inclusæ. Cujus dubii (nempe cur de una obedientia, tamquam de multis operibus locutus sit Sanctus Jacobus) solutio in eo videtur consistere, quod obedientia perfecta multiplex est, & instar multorum actuum apud Deum reputatur. Nescio, quid habeat illa tam accepta Dei oculis, & heroicæ obedientiæ virtus, ut qui unam illam possidet, multis affluere videatur virtutibus, totumque confecisse perfectionis curriculum, qui illa sola perfecte est excultus.

Ibid. l. 1. c. 2.

XXXI. S. Joannes Chrysostomus homil. 1. de laudibus S. Pauli quærit tale quippiam: Quid in Angelis magnificum prædicamus? A quo illos commendare amplissime, & extollere plurimum possumus? Ut respondeat quæsito, jubet nos sacer Doctor ad Regem cantorem pergere, ut qui hanc facile diluat dubitationem. Ille de Angelis sic ait: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonem ejus.* Ps. 102. 20. Ecce promptam Prophetæ responsionem, inquit Chrysostomus, cum plurima essent, a quibus prædicare beatos illos spiritus posset; postquam generatim dixisset, esse illos potentes virtute, omnibus gratiis cumulatos, cunctis prærogativis ornatos, & perfectionibus insignes, mox ad obedientiam eorum speciatim efferendam convertebatur, inquiens: Facientes verbum illius. Ut enim probes, quam virtutibus omnibus circumfluere, & sanctum esse, & omnium gratiarum cimeliarchium, & omnibus spiritualis perfectionis ornamentis insigniter excultum, unus testis sufficere, idque solum satis esse videtur, quod esse vere obedientem dicas, quod ubi persuaseris, nihil ad absolutissimam sanctitatem, consummatissimamque virtutem deesse. Quid ergo in Angelis magnificum prædicamus? Profecto, quia cum omni cura obediunt Deo. Hoc maxime in illis commendamus, quod tam expediti prosiliunt, tam celeres advolant ad omnia, quæcumque Dominus imperat, quod David quoque admirando dicebat: *Potentes virtute, facientes verbum illius*. Huic enim bono æquale est nihil, prorsus etiamsi sint millies incorporei: hoc est enim, quod maxime præstat esse beatos, quia obediunt præceptis Dei. De quo nobis persuasum habemus, quod sit perfectus obediens, si eumdem omni sanctitate, & perfectione ornatum credamus, nihil temere egerimus, extraque omne præcipitis judicii, aut erroneæ sententiæ periculum erimus.

Ibid.

XXXII. Ad hoc propositum spectat illa Theophylacti observatio, quod in Evangeliis, cum Princeps Apostolorum de suo nomine Simon appellatur, illud plerumque nomen adjungitur, quo illum Christus donavit, quando Petrum vocavit Matth. 10. v. 2. in recensione Apostolorum, primus *Simon, qui dicitur Petrus*. Iterum Matth. 16. 16. *Respondens Simon Petrus dixit*. Luc. 5. 8. *cum videret Simon Petrus*. Joan. 6. 8. *Andreas frater Simonis Pe-*

Ibid.

Petri; & ibidem verf. 69. *Refpondit ei Simon Petrus*; & apud eumdem Joannem alibi fæpe. Cur tantæ curæ fuit Evangeliftis, ut hæc duo nomina conjungerent? Simon (quod alibi quoque diximus) idem eft, quod obediens, & Petri nomen a Petra, quæ firmitatis fymbolum eft, venit. Quod ergo obedientia cum petra copulatur, perinde eft, ac fi dicatur, obedientiam effe lapidem fundamentalem, cui virtutes aliæ omnes innitantur; nam ut quempiam firmiter inhærere virtutibus eredas, firmiter illud folum facere poteft, fi verum, perfectumque obedientem effe fcias. Qui habet obedientiam ipfe Petrus efficitur, per obedientiam proficiens, ut firmetur in bono, inquit Theophylactus in cap. 1. Joann.

Ibid. XXXIII. Cum extollere virtutem alicujus volumus, dicere folemus: *io trocara mi alma por la fuya*, hoc eft, cum ipfius anima meam commutarem. Nam ut homines oderunt jacturam in fuis permutationibus, & anima valde pretiofum monile eft, fic numquam fuam eum alia permutare vellent, nifi lucrum alterius multo fanctioris, & opulentioris ex mutatione fperarent. Interrogemus nunc S. Ignatium Martyrem, quam ille animam pro fua arriperet, fi deligendi optio, & commutandi facultas concederetur. Refpondet ille Epift. 11. Tom. 3. Bibliothec. Vet. PP. Meam animam cum animabus eorum, qui Epifcopo parent, libens commutavero, facit Deus, ut cum illis mihi portio contingat a Deo. Ex toto ergo facrofancto pulcherrimarum virtutum choro nulla inclyti Martyris ad fe oculos rapuit, nifi obedientia; Neque cum alio animæ fuæ commutationem feciffet, nifi cum eo, quem obedientiæ perftudiofum & obfervantem fciviffet. Maximæ dignitatis, & incomparabilis pretii eft obedientia, quæ fola pretium virtutum cunctarum includere videtur. Qui ergo perfecte obediens fuerit, hunc ftatim, ut videtur, virtutibus divitem, & prorfus fanctum cenfere poffumus, & habere.

S. Vincen. Ferr. ferm. 4. in Dom. 2. post Epiph. XXXIV. S. Vincentius Ferrerius de illo, quod Beatiffima Virgo miniftris Nuptiarum in Cana Galilcæ dedit, monito tractans; ita difeuerit: Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciendum, quod inter omnia opera, & utiliora, quæ poffumus facera pro falute noftra, principalius & majus eft, obedire mandatis Dei. Quam ob eaufam Patres antiqui, vero ditati fpiritu, virtutem obedientiæ nulli non præferebant operi bono. Prout in hæc verba fcriptum reliquit Caffianus: Non folum operi manuum, feu lectioni, vel filentio, & quieti cellæ, verum etiam eunctis virtutibus ita præferunt, ut huic judicent omnia poftponenda, & univerfa difpendia fubire contenti fint, dummodo hoc bonum in ullo violaffe videantur.

Gen. 24. v. 22. XXXV. Acceptiffimus Abrahæ fervus Eliezer ab eodem domino fuo, ut dignam Ifaac filio fuo fponfam adduceret, ablegatus fuerat: De hac autem fponfa per fingularia divinæ providentiæ indicia certificatus, eamque, præfentem nactus pretiofas indilate eidem donavit inaures dicente fcriptura: *Protulis inaures aureas & armillas*. Circa quod factum non vulgaris moveri poteft difficultas; cum enim fervus ille ædes domini fui egreffus fuerit ex omnibus bonis ejus portans fecum; Cur obfecro fola monilium, & inaurium iftarum fit mentio? Myfterium revelat S. Ambrofius dicens: Veniebat jam cæleftibus dotata Myfteriis, veniebat magna fecum ornamenta & aurium, & manuum ferens, eo quod auditu & operibus emineat Ecclefiæ pulchritudo. Rebecca enim Ecclefiam præfigurabat, quæ, ut digna Chrifti fponfa effe poffit, inter omnes alias virtutes, primo omnium loco exactam quamdam profiteri debet obedientiam. In auris aurea, & margaritum fulgens, inquit Sapiens, qui arguit fapientem, & aurum obedientem; ficut enim gemmæ animam exornantes funt virtutes Chriftianæ, ita tefte S. Ambrofio: omnium virtutum fundamentum, & cæleftium obedientia mandatorum. *S. Ambr. l. de Isaac c. 1.*

XXXVI. Dicere quoque poffumus, Filium Dei, licet in utero virginali opera Spiritus Sancti fuerit conceptus, nihilominus verum quemdam obedientiæ extitiffe partum. Enim vero Jacob Patriarcha gregem fuum multiplicare fatagens, maxime quoad illum, qui ad fe fpectabat, fequentem obfervaffe legitur fagacem id faciendi modum: *Tollens virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas, detractifque corticibus, in his, quæ fpoliata fuerant, candor apparuit: illa vero, quæ integra fuerant, viridia permanferunt, atque in hunc modum color effectus eft varius. Pofuit eas in canalibus, ubi effundebatur aqua; ut cum veniffent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in afpectu earum conciperent, factumque eft, ut in ipfo calore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculofa, & varia & diverfo colore refperfa*. Porro de Incarnatione Verbi olim in hæc verba prophetatum fuit: *Egredietur virga de radice Jeffe, & flos de radice ejus afcendet, & requiefcet fuper eum Spiritus Domini*. Virgo igitur concipiendo Filium, oculos fuos, magis vero cor, & mentem fuam, in obedientiam defixam habebat, ac proinde in ipfo actu Incarnationis, in hæc verba prorupit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi fecundum verbum tuum*. Quis igitur mirari poterit eamdem Beatiffimam Virginem verum obedientiæ partum enixam fuiffe? S. Antonius ait: Maria obediente voce Angeli Dei, Filius uterum ejus intravit; Ac proinde S. Auguftinus id ipfum confiderans exclamat dicens: O felix obedientia, quæ cæli in fe opificem corporavit! *Mans. tr. 14. disc. 4. n. 6.*

XXXVII. Regius Pfaltes ait: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupifcet Rex decorem tuum*. Ex hoc autem loquendi modo deducitur, quod pulchritudo animæ alicujus, qua cor cæleftis Sponfi rapitur, potius in auribus confiftat, quam in aliis membris. Audi, inclina aurem tuam, & concupifcet decorem tuum. Ut fcias, inquit D. Chryfoftomus, eum non loqui de pulchritudine corporis, eam dicit conftitui ex ejus obedientia. Audis enim fignificat, quod obedi. Subdit vero idem Chryfoftomus: Obedientia non conftituit pulchritudinem corporis, fed animæ. *S. Chrys. in Ps. 44. v. 12.*

XXXVIII.

Mansi ibi disc. 6, n. 7.

XXXVIII. Inter omnes Adami posteros unicus tantum dignus fuit, qui cruci Redemptoris ad montem Calvarium ascendentis humeros suos submitteret. At vero numquid is timere poterat, divioum illum Atlantem, qui tribus dumtaxat digitis totum sustinet Mundum, onus illud crucis, quantumvis grave regere nequaquam solum posse? Omnia in figura contingebant. At vero quem putatis hanc Christo exhibuisse benevolentiam, ut crucem portare juvaret? Quisnam sublimi hoc dignus factus est hooore? Num forte S. Petrus? aut vero Princeps Synagogæ Nicodemus? vel S. Michael Archangelus? Nullus horum. Sed solum quidam de villa ad civitatem Jerosolymitanam transiens. At vero quibus meritis hunc sibi honorem comparavit? Nullo prorsus quantum ex S. Scriptura colligere licet, hoc solum constat, eum Simonis oomine appellatum fuisse: Simonem quemdam, &c. Simon autem idem est, quod obediens; Et ideo per hoc innuitur, illos vel maxime Deo placere, atque ad portandam crucem ejus habiles & idoneos esse, qui obedientes existunt.

S. Franc. Sales p. 2. l. 2. c. 3. de div. amor.

XXXIX. S. Franciscus Salesius de hac materia discurrens in libris de amore Dei, sequentem adducit similitudinem: Omoes quasi herbæ, quæ flavos producunt flores, specialiter vero cicoria *sylvestris*, quæ flores cæruleos progignit: ad partem, ubi sol est, semper flectuntur, illiusque sequuntur perpetuo gyrum: At vero Heliotropium, quod solisequum appellare solemus, non solum flores solem versus flectit & inclioat, sed & omnia folia sua ad eumdem, ubicumque est, dirigit, luminareque hoc majus semper & ubique sectatur; Ita pariter viri spirituales florem cordis sui, id est, obedientiam, inclinaot ad ea, quæ ex parte divinæ voluntatis præcepta sunt, imo animæ ipsorum sancto quodam amore succensæ, non solom divinam voluntatem hanc respiciunt per obedieotiam præceptorum, verum etiam per omnimodam affectus sui unionem, divini hujus Solis cursum sequuntur in omnibus præceptis, consiliis, iospirationibus, sine ulla prorsus exceptione aut differentia adeo ut cum Psalmista dicere possint: *Tenuisti, Domine, manum dexteram, meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*

S. Greg. l. 35. mor. c. 20.

XL. Subditi Prophetæ Job aliquando ad ipsum convenientes, auream illi obtulere ioaurem, & oviculam, dicente Scriptura: *Dederunt ei unusquisque ovem unam, & inaurem auream unam.* Quæ munera merito quisque obstupescat. Quæ enim inter ovem, & inaurem viget unio? Mysterium nobis patefacit S. Gregorius, dum inquit: Notaodum vero est, quod hoc loco cum inaure ovis, cum ove inauris offertur, quia nimirum innocuis mentibus ornamentum semper obedientiæ jungitur, Domino attestante, qui ait: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Beato igitur Job nemo inaurem sine ove, nemo ovem sine inaure obtulit, quia profecto Redemptori suo non obedit, quia innocens non est, & innocens esse non potest, qui obedire contemnit.

S. Bon. in Diet. sal. tit. 8. c. 2.

XLI. Quamnam existimas esse rationem, cur Salvator noster Petrum præ cunctis Apostolis elegit, cui consignaret claves regni cælorum. *Tibi dabo claves regni cælorum?* cur non illa S. Andreæ assignavit? qui primus se ejus sequelæ adjunxit? aut vero S. Joanni dilecto Discipulo suo? Respondet S. Bonaventura: Christus dedit Simoni, qui ioterpretatur obediens, claves Regni cælorum? obedientia enim est clavis aperiens cælum.

Did. Nys. in vit. Abrah. l. 1. c. 3.

XLII. Duodennis Filius Dei, postquam in templo a Pareotibus inventus fuit, descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Luc. 2. 51. Abiit ergo cum vera Matre sua Maria, & putativo Patre Joseph Redemptor Muodi, omnisque illius occupatio erat vivere ex illorum voluntate, & arbitrio, & erat subditus illis. Beatissimus Papa S. Gregorius in catena aurea Doctoris Angelici in Evangelistæ verba sic differit: Totam intermediam Christi vitam, quæ est inter ostensionem ætatis, & tempus Baptismatis, velut immunem alicujus famuli, & publici miraculi, & doctrinæ, Evangelista sub uno verbo colligit dicens: Et erat subditus illis. Cum vero Dominus interea plurima egerit digna memoratu, cur sacer Historicus eorum narrationem prætermisit? Non omoino prætermisit, sed mystico compendio usus, plurima paucis complexus est, cum ait: Et erat subditus illis; quod perinde fuit, ac si dixisset: sub uno verbo omoia, quæcumque de nostro Redemptore dici possunt, collegi, eum subditum fuisse affirmavi. Nam qui alium a prompta, perfectaque obedientia commendavit, omnia dixit, quæcumque dici possunt, ut omnibus aliis affluere virtutibus credatur.

Ibid.

XLIII. Venit quondam fugitivus David in Nobe ad Abimelec Sacerdotem, qui simul ac illum vidit, admirabundus ait: *Quid ego te ita solum, incomitatumque video? Rex præcepit mihi sermonem,* 1. Reg. 21. 2. *negotiumque commisit, quod ut est admodum grave, ita vult esse tectum & secretum; Illud vero te scire velim, quod valde famelicus huc venio, quare si vel quinque panes, vel aliud quidpiam esculentorum in promptu habes, necessitati meæ fac subvenias. Respondit Sacerdos, nihil ad manum se habere, nisi panes sanctos, quos dare non possit, nisi eorum, qui sumpturi illum erant, puritatem ante examinasset. Itaque ajebat: Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus?* Ibid. vers. 4. Abulensis sciscitatur: Quamobrem Abimelech Sacerdos dederit David panes propositionis sanctos, cum facile posset illum alio mittere, ubi profanos, ad levandam suam esuriem proficiendamque reliquam viam, acciperet panes? Respoodet q. 8. in 1. Reg. cap. 21. vidit ejus magnam velocitatem ex mandato Regis, ideo non misit ad aliam domum pro pane, sed credidit observationem præcepti regalis sufficientem esse causam ad hoc, quod posset dare David de cibis sanctificatis.

Jucunditas.

Mansi tr. 36. dis. 24.

XLIV. Jacob Patriarcha deserta domo paterna in Mesopotamiam se contulit, ad locum,

ubi

ubi omnis exularat timor Dei, imo ubi Idolis facrificabatur; Et ut paucis abfolvam domum fubiit perfidi Laban; fed dum hæc omnia ex materno dumtaxat imperio, præceptoque aggreffus eft, Deo protegente, perque hoc ipfum obedientiæ fecuritatem nobis indigitante, omne corporis animæque declinavit periculum; Quin & prima nocte difceffus fui Angelos habuit cuftodes, fibique obfequentes, quos per fcalam afcendere, & defcendere vidit. Redeunti pariter occurrerunt Angeli, dicente Scriptura: *Fuerunt ei obviam Angeli Dei*. Quam prærogativam Rupertus Abbas promptiffimæ ejus obedientiæ incunctanter adfcribit, inquiens: Jacob poftquam præceptum matris peregit, revertenti obviam fuerunt Angeli Dei, ut fciamus, quia poft obedientiæ laborem cuique viro fideli fupereft, fupernis illum revelationibus glorificari, & cæleftium fpirituum crebra vifione etiam in hac vita remunerari. Quemadmodum in jamjam memorato vidimus Patriarcha, cujus univerfam felicitatem ejufdem obedientiæ etiam attribuit Porrecta, quando illis Rebeccæ verbis (in me fit ifta maledictio) fequens adjicit commentarium: Hic habes, quod nulla via pro falute noftra fecurior eft, quam obedientia.

Author. imper. op. hom. 3. XLV. Auctor operis imperfecti illud in Chrifti Genealogia expreffum vocabulum, Obed, interpres idem fignificare ait, quod fubditus; Quo fuppofito commentario, ita difcurrit ad præfens intentum: Ifte autem Obed, qui fubditus dicebatur, quid genuit? Jeffe, id eft, refrigerium, Jeffe enim in latino refrigerium appellatur, nam vere quicumque fubditus eft Deo, & parentibus fuis, tales filios generat, Deo præftante, a quibus refrigeretur. Quia nimirum, ut Bellovacenfis in fpeculo fuo morali fcriptum reliquit: Sane divina voluntas eft multum delectabilis in corde devoto, ficut dicit Auguftinus: Mihi adhærere Deo bonum eft &c. & alibi: Cum tibi adhæfero ex omni re, numquam mihi labor, numquam dolor, fed vita mea tota vivet in te, tota plena te. Talis adhæfio facit hominem pacificum, imperturbabilem, & quietum, & in præfenti quafi Deum facit. Luc. 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Th. Kem. in conc. de Samar. mul. XLVI. Venientibus de Civitate Difcipulis, cum ad manducandum hortarentur Jefum, ipfe obedientiæ panem, qui animam Deo fubjectam gratiofiffime pafcit, oftendit, omni corporali cibo effe præferendum. Nec fapidior ullus guftatur cibus, nec pinguior menfa amantis oculis præponitur, quam impletio mandati cæleftis, ficut ipfe obedientiffimus Jefus effatur: *Meus cibus eft, ut faciam voluntatem ejus, qui mifit me.*

§. XV. MISCELLANEA.

Qualitas.

L. 6. rev. c. 111. I. S. Birgittæ a Chrifto dictum eft: Quid times? etiamfi decies comederes in die propter obedientiam, non tibi imputabitur in peccatum. Non virginitas meretur coronam, viduitas appropinquat Deo, fed obedientia omnes introducit in cælum.

II. S. Gregorius naturam obedientiæ defcribens dicebat: Debet obedientia in adverfis ex fuo aliquid habere (magnam animi alacritatem, amoremque parendi) & in profperis ex fuo omnino nihil habere (quia non propter delectationem propriam, fed folam Dei voluntatem admittenda & amanda funt). *S. Greg. lib. 35. mor. c. 13.*

III. S. Hieronymo Monacho cuipiam fuadebat, ut numquam de Majorum fuorum fententia judicet, fed illud a Moyfe dictum fibi applicet: Audi Ifrael, & tace. *Ep. 4. ad Ruftic.*

IV. Lacedæmone legibus cautum erat, ne Juvenibus, qui ad capeffendam rempublicam veniffent, fas effet, de legum æquitate difputare. *Eufeb. Cafar. de præparat. Evang.*

V. Pythagoras Difcipulis fuis vetabat, ne rei quam enunciaffet, rationem exigerent. Quod ipfis adeo fanctum erat, ut hæc vox: *Ipfe dixit*: cunctis filentium imponeret. *Rodriguez p. 1. tr. 5. cap. 5.*

VI. Abbas Neftero in ipfo Religionis ingreffu dicebat: Ego & Afinus unum fumus. Quidquid imponitur, hoc portat, & fine mora. *Vit. PP. l. de humil.*

VII. In Exodo fcriptum eft: Si dixerit fervus: diligo dominum meum, & uxorem, & liberos, non ingrediar liber: offeret eum dominus diis, & applicabitur ad oftium, & poftes, perforabitque aurem ejus fubula, & erit ei fervus in fæculum. Hoc dictum altiori fenfu viri Religiofi eft, cui auris perforanda, ut per obedientiam Majorum præcepta fufcipiat. *Ex. 21. v. 5.*

VIII. Abbas Binufius apud Caffianum fic loquitur: Sed forte dicas: quomodo poteft homo crucem jugiter portare: vel quemadmodum vivens qui poteft effe crucifixus? Audi rationem breviter: Crux noftra, timor Domini eft: ficut ergo crucifixus jam non pro animi fui motu, membra fua quoque movendi vel convertendi habet poteftatem: Ita & nos voluntates noftras ac defideria, non fecundum id, quod nobis fuave eft, ac delectat ad præfens, fed fecundum legem Domini, qua nos illa conftrinxerit, applicare debemus. *Mutreg. to. 2. p. 3. l. 3. c. 5 lib. 4. inftit. 38.*

IX. Craffus Mucianus cum in Afia confulatum, & Provinciam obtineret, & pro urbe Levea oppugnanda proceram trabem ad arietem fabricandum afferri juffiffet, Meleathenfium vero Architectus minorem, utpote quam aptiorem fini præfixo cenfebat, mififfet, veftes eidem detrahi, graviterque virgis cædi imperavit. Et ne hoc ulli videretur fævum; omne, inquiebat, imperantis officium corrumpitur atque diffolvitur, fi quis, ad id, quod facere jubetur, non obfequio debito, fed confilio non defiderato refpondeat. *Gell. l. 1. noct. Att. c. 13.*

X. In Monafterio Villa Comite, Braccarenfis Lufitaniæ oppido, cum Abbatiffa eligenda effet, & ambitiofæ aliquæ, ut in fe calculi conferrentur, Sorori fimplici in culina occupatæ fua fuffragia conferrent, plures in eam calculi confpirarunt, & Abbatiffa hæc Soror electa eft a nolentibus: fua fpe delufæ forores illæ parere ei nolebant: nec pro more in *Bibliot. prop. Ho... vera E de elect.*

in capitulo ei obsequium præstituræ. Tum illa spiritu commota, magno fervore: *Quandoquidem*, inquit, *vos mihi obedire recusastis viventes, ac me pro legitima agnoscere, vos, quæ hic dormitis mortuæ surgite, & uti deceat obedire, hat, docete.* Ecce repente prodeunt e suis *loculis moniales septem ibidem sepultæ, genuflexæ*, dimissis capitibus obedientiam, & reverentiam, ut veræ Abbatissæ exhibuerunt, nec recesserunt, donec ipsa, quæ vocavit, jussit ad sepulchra redire. Tunc se cæteræ illi submisere.

Raderus p. 2. virid. XI. Cum mulier prostituta in concione audisset de Inferorum suppliciis dici, tacta scelerum dolore, interpellato Sacerdote, quærit, quibus modis expiari possint noxæ earum, quæ cum sacris hominibus consueverunt. Tum Sacerdos animadversa fœminæ simplicitate, per jocum ait: Si in medium se flammantis camini iocendium immiserit; at illa serio hæc dici rata, capta occasione in accensos fornacium ignes se dedit, & exusta aoimam cælo transmisit; quod vicini ex eo cognovere, quod alitem ex igne candicantem egressam videre cælum petere. Recluso loco exanime corpus extraxere, & iocerti rerum, quasi nocentem, ut se ipsam peremisset desperabunda, exclusam communi Christianorum Cœmeterio in profano campo abjecere, terraque obruere. Sed Deo placuisse eam simplicitatem cælestibus signis, & flammulis circa tumulum jacentis velut stellis eminentibus ostendit.

Biblioth. paup. tit. O de observ. præcepti Dei. XII. S. Franciscus fratrem refractarium jussit detractis vestibus, vivum humi defodi in altam foveam a fratribus, quod fecerunt mentotenus. Tunc Franciscus eum allocutus: *Et ne mortuus frater?* quo humiliter respondente: *Ita Frater; vel saltem propter meum peccatum mori debueram.* Tunc jussit illum iterum erui, dicens: *Surge, & si vere mortuus es, obedito Prælati ad nutum.* Sicut homo mortuus in nullo potuit repugnare.

Utilitas.

Drexel. in rest. p. 2. c. 13. §. 2. XIII. Theopompus interrogatus, quæ disciplina potissimum exerceretur Spartæ? peritia, ioquit, jubendi, & obediendi. Cumque aliquis diceret, omnem Spartaoorum salutem in eo consistere, quod Reges ad imperandum haberent, non sola hæc causa est, inquit, sed quod cives obedire norint.

Vid. PP. l. 11. de observ. XIV. Dixit S. Syncletica: ideo in congregatione cuilibet conversanti magis obedientiam, quam continentiam proponimus, quoniam continentiam arrogantiam habet, obedientia autem humilitatem congruam pollicetur.

Rodriq. p. 1. tr. 5. cap. 8. XV. B. Gertrudis de Aotistitis suæ asperitate conquesta apud Deum, desistere jussa est, eo quod sibi, & Antistiti maxime consuleretur. Eidem pro defectu cujusdam Personæ oranti dixit apparens Deus: Ejus ex abundantia pietatis dulcedinis, & dilectionis meæ divinæ, qua congregationem hanc elegi, permitto inhærere aliquos defectus etiam illis, qui præsunt, ut inde meritum congregationis augeatur. Nam multo majoris virtutis est subjici ei, cujus defectus cognoscitur, quam alteri, cujus opera per omnia probata videntur. Ego sino Superiores habere aliquos defectus, & ex diversitate curarum quandoque maculati, ut magis humilientur. Subditorum meritum crescit tam ex defectibus, quam profectibus earum, quæ præsunt, & similiter meritum illarum, quæ bene præsuot, crescit tam ex profectibus, quam ex defectibus subditorum.

XVI. B. Catharina Bononiensis dicebat: Obedientia magis sine dubio est meritoria, quam nulla pœnitentia, quæ fieri potest. Si enim Abraham fuit justificatus, & tantopere placuit, quia Deo solum obedivit, quanto magis justificabitur creatura, quæ pro amore Dei se submittit ad obedientiam servo ipsius Dei? Eadem dicit: Quis dubitare potest de sua salute, si vitam finiat in obedieotia, quæ suo Domino similiorem facit, quam ulla alia virtus? Itaque qui vult erigere bonum ædificium, accipiat illam pro suo fundamento, & credat firmiter, se melius salvandum per illam, quam per ullam pœnitentiam, jejunium, & quamvis cootemplationem. *In libro a se scripto jubente Deo. §. 7. de armat.*

XVII. S. Philippus Nerius dicebat, Sanctitatem in tribus digitis sitam esse, quod pronuncians frontem tangebat, addebatque totum esse situm in abnegatione rationalis facultatis. *Lancis. op. 1. fol. 639.*

XVIII. Testatur Climacus, vidisse se in quodam monasterio senes canitie, orisque habitu venerabiles ioftar puerorum agiles, & ad minimum Superioris nutum promptissimos, quorum nonnulli totos quinquaginta annos sub obedientiæ signis meruisseot. Eosdem rogatos, ecquid solatii, aut quod præmium tam diuturnæ obedieotiæ tulissent? alios respondisse, se ad ipsum humilitatis fundum descendisse, ubi jam extra inimici tela securi agerent; alios id se commodi consecutos, ut jam quaslibet injurias, ignominiasque riderent. *Grad. 4. de obed.*

XIX. Joannes Avila, Jacobo Gusmano, & Caspari Loarti inter reliqua monita etiam hoc dabat: Nihil commoveat vos qua tandem in re opera vestra adhibeatur: Etenim cum ex conservatione, & iocrementis hujus familiæ (Societatis) magnopere pendeat utilitas animarum, quidquid ei conservandæ ac promovendæ conducit, vel ipsum lances, patinasque purgare, id demum est animas convertere, & summa voluntate est peragendum. Cogitatione igitur a propriis ac cæteris abducta operibus id curate dumtaxat, ut parcatis, quandoque vobis præcipitur, non tam propter ipsam rem agatis, quam quia præcipitur, permagni æstimantes, quod ejus corporis membra vobis Deus det esse, in quo suæ Majestatis obsequium exhibeatur. *Eyræus in Apophteg. S. Igo. ap. 12. f. 134.*

XX. Abbas Ypericius dicere solebat: Quia ministerium Monachi est obedientia, quam qui possidet, quidquid poposcerit, a Deo impetrabit, & cum fiducia Christo adstabit. Etenim Dominus sic venit ad crucem, factus scilicet obediens usque ad mortem. *Vit. PP. l. 11. de obedien.*

Dignitas.

XXI. Qoidam Frater requisivit senem: Quid faciam Pater, quoniam nulla opera Monachi fa- *Ibid. de perfect. & bum.*

facio; sed in negligentia constitutus comedo, & bibo, & dormio, & de hora in horam transgredior; de cogitatione in cogitationem, & propterea contristor, & deficio? cui senex ait: Tu sede in cella tua, & fac, quod potes, sine perturbatione animi, & confide in Deum; quia qui sedit in cella propter Deum, invenitur in loco illo, ubi est Abbas Antonius.

Jucunditas.

Dialog. cap. 158. XXII. S. Catharina Senensis dicebat, Religionem esse veluti naviculam securam pro recipiendis animabus, quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissime ducat ad portum salutis æternæ.

C. 161. XXIII. Eidem alibi Christus dixit: Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælatus, cui obediit.

Lud. de Pont. t. 3. tr. 4. c. 13. XXV. S. Bernardus dicebat, subditos transire copiosum hujusmodi fluvium, non pedibus vadentes, sicut sæculares, qui ob voluntatem propriam submersionis periculo sunt expositi; neque navi, sicut Prælati, qui cum majori laxitate per quamcumque fluminis partem trajiciunt, sed trajiciunt per pontem, quæ via plana est, & secura custodientes suas regulas & obedientes suis Superioribus.

XXV. Tempore Simonis (qui idem significat ac obediens) dicitur terra Juda quievisse omnibus diebus ejus; idem sperare potest, quisquis obedientiæ sincere studuerit.

§. XVI. AXIOMATA.

I. Felicitatis mater obedientia est.
II. Obediens loquetur victorias.

§. XVII. AUTHORES.

I. Alphonsus Rodriquez p. 3. tr. 5.
II. Theophilus Bernardinus de perseverantia l. 11. & l. 2. c. 12.
III. Bernardinus Rosignolius de disciplina Christ. perf. l. 4. c. 24.
IV. Jeremias Drexelius in Rosis Marianis p. 2. c. 13.
V. Ludovicus de Ponte tom. 3. tr. 6. c. 11. & seq.
VI. Eusebius Nierembergius l. 5. doct. Asc. 47. & seqq. doct. 8.
VII. Franciscus Arias de imit. Christi tom. 3. tr. 3.
VIII. Jacobus Alvarez t. 2. l. 5. p. 3.
IX. Nicolaus Lancizius tom. 1. opusc. 2. cap. 8. & opusc. 5. cap. 2.
X. Dorotheus serm. 1.
XI. Joannes Busæus in Viridario V. Obedientia.
XII. Hugo Rott. p. 1. cap. 7. 5. 4. & part. 2. cap. 19. & serm. 4. & p. 5. cap. 27. serm. 2.
XIII. Lucas Pinellus l. 2. de perf. a c. 20. usque ad fin.
XIV. Joseph. Mans. Biblioth. moralis tr. 54.

TITULUS CIV.

OCULORUM CUSTODIA.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. EST virtus, qua oculos ab omni aspectu non necessario propter Deum continemus. Ex qua definitione patet, eam ad mortificationem velut speciem partialem pertinere.

Divisio.

II. Dividi potest in custodiam *necessariam*, & *spontaneam*: Prior est, qua oculos ab aspectu illicito, seu divina lege prohibito cohibemus: Posterior est, qua eosdem a licitorum objectorum intuitione continemus.

Actus.

S. Ambr. ep. Lencic. opusc. 1. cap. 4. n. 61. III. *Oculos cohibere ab aspectu partium corporis, quas pudor vetat, in quovis sexu & ætate.* Spectare enim, si quid hujusmodi fortuito accidat, quanti horroris est? quod ergo in aliis displicet, numquid in seipso placere potest? inquit recte S. Ambros. Ideo Demetrius Phalerius monebat inter alia adolescentes, ut in solitudine seipsos revererentur, juxta quemadmodum P. Balthassar Alvarez e Societate Jesu faciebat, qui valde cautus erat, ne inter surgendum aut vestes exuendas ullam corporis partem nudam aspiceret.

Theodor. in Hist. Sacra in Eus. 4. IV. *Tempore orationis, aut aliarum functionum spiritualium ab omni non necessario aspectu oculos continere;* certe Eusebius ob unicam oculorum in operarios proximo in agro laborantes sub auditione legis Evangelicæ factam emissionem, ita se punivit, ut per quadraginta, quibus supervixit, annos, nec in cælum, nec astra oculos attolleret, sed semper injecto in collum collari ferreo inclinatus incederet.

Eccl. 9. vers. 5. V. *Ab omni fœminarum aspectu sedulo abstinere*, juxta monitum Sapientis: Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore illius; nam facies mulieris, teste B. Macario, sagitta est truculenta, vulnus infligens in animam. Et, ut S. Chrysostomus ait, animum ferit & commovet non impudicæ tantum, sed pudicæ quoque mulieris oculus. Imo S. Augustinus dicere ausus est, Basilisci aspectum tolerabiliorem esse cantu, & aspectu fœminæ, eo quod ille suo aspectu corpus, hæc vero animam occidat.
S. Macar. in ep. ad Monach. S. Chrys. lib. 6. de Sacerd. cap. 8.

S. Prosp. lib. 2. de promiss. cap. 12. S. Hier. in cap. 1. Thren. VI. *Etiam a puerorum formosiorum aspectu sese studiose cohibere*; nam aspectus formosorum, teste S. Prospero, est adeo potens, ut ferrum virtutemque emolliat. Et, ut S. Hieronymus ait, semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Hinc B. Virgo S. Birgittæ dixit, inter

inter res deteſtandas etiam hoc eſſe, ſi quis concupiſcat videre facies pulchras; quia videlicet, ut S. Baſilius dixit, oculi ſunt incorporeæ manus. Hinc etiam B. Iſaac Syrus dicebat: a fiducia juvenum, & allocutione, ſicut ab amicitia Diaboli abſtinendum. Certe non fruſtra cupidines pinguntur ſagittarii, quia nimirum pulchri etiam a longinquo vulnerant, ut Socrates teſtatur, quod uſque adeo verum eſſe cenſuit Ariſtoteles, ut quæſitus, cur pulchri homines amarentur? ſtultam hanc eſſe quæſtionem reſponderit. *Lib. 2. revel. c. 23.*

VII. *A ſplendido, & ornato veſtitu oculos avertere:* nam, ut Tertullianus ait, in omni ſpectaculo nullum majus ſcandalum occurrit, quam ille ipſe virorum, & mulierum accuratior cultus; quem proin merito alibi, fictam & elaboratam libidinem vocat. *Tertull. de Spect. c. 21.*

VIII. *Ab imaginibus nudis, vel lectione librorum non ſatis honeſtorum oculos cohibere:* nam, etſi fieri poſſit, ut, qui videt talia, fortiter ſe gerat; verumtamen ne cadat, cavendum eſt: fieri enim poteſt, qui viderit, concupiſcat, inquit recte S. Clemens Alexandrinus. *S. Clem. lib. pæda. c. 21.*

IX. *Etiam ab aliis objectis non neceſſariis oculos vertere:* cum præpoſiti tui ſeu Magiſtri, vel amici cujuſdam cellam ingrederis, cave, ne quicquam eorum, quæ ibi fuerint, curioſe ſcruteris, aut intuearis. Quicumque enim impudenter, & curioſe in his ſe geſſerit, habitum, & profeſſionem monaſticam mentitur, & Chriſtum, qui eam inſtituit. Hinc & ipſa B. Virgo Fratri Alphonſo Rodriquez Soc. Jeſu hæc tria monita dedit: Quando incedis per viam, non attollas magis oculos, quam ſit neceſſe ad videndum ubi pedes figas: ad neutrum latus convertas oculos: nec caput attollas, ſicut hodie feciſti, quando vidiſti mulierem. *Ser. 20. Lib. 9. vit. cap. 18.*

X. *Comœdias, ſaltus, larvas, taurorum certamina, & ſimilia, niſi admodum pia ſint, ultro vitare:* nam S. Aug. inter peccata, & occaſiones eorum numerat ſpectaculorum frequentiam; Sed & Romani olim, cum inviolata etiamnum ſtaret morum integritas, theatrum a Cornelio Naſica extructum everti curarunt, exiſtimantes indignam eſſe perpetuo ædificio ſpectaculorum vanitatem. *In Pſal. 219. Vs. Iaterr. l. 20.*

§. II. EX SCRIPTURA.

Qualitas.

Pſ. 118. v. 37. I. AVerte oculos meos ne videant vanitatem.

Job 31. v. 1. II. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

Exod. 20. v. 7. III. Unuſquiſque offenſiones oculorum abjiciet, & in dolis Ægypti nolite polluí.

Prov. 4. v. 25. IV. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.

Eccl. 9. v. 8. V. Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.

Neceſſitas.

VI. Nequius oculo quid creatum eſt? *Eccl. 31. v. 15.*

VII. Oculus meus deprædatus eſt animam meam. *Thren. 3. v. 51.*

VIII. Qui annuit oculo, dabit dolorem. *Prov. 10. v. 10.*

IX. Ne reſpicias mulierem multivolam, ne incidas in laqueos illius. Virginem ne conſpicias, ne ſcandalizeris in decore illius. *Eccl. 9. v. 3.*

X. Infernus, & perditio nunquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles. *Prov. 27. v. 20.*

Utilitas.

XI. Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. *Matth. 5. v. 29.*

XII. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Matth. 6. v. 22.*

Dignitas.

XIII. Qui claudit oculos ſuos, ne videant malum, iſte in excelſis habitabit. Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus. *Iſ. 33. v. 15.*

§. III. EX SS. PATRIBUS, ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

I. NOn eſt reprehendendus aſpectus oculorum, ſed voluntatis negligentia, & effrænata concupiſcentia. Nam oculus propterea factus eſt, ut dum videt creaturas Dei, ipſorum conditor glorificetur. Itaque oculis opus eſt videre; male autem videre a mente eſt, quæ intrinſecus gubernat. *S. Chryſ. ho. 11. in Geneſ.*

II. Oculorum acies non ad omnia paſſim viſibilia pandenda eſt, ne omnem quoque figuram atque formarum ſpeciem ſine examine hauriens ad earum poſtea turbetur imagines. *L. de vera virg.*

III. Si locum, cauſam, & tempus conſiderans, tua vel fratris neceſſitate oculos levas, non ſolum non culpo, ſed plurimum laudo, hoc enim excuſat miſeria, illud commendat miſericordia. Sin alias, non Prophetæ, non Domini, ſed Dinæ, vel Evæ, immo ipſius Satanæ te imitatorem dixerim. *S. Bonav. in 1. par. ſpec.*

IV. Bruta ſpectant, ad quæ nata ſunt; Ad paſtum genita ſunt pecora, itaque pronam deorſumque vergentem formam habent, ut ventrem, & quæ ventri ſubjecta ſunt, videant. Homo vero non ventrem reſpicit, ſed ſuperiora contuetur, caput illi ſublime eſt, ut genus cæleſte ſuſcipiat. Oculi non tendunt in terram, quocirca non vim inferas naturæ tuæ. Terrena ne ſpectes, ſed cæleſtia, ubi Chriſtus eſt. Sic formatus es, & forma tua te monet, ad quem natus ſis finem. Genitus es, ut Deum videas, & contempleris, non ut humi dejecta ferpat vita tua: Idcirco ſapientis oculi in capite ſunt ipſius. Cur autem non ad caput, ſed in capite, nempe ut quæ excelſa ſunt & ſublimia intueantur, & ſpectentur. Qui autem ea non aſpicit, ſed terrena, is oculos humi defixos, ac ſepultos habet. *S. Greg. Nyſſenus orat. 2.*

P. Ilov. spec. mor. l. 2. dist. 2. V. Natura collocavit oculos in summo capite nostro, per quod nobis significatur, quod eos figere debemus in Christo capite nostro. Juxta illud Ps. *Oculi mei semper ad Dominum*; & quod naturam divinam in cælo contemplari debemus, ut ad eam semper dirigamus oculos interiores intentionum nostrarum, & affectionum nostrarum, ut B. Martinus faciebat, qui oculis ac manibus in cælum semper erat intentus. Et B. Stephanus, qui intendens in cælum, vidit gloriam Dei Act. Apostol. 7. & Beatus Joannes, qui per aquilam figuratur, qui intuitus est solem in rota, idest Deum in sua Deitate.

Cornel. a Lap. c. 4. Prov. VI. Oculos tuos, rogo, ut tantum aspiciant recta, idest, coram, sive ante te, ad hoc ut pedes & gressus, nec ubi offendat, vel erret; ad hoc enim dati sunt oculi, ut viam prælustrent, per eamque dirigant iter totius corporis, quare ulterius non sunt jacendi.

Salvian. ap. Mansi tract. 96. dis. 2. n. 2. VII. Perfectæ ac sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab his cautissime etiam minima vitari, ut quam pura est pupilla oculi, tam pura sit Christiani hominis vita; & sicut salva intuitus incolumitate, pulveris labem in se oculus non reciperet; sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.

S. Aug. in Ps. 50. VIII. Audientes salubriter in causa fortes, metiuntur infirmitatem suam, & quod damnat Deus, evitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos. Non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos. Proponunt sibi casum David, & ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre, unde possint cadere: Reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adjungunt, non miscentes se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena mœnia, ad aliena solatia. De longe enim vidit David illam, in qua captus est. Muller longe, libido prope, alibi erat, quod videret; in illo unde caderet.

Tertull. l. de veland. vir. c. 16. IX. Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo, secundum annorum nomina dixerim, vela caput, si mater, propter filios, si soror, propter fratres, si filia, propter patres; omnes in te ætates periclitantur. Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos.

Petrus Cellensis l. 1. ep. 32. X. Quamvis homo in fronte duos habeat oculos; tamen ab uno eos officio disjungere non valet, ut altero cælum, altero terram contueatur; coangustatum est pallium, utrumque operire, imo utrumque operari non valet; sic nisi claufero, ne dicam, nisi eruero oculum, qui me scandalizat, revelata facie gloriam Domini non contemplabor.

Necessitas.

S. Basil. de virg. XI. Non igitur vaga oculorum acies ad omnia passim respicienda visibilia, pandenda est, ne omnem quoque figuram, atque figurarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum postea turbetur imagines.

S. Ephr. de humil. XII. Hæc tria instrumenta sunt excolendis virtutibus, ac cælesti puritati perquam accommoda; Temperantia ventris, moderatio linguæ, & oculorum frænum: Si ergo duo servaveris, oculos vero non custodiveris, sed distrabantur, firmam castitatem tenere nequis; quemadmodum enim aquæductus confractus perdit aquas; ita & oculorum distractio mentem castam distruxit.

Bolan. 12. Jansen. in regul. T. Cæsarea Vir. XIII. Nulla in vobis concupiscentia oculorum cujuscumque viri, diabolo instigante, consurgat: Nec dicatis, vos animos habere pudicos, si oculos impudicos habeatis, quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Nec putare debet, quæ in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri, cum hæc facit. Videtur omnino, a quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, ut a nemine hominum videatur, quid facit de illo Superinspectore, quem omnino latere non potest?

S. Aug. in reg. XIV. Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in nulla, neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tactu & affectu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuncius; & cum se invicem sibimet, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœminam figit oculum, & ipsius in se ipse dirigit fixum, ab aliis se non videri, dum hoc fecerit; videtur omnino, & a quibus se videri non arbitratur.

Mansi tr. 96. dis. n. 2. XV. Neque enim Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc incaute respiceret, scriptum quippe est: *Vidit mulier &c.* Hinc ergo pensandum est; quanto debemus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui moraliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam modo sub Evæ voce, quæ exterlora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, Propheta dicit: *Oculus meus deprædatus est animam meam*; concupiscendo enim visibilia, invisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem visum perdidis, per oculum corporis pertulit prædam cordis.

Hugo Card. ap. Mansi ibi. 22. n. 2. XVI. Averte oculos meos (quia ipsi me avolare fecerunt: vel ut ex Hebræo legitur: quia ipsi abstulerunt robur meum, quia ipsi me superaverunt) idest, cor. Hoc petit propter multas causas, quæ tales possunt assignari. Prima est, quia ex aspectu vanitatis provocatur concupiscentia. Secunda, quia ex hoc imprimitur turpis machinatio. Tertia, quia ex hoc generatur prava cogitatio: Proverb. 23. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa*. Quarta, quia ex hoc dilaceratur cor, & deprædatur, Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam*. Quinta, quia ex hoc sensus, & ratio amittitur. Dan. 4. *Levavi oculos meos in cælum, sensus meus redditus est mibi*; ergo a contrariis, qui ad va-

vanitates inferiores respicit, amittit sensum. Unde bene dicitur In Ps. 39. *Et non respexit in vanitates, & in insanias falsas.* Sexta est, quia ex hoc nascitur abortivum, idest, bonum propositum extinguitur. Sicut ad litteram contingit, quod, cum mulieres prægnantes aliquid vident, & concupiscunt, si non possint habere faciunt abortivum; sic qui videt vanitates, aliquando perdidit bonum propositum Matt. 42. *Væ prægnantibus &c.* Septima, quia ex hoc propositum malum concipitur. Gen. 3. *Ad aspectum virgarum ex parte decorticatorum oves &c.*

S. Basil. l. de Virg. XVII. Est sane iniquum, & indignum, præterquam quod ad vitium per oculos vehitur, virginem, quam mano contrectare non audent, eam jactu oculorum indifferenter attingere. Quæ igitur non evitabit luminum jactum, quantum in se est, ne manus quidem tactum vitabit; sicut enim cum ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus; ita impossibile est, eum, quem ignis amoris attigerit, ejusmodi tactum innocuum, inviolatumque perferre.

S. Greg. l. 21. moral. c. 2. XVIII. Quisquis per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle, quod nolebat: Princeps quippe anima, dum ante non providet, ne incaute videat, qood concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod videt.

S. Chrys. h. 17. in Matth. XIX. Non generaliter Christus, dum dixit: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. concupiscentiam interimit, sed illam, quæ ax formæ decore concipitur; qui enim studet elegantes facies aspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit.

Sal. t. 6. er. 46. XX. Omne peccatum ex quodam maligno visu oritur, unde superbia non est aliud, quam se cernere per conspicilia, quæ rem spectatam majorem reddunt, quam sit in se ipsa. Avaritia etiam creaturas adhibitis specillis, tamquam pretiosiores res, quam sint, respicit, sicut & invidia, quæ cruciat visa magnitudine alterius; luxuria & ira, quæ lumen rationis perturbant ob insitum affectum. Rursum per contrarium omne bonum nostrum, immo & Angelorum in bona, & recta visione consistit, ut ita videndo vitam habeant, & abundantius habeant.

Cornel. a Lapid. in Eccl. XXI. Magna est vis oculorum, ad cor, & mentem vulnerandum; Species enim visa per oculos transit ad cor, & mentem, illique suam formam, & consequenter amorem vel odium imprimit, quæ species hæret in corde, etiam postquam res visa abierit.

S. Laur. Just. c. 7. de vit. solitar. XXII. O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor! Transmittunt otique effrænati intuitus ad animam corporearum formas rerum atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaque importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi vigorem debilitant, tepefaciunt charitatem, compunctionem minuunt, devotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant, & terreni pulveris insufflatione rationalem caligant obtutum,

S. Ephr. paraen. 13. XXIII. Gravis ac vehemens est proditor oculus vagus, atque distractus. Nam ceteræ aspectiones, atque perturbationes animi recentem habent tentationis ardorem; Bellum autem oculorum, & præsens, & absens dolore affligit animam, prava concupiscentia inflammans mentem. Ex. gr. audivit quis suavem musicorum concentum, & præteriit; postea luctus vocem audivit, & planctus, duleem musicorum concentum depulit. Similiter gustavit quis mel, postea vero aliquid etiam degustavit, acerbissimarom specierum; & acerbitas dulcedinem mellis ex gutture rejecit. Idem odoratus est quis suavissimum aliquid; deinde malum aliquem olfecit odorem, & gravis odor suavitatem odoratus extinxit. Et rursum tetigit quis aquam frigidam, & postea ebullientem attigit, & fervor calidæ frigiditatem aquæ repressit. Cæterum vagi atque distracti oculi bellum, & præsente, & absente materia comburit mentem per concupiscentiam. Quin atiam in somnis corda simplicium imaginationibus illudit. Nam dæmones tentationem in meatem atque cogitationem inducunt, in animo describunt efformantes tentationem in oculis hominis, pro quo, & Propheta obsecrans, dixit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

Hugo de S. Vict. ap. Mansi disp. 19. n. 1. XXIV. Etsi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipsa tamen immunda violatio visu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur; visus inordinatus parit malam cogitationem, cogitatio delectationem, delectatio consensum, consensus operationem, operatio consuetudinem, consuetudo necessitatem, & ita paulatim sic corrumpitur anima, ut jam dicat, se non posse a paccato abstinere.

S. Laur. Justin. de dij. XXV. Quis oculornm, sine prohibitione vane, & curiose conspiscentium, valet humano sermone narrare concupiscentias, quas hauriunt ab exterioribus, & lethaliter transmittunt ad cor? qois tanta pollet providentia, & tantæ custodiæ sui munitus est clypeo, ut a telis concupiscentiarum oculorum liber assistat? ab ipsis anim dominandi amor, indumentorum fastus, morum elatio, divitiarum cupiditas, domorum agrorumqua, & habendi inordinatus procraatur affectus, adultaria, fornicationes, furta, homicidia, vitæ hujus illecebrosus amor, & quamplurima alia vitiorum genera ab his fomeotum accipiunt.

S. Chrys. ho. 22. in Genes. XXVI. Oculi est videre, male autem videre a mente est. Postquam autem hæc negligens asse, & habenas laxare cœperit, quemadmodum auriga nesciens indomitorum aquorum ferociam compescere, & equos eurrum trahentes, & se ipsum in præceps ire facit, sic & voluntas nostra.

S. Euseb. Emissen. hom. 4. XXVII. Quam facile potest in puncto corporis evagari velocitas oculi, tam sollicite præcavenda est irruentis noxa delicti.

S. Aug. s. 71. de temp. XXVIII. Prima adulterii tela sunt oculorum, secunda verborum.

S. Ambr. in Matt. cap. 4. XXIX. Illecebrosa visus transeuntis affectio.

S. Laur. Just. c. 7. de vita solit. XXX. Ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor. Transmittunt utique effrænati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qua-

qualitates imaginum, suaque importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant.

Tertull. op. Lon. dig. op. 2. n. 276. XXXI. Ejusdem libidinis est, videre & videri. Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderint, quam sanctæ virginis, si a viro visa sit.

S. Greg. l. 21. mor. cap. 2. XXXII. Deprimendi sunt oculi quasi raptores ad culpam. Quisquis enim per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiam nolens cadit, atque obligatus, desideriis incipit velle, quod noluit.

S. Clem. Alex. l. 3. pædag. XXXIII. Versatilibus, & tamquam conniventibus oculis intueri, nihil est aliud, quam oculis mœchari. Cum per oculos cupiditas inaat prima pugnæ præludia.

S. Basil. in instit. Virg. XXXIV. Cum haustæ luminibus formæ obtutus passive defixerint, atque in anima mollitæ ceræ instar voluptate conspectæ speciei imagines presserint, quamvis illæ abeant, seorsumque sit, quæ hujusmodi formas impresserit, insignita animo conspecta species, quod suum est, semper operatur, animamque imaginibus ludit.

S. Dorot. doctr. 21. antiv. 2. XXXV. Consuesce non circumferre oculos ad aliena, & vana; hæc enim deperire faciunt omnes labores monasticos.

August. Confess. l. 10. XXXVI. Custodiendi sunt oculi, sunt enim principes ad nocendum in sensibus.

Hieron. XXXVII. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius.

Gregor. Mor. 21. XXXVIII. Non debet intueri, quod non licet concupisci.

Dignitas.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 18. XXXIX. Multum verecundia placet, multum gratiæ conciliat apud Deum. Nonne hæc prætulit Publicanum, & commendavit illum, qui nec oculos audebat ad cælum elevare?

Jucunditas.

Clement. Alexand. Pæd. 3. XL. Pulchra ac bona contemplans oculus cor lætitia afficit, hoc est, qui recte contemplari didicit, lætitia afficitur.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

L. 3. c. 20. §. 7. I. QUid vis videre, quod non licet habere? Transit Mundus, & concupiscentia ejus. Quid potes alibi videre, quod hic non vides? ecce cælum & terra, & omnia elementa, nam ex his omnia sunt facta.

Ibid. II. Quid potes alicubi videre, quod diu potest sub sole permanere: credis te forsitan satiari? sed non poteris pertingere. Si cuncta videres præsentia; quid esset, nisi visio vana? leva oculos tuos ad Deum in excelsis, & ora pro peccatis tuis & negligentiis; dimitte vana vanis.

L. 2. c. 1. §. 4. III. Quid hic circumspicis, cum iste non sit locus tuæ requietionis? in cælestibus deber esse habitatio tua, & sicut in transitu cuncta terrena sunt aspicienda.

L. 3 c. 44. §. 1. IV. Utilius est oculos a rebus displicentibus avertere, & unicuique suum sentire relinquere, quam contentiosis sermonibus deservire.

V. Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere sollicitudines. Quid hoc vel illud ad te? tu me sequere. Quid enim ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic & sic agit, vel loquitur. *L. 3. c. 24. §. 1.*

VI. Beati oculi, qui exterioribus clausi, interioribus autem sunt intenti. *L. 3. c. 3. §. 1.*

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

I. CHristus volens benedicere panem sublevat oculos, quod, teste Vener. Beda, ideo tam specialiter Evangelista commemoravit, ut significaret, eum non fuisse solitum oculos huc aut illuc convertere. *Joan. 6. v. 5.*

II. De B. Virgine sic scribit S. Vincentius Ferr. Depingitur cum majori oculo, quam ore: Et quidem sic proprie depingitur, ad innuendum, quod habebat oculum cordis magnum ad cogitandum, & contemplandum, sed os parvum ad pauca loquendum; patet in imagine sua, quam depinxit B. Lucas, quæ est Romæ. Et paulo post subjungit: Semper habebat suos oculos ad terram, cum gestu sanctitatis, oculis demissis ibat, ideo de ipsa dicit Scriptura: Quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet: Nota, oculi tui columbarum, non dicit Falconum. In vita S. Franciscæ Romanæ legitur, quod B. Virgo se illi in extasi existenti in ea specie spectandam præbuerit, qua visa fuit a tribus Regibus Orientalibus, quando hi cum illa de Incarnatione Unigeniti sui ejusque Nativitate ratiocinabantur, viderunt enim illam oculos suos in divinum suum infantem habere defixos, ex qua oculorum modestia sancti illi Reges supra modum manserunt attoniti, & ædificati. Unde prædicta S. Matrona, postquam ab ecstasi ad se rediit, hanc deduxit consequentiam: Quod si illa, quæ gratia plena, & superplena erat, in præsentia tam illustrium, & nobilium virorum, tantam exhibuit modestiam, & timorem, ut oculos suos a divino conspectu numquam diverterit, quanto igitur magis mulieres fragiles ingenti cum timore stare debent coram viris, cavereque, ne illos aspiciant? Alius quidam author de eadem B. Virgine ita scribit: Numquam oculos elevavit, sicut cæteri homines facere solent, sed semper humi defixos tenuit, nisi Deum oraret. Adeo inter cæteras perfectiones spiritu prophetiæ donata est, ut si forte aliquid illicitum visura esset, illico ejus oculi clauderentur. Quando S. Gabriel Archangelus in Annunciatione ad eam ingressus fuit, inquit S. Lucas: *Turbata est in sermone ejus*; idque quia in specie virili apparuit; Et quidem nec tunc oculos ad eum videndum elevavit; Non enim dicit Evangelista. Turbata est in aspectu, sed in sermone ejus. Unde S. Eucherius ait: Turbata est, non in vultu ejus, sed in sermone ejus, non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat. *S. Vinc. in S. de Nat. Dom.*

III. S. Joannes Baptista, teste S. Hieronymo, *S. Hier. ep. 4. ad Rust.*

mo, S. matrem habuit, Pontificisque filius erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, ut in domo parentum cum periculo viveret castitatis. Vivebat in eremo, & ocolis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Sanctus igitur Joannes Baptista ne quidem ocolos suos in S. Elisabetham matrem suam defigere voluit. Idem S. Doctor in eadem epistola ad Rusticum subjungit: Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreat, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, scias esse tibi in insidiis; quia quanto vilior earum conditio, tanto facilior est ruina.

Vita l. 2. c. 31.

IV. S. Cajetanus Thienæus visum suum non solum circa objecta periculosa refrænavit, & mortificavit; verum etiam circa objecta indifferentia, in quibus difficulter offendiculum aliquod solet occurrere. Etenim in ejus vita hæc verba leguntur: Postquam Carolus V. Imperator Rege, & Tyranno Algierensis devicto Muleassem in ejus locum ibidem dominatorem constituisset, Neapolim adveniens, totius urbis excitavit populum, qui turmatim accurrit, ut Triumphum Cæsaris spectaret. B. Cajetanus ea occasione usus est, ut de se ipso devicto triumphum ageret: Cum enim e fenestra cameræ suæ pompam illam, ad quam spectandam a multis rogatus, & persuasus fuerat, videre posset, nullo modo ad eam videndam moveri potuit; quin potius ad pedes crucifixi cujusdam illo tempore genuflexus in cælestium rerum contemplatione perseveravit. Ad hæc Author vitæ ejusdem Servi Dei in capite sequenti, sequentia verba de eo subnectit: Profunda oculorum B. Cajetani mortificatio omnem prorsus superat æstimationem; siquidem hos sibi eo tantum fine servire volebat, ut grandienti ducatum præberent, Sacrificiis, aliisque sacris orationibus peragendis cooperarentur. Immo per urbem gradiens adeo erat quoad sensus recollectus, ut corpus ejus nihil aliud vitalitatis, quam motum localem habere videretur. Unde Neapolitanis usque in præsentem diem illud natum est proverbium, ut, dum aliquem modestissime in plateis compositum ambulare vident, dicere consueverint: Theatini passu ambulat.

Mans. p. Ex. v. visus.

V. Cum S. Franciscus in quodam domicilio prope Assisium valde stricto cum fratribus suis moram traheret, accidit, ut Romæ coronandus Imperator Otto cum magna pompa illac transiret. At vir sanctus cum secus viam maneret, nec ipse, nec aliquis fratrum saltem aspicere de tugurio voluit, præter unum ex ipsis, cui gloriam hujusmodi modicum duraturam, Imperatori constanter nuntiari præcepit.

Spec. ex. V. ocul. ex. 4.

VI. In vitis patrum sequens refertur exemplum: Sedente aliquando Abbate Sylvano in monte Sina, volens discipulus ejus abire ad quoddam Monasteriom suum, dixit seni: Dimitte aquam, & riga hortum. Ille autem exiens ad dimittendam aquam tegebat faciem suam cuculla sua, tantum ad pedes suos intendens. Contingit autem ipsa hora, ut quidam superveniret ad eum, & videns eum a longe; consideravit, quid faceret, & cum pervenisset ad eum, dixit ei: Dic mihi, Abbas, ut quid tegebas cuculla faciem tuam, & sic adaquabas hortum? & dixit ei senex: Ne viderent oculi mei arbores, & occuparetur mens mea ab opere suo in consideratione earum.

Jo. Rho. l. 7. hist. c. 4. n. 10.

VII. P. Hieronymus Montefiorianus Capucinorum Generalis uni tantum cælo, liberisve campis intuendis oculorum ministerio utebatur, cæterum non fœminam, non virum, non poerum, non jumenta, non feras, non artis aut naturæ admiranda, unquam destinato aut fortuito intuitum tradidit; quin cum illa camporum libertate uteretur, sic vidisse, ut nescio quid sublimius ageret, totusque animo in Deum emicaret, ac levissima illa oculorom veluti eventilatione interiores contemplationis flammas excitaret. In reliqois dubitari poterat, an ullum oculorum usum esse homini necessarium arbitraretur, quibus tam raro uteretur.

Mans. d. c. n. 6.

VIII. M. Joannes Avila severissime & ipse imperavit, nulla oculis ne quidem florum intuendorom data venia; invitanti enim Cordubæ socio, ut amœnissimi, ac floridissimi horti, per quem dejectis luminibus ibat, aspectu frui vellet, posse per eam vernantis naturæ versicolorem hilaritatem, animum in divina subrigere, immotus, ac severitati propior: hoc mea non interest, nam animo ad divina subvehendo, satis mihi Domini Jesu Christi florent mysteria.

Jo. Rho. l. c. n. 1.

IX. Admirabilis quoque est continentia S. Petri de Alcantara, de qua sic scribit P. Joannes Rho: In ipsa, quam assiduus incolebat, cella, oculos severissime continuit: namque ex materia ne, an ex calce lapidibusque starent parietes, & quæ descriptio esset sacelli, in quod sæpius ad orationem conveniebat, ignoravit; arborem prægrandem in medio impluvio non vidit per quatuor annos; Tres integros annos prope continuo dejectis omnino palpebris clausos oculos habuit. Hanc ille exercitationem adeo homine Religioso dignam esse censebat, ut tyronibus solemne hoc carmen occineret, oculos dejicerent, & si quos in domesticorum circulis minus cœcos videret, iis suis ipse digitis oculos, ut defunctis moris est, claudere consueverat.

Vit. PP. l. 5.

X. Celebris quoque est castigatio, quam de se ipso in pœnam cujusdam non malitiosi, sed indifferentis aspectus sumpsit Eusebius. Sedebat super quamdam petram ipse, & Ammianus ille admirabilis, & divinorum Evangeliorum historiam alter quidem legebat, alter vero eorum, quæ erant obscuriora, explicabat sententiam. Cum autem quidam agricolæ in subjecto campo terram foderent, ad hanc contemplationem Magnus tractus est Eusebius, cum autem divinus Amnianus legisset locum Evangelicum; sciscitaretur autem interpretationem, jussit Eusebios, ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset: Iis, qui arant, forte delectatus, minime exaudisti, ut est verisimile, suis deinceps oculis legem tulit, ut neque campum illum ultra contemplarentur, neque cælesti pulchritudine, & chori astrorom aspectu fruerentur,

sed angustissima utens semita, cujus mensuram ajunt fuisse unius palmi, ferent ad oratorium extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plus, quam quadraginta annos vixisse post hanc legem. Ut autem cum animi sui sententia ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, & gravissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro conjungi zonam collari, quod erat collo impositum, ut hoc modo inclinatus cogeretur assidue in terram respicere.

Vita l. 2. c. 15. n. 3. XI. S. Philippus Nerius, licet in dono virginitatis eximius esset, oculos suos tamen adeo constanter custodivit, ut una ex venustioribus, quæ suo tempore Romæ erant, mulieribus, quæque per triginta annos continuos, suas apud ipsum confessiones sacramentales deposuerat, affirmarit, eumdem S. Philippum toto illo tempore numquam ab ipsa visum fuisse, aut ipsum fixo oculorum obtutu eam fuisse intuitum.

Vita PP. l. 5. libell. 4. n. 62. XII. In vitis Patrum legitur, quod Monachus occurrit ancillis Dei in itinere quodam, quibus visis divertit extra viam, cui dixit Abbatissa: Tu, si perfectus Monachus esses, non respiceres nos sic, ut cognosceres, quia fœminæ eramus.

Bolland. t. Lam. c. 1. XIII. Ludovici Blosii modestia tam singulariter emicuit, ut oculorum ac vultus compositione, totoque corporis habitu passim intuentes ad castitatis amorem accenderet; non ignorabat videlicet oculis male custoditis lædi castitatem: Hanc ob causam, cum ante oculos religiosorum virorum mulieres apparere periculosum judicaret, studuit, quantum fas esset, earum conspectum a suis removere: Ea propter, cum antea in horto Conventuali, in quem Monachis certis horis pomeridianis patet accessus, mulieres fœno spargendo, cumulando, plaustri imponendo, operam ponerent, cavit in antedictis codicillis, ne deinceps fieret, his verbis: Herba horti Conventualis ex mea ordinatione demeti, verti, exsiccari, atque in plaustro poni, per viros vel juvenes, non autem per mulieres, aut puellas debet, maxime illis horis, quibus fratres spatiari possunt in horto, etiamsi pluribus constet, per masculos hoc facere, quam per fœminas. Præstat enim pati damnum aliquod in crumena, quam in anima.

Sulpit. l. 2. c. 11. XIV. In vita S. Martini Episcopi Virgo quædam prædicatur, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis removisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officii causa visitare vellet, admiserit. Nam cum prope agellum illius præteriret, in quo se jam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequenter gavisuram illam virginem putabamus, siquidem hoc in testimonium virtutis suæ esse habituram, ad quam tanti nominis Sacerdos, deposito propositi rigore veniret. Verum illa fortissimi vinculа propositi, ne Martini quidem contemplatione laxavit. Ita vir beatus accepta per aliam fœminam excusatione laudabili, ex illius foribus, quæ videndam se salutandamque non dederat, non læsus abscessit. O virginem gloriosam, quæ nec a Martino quidem passa est se videri!

XV. S. Job pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. *Job. 31. v. 1.*

XVI. S. Ephrem Edessam tendens, cum Deum precatus esset, ut primo urbis ingressu in virum incideret, quocum dissereret de iis, quæ excolendo animo prodessent, sub ipsam portam mulier levicula ei fit obvia, quæ cum fixis oculis Ephremum aspiceret: non erubescis, inquit, ille, me tam fixe aspicere? cui mulier: non erubesco, inquit, nam mihi licere reor te aspicere, quia ex te, latereque tuo desumpta sum. Tibi vero convenit non fœminas, sed terram, matrem tuam, ex qua sumptus es, aspicere, cum & in illam reversurus sis. Audit Ephrem, & se voti a Deo compotem factum gavisus est. *Sozom. l. 3. Hist. Eccl. c. 16. & Sur. 1. Feb.*

XVII. S. Bernardus ante, quam Religioni se addixerat, cum semel fœminam fixioribus oculis intuitus fuisset, rigente cælo, in gelidissimæ aquæ stagnum collo tenus se immersit. Idem toto anno in cella sua habitans, nescivit, an cellæ pavimentum ex ligno, an ex alia materia esset. *Drex. in Nic. l. 1. c. 7. §. 7. Vit. l. 1. c. 4.*

XVIII. Sara Virginum sacrarum Antistita in monasterio Scythiotico sexaginta annis prope aquam limpidissimam habitavit, & numquam eam aspexit. *Drex. l. cit. §. 4.*

XIX. S. Carolus Borromæus licet ad forum frequentissimo populo refertum habitaret, numquam tamen prospexit. Sed & in villis & hortis amœnissimis tempore sat longo commoratus ne quidem leviter oculorum oblectamenta ibi præparata aspicere voluit. *Vita.*

XX. S. Laurentius Justinianus dicere solitus erat, nullam rem Monachum aspicere debere in hoc sæculo, quæ desiderium illius teneret: hinc ille numquam animi remittendi causa in hortum secessit. *Vita c. 6.*

XXI. S. Franciscus Seraphicus adeo avertere solebat oculos a fœminis, ut, sicut ipse socio dixit, quasi nullam de facie nosset; non enim securum putabat, earum formarum introrsus admittere imagines, quæ possunt aut indomitæ carnis excitare igniculum: aut pudicæ mentis maculare nitorem. *Vita c. 5.*

XXII. S. Clara in tota vita nullius masculi faciem aspexit; immo dicebat, se etiam eum, qui eo fluvium eam projiceret, non aspecturum. Hinc grandem putabat negligentiam a se commissam, cum semel ad hostiam elevatam oculos convertens virum contra voluntatem aspexisset. Quando domo exibat, ita pallio oculos tegebat, ut non potuerit ejus facies ab aliis videri, nec alii ab illa. *Vita p. 2. c. 12.*

XXIII. Veteres Monachi sic oculos continebant, ut nemo alterum aspiceret operantem, sed defixis luminibus unusquisque suo dumtaxat operi esset intentus. *Vita patr. l. 4. 52.*

XXIV. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, quamvis omnino a tentationibus carnis liberrimus erat, tamen per quinquaginta annos, quibus Episcopatui præfuit, nullam unquam mulierem aspexit. *S. Hier. in praf. vit. S. Pach.*

De eodem refert Mansi: Mulierum confes- *Loucie. op. 2. n. 272.*

fessiones non minus caute, quam benigne suscipiebat; non enim in angulis, aut obicuris, aut secretis locis eas exaudire solitus erat, sed potius ubi a pluribus conspici posset. Et aurem quidem satis familiariter applicabat; oculorum autem in alteram partem vertebat aspectum; auditum solum, propter insidias diaboli, hujusmodi negotiis afferens esse applicandum; quam videlicet oculorum custodiam incredibili semper, & ubique circumspectione servabat, ita ut cum potentes, & nobiles mulieres (juxta illud Apostoli: Cui honorem honorem) ad colloquium honorifice, hilariterque frequenter susciperet multa coram se, diuque tractantium facies penitus non videret.

Laur. op. 2. n. 376. XXV. S. Andreas Corsinus adeo mulierum aspectum, & colloquia fugiebat, ut ne matri quidem & sororis colloquia sustineret, & propterea frater cæcus, surdus, mutusque appellaretur.

Surius 7. Mart. XXVI. Sanctus Thomas Aquinas etsi divinitus ab omni sensu carnis liberatus; perinde tamen formosorum vultuum aspectum vitabat, atque alii viperas, & scorpiones vitare solent.

Dau. c. 6. §. 1. 44 n. 3. XXVII. Carolus Magnus Imperator sæpe fenestram clausit, ne formosiores mulieres prætereuntes aspiceret.

Dau. c. 6. §. 1. 44. n. 6. XXVIII. Rogerius tam sollicite oculos custodiebat, ut licet in medio populi versans intra tres annos nullius mulieris faciem videret: rogatus causam respondit: Quando homo facit, quod est in se, & occasiones peccandi fugit, tum vicissim facit Deus, quod est in se & hominem custodit; at quando se temere conjicit in periculum, tum etiam juste a Deo deseritur, & in peccatum labi finitur.

In Cent. Siliast. c. 3. n. 1. XXIX. Ferdinandus II. Imperator nunquam fœminæ locutus est solus, sed aula spectante; quod si decoris causa fuit soli loquendum, Imperatricem adesse arbitram colloquii voluit: Agebat ea modestia, ut in colloquentis tunc vultum numquam intueretur, ajuntque in omni vita nullius fœminæ vultum ac venustatem considerasse.

Ex l. 1. Conformitatum S. Franc. p. 2. XXX. In historiis Fratrum Minorum D. Francisci narratur, quendam purissimæ vitæ Fratrem nomine Rutgerum, diligentissimum oculorum suorum custodem fuisse, sic ut nunquam in fœminas, etiam cognatas, quas alloqui necesse habebat, eas conjecerit. Unde Pater Spiritualis, qui perspectam ejus conscientiam habebat, eum aliquando percontatus est, quid causæ esset, cur cum tanto pietatis dono præditus esset, tamen vultum averteret a conspectu mulierum honestarum? Et respondit homo Sanctus, & a Deo illuminatus: Pater, inquit, quando homo facit quod in se est, & occasiones peccandi fugit, tum vicissim Deus facit, quod in se est & hominem tuetur ac custodit. At quando homo se temere conjicit in discrimen, tum etiam juste a Deo deseritur: ac ita fit, ut facile ob naturæ corruptionem in peccatum aliquod grave dilabatur.

Ex Chro. Fr. Min. Gallice l. 1. c. 34. XXXI. Oculis recte utendum esse hoc exemplo D. Franciscus sedulo suis fratribus inculcabat. Rex quidam præpotens, sed pius successive duos ad Reginam legavit nuncios: quorum prior reversus, & verbis tantum propositis verba reddidit, & de Reginæ persona plane retulit nihil: siquidem oculos caute tenuerat, ne in Reginæ faciem prosilirent. Rediit alter, & post pauca quæ ad legationem pertinebant; Vere, inquit, Domine Rex, vidi pulcherrimam mulierem, felicem te reputo, cui illa conjux obtigerit. Serve nequam, inquit Rex vere impudicitiam tuam prodis; quid superest, nisi ut concludam, te prospectam impudicis oculis opprimere animo cogitasse. Priori vero nuncio ascito; Quid, ait: de Reginæ tibi persona videtur? optime respondit; Nam & patienter me audivit, & sapienter respondit. Sed quid de forma & pulchritudine ejus censes? Tuum id esto, ait, Rex & videre & judicare, mei muneris fuit, verba ejus audire ac referre. Tum Rex de utroque ferens sententiam, illum palatio expulit, hunc vero a cubiculis constituit. Ne, inquit, ille thalamum meum polluat, tu vero illum custodias. Quibus S. Franciscus subjiciebat: Quis non deberet vereri, in Christi sponsam prophanos oculos conjicere.

Necessitas.

XXXII. Vidit Eva, & comedit, sibique & nobis exitium creavit. *Gen. 3. v. 6.*

XXXIII. Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, in tantam postea luxuriam sunt prolapsi. *Gen. 6. v. 2.*

XXXIV. Videns Cham verenda patris sui, maledictionem incurrit. *Gen. 9. v. 22.*

XXXV. Volens Dina videre mulieres alterius regionis, a Sichem conspecta, rapta & corrupta est. *Gen. 34. v. 1.*

XXXVI. Vidit David de solario mulierem lavantem, & advocari jubens peccavit cum ea. Aperuit, ut inquit Sanctus Chrysostomus, in vano oculos, & suscepit sagittæ ictum. Vel, ut S. Augustinus dixit, de longe vidit eam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope. Alibi erat, quod videret, in illo erat unde caderet. *2. Reg. 11.* *S. Aug. in ps. 50.*

XXXVII. S. Benedictus in sæculo semel vidit mulierem, & gravissime in eremo postmodum tentatus est, ideoque in spinas nudum se abjicit. *Spec. Ex. dist. 1. ex. 20.*

XXXVIII. Abbas Pastor per quadraginta annos gravem carnis tentationem sustinuit, quia puellam spicas colligentem curiosius conspexerat. *Ib. dist. 2. ex. 67.*

XXXIX. Alipius quia oculos, quos in theatro fortiter continere statuerat, & vero etiam aliquamdiu continuerat, clamore populi motus aperuit, spectavit, clamavit, exarsit, abstulitque insaniam, qua stimulabatur, non tantum redire cum illis, a quibus ante trahebatur, sed etiam præ illis, & alios secum trahere. *S. Aug. l. conf. 6. 8.*

XL. S. Editha virgo regia post mortem in sepulchro tota incorrupta reperta est, exceptis oculis, pedibus ac manibus, cujus rei ipsamet causam esse dixit, quod illis, cum esset parvula, nonnihil ad levitatem abusa sit. *Nadast in ann. hebd. cel. ann. att. hebd. 32. n. 1.*

XLI, Cornelius a Lapide in illud Prov. 6. *Eng. Dom. 4. Quadr. §. 3.*

ne capiaris nutibus illius. Audivi in Belgio, inquit, Matronam sapientem & sanctam, monentem Confessarios etiam religiosos & sanctos, ut caveant sibi ab aspectu, & colloquiis fœminarum pœnitentium: quia, inquiebat, adeo illices sunt oculi earum, ut si in virum quempiam illos defigant, illum plane irretiant. Addebat: Certa sum non esse virum adeo gravem & constantem, cui, si fixe eum reciproce per quadrantem intuita fuero, non persuaserim, quidquid voluero.

Gen. 12. XLII. Ægyptii videntes Saram uxorem Abrahæ, quod esset pulchra nimis, nunciaverunt Pharaoni, & sublata est mulier.

Judic. c. 24. XLIII. Samson videns mulierem Dalidam de Philisthæis, eam adamavit, quæ tandem fuit causa mortis suæ.

Daniel c. 13. XLIV. Senes illi, Judices populi, videntes Susannam, exarserunt in concupiscentiam ejus.

Utilitas.

Spec. Ex. verb. 2. ex. 30. XLV. Oculi casti S. Ludovici Episcopi etiam post quadringentos, & decem annos quasi crystallum lucidissimi reperti sunt, eo quod illis mulierem ad scelus solicitantem torve aspexisset.

Pœnæ, neglectæ Oculorum Custodiæ.

Bellov. in Spec. l. 1. dist. 3. p. 2. XLVI. In vita B. Mariæ de Œgnies legitur, quod, cum quædam mulier moreretur, revelatum fuit ei, & vidit maximam multitudinem dæmonum occurrentem, & volentem eam capere, & pugnantem contra bonos Angelos, pro qua impetravit, ut a dæmonibus liberaretur, & in purgatorio torqueretur, & ostendit ei oranti B. Petrus, quomodo in purgatorio dicta mulier torquebatur, transiens ab aquis nivium ad calorem nimium, propter hoc; quod nimis ardens fuit in mundi vanitatibus conspiciendis.

Cæsar. l. 4. c. 62. XLVIII. Cæsarius in Dialogis suis de quodam antiquorum Monachorum, cui juniorum cura commissa erat, sequens enarrat factum, ad juniorum in ordine custodiendos oculos per opportunum, ita enim scribit: Cum unum ex adolescentibus secum adduxisset, & simul equitantes, nescio quid, vel unde, conferrent, obviam habuerunt juvenculam formosam, quam, cum ex industria equum suum retrahendo Præpositus salutasset officiosissime, fletit illa, & resalutavit eum; cum paululum processissent, volens Præpositus tentare juvenem, ait: Puella illa videbatur mihi multum formosa fuisse, cui cum ille diceret: Credite mihi Domine, & hoc ipsum visum est mihi. Respondit Præpositus: Unum tamen deformat eam, quod monocula est. Respondit juvenis: Vere Domine utrumque oculum habet, ego enim satis diligenter consideravi eam. Tunc motus Præpositus ait: Et ego considerabo dorsum tuum, tantæ debueras esse simplicitatis, ut utrum esset mas, vel fœmina, scire non posses. Reversus vero ad Monasterium dixit Senioribus: Vos Domini, quandoque arguitis me, quod non educam mecum juniores; & exponens eis causam, prædictum juvenem durius arguit atque castigavit.

§. VI. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius P. Oliverio Manaræo, qui ipsi valedicens, oculos fixe in illum, utpote numquam forte amplius visurus direxerat, per P. Polancum præcepit, ut quotidie de hoc defectu se examinaret, & quoties ad se ut Rector officii causa scriberet, adderet, num pœnitentiam hanc persolvisset. *Lanc. ep. 2. n. 104.*

II. S. Franciscus Xaverius sublimissimos, & quantum potuit, in cælum fixos ferebat oculos, ea totius oris suavissimi hilaritate, ut illius aspectus animos intuentium serenaret: viros enim Xavarianæ virtutis, quibusque longo ac prompto servitio oculi dudum sunt edomiti, eos in cælum figere fas est. Sive humum, sive sidera intueantur, innocenter agunt, periculum adeunt, & creant, cum media evolant via. Humus propriæ admonet imbecillitatis ac sordium; sidera recuperandæ patriæ spem admonent, ac supra plagas, quibus capiuntur, felicius attollunt, verum minus experti, tutius terræ affigunt, ne capiantur, dum volant. *Rho l. 1. c. 4. n. 2. ex nostris.*

III. De S. Francisco Borgia in ejus vita legitur: Medio in ancupio, quod unicum ei adhuc Duci erat curarum diverticulum, sentire videbatur, qui enim Hierofalcos, ejus venationis totius scientissimus, educaret diligenter, ac peritissime uteretur, non modo pulcherrimis inde documentis, facili ad mores trajectione, animum informabat assidue, verum dum maxime ferveret ea voluptas, oculis severissime imperabat. Illud in omni Hierofalcorum venatione longe accidere solet jucundissimum, cum multis gyris subvectus, supremoque volatu in nubes propemodum elatus prædo, ibi jam est, ut in inferius volantem, & nequicquam defensioni se componentem ardeam fulminis instar invadat, dejectamque conficiat. Id, cum fieret, atque sublimes oculi altum volatum ac pugnam sequerentur, Franciscus eos dejiciens, innocenti voluptate privare consueverat, ut per eam exercitationem serio condisceret avertere se illico ad nutum, ubi vel levis esset noxæ suspicio, ne illice voluptate animi arcem defertis ultro præsidiis proderent adversariis. *Ib. l. c.*

IV. De B. Aloysio sic idem scribit: Itum est aliquando a sociis alios in hortos, quam consueverant, aderatque Aloysius, verum animo adeo incurioso, oculisque adeo in humum dejectis, ut cum sub vesperam domi audisset aliquos utriusque villæ opportunitates invicem conferre, miratus, quam dicerent villam, serio interrogaverit, an alio prætcr morem itum esset, nimirum oculos cælo & sideribus integros servabat: Alias adolescentem Aloysium jusserat Ferdinandus parens adesse, cum Cataphractorum turmas, quas ipse ducebat, Mediolani amplissimo ante arcem in campo lustraret: res erat spectaculi longe jucundissimi, & fama vicinis ex urbibus spectatum evocaverat promiscuæ turbæ multitudinem infinitam, quæ spectaculum, dum quærit, augeret. Equi generosissimi, arma auro illita, chlamydes ver- *Ib. n. 6.*

versicolores sagula auro ubique, aut etiam gemmis fulgentia, prompta nec ulli periculo obnoxiam oculis ostentabant voluptatem; illos tamen habuit in potestate Aloysius, occlusisque palpebris illius pompæ nihil per oculos passus inferri, animum nulla rerum oneratum varietate, atque incoacussum cælestibus fœlicius intulit. Idem confirmat, quod alibi in vita ejus legitur. B. Aloysius tam severe oculos custodiebat, ut plurimas fœminas etiam consanguinitate arctissima conjunctas nunquam aspexerit. Oculis humi defixis per publicum incedebat, & ab iis, quæ maxime oculos ad se alliciunt, studiose illos, continebat.

Vita.

Bibl. Soc. p. 510.

V. P. Joannes Fuldensis tam diligens fuit sensuum suorum, atque oculorum in primis custos, ut totis viginti septem annis, quibus Treviris habitavit, numquam de Odæo in templum inferne despexerit.

Lanc. op. 2. n. 399.

VI. P. Petrus Faber hanc oculis suis legem indixit, ut non tantum ab ætate grandiore, verum etiam a passionibus ac puellulis aspectum omnem, tametsi mens spectandi esset optima, cohiberet, gnarus nempe illius præcepti, sententiæque Gregorii, unum illum in turpes pravasque actiones non labi, qui sibi & in rectis, honestisque didicerit temperare,

Annal. 1610. & Lanc. l. c. n. 315.

VII. P. Thomas Sanchez defixis semper humi oculis incessit, aut sedit in mensa, ita ut nec assidentem, nec ministrantem cognosceret. Ductus semel a PP. Dominicanis per monasterium laudabat quidem omnia, ne adverterent, oculos tamen semper clausos habebat.

Vita c. 41.

VIII. P. Baltassar Alvarez Romam profectus, dum alii ad res curiosas videndas excurrebant, ipse interea ad SS. corpora in oratione manebat. Cum esset Rector Martinensis Collegii, toto Processionis die corporis Christi institutæ tempore oculos ita SS. Sacramento affixos habuit, ut numquam eos ad spectacula averterit. Vallisoleti cum publico inquisitionis actu interesset, septem horis oculi in imaginem B. V. quam secum tulerat, defixus hærebat tantum ne cogeretur mulieras aspicere, sine quorum aspectu non poterat in theatrum oculos figere.

Annua 1610. col. Ingolst.

IX. P. Jacobus Rhem maximus erat oculorum custos: hinc paucissimos noscebat. Scenicas actiones numquam, nisi cum aut de morte aut judicio, cælove essent habitæ, spectabat.

Vit. l. 2. c. 6.

X. Ludovicus de Ponte, nec infirmus, nec sanus, aspectu camporum se recreabat.

Lanc. op. 2. n. 321.

XI. P. Antonius Pinas per quemdam a Germano fratre salutatus respondit: Ejus ego epistolam ab hinc tres annos accepi, quam etiam nunc obsignatam asservo, & eo pro attramentarii operculo commode utor.

Vit. p. 2. f. 94. & 77.

XII. Joannes Berchman nunquam oculos a terra attollebat nisi ratione aut necessitate cogeretur. Numquam nisi ad internoscendum aspiciebat eos, quibuscum loquebatur. Ad nullum strepitum movebat oculos, quos tam depressos habebat semper, ut a nullo dignosci possent, cujus coloris essent. Scripserat: Mulierum aspectum instar Basilisci vitandum. Et alibi: Quid vis videre, quod non licet habere? a multis tentationibus liberat custodia oculorum, quæ est mater devotionis. Rogatus, quomodo animum perpetuo ad se revocaret, respondit: fida oculorum custodia, sine qua cor custodiri nequit. Nova nanquam vidit. Coactus aliquando interesse Dramati, nunquam oculos sustulit, ita ut nobilis quispiam id advertens socio in aurem diceret: Profecto hic Pater sanctus est. Nunquam adduci potuit, ut hortos, vineas, solemnes equitationes Romæ aspiceret.

Vit. c. 9. l. 2. c. 6.

XIII. Alphonsus Rodriquez per annos quadraginta septem, quos in Religione traduxit, numquam petiit licentiam pro sua recreatione ad campos eundi, vel hortos. Nullam mulierem, etsi per quadraginta annos januam curaverat, de facie cognoscebat.

Nadast in Ann. Angel. hebd.

XIV. Novitius quidem Neapoli moriens fassus est se ob oculos a jucundo maris vicini aspectu custoditos hoc habere præmii, ut in morte Angelorum fuerit aspectu recreatus.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

Lanc. op. 2. f. 289.

I. ALexander Magnus de muliere quadam admodum formosa capta monitus, suis licet suadentibus noluit videre, sed Sponso restitui jussit. Sed & de Darii uxore ad Parmenionem scripsit: Ego non solum non vidisse inveniar uxorem Darii, aut videre cogitasse, sed nec verba facientes de ejus forma audire sustinuisse.

Ibid.

II. Scipio Africanus expugnata Carthagine cum audisset multas formosas mulieres ibidem reperiri, nullam ad suum conspectum duci permisit, ne, ut Florus loquitur, quid de virginitatis flore delibasse, saltem oculis videretur.

Ibid.

III. Rex Antiochus conspecta Ephesi in sua urbe Dianæ Sacerdote valde formosa, continuo illinc solvit, ne aspectu paulatim audacior eo impelleretur, unde captus non rediret.

Ibid.

IV. Pericles Prætor Atheniensium Collegam suum Sophoclem corripuit, quod prætereuntem puerum formosum intuitus esset, & formam ejus laudasset, dicere; quippe. Prætorem non solas manus, sed oculos etiam continentes habere.

Berllock in festo S. Martini them. 2.

V. Apulejus, & Hermes Platonis Discipuli oculos sibi eruisse dicuntur, ne illorum usu a studio virtutis avocarentur.

Ibid.

VI. Isæus Assyrius Sophista dum a quodam, qui decentis formæ mulierem ei exhibebat, interrogaretur, num formosa esset? respondit, desii laborare ab oculis.

Erasmus 1. apophth.

VII. Cajus Sulpitius Gallus uxorem suam repudiavit, quod aperto capite foras exiisset, inquiens: Tibi meos unius præfinit oculos lex nostra, quibus formam tuam approbes: his ornamenta comparato, his esto speciosa: aliis velle videri formosam, in suspicione & crimine hæreat, necesse est.

Mans l. 6. d. n. 7.

VIII. Panthea Astradati Scytharum Regis conjux raræque pulchritudinis mulier, cum a Cyro Rege captiva teneretur, ab eodem Cyro oculis numquam conspecta fuit; dicebat enim: Forsitan pulchritudinem ejus videndi desiderium mihi quoque labem aliquando inureret. Quam continentiam Antiochus Abbas ponderans, in hæc verba nobis improperat:

Quod

Quod si talia sua asseverant testimonio a fide exotici, & a salutari unctione alieni, quid non conveniat præ illis tanta efficere, qui Christi ex professo discipuli sumus?

Liv. l. 9. c. 4. IX. Xenophon de Lycurgo Reipublicæ Lacedæmoniorum legislatore, sequens perhibet testimonium; Cum animis adolescentum pudorem inferere cuperet, instituit, ut in via manum utramque intra vestem continerent, incederent tacite, numquam circumspicerent, ea tantum intuerentur, quæ ante pedes essent.

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas,

Plutarc. in moral. I. SIcut venatores non sinunt canes suos quidvis olfacere vel mordere, sed integros feræ servant; ita oportet oculos & aures non sinere quocumque ad libitum vagari, sed rebus necessariis servare.

Phi. Jud. II. Sicut natura principatum in corpore dedit capiti; ideoque ei summum locum tribuit; ita inter cæteros sensus imperium penes oculos esse voluit, & propterea in præcipuo loco constituit.

S. Bonav. in vit.c.1. III. Sicut impossibile est, ut quis nudis pedibus super ardentes carbones ambulans non lædatur; ita quoque impossibile est, ut quis amore impuro non accendatur, qui oculos suos a mulierum aspectu non avertit. Unde S. Bonaventura in prædicta vita ita scribit: Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum, tam difficile dicit (scilicet S. Franciscus) quam juxta scriptum c. 6. Prov. *in igne ambulare, & non comburere plantas*. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne hujusmodi vanitatem viderent, quod, sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Hugo Cardinalis jam adductum ex Proverbiis textum: Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem; hunc, inquam, textum in sensu morali ita exponit: Ignem in sinu abscondit, qui mulieri libenter loquitur: super prunas ambulat, qui affectus suos in speciem mulieris figit, ad has prunas multi se calefaciunt cum Petro Christum negantes. Quis unquam dicturus esset, quod oculus etiam ab ipsismet nivibus ad instar sulphuris excitaturus esset impuri incendium amoris? & tamen revera ita est, nam a candore, & a nivibus venusti vultus flamma accenditur concupiscentiæ carnalis.

Mansi d. 33. n. 2. IV. Sicut homo in tenebris sequitur lucernam præeuntem, quocumque illa ducit; sic cor sequitur oculum & visum. Hinc oculus, quia celer, subtilis, & versabilis est, quocumque se vertit, & versat, eodem trahit & cor. Vice versa cor per oculum suos affectue pandit, & enunciat, atque per oculum velut nuncium, alios ad se allicit, & invitat.

Ib. dif. 33. n. 6. V. Sicut visus, inter alios sensus prior est in situ, & in ordine in capite, ita in animæ nocumento obtinet principatum.

Necessitas.

VI. Sicut, qui morbum devitare cupit, morbi causam, quam potest studiosissime declinat; sic, qui cogitationem ab amoris turpitudine puram conservare voluerit, incumbit diligenter, ne per oculos ad cogitationem, & animam, fœminarum imagines admittat. *Sanctius in p. 31. Iob.*

VII. Sicut basiliscus unico sæpe aspectu perimit corpus; ita unicus sæpe oculi jactus sagittam plane exitialem emittit. *S. Bas. in c. 2. Isa.*

VIII. Sicut ignis, ubi fœnum contigit, statim accendit flammam; ita ignis concupiscentiæ simul atque per oculum attigerit formam, protinus exurit animum. *S. Chrys. ho. 1. de verb. Isa.*

IX. Sicut cerva confixa jaculo in vitali corporis parte, etsi venatorum effugiat manus, tamen exitio proxima est; ita animus, ubi per aspectum jaculo concupiscentiæ vulneratus est, etsi abire sinatur, tamen periculum mortis spiritualis difficulter evadet. *Idem ho. c.s.*

X. Sicut pestis tempore portas civitatis, & domum diligenter custodire necesse est; ita cum oculi sint cordis janua, merito singularem in iis diligenter suo tempore claudendis curam habere convenit. *Lansic. op. 1. n. 213.*

XI. Sicut si fenestræ domus effractæ nec pluvias, nec nives arceant, putredini ac ruinæ domum exponunt; ita si oculi ad omnem curiositatem pateant, mens sordibus impletur, & cogitationum pessimarum fit desidiabulum. *Drex. in Nomo c. 1. §. 2.*

Æquitas,

XII. Sicut insanus esset, qui oculos eruendos præberet, ea tamen lege, ut gladiolo aureo eruantur; sic insipiens quoque merito censendus est, qui virginea forma tamquam gladiolo aureo oculos perdere gestit. *Drex. in Nicet.l.1. c. 7. §. 1.*

XIII. Sicut ille paterfamilias, qui servum in domo rubellem haberet, & ad scelus cum sua sponsa committendum allicientem, utique severissime eum coerceret, & carcere concluderet; ita id ipsum oculis nostris facere debemus, cum omnes sensus nostros ab illis ad concupiscentiam inordinatam creaturam inflammari advertamus. *Anonym.*

XIV. Sicut ille homo stultus judicaretur, qui peregrinum aliquem in domum admitteret, quem sciret pacem domesticam perturbaturum, & ipsum Dominum sauciaturum; ita insipiens merito videri debet, qui per oculos nescio quæ curiosa objecta in animum admittit, sciat inde pacem animæ turbandam, mentemque graviter sauciandam. *Idem.*

XV. Sicut ii, qui male affectos habent oculos, linteamen aliquod obtendunt, ne lucis splendor illis officiat; ita qui oculos suos aspectu aliorum læsos sentiunt, palpebras oculorum obtendere debent, ne splendor & pulchritudo creaturarum illis damnum creet. *Idem.*

XVI. Sicut is, qui sciret, se ob alicujus rei aspectum in febrem aut alium morbum gravem lapsurum, diligenter & facile a tali re videnda abstineret; ita & a rerum creatarum illi- *Idem.*

illicito aspectu cavendum, utpote ex quo in febrem concupiscentiæ incidimus, & difficultatem aspirandi ad cælestia sentimus.

Utilitas.

S. Chrys. h. 17. in Matth.

XVII. Sicut cum gladium a puero teneri videmus, etiamsi nondum vulneratus sit, tamen ne vulneretur, verberamus, minasque, si sæpius eum contingat, intentamus; ita Deus sæpe inverecundum coercet aspectum, ne quandoque in ipsam incidat actionem.

S. August. l. de hon. mulier.

XVIII. Sicut ei, qui carbones vivos apprehendit, hi parum nocebunt, si cito abjiciat illos; secus vero, si diutius ratinere illos voluerit; ita oculorum jactus parum nocebit, si mox, ubi res aliqua illicita aut perniciosa fuerit conspecta, avertantur: secus, si fixe defigantur.

Mans dis. 32. n. 2.

XIX. Sicut quando leoni hominem aggredienti velum aliquod, vel aliud quippiam super oculos projicitur, unde visus obfuscetur, omnem protinus amittit ferociam & vigorem; ita quoque, in præsenti afferere possumus. Quod, dum nos per oculorum custodiam communimus & defendimus, omnes vires dæmonis protinus debilitentur: E contra vero si oculus noster lubricus & vagus fuerit, pessima contra nos molitur, & in perniciem nostram nobis prævalet.

Jac. Alv. l. 2. p. 2. l. 2.

XX. Sicut granum tritici intra terram absconditur, sed extra terram, & in aere suprastante fructum emittit: Ita incautus aspectus in oculo quidem efficitur, sed in superiori animæ vi, nempe in cogitatione phantasmata castitati adversantia fructificat.

§. IX. MOTIVA.

L. 1. rev. c. 11.

I. VOluntas Christi, qui ut olim S. Birgittæ, ita nunc omnibus dicit: Quia oculi mei erant sanguinolenti & pleni lacrymis, ideo oculi tui debent abstinere ab omni delectabili visu.

Deut. c. 23. n. 13.

II. *Quia Deus habitat in corde nostro:* si ergo olim exigebat, ut nihil appareat fœditatis in castris, quia ambulabat in medio eorum; quidni magis exigere id credat in animo, ubi libentius habitat, quam in castris?

Dial. c. 800.

III. *Quia Deus os homini sublime dedit, cælum intueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus:* ergo non decet oculos contaminare rerum terrestrium non necessariarum intuitu, ne Deus repetat exprobationem S. Catharinæ olim his verbis factam: O misera, contemnis, quod gratiose exhibui tibi, scilicet, ut pro gloria mea aspiceres cælum, & alia pulcherrima, quæ videre potes in creaturis meis. Et ut aspicias alia ministeria mea; & ne lutum atque miseriam aspiciendo, mortem adipiscaris.

In. c. 6. Judith. §. 16. n. 841.

IV. *Quia cum vagi oculi sint merum vietatis preiculum*, teste Gelada, virginitatis fascinum, libidinis minæ, venenum castitatis, voluptatis illecebræ, gehennæ scintilla, pietatis funus, & sepulchrum castitatis; merito ob tantum periculum evagari non sinuntur, ne cum S. Augustino sero queramur dicentes: Per quales formas ire solebant oculi mei, per tales imagines ibat & cor meum.

V. *Quia oculorum custodia est mater devotionis:* ut recte dicebat Joannes Berchmannus, & vero ipsa etiam experientia confirmat, quia experimur, quanto magis exterior oculus clauditur, tanto magis interiorem aperiri. *S. Aug. l. 6. Confess.*

VI. *Quia ipsi Ethnici*, ut Socrates & alii, teste Xenophonte, *pulchrorum obtutus penitus vitare jubebant:* si ergo a fide exotici (ut Antiochus Abbas loquitur) & a salutari unctione alieni talia suadent, quid nos conveniet facere, qui Christi ex professo discipuli sumus? *Lancic. op. 2. n. 393.*

VII. *Quia ipsa natura, tamquam solicita mater, tot operimenta posuit:* dicunt enim Philosophi, quod natura virtutem visivam operuit septem tunicis, quarum altera deficiente læditur, & maxime passibilis sit ab intrinseco tangente. *Bellovac. Spec. p. 2. dist. 2. l. 1.*

VIII. *Quia falsa & deceptoria sunt objecta, quæ oculis jucunda apparent:* ut sapienter S. Ambrosius advertit dicens: Si volumus post mortem corporis hujus in bonis esse, caveamus, ne agglutinetur anima nostra huic corpori; ne commisceatur, ne inhæreat, ne trahatur, a corpore, & tamquam ebria perturbationibus ejus vacillet, & fluitet, nec se ei credat atque ejus delectationibus, ut committat se ejus sensibus. Nam & oculus ejus error & fraus est: quia fallitur visus, & auris ejus deceptio est, quia & auditus illuditur, & sapor ejus deceptio est. Denique non otiose dictum est: Oculi tui recta videant, quod non esset dictum, nisi frequenter errarent. Vidisti meretricem, captus es vultu ejus, & formam decoram putasti. Erraverunt oculi tui, perversa videretur, alia nunciaverunt. Nam si vera vidissent, vidissent deformem meretricis affectum, inhærentem procaciam, indecentem impudiciam, marcentes libidines, terræ colluvionem, animæ vulnera, conscientiæ cicatrices; qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam. Vides, quod iste falsum quæsivit, qui non veritatem, sed adulterium requisivit; videre enim quæsivit, ut concupisceret, non ut verum cognosceret: Errat igitur oculus, ubi errat affectus, affectus ergo deceptio, est deceptio visus. *S. Ambr. l. de bono mor. c. 9.*

IX. *Quia specialiter conducit ad quietem animi:* uti vel ipse Ethnicus Seneca agnovit dicens: Qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, avertat, nihil enim facilius, quam amor recrudescit. *ap. Mans. dist. 24. n. 4.*

§. X. MEDIA.

I. DEi & cælestium rerum pulchritudinem sæpius considerare: sic enim exclamabimus cum S. Ignatio: O quam sordet mihi terra, cum cælum intueor! Ita sane ipse etiam Ethnicus Seneca faciebat, dum exclamavit; Quam juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram!

II. *Christi erga nos amorem ponderare:* si enim uxor Tygranis Regis fassa est, se ab eo tempore, quo audivit, maritum pro ipsa redimenda e captivitate vitam obtulisse, in nullum alium quam ipsum oculos conjecisse; quid Chri-

Christianum facere conveniet, si meminerit, Christum tam pretiosam vitam non obtulisse tantum pro illo, sed etiam reipsa per mortem tam crudelem & ignominiosam perdidisse?

III. *Omnia, cum S. Paulo, ut stercora arbitrari*: sic enim ultro ab iis oculos avertemus, nec nisi necessitate coacti, illos ad res creatas convertemus.

IV. *Gaudium ex visione beatifica æternum duratura, animo frequenter objicere*: sic enim facile claudemus oculos cum S. Silvano, & dicemus: Claudamini, oculi, mei, claudamini, & ad futura vos gaudia reservate.

V. *Curiositatem interiorem compescere*: per hanc enim oculi incitantur ad res terrenas curiosius contemplandas.

VI. *Oculorum suorum infirmitatem, & damna sæpius per illos causata perpendere*: sic enim non modice incitabimur, ad palpebras velut velamen contra splendorem creaturarum obducendas.

VII. *Peccata sua præ oculis habere*: sic enim ad salubrem erubescentiam commoti, oculos cum publicano elevare vix sustinebimus.

S. Anton. Dom. 23. post Trin. De hoc medio sic discurrit S. Antonius Paduanus: Nota, quod ex nimio fletu oculus obscuratur, caput conturbatur, facies attenuatur: sic vere pœnitentis oculus, quia deprædatur animam ejus, obscuratur, ne videat mulierem ad concupiscendum eam, & clauditur, ne mors intret per fenestras ejus. Vel etiam dicere possumus, quod oculi peccatoris lacrymis stagnent ad faciendam pœnitentiam, & castigandum peccata, quorum incentiva fuerunt. Unde Regius vates inquit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Tametsi enim divinæ legis observantia ad cor, non vero ad oculos pertineat, attamen oculos flumen quoddam lacrymarum profudisse dicit, eo, quod divinam legem non custodierint; quia cum oculi cordis transgressionem causaverint, merito lacrymis manant, ad abstergendum maculas, oculorum occasione a corde legem transgrediente contractas.

VIII. *Fugæ muliebris aspectus*, de quo sic S. Chrysostomus locutus est: Job diabolum quidem videns accedentem non fugit; sed mansit sicut leo, viribus fidens; virginem autem videns, non stetit, neque moratus est in contuenda pulchritudine, sed statim secessit; sentiebat nimirum in prælio contra dæmones, virilr, & audaci animo opus esse; in continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consuetudine, sed secessu. Quod monitum præclare Martius Eremita in montem Massico implevit, qui muliebrem aspectum omnino refugiebat; procax autem, ac petulans quædam, ut se spectaret, nolentem compellere conata est, sed cum eam procul accedentem videret, in cellam confugiens, ac humi inter palmarum folia strato vultu pro sua castitate Deum precatus, non ante oculos sustulisset, quam ista moræ impatiens discessisset. De F. Rugero, & S. Francisci discipulo legitur, quod nullam mulierem in faciem unquam directe aspexerit, adeo ut, ne quidem matrem suam, tametsi hæc mulier sancta, ætateque matura esset, aspicere voluerit. Subdit vero historiæ hujus Author: Mirum valde, tum quia pluries videram eum loquentem cum multis, & pluries prædicantem eis. Tum etiam, quia sciebam, eum adeo in illo periculo securum, quod non credo aliquem in mundo ei similem suo tempore fuisse, tum, quia sicut ipse dixerat mihi, stando cum mulieribus castior efficiebatur; Adeo enim abominabatur eas, quod nullo modo poterat cum eis diu stare. In duodecim annis, quibus in Ordine steterat, non potui perpendere per confessionem unum motum mentis inordinatum de facto mulierum. Dixi ergo illi: Cum sciatis, vos esse in facto mulierum sic securum, unde est, quod tantum timetis eas inspicere? Et ipse respondit. In potestate hominis est, vitare occasionem peccati, & ideo quandiu facit homo quod est in se, & Dominus facit, quod in se est, tuendo hominem.

(Margin notes: S. Chrys. ... de com[punctione] ... cord. — D. ... c. 6. ... 10. ...)

IX. *Æternam retributionem ponderare*: de qua sic loquitur Bellovacensis: Movere nos debet æterna retributio, quæ est Dei visio, nam, ut Isaias ait: *qui claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* S. Job quoque postquam dixisset: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, mox affert sui subnectit rationem dicens: *Quam enim partem haberet in me Deus?* A contrario igitur deduci posse videtur, quod si quis oculos suos bene custodire noverit, magnam sit cum Deo partem habiturus. Et quia visio est tota merces, ex hac oculorum custodia visionem nobis beatificam lucrabimur. Ac proinde S. Job hanc oculorum custodiam velut securi pignoris loco habebat, unde æternam suam poterat sperare salutem, quando dicebat: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, quem, visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Bellov. l. 3. dist. 7. p. 1.

§. XI. ASCETICA.

I. Quinque sunt quæ de hac materia Asceta bene apprehendere, aliisque inculcare debet. *Primum est, ut magnam de hac custodia æstimationem concipiat, certoque sibi persuadeat, eam esse ex potioribus mediis ad perfectionem consequendam*, nemo certe hanc facile assequetur, nisi per internam mentis collectionem, animique solitudinem; quis autem hanc solitudinem speret absque oculorum accurata custodia?

II. *Alterum est, ut solidam, brevemque norit viam ac modum oculorum curiositatem compescendi*: quæ quidem optima ac brevissima merito censetur, ampla & grandis rerum cælestium æstimatio, & cum Superis communicatio; ut enim Cælites ob perfectissimam Dei, rerumque ad beatitudinem spectantium cognitionem, non dignantur aspicere res terrenas, nullumque illarum desiderium concipiunt; ita quo magis quis ad Beatorum statum cognitione, & æstimatione rerum divinarum accesserit, hoc magis ad oculos a rebus terrenis avertendos incitabitur.

III. *Tertium est, ut quoniam in hac vita*, ma-

maxime si quis inter homines vivere cogatur, fieri vix potest, ut non frequenter in oculos incidant, quæ vel ad concupiscentiam illicitam impellant, vel ad displicentiæ, indignationis, aut alios similes motus concitent, studiose se assuefaciat, ex rebus visis mentem ad cælestia transferre, aut alium quempiam spiritualem fructum elicere: sic enim ex ipso rerum conspectarum veneno antidotum faciet, quo facile sese contra omnem rerum visibilium tentationem defendat, atque innoxium servet. Ita fa-
Sap. 13. v. 3. ne Deus ipse per Salomonem suasit dicens: Quorum si specie delectati, Deos putaverunt; sciant, quanto his Dominator eorum speciosior est; specie enim Generator hæc omnia constituit.

IV. *Quartum est, ut competentem de vilitate visionis corporalis æstimationem concipiat:* quam
Richard. de S. Vict. l. c. in Apoc. c. 1. sequentibus verbis Richardus de S. Victore declarat: Visio corporalis est, quando oculos ad exteriora, & visibilia aperimus, & cælum & terram, figuras & colores rerum visibilium videmus; sed hæc visio infima, & infirma est, quia angusta est, maxima non comprehendit; & quia hebes est, minima non discernit; & quia pigra est, non attingit remota; & quia perspicax est, non penetrat occulta. Quæ nihil denique mysticæ significationis continet, & tantummodo corporei sensus motum & actionem habet.

V. *Quintum est, ut bene apprehendat, majus quandoque periculum viris Sanctis ab hujus*
Paulus de Palat. in c. 8. Eccl. *custodiæ neglectu imminere:* uti recte Paulus de Palatio advertit dicens: Multi perierunt ex aspectu fœminarum, imo fere quis periit, nisi ex hoc aspectu? Adeo viris piis hoc unicum est paratum periculum. Aspicit Sol speculum positum, surgit flamma in speculo.

Et quidem quanto speculum lucidius est, ac purius, tanto ignis in ipso per reflexum magis inardescit: quod idem sæpenumero contingere solet in quibusdam conscientiis, & animabus cæteroquin puris, in quibus, eo quod nimia eum fiducia objecta temere conspiciant lubrica & lasciva, carnalis concupiscentiæ ignis subito accenditur.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Matt. 5. v. 28. I. EX occasione thematis: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projicie abs te:* possunt in primis explicari scandala seu damna, quæ ab oculo parum caute custodito proveniunt, præcipue vero hæc tria: tentationes & lapsus carnis, inquietudo animi per varios affectus, ex rebus conspectis oriri solitos, & distractio atque impedimentum in oratione, & devotione: quæ proinde damna paulo fusius describantur. Deinde ostendatur, quale remedium sit adhibendum ad hæc scandala avertenda, scilicet eruendum oculum, non quidem corporaliter, ut S. Lucia fecit, dum audiens quemdam oculis suis ad turpem concupiscentiam inflammatum, utrumque eruit & ipsi transmisit; sed spiritualiter, claudendo eosdem, & non nisi ad usus licitos, & necessarios, eosdem dirigendo.

Thren. 3. v. 51. II. Ex occasione thematis: *Oculus deprædatus est animam meam:* ostendi potest, quam crudeles sint prædones oculi. 1. Quia spoliant omnibus divitiis & meritis cælestibus. 2. Quia spoliant etiam vestibus pretiosissimis, scilicet, gratia, & aliis habitibus supernaturalibus. 3. Quia spoliant ipsa etiam vita spirituali, mortemque æternam inferunt: quæ omnia facile exemplo Sampsonis, Davidis, Ammonis, Holofernis, Salomonis & similium probari possunt. Ostendatur deinde, quomodo hi prædones coerceri, & perpetuo carceri, includi, aut certe omnino ad mortem seu mortificationem spiritualem condemnari debeant, id quod per actus aliquos supra §. 1. enumeratos doceri potest.

III. Ex occasione thematis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit:* ostendi potest, quomodo homo quivis simplicitatem in citata sententia a Christo requisitam in gemino oculo observare aut procurare debeat. Et 1. quidem in externo seu corporali oculo per simplicem suum, id est, non dirigendo aut aperiendo illos, nisi ubi necessitas, vel utilitas vel charitas requirit, ad modum Monachi, qui januæ suæ cellæ hæc verba inscripsit, ut meminisset, non aliter januam illam pro egressu esse aperiendam, quam cum una ex tribus illis causis impelleret. 2. Idem etiam in interno oculo rationis ostendi potest, quomodo scilicet ille quoque simplicitate retinere, aut procurare debeat, tum per *fidem* simplicem nihil credendo, nisi omne & solum id, quod suprema veritas manifestavit: per *intentionem* simplicem, solam Dei majorem gloriam & beneplacitum quærendo: per *scientiam* simplicem, ea sola per illam scrutando & addiscendo, quæ vel ad salutem propriam, vel ad proximi ædificationem conducunt; quem in finem afferri & dilatari potest celebris illa S. Bernardi sententia: Sunt, qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & turpis quæstus est. Et sunt, qui volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut ardentius ædificent, & charitas est. Et sunt, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est. Videri potest de hac materia Faber conc. 2. in festo S. Martini. Luc. 11. v. 34. S. Ber. s. 36 super Cantic.

IV. Ex occasione thematis: *Si autem nequam* (oculus tuus) *fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit:* ostendi potest 1. qui sit nequam oculus, nempe is, qui creaturas tantum aspicit, ut vel Deo suum honorem furetur, ipseque oculis humanis placeat: vel ut divitias acquirat, augeatque: vel ut vane ex objectis visis delectetur: vel ut aliorum observans errores & vitia vanam de propria innocentia ac virtute complacentiam capiat. 2. Ostendi potest quomodo per hunc oculum nequam totum corpus (id est, homo) tenebrosus seu vanus, efficiatur, dum hoc ipso Deo, Sanctis, & hominibus justis displicet, & perinde ut objectum luce carens nec æstimatur, nec laudatur. 3. Ostendi potest, quomodo curari possit hic oculus nequam, scilicet tollendo quadruplicem causam hujus obscurationis & nequitiæ, nempe superbiam, luxuriam, invidiam, facundiam; quæ proin vel omnes breviter, vel una alterave fusius explicetur? pro quo scopo videri potest Faber conc. 3. in festo S. Martini. Luc. 11. v. 34.

V. Ex

Ps. 118. v. 37. V. Ex occaſione thematis: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*: oſtendi poteſt, quam vere omnia vana ſint, quæ per oculos videntur in hac terra: quem in finem aferri poteſt exemplum Salomonis de ſeipſo fatentis: Eccl. 2. v. 10. Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: & per partes oſtendi ex eodem capite, quantas divitias, voluptates, & honores ſibi coacervarit, videritque, & fruitus ſit, & tamen de illis omnibus ſaſſus tandem ſit: Et vidi in his omnibus vanitatem & afflictionem, & nihil permanere ſub ſole. 2. Oſtendi poteſt, quomodo per averſionem a talibus objectis, & converſionem ad Deum & cæleſtia, illa omnia, quæ in creaturis quærebantur, perfectiori longe modo a Deo repertantur, atque adeo rectius cum S. Davide dicatur: Ps. 122. v. 1. Ad te, Domine, levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

Cant. 5. v. 12. VI. Ex occaſione thematis: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima*: explicetur, quomodo oculi & potentia viſiva uſurpari debeant, & ad quæ objecta dirigi ac applicari, nimirum ad fluenta puriſſima, qualia ſunt Deus, B. Virgo, & Cæleſtia; item objecta ea, quæ animam puriorem faciunt, & ad Deum ac virtutem ardentius amandam, & conſectandam conducunt, qualia ſunt exempla bona perſonarum virtute conſpicuarum.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

Menſ. diſ. 21. I. LUcifer per oblationem omnium regnorum totius univerſi ad ſui adorationem Chriſtum inducere volens, Chriſtum in montem altiſſimum extulit, ut inde omnia Mundi regna conſpicere poſſet (oſtendit ei omnia regna Mundi) at vero quænam illum urgebat neceſſitas, ut illum ſuper altiſſimum montem collocaret? Ex quo enim perfectiſſimam habebat ſapientiam dæmon, bene ſcire poterat, ſcriptum eſſe? *Domini eſt terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo*. Reſpondeo, hæc quidem omnia vera aſſe, verumtamen probe quoque ſciebat, quod oculus incantet voluntatem, quodque cor facile ſeducatur ex præſenti, & actuali aſpectu; Hic enim eſt incantatio chara, propter illiclentem, & delinientem voluptatem. Porro modum, quo Lucifer Chriſto omnia mundi regna oſtendit, Janſenius his verbis declarat: Omnium imagines novo quodam modo repræſentavit humanis ejus obtutibus, faciens per eas imagines omnia apparere oculis ejus.

II. Huc ſpectat verbum illud S. Pauli ad Galatas dicentis: *Quis vos faſcinavit?* S. Anſelmus legit: Incantavit; Cornelius a Lapide dicit: Faſcinari ſignificat perſtringere oculos, ut putes te videre, quod revera non vides. Sic igitur dæmon nos incantat, efficiendo, ut nobis una res alia eſſe videatur. S. Hieronymus inquit: Dicitur faſcinum proprie infantibus nocere, & ætati parvolæ, & his, qui firmo nec dum veſtigio figunt gradum. Eheu! quot ſunt quibus dæmon per unius obtutus incantationem timorem Dei aufert, & devotionem, eo quod etiamnum in via ſpirituali novitii ſint, & nondum bene radicati? S. Auguſtinus violentiam, qua oculus valet ad ſeducendam mentem, in Confeſſionibus ſuis ad vivum his verbis expreſſit: Reſiſto ſeductionibus oculorum meorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam. Certum quidem eſt, quod, qui tenſos ſibi laqueos vult declinare, neceſſario oculos apertos habere debeat; At vero ubi, & quomodo illos aperiat, caute illi videndum eſt; Imitandus ei eſt S. Auguſtinus, qui eodem in loco dicit: Et erigo ad te inviſibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos.

Neceſſitas.

III. Ingenioſum eſt illud a Salviano oculis attributum epithetum, quo illi ab eo naturales animi cuniculi appellantur. Salv. l. 1. de prov. Cuniculi enim non ſubito ab igne accenduntur, non evertunt in aera muros, turres, fortalitia recens extructa, ſed tempus & occaſionem opportunam expectant, donec ignis ſenſim, & paulatim ſerpendo ad maſſam pulveris perringat, & impetum faciat: Idipſum quoque multis contingit animabus, quæ veluti fortalitia inexpugnabilia, per virtutum, & meritorum ſuorum ſoliditatem optime munita erant, quæ tandem ſubque deque unius dumtaxat obtutus occaſione evertuntur. Quis unquam fortior fuit Sampſone? quis Davide in ſanctitate, & perfectione fuit ſtabilior? & tamen inimicus ſagax opportunum expectavit tempus, in quo ſe ab exercitu ſuo in campis exiſtente abſentans, poſt laute & delicate nutritum corpus, captumque in meridie ſomnum, ad carnalem voluptatem, magis erat diſpoſitus; tuncque cuniculus conceptum ignem evomuit, *viditque mulierem lavantem ſe, &c.* Cujus objecti ſpecies tot annis in mente ejus reſervatæ, & adeo implacabile ei bellum moverunt, ut lamentari coactus fuerit dicendo: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus: & non eſt ſanitas in carne mea*; Etenim hæc plantaſmata nobis invitis nos infeſtant, turpeſque fovent cogitatus, atque tentationas, atque ad motus obſcœnos nos exſtimulant.

IV. B. Petrus Damianus quorumdam ſapidum hanc eſſe proprietatem ſcribit, quod inſtar lignorum ignem concipiant, & ardeant: S. Petrus Dam. in op. de br. relig. ita enim ſcribit: Orientis lapides ſunt igniferi, qui maſculus & fœmina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli, qui nimirum, cum a ſe invicem procul ſunt, non accanduntur; ſi vero fœmina appropinquaverit maſculo, protinus ex eis ignis egraditur; ita ut omnia, quæ circa montem ſunt, flammis voracibus exurantur. Hoc idem multis accidere quotidie videmus, qui ut plurimum non accenduntur ad laſciviam, niſi ſolum ad aſpectum objecti illecebroſi, ad hujus enim præſentiam, & obtutum continere ſe nequeunt, quin ſibi mutuo complaceant, ſeque invicem deſiderent, & concupiſcant. Qui merito illud Canticorum uſurpare deberent: *Averte oculos tuos, quia*

ipſi

ipſi me avolare fecerunt; Vel, ut ex Hebræo legitur: Quia ipſi abſtulerunt robur meum, quia ipſi me ſuperaverunt.

Ianſi diſ. 9. n. 3. V. Ut quis per feneſtras domum ingrediatur, neceſſario ſcalæ requiruntur, per quas ſumma cum difficultate & periculo aſcenditur. Atque ideo, dum ait: *Mors aſcendit per feneſtras* inſinuare volebat, adeo prædæ cupidos futuros eſſe inimicos, ut illius potiundæ deſiderio, omnes ſuperaturi ſint difficultates. Eodem igitur modo mors peccati, & inimicus infernalis omne ſuperat obſtaculum, ut animas noſtras deprædari poſſit, ideoque omni cum induſtria ſe per feneſtras inſinuat, id eſt, per oculos; At vero quibuſnam utitur ſcalis, ut per feneſtras has ingredi poſſit? ſcalæ ejuſmodi ſunt, rerum viſibilium & delectabilium ſpecies, quæ tametſi bene conſideratæ ſcalæ ſint, quibus ad Creatorem illarum aſcendere poſſumus, nihilominus dum per malitiam noſtram illis abutimur, in iiſdem nobis complacendo, noſtrumque affectum in fruitione illarum firmando, ſcalæ fiunt ad deprædandum animam, per quas potiſſimum eſt aſcenſus ad feneſtras, id eſt, oculos: *oculus meus deprædatus eſt animam meam*, unicus enim illicitus oculorum obtutus abunde ſufficit, ut anima, quantumvis ſancta, & perfecta ſit, theſauris meritorum, donorum, & gratiarum expolietur.

Utilitas.

Manſi diſ. 9. n. 1. VI. Regius Vates, poſtquam divinam legem ſumma, qua fieri poſſet, cum punctualitate adimplere ſecum ſtatuiſſet, hiſce Deum eſt verbis precatus: *Legem pone mihi, Domine, viam Juſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam*: obſervandum vero eſt quod ad hunc finem aſſequendum, nihil aliud a Deo petierit, præterquam exactam oculorum cuſtodiam: nam immediate ſubjungit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem*. Unde Albertus Magnus ait: Poſtquam petiit gratiam ad proficiendum in bono, hic petit ad cavendum mala oculorum cuſtodiam: & merito: quia niſi aliquando ab oculo miſere ſeductus fuiſſet, jugiter in vita ſua immaculatus manſiſſet. Nam in lib. 3. Regum de ipſo dicitur: *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ Hethæi*; Hoc autem cum Bethſabea commiſſum adulterium, indeque ſecutum Uriæ homicidium, & ex utroque delicto cauſatum in populo grave ſcandalum, ex hoc ſolum, quod vidit mulierem lavantem ſe, ſuam traxerunt originem. Unde merito ait: *Averte oculos meos ne videant vanitates, in via tua vivifica me. Statue ſervo tuo eloquium tuum in timore tuo.* Ubi ſpecialiter notandum eſt verbum illud: *Statue*, quod cum verbis illis Sapientis optime conſonat: *Omnes viæ tuæ ſtabilientur*; quia quando oculi diligenter cuſtodiuntur, Evangelicorum præceptorum obſervantia firmiter ſtabilitur, ipſaque innocentia illæſa conſervatur: *In via tua vivifica me.*

VII. Sozomenus de S. Ephrem refert, quod, dum aliquando in civitatem Edeſſæ abiret, intra ſe meditando dixerit: Domine, tu meum hoc iter ſic dirige, ut primo urbis ingreſſu in eum incidam, qui mecum diſſerat ſuper his, quæ ſint juvando & excolendo animo. *Sozom. l. 3. hiſt. Eccl.* Accidit autem, quod, dum portæ urbis vicinus eſſet, cogitans, quiſnam illi primum obviaturus eſſet, coram ſe viderit mulierem quamdam vanam & laſcivam, quam cum vir Dei fixis oculis intuitus fuiſſet, mulier pariter irretortis oculis eum aſpexit: Quod videns S. Ephrem turbari cœpit, timens, ne forte vota ejus Deus non exaudiſſet, cumque torvos in mulierem oculos conjeciſſet, illaque pariter torvis illum oculis intueretur, poſt breve ſilentium his ei verbis improperavit: Non erubeſcis, procax, tam fixis oculis me petere? Cui ipſa protinus reſpondit: Non erubeſco, licere mihi reor te aſpicere, ex te, tuoque latere ſumpta ſum, tibi vero convenit, non fœminas, ſed matrem tuam terram aſpicere, de qua ſumptus es, & in quam reverſurus es. Quo reſponſo percepto, vir Dei conſeſtim agnovit Dei circa ſe diſpoſitionem; qua tum ad animæ ſuæ culturam meliorem, tum ad extimulandum eum ad perfectionem, & ſanctitatem, exactam quamdam circa oculos cautelam, & circumſpectionem menti ejus imprimere voluit.

VIII. Myſteriis turgent verba illa in ſacris Canticis ad animam amantem, quæ virum ſpiritualem & perfectum repræſentat, directa, videlicet: *Oculi ejus ſicut columbæ ſuper rivulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ.* At vero dicet aliquis, quo fine ad hujus columbæ oculos abluendos lac adhibetur, dum illa ſuper limpidiſſimos aquarum fontes hoc fine evolare conſuevit? Pro hujus quæſiti ſolutione ſciendum eſt, indubitatum eſſe, quod per haſce columbas animæ ſummo innocentiæ & puritatis candore conſpicuæ ſignificentur, quibus neceſſum eſt, ut oculos adeo circumſpecte cuſtodiant, ut nulla illis objecti alicujus laſcivi, & lubrici, aut perniculoſi imago, aut ſpecies imprimi poſſit. Audiatis velim S. Gregorium Nyſſenum lactis proprietates in hæc verba exponentem: Conveniens laus hujuſmodi oculis tribuitur, cum lacte columba talis ablui, venuſtaque reddi commemoratur. Nam vere hoc in lacte obſervatum eſt, ſolum inter humida proprietatem hanc habere, quod in eo nullius rei ſimulacrum ac ſimilitudo conſpiciatur; etenim res omnes, quæ humidæ naturæ ſunt, ad ſimilitudinem ſpeculorum ob lævitatem ſuperficiei faciunt, ut inſpicientium in eas viciſſim ex ipſis imagines reluceant; in ſolo autem lacte hujuſmodi ſimulacrorum expreſſio locum non habet. *Manſi diſ. 1. n. 7.*

XI. In opuſculis Sancti Franciſci ſequentia leguntur: Multoties Beatus Pater fratres ſuos hortabatur, ut ſenſus, omni qua poſſent, ſolicitudine cuſtodirent, & refrænarent; ſed præcipue oculos docebat habere pudicos, & honeſtos, hanc illis proponens ſæpius parabolam: Rex quidam pius & caſtus, duos mi- *Idem diſ. 10. n. 6.*

misit successive nuncios ad Reginam, qui ei quædam de Regis mente significarent. Revertitur primus, & pro verbis, quæ ad Reginam detulit, tantum verba Regi reportat, sed de Regioa nihil loquitur, quia oculos sapienter tenebat in capite, nec ullatenus prosilierant in Reginam; redit & secundus, sed post pauca verba, quæ pro nuncii responsione refert, longam de Reginæ pulchritudine texuit historiam. Vere, ioquit, Domine, pulcherrima, & speciosissima fœmina est Regina, felix & beatus reputari potest, qui fruitur illa. Cui turbatus Rex: Tu serve nequam in sponsam meam oculos tuos impudicos conjecisti? Credo, quod tibi emere voluisti rem, quam ita curiose prospexisti. Iratus jubet ad se alterum revocari, & ait illi: Quid tibi de Regina videtur? optime, inqoit, Domine, libenter, & modeste audivit verba Regis, & prudenter respondit. Cui ulterius Rex: Quid de pulchritudioe illius judicas? Nonne speciosa, & pulchra tibi visa est? cæteris estne præstantior mulieribus? Respondit servus: Domine, de pulchritudine illius nihil scio; venustane an speciosa sit, tuum solummodo est discernere & judicare; meum autem, tua illi verba proferre. Beoe, & cordate, inquit Rex, respondisti. Tu, qui oculos habes castos, & verecundos, meus esto cubicolarius; ex oculorum pudicitia, corporis conjicio castitatem & te dignum, cui cubiculi, & regiæ cameræ custodiam committam. Tu vero e regione, qui infrænes & impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis; qui enim serio & subtiliter Reginæ contemplatus es venustatem, timeo, ne illius etiam violare velis honestatem. Hæc Rex. Parabolam, fratres, audistis; seosum intellexistis: oculos in aliquam conjecistis? Mulierem vidistis? pœniteat? Ab oculis imposterum cavete, mors latet in visu.

Idem dis. 15. n. 8. X. Xeoophontis milites cœci oculis fuerunt, quod per multam nivem iter fecerint. Qui igitur nives puritatis intactas, & incontaminatas conservare volunt, cœcorum more se habent, nec oculos, qoamdiu ioter ejusmodi nives ambulant, aperiunt, ideoque tamquam generosi milites impugnant, & viocunt se ipsos, voluptate oculorum se privando, ne propriam coinquinent innoceotiam; virtute enim ad hoc opus est, cui proprium est omnem superare difficultatem.

Gall. Fal. l. 3. Item. virt. XI. Accidit viro illustri, quod adstaret alteri noo inferioris digoitatis in templo, cumque ingressa esset adolescentula geoere, & forma nobilis, oculos illico in ejus aspectum reflexit, quod cum alteri illi displicuisse animadverteret, ejus severitatem comprimere ausus illo Psalmi versiculo se excusavit: *Delectasti me, Domine, in factura tua*: Sed ille ex tempore, suaviter saoe: Perge, ait, & vide, quæ eodem in Psalmo sequantur, & invenies: *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. CHristus S. Birgittæ modum gubernandi corporis tradens, inter alia dixit: Datum est homini visum, tamquam bonum speculatorem, qui discernat ioter hostes venientes & amicos. Tunc autem, inquit, veoiont hostes, quando oculi desiderant videre pulchras facies. *L. 6. c. 6.*

II. Si nescis, oculi sunt in amores duces, canebat olim Propertius. *L. 2. eleg. 8.*

III. S. Basilius ait, oculos pronubos esse, cujus tactus minister est. *L. de vera virg.*

IV. Plinius testatur, oculos moriente homine primo interire, & ultimo nasci, ut serius expo- nator homo telis diaboli & citius subducatur. *Leuciz. op. 2. n. 231.*

V. Salvianus oculos appellat naturales quosdam animi cuniculos. *Lib. de provi.*

VI. Inter duodecim meditationes, qoibus duodecim Anachoretæ se quotidie exercuisse dixerunt; primus & senior eorum dixit: Ego, Fratres, ex quo cœpi quiescere, totum circumfixi meipsum, his, quæ sunt, visionibus. Et velut murum faciens inter animum, & corporales actus, dixi in mente mea: Quemadmodum is, qui intra morum præstantem oon videt, sic nec tu velis exteriores actus aspicere, sed te ipsum intuere, sustinens quotidie spem Dei. *Vit. PP. ap. Leuciz. l. c. n. 101.*

VII. S. Basilius rogatus a Libaoo Sophista scholæ Magistro quem adierat, ut ad ejus Discipulos verba faceret, illos inter alia serio monendos censuit, pudore armari, demissos habere oculos, sursum animum. *Amphiloc. in ejus vit.*

VIII. Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus. *Horat. de arte poetic.*

IX. Oculi membra sunt carnis, sed mentis fenestræ; dicebat S. Augustinus. *in Ps. 41.*

Necessitas.

X. Dæmon offert oculis formas illices, & faciles voloptates, ut visu destruat castitatem. *Leuciz. op. 2. n. 239.*

XI. Tunc ego te vidi, tunc cœpi scire, quid esses,
Illa fuit mentis prima ruina meæ! *Ep. Medea ad Jason.*

Canit Ovidius, ut utinam non cum illo plurimi canere id possent!

XII. Ignis taogentes, inquiebat Xenophon, propeque astantes urit, pulchri & formosi non item; procul enim astantes ioflammant. *Stobæus f. 64.*

XIII. S. Bernardus dicebat, oculos esse occasionem peccati, indicium commissæ culpæ, causam committendæ. *De grad. humil.*

Utilitas.

XIV. Cum aliquando S. Ephrem paupercula cœna occuparetur, mulier procax accessit ad demissam cellæ fenestram, quæ, dum rogat, nom quid ad apparatum desideraret, hoc responsum accepit: Nihil equidem nisi tres lateres, & paululum luti ad hanc fenestram occludendam. *Beir. thr. 3. in fest. Mar.*

XV.

Sen. ep. 70. XV. Qui deponere vult desideria] rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit, avertat, cito rebellat affectus, quocumque se convertit. Ita Seneca.

§. XV. AXIOMATA.

I. Oculi sunt in amore duces.

§. XVI. AUTHORES.

I. Nicolaus Lanc. opusc. 2. c. 4. & 14.
II. Jacobus Alvarez to. 2. l. 2. p. 2. c. 2.
III. Jeremias Drex. in Niceta l. 1. c. 7.
IV. Franciscus Arrias in tribus tract. spir. tr. 3. p. 2. c. 15. 16. & 17.
V. Joannes Pelecyus de offic. Relig. l. 3. c. 8.
VI. Laurentius Beirlinck them. 3. in festo S. Martini.
VII. Julius Fatius de mortif. c. 6. consid. 7.
VIII. Josephus Mansi.
IX. Joannes Rho l. 7. var. virt. c. 4.

TITULUS CV.

ODIUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Aug. l. definit. I. EST, juxta D. Augustinum, vetus ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans. Vel juxta S. Thomam, est dissonantia appetitus rationalis ad apprehensum ut disconveniens. S. Th. l. 2. q. 29. ar. 2.

Divisio.

Cajet. 2. 2. q. 29. II. Dividitur a Cajetano, & aliis in Odium *Abominationis* & Odium *Inimicitiæ*. Illud est, quo rem aliquam aversamur; hoc quo personam abominamur, illique malum optamus. Unde Azor hæc duo Odia *Rei*, & *Personæ* appellat.

Actus.

Cass. coll. 16. c. 17. & 18. III. Primus est, *animo solo aversari alterum:* de quo actu memoranda est Cassiani sententia dicentis, Illud vero quale est, quod interdum patientes nos esse credimus, quasi respondere contemnimus lacessiti, vel gesta, motuque irrisorio fratrem subsannamus? Quasi vero apud Deum verba tantummodo, & non præcipue voluntas vocetur in culpam, & opus solum peccati, & non etiam votum ac propositum habeamus in crimine? Quid enim differt, utrum quis gladio peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, eum ipsius eum dolo vel crimine constet extinctum? Et infra: Sæpe autem ficta patientia etiam acrius ad iracundiam, quam sermo succendit, & atrocissimas verberum transcendit injurias maligna taciturnitas: leviusque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentium subdola blandimenta.

IV. Secundus est, *odium suum verbis:* puta contumeliis aut imprecationibus mali contestari.

V. Tertius est, *ipso opere gravi alteri malum, odio impellente, machinari:* quomodo Cain, Abelem, & Fratres Josephi hunc suum fraterculum oderunt.

VI. Quartus est, *optare, ut alii quoque inimicis suis malum inferant.*

VII. Quintus est, *gaudere si inimicis malum aliquod, aut infortunium eveniat:* de quo actu locutus est Job, quando dixit: Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultavi, quod invenisset eum malum. Job. 3. v. 29.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. QUi operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio. Prov. 26. v. 26.

II. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. 1. Jo. 2. v. 11.

III. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. 1. Joh. 4. 20.

IV. Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit quo revocamur. Aug. de verit. relig.

V. Sicut rex in imagine sua honoratur, sic Deus in homine diligitur & oditur, non potest hominem odisse, qui Deum amat, nec potest Deum amare, qui hominem odit. Chrysost. super matt. 12.

VI. Odientes nos debemus diligere & quantum in nobis est, pacem cum eis habere. Greg. in Regist.

Fuga.

VII. Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Lev. 19. v. 17.

VIII. Si offer munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matt. 5. v. 24.

Damnum.

IX. Odium suscitat rixas, & universa delicta operit charitas. Pr. 10 v. 12. 1. Joa. 3 v. 10.

X. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Greg. l. 5. moral. Chrysost. sup. Mat. hom. 33.

XI. Odium tenebrat conscientiam. id. ibid. hom. 42.

XII. Odium spiritus est tenebrarum. Greg. 30. moral.

XIII. Odium omne malum suggerit.

XIV. Odium proximi impedit orationis fructus.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. QUemadmodum omnium virtutum excellentissima est charitas, ita universorum vitiorum gravissimum est, odisse proximum. Nam qui fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus: Qui odit fratrem suum, Deum ipsum odit. S. Eph. in interr. & r.

II. Non est hoc spectandum, ut non habeamus inimicos, sed ne juste & cum causa, & ut, licet S. Chrys. in Ps. 7.

licet millies odio habeamur, non habeamus odio, neque aversemur.

S. Aug. s. 1. de temp. III. Qui scit se vel unum hominem odio habere, nescio, si ad altare Domini possit securus accedere, cum præcipue Joannes Evangelista terribiliter clamet, Et dicat: Qui fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est judicare, utrum homicida, antequam pœnitentiam agat, præsumere debet Eucharistiam accipere.

S. Chrys. sup. Mat. IV. Hæc est pugna periculosa, & hæc gloriosa victoria, qui poterit odisse, quod amat; & amare, quod odit.

S. Aug. in serm. V. In comparatione odii ira festuca est; sed festucam si nutrias, trabs erit: si evellas & projicias, nihil erit.

Cassiod. in Ps. 34. VI. Gravissimum inimicitiæ genus est, corde esse adversarium, & lingua simulare devotum.

Damnum.

S. Hier. ep. 36. VII. Irascimini, inquit David, & nolite peccare. Hoc quid velit intelligi, plenius Apostolus interpretatur: Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die judicii, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum Sol testis occubuit?

S. Ambr. prec. 2. ad miss. VIII. Qui invidet vel odit, non alium prius quam seipsum occidit. Qui exultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus, alieno proximum se petit gladio.

S.Greg. l. 10. mor. IX. Vitam animæ qualibet culpa polluit, servatus vero contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius infigitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perfodiuntur.

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA.

Qualitas.

Gen. 27. v. 41. I. ESau semper oderat Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

Gen. 37. v. 4. II. Fratres Joseph videntes, quod a Patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant el quidquam pacifice loqui.

Ex. 1. v. 13. III. Ægyptii Filios Israel summopere oderunt, & affixerunt illudentes, atque ad amaritudinem perduxerunt vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.

Fuga.

Ps. 108. 4. IV. David, quantopere hoc odium fugerit, testatur ipse dicens: Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Unde admirans S. Bernardus exclamat: O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensendum putavit, quæstum existimans maledicta: at ille intendebat, quid in occulto ageret Deus.

S. Ber. s. 34. in Cant.

Job 31. v. 29. V. Job quoque de se ipso confitetur, se in ruinam inimici gavisum non fuisse, nec exultasse, quando malum illi occurrit.

Vit. PP. l. 5. libell. 1. n. 6. VI. Abbas Agathon dicebat de se: Secundum voluntatem meam nunquam dormivi, retinens in corde meo adversus quemquam dolores; neque dimisi alium dormire habentem adversum me aliquid.

Gen. 45. v. 15. VII. Joseph Patriarcha non solum non odit fratres suos a quibus venditus est, sed osculatus est eos, & ploravit super singulos. Odium fratrum, inquit S. Augustinus, lacrymis charitatis abluebat. Non cogitavit addictam pretio germanitatem, sed pro malis bona restituens, jam tunc nec dum data Apostolica præcepta complevit.

Damnum.

2. Reg. 13. v. 15. VIII. Amnon sororem suam Thamar post oppressionem exosam habuit odio magno nimis, ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat; unde & ejici eam extra domum jussit. Sed & ipse simile odium ab Absalone, ipsamque denique mortem ex justa Numinis vindicta tulit.

Esther 6. 8. IX. Aman cum ex odio erga Mardochæum pro ipso jussisset patibulum erigi, interitumque toti genti Judaicæ machinatus esset, conversa fortuna, ipse primus cum Familia sua in eo pependit, & interiit.

Spec. Ex. v. dimittere ex. 4. X. Burgensis quidam cum odium erga quosdam usque ad mortem sovisset, post mortem illius, dum in templo preces pro eo persolvuntur, Christus crucifixus manus suas retrahens auribusque inferens clare dixit: Non pepercit, nec parcam.

Ib. ex. 8. XI. Mulier quædam cum odium semel conceptum nunquam amplius dimittere consuesset, in ultimo morbo; dum ei Sacerdos Viaticum porrigere voluit, avertit se ad parietem, & dixit: Sicut me averti ab hominibus, sic Deus avertet se a me, nec unquam misericorditer aspiciet. Quibus dictis paulo post expiravit.

§. V. EXEMPLA PROFANA.

Qualitas.

Sabell. l. 2. c. 3. ex Jos. Lang. in Polyant. I. TImon Atheniensis usque adeo odium erga omnes homines imbiberat, ut ab omni eorum consortio se abstrahens, semper solus vivere consueverit. Quæsitus autem, quæ esset causa tanti odii? respondit: Improbos odi, quia improbi sunt: reliquos autem, quia improbos non oderunt.

Plutar. in Vita. II. Annibal adhuc puer interrogatus, quando odium inter Carthaginem, & Romam finiendum esset? pedem solo iosixit, & suscitato pulvere, tunc finiendum dixit, quando altera pars in pulverem redacta fuerit.

Textor. in Offic. l. 1. c. 36. III. Vatinianus adeo Romanos oderat, ut in proverbium abierit illius odium, idemque esset Vatinianum ac summum odium.

Val. Max. l. 9. IV. Quam vehemens Amilcaris odium adversus populum Romanum? Quatuor enim puerilis ætatis filios intuens, ejusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperii nostri alere se prædicabat. Digna nutrimenta quæ in exitium patriæ suæ, ut evenit, converterentur.

Ibid. V. Idem Annibal mature adeo patris Amilcaris

earis vestigia subsequutus est, ut eo exercitum in Hispaniam trajecturo & ob id sacrificante, octo annorum natus, altaria tenens juraret se cum primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem populo Romano futurum, ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret.

Bapt. Fulgos. lib. 9. VI. Cum Paulus Romanus a Senatu videret Appium Claudium juniorem Consulem cum Tullio Quintio Capitolino creari, ingenti odio commotus, quo Appiam gentem prosequebatur, ac simul indignatus, comitio excessit, ne ad honores evehi quemquam ex ea gente conspiceret.

Fuga.

Cassiod. l. 1. var. ep. 3. VII. Theodoricus Rex Venantium inimicum summis honoribus cum auxisset, rationem hujus reddens dixit: Unde sic factum est, ut ei libenter daremus præmium, qui nostrum sic juvit inimicum, quia casu patrocinante contrario, tanto nobis reddebatur acceptus, quanto tunc cognosci sui poterat indevotus, idest, Inimicus.

Senec. de Clem. l. 9. VIII. Cum Lucius Cinna Augusto Imperatori insidias paraffet, Livia Conjux Augusti eidem suasit, clementia retraheret ab odio, exemplo Medici, qui extrardinaria media adhibet, quando ordinaria non prosunt. Quare Augustus consilium uxoris secutus, Cinna ad se vocato dixit: Cinna, iterum tibi vitam do, prius hosti, nunc insidiatori ac Parricidæ, eique consolatum obtulit, perpetuoque amicissimum habuit, ac solum hæredem reliquit.

Ælian. l. 12. IX. Phocion Imperator licet innocentissimus, cum Atheniensium jussu lictore ei poculum venenatum porrigente, propinqui rogassent, quid filio mandaret? hoc unum, inquit, ut obliviscatur potus hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.

§. IV. SIMILITUDINES.

Qualitas.

Plinius l. 10. c. 74. I. SIcut inter animantes quædam sunt occulta diffidia, licet nulla appareat diffidii ratio, ut inter araneas, & serpentes, formicas & sorices, trocbilum, & aquilam; ita sunt, qui certam gentem aut homines oderunt, cum nesciant, quare oderint.

Erasmus in simil. II. Sicut carboni semel exusto, suffocatoque, si denuo flagret, major est vis; ita semel sopitum odium, si rursum excandescat, acrius est.

Ibid. III. Sicut, qui ex balneo calent, vehementius frigescunt; ita acrius se oderunt, qui prius fuerunt amici.

Idem in apopht. IV. Sicut flamma alacris, fumus vero intolerabilis est; ita sæpe tolerabilior est manifesta injuria, quam occultum odium.

Ibid. V. Sicut facile est, ignem injicere, sed difficile injectum extinguere; ita longe facilius est, inimicitias excitare quam componere.

Plutarch. in moral. VI. Sicut vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt; ita, qui odio habent alios, ad delicta aliorum accurrunt, ac carpunt, ad recte facta autem sunt stupidi.

Thriverus apopt. 173. VII. Sicut ea, quæ rupta sunt, eo difficilius coalescunt, quo magis prius conjuncta sunt; sic amicorum & propinquorum odia tanto sunt vehementiora, quanto arctiori prius amicitiæ aut necessitudinis vinculo fuerunt constricti.

Fuga.

VIII. Sicut si insles in scintillam, excitas incendium; contra si inspuas, extinguis; & utrumque tibi in manu est; sic odia inflatis, & acerbis sermonibus magis excitantur, mansuetis sopiuntur, juxta illud Salomonis: Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. *Prov. 15. v. 1.*

IX. Sicut cupimus cloacas quam longissime ab ædibus nostris abesse; ita odio velut vitiorum purgamenta fœtida, quam longe possumus, a nobis removere oportet. *Plutarch. in moral.*

X. Sicut Rex in imagine sua honoratur; sic Deus in homine amatur, vel odio habetur. *S. Greg. in mor.*

Damnum.

XI. Sicut nullum in vulnere valet medicamentum, si intus sit ferrum; ita nihil proficit illius oratio, in cujus pectore mortiferum versatur odium. *S. Aug. de recta conversat. Cathol.*

XII. Sicut ex ellychnis difflato, & nondum extincto nascitur plurimum fœtor, & aliquando etiam maximum incendium; ita ex odiis dissimulatis gravissimus sæpe oritur tumultus. *Langius in Pol. V. Odium.*

XIII. Sicut si flamma in domo exorta foras non prodit, perniciosior est, quia nemine prohibente grassatur; ita odium occultum gravissime nocet, quia aliorum auxilio sopiri, & corrigi non potest. *Marc. Sub. Sar. tr. 4. lect. 4.*

§. VII. MOTIVA.

I. QUia Deo summe injuriosum est: ut qui ex toto corde amari se præcepit, & merito, quia dignus est; per odium autem proximi tanquam imaginis suæ contemnitur, & odio habetur.

II. *Quia homine Christiano indignum est*: utpote cui a Christo specialiter mandatum est, ut proximum diligat, & ex hoc indicio verus Discipulus ac Christianus dici studeat. Hinc jam olim de primis Christianis cum admiratione Ethnici dicebant: En quomodo amant se!

III. *Quia ipsi naturali inclinationi contrarium est hoc vitium*: hæc enim impellit nos ad proximos nostros velut fratres, & membra diligendos, cujus contrarium, odio perficitur.

IV. *Quia omnes labores nostros, & opera infructuosa facit*: Si enim orationem repellit Deus, quamdiu odium fovetur, quanto magis de aliis operibus id sentiendum erit?

V. Quia teste S. Basilio, sicut is, qui charitatem habet, is Deum habet; sic qui odium habet, *diabolum nutrit*.

VI. Quia in manifestum beatitudinis amittendæ *periculum præcipitat*: cum Deus lege talionis uti erga nos, si non dimittimus debita; ita nec ipse dimissurus sit, atque adeo haud dubie in infernum detrusurus sit.

§. VIII. MEDIA.

S. Ber. l. 20. in Cant. I. **C**Hristum in proximo aspicere: & quasi dicentem sibi imaginari: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: Ita S. Bernardus suasit dicens: Proinde, dilectissimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque; sic enim peccantes, in Christum peccatis, qui *Mat. 25. v. 40.* ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Plutarc. ab. lang. in Polian. II. *Materiam odii subducere:* uti Plutarchus suasit: Subduc materiam, & extinguetur ignis; subduc occasionem, conquiescet odium sive invidia.

S. Aug. s. 3. de S. Steph. III. *Sua peccata considerare:* sic enim odium quisque in se convertet. Ita S. Augustinus monuit his verbis: O quicumque ille es, attendis, quod tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris Deo, cum enim tu multum graviora in Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, ut tibi Deus dignetur remittere multum.

1. Petr. 3. v. 13. IV. *Charismata meliora æmulari:* Juxta consilium S. Petri dicentis: Et quis est, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis.

Gen. 50. v. 20. V. *Duplicem personam intueri in iis, qui nos injuria affecisse videntur:* unam, qua nobis male volunt propria voluntate; alteram, qua velut instrumentum a Deo assumptum id exequuntur, quod Deus per providentiam suam ad majus nostrum bonum fieri decrevit, quo modo Joseph fratres suos aspexit, dum dixit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum (propria voluntate inferendum) sed Deus vertit illud in bonum per suam singularem providentiam.

§. IX. ASCETICA.

I. **Q**Uatuor præcipue sunt, quæ ab Asceta specialiter circa hoc vitium notanda sunt. Primum est, ut bene addiscat, & distinguat, quid in Proximo sit odio habendum. *Cassiod. oper. Ps.* Qua in re Cassiodorus facem præfert dicens: Perfectum odium est, homines diligere, & eorum vitia semper horrere; nam in illa parte, qua creatura Dei sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt.

II. Alterum est, ut sciat, quomodo se defendere debeat contra activum odium, nimirum observando doctrinam ultimam priori §. datam, sic enim apprehensionem injuriæ vel offensæ, ex qua omne odium oascitur, facile tollet, & cum ea tanquam radice ipsum etiam odii vitium extermioabit.

III. Quartum est, ut sciat, quomodo se gerere debeat, si ipse forte causam odii dedit alteri, videlicet si æqualis est, sequendo con- *S. Aug. hom. 40. ex. 50.* silium S. Augustini dicentis: Ipsos in primis admoneo; quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, & revocatis ad vos, & consideratis vos, & justum judicium fertis in vobis intus in cordibus vestris, & invenietis vos non debuisse facere, quod fecistis, non debuistis dicere, quod dixistis. Petite veniam fratres a fratribus vestris, facite fratribus, quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut, & Deus in Christo donavit vobis. Nolite erubescere veniam petere. Si autem Superior sit, qui offendit, aliud ejusdem Sancti consilium audiat, dum ait: Ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum, & si non potest dicere servo suo, quia non oportet, da mihi veniam, blande illum alloquatur; blanda enim appellatio veniæ est postulatio. *Ibid.*

§. X. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. **E**X occasione thematis: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo:* explicari possunt causæ, cur Proximus odio non sit habendus, nimirum 1. quia *imago Dei* est, atque adeo, qui ipsum odit, Deum odisse censendus est. 2. Quia *instrumentum Dei* est paterne nos corrigere volentis. 3. Quia *phrenesi* interiore animi captus est, atque adeo commiseratione potius, quam odio dignus est. 4. Quia *Membrum* est ejusdem corporis, cujus nos membrum sumus, atque adeo iterum amorem potius, quam odium meretur, cum nemo carnem suam odio habeat. *Lev. 19. v. 17.*

II. Ex occasione thematis: *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis:* ostendantur damna, quæ incurruntur per odium scilicet par aut majus odium. 1. Apud *Deum*, qui sicut diligentes se diligit, ita se odio habentes in sua imagine pariter odisse solet. 2. Apud *Proximos*: quia sicut hi diligi optant ab aliis; ita vel maxime detestantur eos, qui ejusmodi dilectioni officium prætermittunt, atque ad odium proni sunt. 3. Apud *seipsos*; cum enim odium, & rancor omnem cordi lætitiam surripiant, necessario fieri solet, ut ejusmodi homines ob internam tristitiam, & melancholiam etiam sibi ipsis odiosi, & graves sint, atque adeo infernum quemdam experiri incipiant.

III. Ex occasione thematis: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est:* ostendi potest, quam recte S. Joannes odium homicidio compararit. 1. Quia, quantum ex se, is, qui odit, occidit Deum, quatenus est causa Passionis Christi. 2. Quia occidit Proximum, imprecando ei, machinando, aut etiam actu inferendo mortem vel corporalem, vel certe spiritualem peccati aut infamiæ. 3. Quia seipsum occidit, tum abbreviando vitam corporis per tristitiam, & rumorem; tum animam occidendo per tristitiam, & rancorem; tum animam occidendo per peccatum ipsum odii.

Vide plures conceptus in titulis Ira, & Dilectio inimici.

§. XI. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. **R**Ecte dixit Seneca: Non est prudentis, errantes odisse; alioqui ipse sibi odio erit. *Senec. de ira.*

II. Fabius Maximus dicebat: absurdum sibi videri, si cum equos, & canes venaticos familiaritate, ciboque cicuremus potius, quam catenis ac verberibus, homines feroces ani- *Plutarc. in apoph.*

animo, non humanitate ac beneficiis nobis conciliemus; sed asperiores in illos simus, quam agricolæ sunt in caprificos ac malos silvestres, & oleastros, qui has non protinus excidunt, sed incisione docent mitescere.

Æneas Sylvius l. 2. comm. III. Sigismundus Imp. cum ei Laurentius Ungariæ Palatinus diceret, imprudenter eum facere, quod victos hostes in amicos reciperet, respondit: Tibi quidem videtur utile inimicum occidere, quia mortuus bellum non excitat; atqui ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo.

Lanzius in Polyanth. v. inimicitia. IV. Cum duobus inimicis in navi, & quidem altero in puppi, altero in prora sedentibus, gravis tempestas interitum minaretur, interrogavit is, qui in puppi sedebat, qua parte Navarchus putaret navim prius hauriendam; eumque intellexisset, in prora citius mergendam, jam, inquit, mihi mors mea multo levior evadet, quando inimicum meum prius morientem video.

Plutarc. l. c. V. Ariston cum ex quodam audivisset, amicis bene, inimicis male faciendum, quinimo, respondit, præstantius est amicis benefacere, & ex inimicis etiam reddere amicos.

Damnum.

VI. Plutarchus dicere solebat, inimicos venenis similes esse, quæ alexipharmaca constituunt; nam & ipsi, licet mali, aliena mala tollunt, & corrigunt.

Boet. 63. de conj. VII. Boetius indicavit, nullam pestem esse efficaciorem ad nocendum, quam familiarem inimicum.

Senec. in Herc. fur. VIII. Effectus odii pulchre descripsit Seneca sequentibus:

Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella, tum vastis ager
Squalebit arvis, subdita tectis face
Altus sepultas obruet Gentes cinis.

§. XII. AXIOMATA.

I. Figulus figulum odit.
II. Ex grandi amicitia nascuntur grandia odia.
III. Odia occulta pariunt incommoda multa.
IV. Inclusa odia pariunt grandes tempestates.
V. Oderint, dum metuant.
VI. Odia inveterata, raro sanata.

§. XIII. AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.
II. Jacobus Marchantius in tuba Sacerd. tr. 4. lect. 4.
III. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.
IV. Thomas Stapletonus text. 2. in Dom. 5. post Pent.

TITULUS CVI.

OPUS BONUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

I. Est Opus, vitæ æternæ meritorium. Sic enim hic accipitur, & non prout est opus laudabile, seu rationis dictamini conforme, quale etiam ab Ethnicis patrari potest.

Divisio.

II. Dividitur in opus *necessarium*, & *supererogatorium*; illud, est, quod omnino impleri necesse est ab iis, qui vitam æternam obtinere desiderant; illud est, quod libere ab operante suscipitur.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. *1. Jo. 3. v. 18.*
II. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. *Matth. 5. v. 16.*
III. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. *Jo. 9. v. 4.*
IV. Erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. *Ps. 1. v. 3.*
V. Bonum opus operata est in me. *Marc. 14. v. 6.*
VI. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. *Jo. 6. v. 27.*
VII. Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. *1. Cor. 15. v. 58.*
VIII. Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant. *Jo. 12. v. 35.*
IX. Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Jo. 15. v. 16.*
X. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem domesticos fidei. *Gal. 6. v. 10.*
XI. Satagite, ut per bona opera certam vocationem vestram, & electionem faciatis. *2. Petr. 1. v. 10.*

Necessitas.

XII. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Matth. 3. v. 10.*
XIII. Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est; ipse intrabit in regnum cælorum. *Matth. 7. v. 21.*
XIV. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. *Jo. 15. v. 2.*
XV. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? *Jac. 2. v. 14.*

Utilitas.

Mich. 6. v. 8. XVI. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirit a te: utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Is. 3. v. 10. VII. Dicite justo, quoniam bene; quoniam fructum adinventionum suarum comedet.

Rom. 2. v. 6. XVIII. Reddet unicuique secundum opera ejus.

Ib. v. 10. XIX. Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum.

Gal. 6. v. 9. XX. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes.

Prov. 12. v. 14. XXI. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

S. Cyrill. ap. Lirae. am apop. 14. l. 1. I. HAbent opera linguam suam, habent facundiam suam etiam tacente lingua; facta namque præ dictis amantem probant.

S. Greg. Niss. l. de Opif. Mundi. II. Manus datæ sunt homini, ut melius loquerctur; tunc enim melius quis loquitur, cum manuum actiones vocem comitantur, & pronunciationem adjuvant; illarum quippe motus, rei, de qua agitur, & vocis sono conveniens, nescio quid spiritus, & vitæ habet. Quisquis igitur diligere se altum afferit, & in verbis, istit, sine manibus loquitur, verba ejus quodammodo mortua sunt; accedat operatio, quæ manuum similitudine significatur, & fiet ut melius loquatur.

Orig. ho. 9. in Judicis. III. Non absque sacramenti quadam significatione hoc mihi videtur scriptum (scilicet historia de militibus Gedeonis aquam manu lambentibus) nempe quod & manu, & lingua operari debeant milites Christi, hoc est, opere & verbo.

S. Ign. M. in ep. ad Ephes. IV. Qui Christum profitentur se amare, non modo ex iis, quæ dicunt, sed & ex iis, quæ faciunt, cognoscuntur; ex fructibus enim arbor dignoscitur; præstat enim amicum esse, & tacere, quam loqui, & non esse: non in sermone regnum Dei, sed in virtute est.

S. Chrys. ap. Lyr. apoph. 9. l. 1. V. Ille syllogismus certissime concludit, qui per opera efficitur.

S. Ber. l. 3. de cons. ad. c. 4. VI. Spiritualis homo omne opus suum trina consideratione præveniat. Primo, an liceat: deinde, an deceat: postremo, an expediat; nam etiamsi constet in Christiana Philosophia non decere, quod non licet, non expedire, quod non decet, & non licet, non continuo tamen omne, quod licet decere aut expedire consequens erit.

S. Basil. in Ps. 33. VII. Potest juxta Apostolicam adhortationem vir quivis bonarum artium studiosus cuncta facere ad gloriam Dei, ita ut facta, dictaque ipsius omnia, omnisque spiritualis operatio vim laudis habeant. Sive enim bibat justus, sive edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam, cum dormit, convigilat, juxta verbum dicentis in Gantico Canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat.

S. Greg. l. 19. in Job. VIII. Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nihil temporale in his, quæ agit, appetat, sed totam se in soliditate æternitatis figat.

Aug. sup. Psalm. IX. Bonorum opus fiat non timore, sed amore, non formidine pœnæ, sed dilectione justitiæ, & ipsa enim vera & summa libertas est.

Idem in Joan. X. Bonum & rectum est omne quod agimus, si nec memoriam decipat oblivio, nec error intelligentiam, nec iniquitas voluntatem, ab his tribus est omne quod agimus.

Greg. in Moral. XI. In opere perfectus non est, cui adhuc linguæ pravitas contradicit, nec in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit.

Idem in Homil. XII. Probatio dilectionis, exhibitio est operis. Non sibi aliquid credat quicquid sibi animus sine testatione operis respondet, de dilectione conditoris, mens, lingua & vita requiritur: Nunquam est amor Dei otiosus, operatur enim magna, si est, si vero operari renuit, amor non est.

Necessitas.

Idem ho. 1. in Ev. XIII. Nec sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione respondeat. De dilectione Conditoris lingua, mens, & vita requiruntur.

Utilitas.

S. Ber. s. 10. ad Cler. XIV. Non transeunt opera nostra, ut videntur, sed temporalia quæque, velut æternitatis semina jaciuntur: Stupebit insipiens, cum ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, sive bonam, sive malam pro qualitate sementis.

Idem s. de Omn. SS. XV. Ad quid opera illorum sequuntur, ut laudent eos in portis? ad quid sequuntur? nisi ut multiplicentur a fructu eorum, & accipientes de fructu manuum suarum saginentur vituli, quos ex testimonio Prophetico, cum reædificabuntur muri Jerusalem, super altare Domini novimus imponendos.

§. IV. EXEMPLA.

Marc. 7. v. 37. I. CHristus usque adeo perfecte sua opera elaboravit, ut publicum a turba testimonium tulerit, dicente: Bene omnia fecit. Sed & S. Mariæ Magdalenæ quondam dixit: Sint

Vita p. 8. c. 20. omnia opera tua facta cum tanta mansuetudine, & cum actu seu gestu adeo humili, ut repræsentent magnetem ad trahendas creaturas ad Deum; & cum tanta prudentia, ut sint regula membris meis, id est, animabus religiosis, & tuis proximis.

Joseph. l. 1. antiq. II. Abel, teste Josepho, justitiam colebat, & omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat.

Gen. 9. v. 9. III. De Noe testatur S. Scriptura, quod fuerit vir justus, atque perfectus in operibus suis, & cum Deo ambulaverit.

Act. 13. v. 22. 3. Reg. 15. v. 5. IV. David erat vir secundum cor Dei, & faciebat omnes voluntates ejus, & quod erat rectum in oculis Domini, & non declinavit ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi.

2. Paral. c. 31. v. 20. V. Ezechias operatus est bonum, & rectum, & ve-

& verum coram Domino Deo suo in universa cultura Ministerii domus Domini, juxta legem, & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo. Hinc etiam ausus est ad Deum dicere: Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te, in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. *4. Reg. 20. v. 3.*

Job 1. v. 8. VI. De Job quoque dixit Deus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo rectus, & simplex, ac timens Deum, & recedens a malo?

P. 3. Vit. c. 3. VII. S. Clara de monte Falco cum tanta cautela ac diligentia omnia sua peragebat, ac si quavis hora vocanda foret ad rationem Deo reddendam.

Lyraeus l. 3. apophr. 34. VIII. Senex quidam ex antiquis Patribus, ad se venientibus dicere solebat: Non opus est verborum tantum: sunt enim verba plurima in hominibus tempore hoc, sed opera necessaria sunt; hæc enim Deus quærit, non verba, quæ fructum non habent.

§. IV. SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Laur. Just. in proœm. I. SIcut arbor, si virescat foliis, flores redoleat, etsi immaturis fructibus fœcunda, & amœna in se esse videatur, infructuosa censenda est; ita & opus quodlibet, si interna virtutis ac charitatis directione informatum non est, æternæ vitæ merito prorsus caret.

Plutarc. de cognit. profect. II. Sicut qui sepem aut aggerem construunt, quodvis congerunt lignum, saxum, aut columnam e sepulchro delapsam; at qui Regiam ædificat, nihil temere componit; sic vir bonus nullam vitæ partem negligit incomposite.

Drex. in amussi l. 2. c. 10. III. Sicut in templo Salomonis nihil erat, quod non auro tegeretur; sic in templo animæ nullum opus relinqui debet, quod non auro charitatis divinæ, seu purissimæ intentionis vestiatur.

Suppl. ser. 3. in Dom. 7. post. Pen. IV. Sicut homines avari nec minima lucra contemnunt, sed semper cumulo addunt; ita homo nec minimas benefaciendi occasiones prætermittere debet.

Ibid. V. Sicut in eo, qui recte valet, calor naturalis omne alimentum in sanguinem convertit; sic in Deo radicatus, omnia quæ facit, &, quæ ei accidunt, materiam virtutis, & boni operis facit.

Berl. ser. 4. in festo S. Cath. VI. Sicut domini honoratiores famulos suos, qui eos comitantur ad magnum Principem aut Imperatorem ituros, quam possunt, optime, & decentissime vestire solent, ita, cum opera nostra nos olim ad Deum Judicem ituros commitatura sint, æquum est, ut quam possumus, perfectissime eadem peragamus.

Ibid. VII. Sicut ii, qui ad nuptias invitati sunt, omnem operam adhibent, ut honestissime vestiti accedant; ita qui ad cælestes nuptias invitatos se credunt, non minorem diligentiam adhibent, ut pulcherrimis virtutibus, optimisque operibus ornati compareant.

Utilitas

VIII. Sicut malis operibus, quasi quibusdam vectibus ac seris vitæ nobis janua clauditur; ita absque dubio bonis operibus apetitur.

§. VI. MOTIVA.

I. NEcessitas: Quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum, teste S. Jacobo. Et hæc sunt; ex quibus in altera vita vivere debemus, unde merito hortatur Salomon: Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. *Jac. 2. v. 24.* *Eccles. 9. v. 10.*

II. *Utilitas*: Quia opera bona sunt veræ divitiæ spirituales ad omnia utiles, teste S. Paulo dicente: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem (quam Interpretes volunt in bonorum operum exercitio consistere) ad omnia utilis est. Unde, & Christus tam sollicite ad hos thesauros, quos nec fures effodiunt, & furantur, nec ærugo, & tinea consumit, congregandos hortatur. *1. Tim. 4. v. 8.* *Matth. 6. v. 20.*

III. *Jucunditas:* Si enim tam jucundus est Operariis, Artificibus, Mercatoribus, & Militibus labor ac certamen, quia per eos se divitias temporales, & perituras obtenturos sperant; quanto magis jucunda accidere debet operum bonorum exercitatio, per quam veræ, & æternum mansuræ divitiæ spirituales comparantur.

IV. *Dignitas:* Si enim in hac vita tanto quisque dignior censetur, quanto propius dignitate sua ad Regem vel Imperatorem accedit, quantoque major horum amicus creditur: quantam bonis operibus dignitatem inesse necesse est, per quæ sola homo proxime ad Deum accedit, & amicus ejus charissimus efficitur.

V. *Facilitas:* Cum enim Deus, teste pio Authore, magis penset, ex quanto quis agat, quam opus, quod facit, facile patet, facillimum cuique esse, bonis operibus vacare; quam ob causam Christus onus suum leve, & jugum suave esse dixit. *Matth. 11. v. 30.*

§. VII. MEDIA.

I. AMor Dei: Nam; ut S. Gregorius ait, nunquam Dei amor est otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operari renuit, amor non est. *S. Greg. h. 3. in Ev. Bredenb. l. 8. collat.*

II. *Amor sui ordinatus:* Si enim temporalibus divitiis tantopere inhiamus, ut per eas nobis bene sit in hac vita, quanto magis operibus bonis studiose vacandum est, quæ efficiunt, ut nobis in hac, & altera bene sit? Hinc merito B. Mechtildem, cum quondam a Christo visitaretur, has Beatorum in cælis voces audivisse dicitur: O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritorum enim majores cumulos vobis potestis comparare! Si enim, quantum quotidie meritorum mortalis sibi acquirere potest, probe intelligeret, quo temporis articulo mane expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illuce-

fcere, qua Deo vixere, & tantis fe divitiis, meritifque locuplerare fe poffet.

III. *Amor, & Zelus erga Proximum*: Cum enim hujus falus maxime per gratiam Dei efficacem procuretur (nam homo rigat, & plantat dumtaxat, Deus autem dat incrementum, teste D. Paulo) hæc autem gratia tanto certius & copiofius obtineatur, quanto gratior eft is, qui eam petit, tanto autem Deo quifque fit gratior, quanto copiofius amorem fuum operibus Deo gratis teftatur; recte infertur, optimum effe proximo fubveniendi medium, bonorum, id eft, ftatui fuo ac vocationi conformium operum exercitium.

1. Cor. 3. v. 6.

IV. *Vitæ brevitas*: Quis enim mendicus, fi Rex ei thefaurum aperiret ac facultatem concederet, per unum diem auferendi ex illo thefauro, quantum vellet, & poffet, vel unicum momentum abire fineret, quem non pecuniis ex thefauro exportandis impenderet? quanto magis ergo ceffare non debet manus noftra fpatio tam brevi vitæ ad divitias cæleftes comparandas concesso. Hinc merito monet Apoftolus: Videte, Fratres, quomodo caute ambuletis, non quafi infipientes, fed ut fapientes, redimentes tempus: quoniam dies mali funt.

Eph. 5. v. 15.

V. *Sæcularium fervor, & exemplum*: Si enim illi die noctuque a laboribus non ceffant, ut honores & opes, & voluptates perituras acquirere, fruique iis poffint, quid facere non deberet homo, ut æternas opes, ac voluptates gloriamque confequatur? O utinam non cum veritate dici poffet: Filii hujus fæculi prudentiores filiis lucis in generatione fua funt.

Luc. 16. v. 8.

§. VIII. ASCETICA.

I. TRia funt præcipua, quæ Afceta de bonis operibus noffe, aliifque bene inculcare debet. Primum eft, ut bene cognofcat, quænam conditiones ad opus bonum requirantur, fcilicet, ut quoad *fubftantiam* fit faltem indifferens, quoad *modum* fiat cum debita diligentia, & circumftantiis: & quoad *finem* fiat propter finem fupernaturalem. Quod nonnulli brevius expreflerunt, dum dixerunt:

Omne tulit punctum, patitur qui femper, agitque,
Quæ vult, quove modo vult Deus, & quia vult.

De primo quidem teftatur Theodoretus his verbis: Qui Deum amat, omnia alia defpiciens, & eum folum, qui amatur, refpiciens, illius curam, & fuam in eum fervitutem cæteris præfert omnibus, illa folum dicens, & faciens, quæ ei, quem amat, placent, & grata funt, & abhorret omnia, quæcumque ille prohibet. Quod ipfum etiam fentiens B. Petrus Damianus, ait: Unum eft, quod mens cujufque fidelis debet folerter attendere, & intra femetipfum follicita femper inquifitione verfare, fcilicet utrum placeat Deo, quod agit, & an ejus vita vel operibus Deus delectetur; quid enim proderit, quidquid homo faciat, fi hoc non placet Deo? Sicut enim, inquit Stapletonus, qui aliquem invitat parat ftudiofe cibos, non fuo, fed hofpitis palato gratos; fic fi Deo per opera noftra placere volumus, ea oportet facere, quæ ipfi grata, non quæ noftris cupiditatibus accepta funt. Porro ut cognofcamus, quæ ipfi grata funt, tres habemus Superiores, qui id indicent (ut bene notavit Joannes Ximenez Societatis Jefu Coadjutor) Deum in cælo, Superiorem in Capitulo, rationem in capite; nam, ut S. Laurentius Juftinianus ait, hominis ratio, cum fplendore illuftratur fapientiæ, & divino appropinquat lumini, eft quædam fpiritualis regula, & magiftra virtutum, per quam, quid rectum, quidve obliquum verfetur in corpore, quid agendum, & quid omittendum fit, fufficienter intelligit. Ideo Chrifti legitimus fervus, & perfectionis amator numquam ceffet, rationis judicio virtutum actus examinare, ne incuria difcretionis, vitium fub virtutis velamine ad opus exeat. Sed, & S. Bafilius teftatur, Deum per naturæ legem, boni malique rationem nobis indidiffe, fui Dominam, aurigandi gnaram, & rectricem optimam.

Theodor. orat. de charit.

S. Petrus Dam. l. 5. ep. 2.

Vita P. Balth. Alvar. c. 14. & 43.

S. Laur. Just. c. 14. de d. sc. & perf. mon. conv.

S. Basil. c. 7. de praescript.

II. Quod vero etiam *eo modo*, qui Deo placet, facere noftra debeamus, fat clare indicavit Apoftolus, dum hortatus eft, ut effemus abundantes in bono opere femper, id eft, ut S. Bafilius explicat, majore ftudio perfequamur opus Domini, quam ea, quæ vulgo funt in ftudio apud homines; fi enim idem Apoftolus dominis carnalibus voluit fervire non ad oculum, fed ex animo cum timore, & tremore, fimplicitate, & bona voluntate, quanto magis ab homine Deus in fuo fervitio fimilem diligentiam requiret? Hinc per Siracidem hortatur: In omnibus operibus tuis præcellens efto.

S. Basil. in reg. brev. 220.

Eccl. 33. v. 23.

III. Quod denique etiam facienda fint opera, *quia Deo placent*: pulchre in primis indicavit S. Bernardus, dum ait, ex intentione rectitudinem operis, velut ex facie pulchritudinem corporis æftimari. Duo autem in intentione (quam faciem animæ effe diximus) neceffaria requiruntur tanquam duæ genæ, res, & caufa, id eft quid intendas & propter quid. Et ex his fane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur. Illud porro opus, tefte Granatenfi, eft Deo gratiffimum, quod folis ejus oculis confpicuum, ei, qui operatur, nec utilitati, nec honori, fed nec voluptati eft, nifi hoc folo nomine, quod Dei caufa fit factum. E contrario vero, juxta S. Bernardum, infipida Deo, & quodammodo infulfa eft noftra obedientia vel patientia, nifi omnium, quæ vel agimus, vel patimur, ipfe fit caufa. Quam autem fublimis fit hic gradus, teftatur aperte Sanctus Laurentius Juftinianus, dum ait: Rarus profecto reperitur, qui folo teftimonio contentus fit divino. Hoc probatiffimorum virorum proprium eft, qui in luce veritatis gradientes introrfus, Deo tantum placere concupifcunt.

Lud. Gra. ep. Dren. in omnib. l. 2. c. 8. §. 1.

S. Bern. l. de obed. & pat.

S. Laur. Justin. de compl. Chrys. perf. col. 10.

IV. Alterum eft, ut magna de ejufmodi bonis operibus æftimationem concipiat, quam quidem haud difficulter hauriet, fi certo fibi perfuadet, optimam vitam (qualis eft, quæ optimis operibus abundat) effe *fummum*, quem Deo exhibere poffumus, *cultum: fummum*, quod nobis ipfis hac in vita procurare poffumus, *gaudium*: & *fummum* denique, quod defunctis æque

æque ac viventibus præstare possumus *auxilium*.

V. Tertium est, ut medium idoneum, & efficax norit, quo in ejusmodi bonorum operum exercitio juvetur, quale quidem præ reliquis æstimator, si ita hoc exercitium aggrediatur, ac si dies quilibet aut primus conversionis, aut ultimus vitæ esset; quorum mediorum primum S. Antonius suasit dicens: Hoc sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem debere semper augere, quod cœperit. Alterum S. Basilius suggessit dicens: Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies. Cum enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas pervenire; & cum in lectulum ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis advento, ut facilius te possis refrænare ab omnibus vitiis.

Surius 7. a. p. 396. S. Basil. in instruct. ad fil. spir.

§. IX. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo*: possunt bona opera thesauro comparari. 1. *Propter veritatem operum*: sicut enim in thesauro res valde variæ reperiuntur; ita vita quoque nostra variis operibus, ab obedientia, ac Dei voluntate præscriptis, abundare debet. 2. *Propter antiquitatem*: quia sicut thesaurus est pecunia, vel aliæ similes res absconditæ a longo tempore; ita ab antiquis Patribus ac Majoribus bona opera jam sunt exercita, & nobis pro thesauro, id est, ad imitationem relicta. 3. *Propter præstantiam, & valorem*: quia sicut thesaurus divitem, & beatum, omnibusque bonis affluentem facit hominem; ita ad ipsum multo copiosius, & sublimius bona opera faciunt, uti facile fusius ostendi potest. Excitentur proinde Auditores, ut nulli labori parcant in hoc thesauro comparando, & effodiendo.

Matth. 6. v. 20.

II. Ex occasione thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos*: potest narrari, & explicari Parabola Barlaami de Amico, qui ad Judicem citatus, tres, quos habebat Amicos rogavit, ut secum irent, & apud Judicem defendereot; quorum primus (per qoem divitias intelligebat) nonnisi iodusium aut vestem, qua honeste tegeretur, obtulit: alter (per quem Consanguinei significantur) nonnisi ad domum usque Judicis, seu sepulchrum, comitabatur: tertius, quem minime sibi conciliare studebat (opera puta) usque ad judicium secutus est, fortiterque defendit. Excitentur proinde Auditores, ut hunc velut sincerissimum Amicum pluris æstimeot, & ante omnes fovere per frequens exercitium studeant.

Apoc. 14. v. 13.

III. Ex occasione thematis: *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*: Possuot bona opera oleo comparari, lampas vero anima dici. Et 1. quidem necessitas bonorum operum ostendi, quod scilicet, quam parum lumeo sine oleo aut simili materia nutriri, tam parum lumen gloriæ, & visio beatifica sine bonis operibus conservari possit. 2. Ostendi potest gaudium, quod ex lumine gloriæ per oleum bonorum operum accenso, vel obtento oritur, ubi susos nuptiarum cælestium, & beatitudinis æternæ jucunditas explicari potest. 3. Ostendi possunt Mercatores, qui ejusmodi oleum veodunt, id est, occasiones variæ bonorum operum exercendorum proponi possunt, atque ad illas sollicite aprehendendas Auditores excitari.

Matt. 25. v. 4.

§. X. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. ECclesia, dum Epistolam recitari in Missa jubet, non frustra manus libro applicari præcipit, ut significet non sufficere audire verbum Dei, sed etiam manum applicandam esse, id est, opere complendum, quod lectum est.

Lyreus l. 1. apoph. 14.

II. Olim in veteri testamento non offerebantur pulli, nisi retorto ad collum capite, circa quem ritum S. Gregorius ait: Caput ad pennulas retorqueri præcipitur, ut ea, quæ dicis, facias, & os ad opera conjungas: quid enim ait S. Prosper, agat domum dilectionis, si benevolentiæ sollicitudo non vigilet?

Levit. 5. v. 8.

S. Greg. h. 7. in Eze. S. Prosp. apud Lyr. l. c.

III. Maximum hoc est, & officium Sapientiæ, & judicium, ut verbis opera concordent, ut & ipse par tibi ubique, ibidemque sis. Quis hoc præstabit? pauci aliqui tamen.

Seneca ep. 20. Enselgr. in Luca Ev.

Necessitas.

IV. Cato Romanus neminem in civem Romanum admittebat, nisi qui callosas, & labore induratas manus haberet; sic neque Deus alios in cælum admittit, nisi qui in bonis operibus strenue se exercuerunt.

Utilitas.

V. Chiromantæ ex manibus hominis prosperam ei vel adversam fortunam annunciant; verius tamen ex operibus bonis manuum vel mentis, felix ei status æternitatis prædicitur.

Lyreus l. c.

VI. Aristodemus, cum uxor ei geminos filios peperisset, ut de hærede regni Lacedæmonici judicare posset, atque adeo quis primogenitus esset, intelligere ex insidiis arbitros observare, jussit, quem ex geminis Mater primum uberibus admoveret, ulnis exciperet, osculis dısuaviaret, sicque ex hisce indiciis primogenitus innotuit. Simili modo etiam noster erga Deum amor, & primi amici ex operibus cognoscuntur.

Ibid.

VII. S. Gertrudis divinitus edocta est, quod quandocumque aliquis scribit, vel alios doceat ea intentione, ut laus Dei per hoc promoveatur, & profectus animarum, tunc omnis profectus, quem unquam aliquis ex illa doctrina vel Scriptura etiam post mille annorum millia consequatur, cedit in illius salutem, quia sua intentione hoc primitus Domino libavit.

L. 2. Insin. c. 11.

§. XI. AUTHORES.

I. NIcolaus Laneizius opusc. 3. cap. 3. & 9. & opusc. 5. c. 3. & opusc. 10. cap. 8. Item opusc. 11. cap. 32. & cap. 17.

II. Adrianus Lyreus in apoph. Sancti Ignatii l. 1. apopht. 14.

III. Thomas Stapletonus text. 3. & 5. in Dom. 7. post Pent. & text. 7. in Dom. 12. post Pent. Item text. 2. in Dom. Septuag.

IV. Hie-

IV. Hieremias Drexelius in amussi, seu recta intentione l. 2. c. 10.

V. Henricus Engelgrave p. 1. Lucis Evang. embl. 39.

VI. Mathias Faber conc. 3. in Dom. 7. post Pentecost. & conc. 5. in Dom. 11. post Pentec. Item conc. 1. Dom. Septuag.

TITULUS CVII.

ORATIO.

§. I. QUOAD ESSENTIAM.

Definitio.

S. Damasc. l. 3. de fide. S. Aug in Ps. 85.

I. EST elevatio mentis ad Deum, ut eam S. Damascenus definit. Vel, ut S. Augustinus, est locutio ad Deum: quando enim legis, tibi loquitur Deus: quando oras, cum Deo loqueris. Fusius B. Balthas. Alvarez Soc. Jesu, orare, inquit, est Spiritum suum ad Deum elevare, eique res suas omnes familiariter, magnaque cum reverentia communicare, sicut solet amicus cum amico, cui fidit. Ex quibus definitionibus Ludovicus Granatensis sequentia colligit præconia orationis: Oratio est *Elevatio* animæ supra se, & super omnia, quæ creata sunt: *Unio* cum Deo, & in profundum immensæ suavitatis, & amoris Divini pelagus immersio. Oratio est *Exitus* animi ad recipiendum Deum, cum venit ad illum: trahit eum ad se tamquam vicinum: hospitio excipit in se tamquam in suo templo: ibi possidet eum, amat eum, & fruitur eo. Oratio est *Statio* animæ in præsentia Dei, & Dei in præsentia animæ, dum aspicit ille animsm oculis suæ misericordiæ, & hæc Deum oculis humilitatis, qui aspectus est majoris fœcunditatis, & virtutis, quam ille omnium Stellarum, & Planetarum Cæli. Oratio est *Cathedra* spiritualis: in qua anima sedet ad pedes Domini, audiens doctrinam ejus, & recipiens influentias misericordiæ ejus, dicens cum Sponsa in Canticis: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Ibi accendit eam Deus suo amore, & ungit sua gratia, quæ sic uncta, & elevata in Spiritu contemplatur, & contemplando amat, & amando gustat, & gustando quiescit, & in ista quiete omni fruitur gloria, quæ in hoc mundo haberi potest. Oratio est *cibus* animæ, *deliciæ* & *amplexus* Dei, *osculum* pacis inter Sponsum, & Sponsam: *Sabbatum* spirituale, in quo Deus dulciter requiescit: *Domus* saltus Libani, in qua verus Salomon suis fruitur deliciis cum filiis hominum. Oratio est *Speculum* clarissimum, in quo Deus cognoscitur, cognoscitur & homo cum omnibus suis nævis, imperfectionibus & miseriis. Oratio est *exercitium* quotidianum multarum virtutum, *mortificatio* appetituum sensualium, *fonsque* omnis boni propositi, & desiderii. Oratio est *lac* incipientium, *cibus* proficientium, *viaticum* peregrinantium, *portus* periclitantium, *adminiculum* triumphantium. Oratio est *medicina* infirmorum, *gaudium* afflictorum, *fortitudo* debilium, *remedium* peccatorum, *delectatio* justorum, *auxilium* vivorum, *suffragium* mortuorum, & *commune* totius Ecclesiæ *subsidium*. Oratio est *porta* regalis, per quam ad cor Dei ingredimur, *primitiæ* futuræ gloriæ: *manna* in se habens omnis dulcedinis suavitatem: & *scala* Jacob, per quam Angeli ascendunt portantes supplices nostros libellos ad Deum, & descendunt reportantes ad nos negotiorum nostrorum expeditiones.

Lud. Gra. l. 3. de or. c. 8.

Divisio.

Drex. in Rosa mar. p. 1. c. 9. §. 9.

II. Dividitur potissimum in *vocalem*, & *mentalem*. Vocalis dicitur, quæ non animum tantum, sed & linguam occupat, quando scilicet animus, & lingua velut gemini legati se Deo sistunt, & causam suam juncta opera perorant. Mentalis est, quæ lingua silente cor evocat ad secretum cum Deo colloquium.

1. Tim. 2. v. 8.

III. Vocalis subdividitur in *Publicam*, quæ nomine totius Populi in Ecclesia a Sacerdotibus peragitur, quod fit, dum Horas Canonicas recitant. Et *Privatam*, quam singuli privatim quocumque loco peragunt, juxta monitum S. Pauli: Volo ergo viros orare in omni loco.

Rich. de S. Vict. l. 1. de Contemp. p. 1. Hugo l. 3. de anim.

IV. Mentalis subdividitur in simplicem *Cogitationem*, quæ est momentanea cujuspiam rei consideratio. *Meditationem*, quæ est sedula, & affectuosa rerum rimatio: & *Contemplationem*, quæ est inspectio rei sine discursu. De quibus sic loquitur Hugo de S. Vict. Cogitatio vaga incessu semper hoc, & illud divertit: sed meditatio destinata promotione semper in interiora tendit: Contemplatio autem est libera mentis perspicacia in Sapientiæ speculo cum admiratione suspensa. Meditationis est perscrutari occulta, Contemplationis admirari perspicua.

Actus.

V. *Magnam de Deo ejusque perfectione, ac dignitate æstimationem concipere.*

Isa. 6. v. 3.

VI. *Ob easdem perfectiones eum laudare, & benedicere*: ad imitationem Seraphinorum clamantium: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.

Apoc. 19. v. 6.

VII. *Per cantica spiritualia gaudium suum de ejus gloria, ac bonitate conceptum profiteri*, ad modum Sanctorum dicentium: Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.

Ib. v. 4.

VIII. *Eumdem adorare*, seu Authorem omnium bonorum voce, & exteriori corporis submissione confiteri ad imitationem viginti quatuor Seniorum cadentium, & adorantium Deum sedentem super thronum, & dicentium Alleluja.

Apoc. 7. v. 12.

IX. *Gratias illi pro beneficiis acceptis agere*, & propterea benedicere, ac dicere cum iisdem Senioribus: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum.

Dan. 3. v. 57.

X. *Ad similem benedictionem creaturas invitare*, juxta exemplum trium puerorum Caldæo.

dæorum in fornace existentium, & dicentium: Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in secula.

Ps. 150. v. 1. XI. *Deum in sanctis suis laudare*, juxta illud Davidis: Laudate Dominum in Sanctis ejus.

Luc. 11. v. 9. XII. *Varias ab eo gratias, & dona petere*, juxta illud Christi: Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

Gen. 24. v. 63. XIII. *Divinas ejus perfectiones, aut misteria vitæ Christi & Sanctorum cum convenientibus affectibus, & imitationis proposito meditari*, juxta exemplum Isaac deambulantis per viam, quæ ducit ad Puteum, cujus nomen est viventis, & videntis, & egredientis ad meditandum in agro.

Ps. 33. v. 9. XIV. *Easdem perfectiones aut mysteria cum admiratione, & Spiritus suavitate absque discursu contemplari*, juxta illud Davidis: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.

Gradus.

XV. Primus est cum labore, & difficultate mentem ad Deum elevare, & precari.

Luc. 18. v. 1. XVI. Secundus est, magna cum felicitate, & delectatione mentem etiam inter ipsas occupationes ad Deum attollere, sicque implere illud Christi: Oportet semper orare, & non deficere.

Vit. l. 1. c. 2. XVII. Tertius est in tali elevatione passive se magis, quam active habere, quemadmodum de S. Ignatio Ribadeneira testatur.

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas Præparationis.

Eccl. 18. v. 23. I. ANte orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Prov. 16. v. 1. II. Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.

Ps. 10. v. 17. III. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis ejus audivit auris tua.

Fidei.

Jac. 1. v. 5. IV. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Domino.

Matt. 21. v. 22. V. Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.

Spei.

Ps. 61. v. 9. VI. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.

Thr. 3. v. 25. VII. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum.

1. Jo. 3. v. 21. VIII. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.

Charitatis.

Ps. 36. v. 7. IX. Subditus esto Domino, & ora eum.

Is. 59. v. 1. X. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat: neque agravata est auris ejus, ut non exaudiat: sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate.

Thr. 3. v. 44. XI. Opposuisti nubem (peccatorum) tibi, ne transeat oratio.

Jo. 9. v. 31. XII. Scimus, quia peccatores Deus non audit; & si quis cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

Jo. 15. v. 7. XIII. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.

Humilitatis.

Jud. 9. v. 16. XIV. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

Eccl. 35. v. 21. XV. Oratio humiliantis se penetrabit nubes, & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.

Ps. 101. v. 18. XVI. Respexit in orationem humilium, & non sprevit preces eorum.

Gen. 18. v. 27. XVII. Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.

Attentionis.

1. Cor. 14. v. 15. XVIII. Orabo spiritu, orabo & mente.

Joh. 4. v. 24. XIX. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

XX. Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac.

2. Reg. 7. v. 27. XXI. Descenderuntque volucres super cadavera (in sacrificium oblata) & abigebat eas Abraham.

Fervoris.

Gen. 15. v. 1. XXII. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo.

Ps. 118. v. 97. Ps. 140. v. 2. XXIII. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Perseverantiæ.

Luc. 18. v. 1. XXIV. Oportet semper orare, & non deficere.

Act. 1. v. 14. XXV. Hi omnes Discipuli erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Matre Jesu.

Luc. 11. v. 8. XXVI. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios.

Assiduitatis.

Eccl. 18. v. 22. XXVII. Non impediaris orare semper.

Luc. 21. v. 36. XXVIII. Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Tob. 4. v. 20. XXIX. Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.

Col. 4. v. 2. XXX. Orationi instate, vigilantes in ea, in gratiarum actione.

Tem-

Temporis.

Eccl. 39. v. 6. XXXI. Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur.

Sap. 16. v. 2. XXXII. Oportet prævenire ſolem ad benedictiooem tuam, & ad orientem lucis te adorare.

Iſ. 26. v. 9. XXXIII. Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis vigilabo ad te.

Pſ. 118. v. 26. XXXIV. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper judicia juſtificationis tuæ.

Afflictionis.

Tob. 12. v. 8. XXXV. Bona eſt oratio cum jejunio.

Jud. 4. v. 12. XXXVI. Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes perſeveraveritis in jejuniis, & orationibus io conſpectu Domini.

Jo. 3. v. 8. XXXVII. Operiantur ſaccis homines, & jumenta; & clament ad Dominum in fortitudine, & convertatur vir a via ſua mala. Quis ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus?

Dan. 10. v. 12. XXXVIII. Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in coosſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua.

Pro quibus.

1. Tim. 2. v. 1. XXXIX. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt conſtituti.

Luc. 6. v. 28. XL. Ego dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.

Jac. 5. v. 16. XLI. Orate pro invicem, ut ſalvemini; multum eoim valet deprecatio juſti aſſidua.

In Chriſti nomine.

Jo. 14. v. 13. XLII. Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.

Jo. 16. v. 23. XLIII. Amen, amen dico vobis, ſi quid petieretis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Neceſſitas.

Jo. 16. v. 24. XLIV. Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.

Matt. 17. v. 21. XLV. Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, oiſi per orationem, & jejunium.

Matt. 26. v. 41. XLVI. Vigilate, & orate, ne intretis in teotationem.

Utilitas.

Luc. 11. v. 13. XLVII. Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit Spiritum bonum petentibus ſe.

Iſ. 30. v. 19. XLVIII. Plorans nequaquam plorabis: miſerans miſerebitur tui, ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit, reſpoodebit.

Job. 8. v. 5. XLIX. Tu ſi diluculo conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus, ſi mundus, & rectus inceſſeris, ſtatim evigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum Juſtitiæ tuæ.

Dignitas.

Deut. 4. v. 7. L. Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropioquaotes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.

3. Reg. 8. v. 27. LI. Ergone putandum eſt, quod vere Deus habitet ſuper terram? ſi enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc?

Jucunditas.

Sap. 8. v. 16. LII. Intrans in domum meam conquieſcam cum illa (Deitate) non enim habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium.

Meditatio.

Eccl. 14. v. 22. LIII. Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei.

Pſ. 5. v. 5. LIV. Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. Mane aſtabo tibi, & videbo.

Thren. 2. v. 19. LV. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas.

Thren. 3. v. 28. LVI. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſuper ſe.

Pſ. 118. v. 16. LVII. In Juſtificatiooibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos.

Ib. v. 24. LVIII. Teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum juſtificationes tuæ.

Ib. v. 47. LIX. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi.

Pſ. 38. v. 4. LX. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis.

§. III. EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

Qualitas.

S. Clim. Grad. 28. I. ORatio, ſi ipſius naturam ſeu quidditatem ſpectes, *eſt familiaris converſatio, & conjunctio hominis cum Deo*.

S. Laur. Juſt. de caſto conn. c. 22. II. Humilitas, & Charitas, ſpirituales orationis ſuot alæ, quarum remigio uſque ad interiora ingreditur velaminis, ubi verbum in ſinu reſidens paterno æterna virtute generatur.

S. Greg. in c. 3. Jo. III. Ille veram Deo orationem exhibet, qui ſemetipſum, quia pulvis ſit, humiliter videt.

S. Ber. ſ. in regul. IV. Orare oportet reverenter, tam mente, quam corpore, id eſt, humilem debet reverentiam ſervare interius & exterius; parum quippe prodeſt orare, & caput inclinare, atque pectus exterius tundere, niſi orans inclinet, & humiliet interios mentem.

S. Laur. Juſt. de perf. gr. c. 12. V. Magna prorſus eſt orationis virtus, divioo conſpectui oblata per Angelos, ſi tamen ſit

fit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ subnixa, humilitate sociata, a delictorum sordibus impolluta, bonisque operibus decorata.

Agellius in f. 16.

VI. Perfecta est oratio; cum preces justitia commendat.

S. Laur. Just. de ov. c. 4.

VII. Omnipotens Deus, orationem illius in tribulatione non audit, qui illius præcepta in operatione adimplere contemnit; dignum quippe est, ut ab ejus beneficiis quisque sit extraneus, cujus jussionibus non vult esse subjectus.

S. Aug in f. 102.

VIII. Omnes male viventes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt; quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua?

Idem.

IX. Si vis benedicere Domino fac verbum ejus, dicit enim David: *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, qui facitis voluntatem ejus.*

S. Greg. in c. 4 Cant.

X. Bene odor vestimentorum tuorum, sicut thuris, esse perhibetur, quia in omnibus operibus suis orat, dum preveniendi intentione ea, quæ potest, bona operatur.

S. Bonav. in Ps. 118.

XI. Si Deum ferventer orare volumus, illi tripliciter adhærere debemus, videlicet per fidem, spem, charitatem: Fides enim orationem dirigit, spes erigit, charitas porrigit.

Aug. super Ps. 85.

XII. Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris.

Greg. in past.

XIII. Talis requirendus est ad orandum, qui sit idoneus ad placandum, quia si is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Bernard. super Cant. serm. 18.

XIV. Oratio ad eos Sanctos præcipue fiat, quibus orans magis afficitur.

Attentio, & ejus qualitas.

Bellov. p. spec. mor. 11. dist. 21.

XV. Non plus delectatur Deus in oratione vocali sine attentione mentali, quam in garritu avium, vel in grunnitu porcorum: orans Psalmista dicit Domino: *Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.* Et alibi. *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*: sed si tu ipse non attendis tibi, quomodo speras Deum intendere tibi?

Euf. Emys. f. in Luc.

XVI. Quomodo probabitur congregatus, si a semetipso cogitationum evagatione dispersus est? aut quomodo erit Deus in medio tui, si tecum ipse non fueris? si deest ille, qui poscit, quomodo aderit ille, qui poscitur? quomodo suscitabitur Judex, si dormitaverit Advocatus.

S. Chryf. serm. 1. tr. 9. c. 22.

XVII. Cum amico colloquens cum attentione illud facis, cum Deo autem de peccatis tuis agens, & condonationem postulans, & veniam orans, subinde torpescis, genibusque humi positis, sæpe per forum, sæpe per ædes mentem tuam divagari sinis, ore tuo interim temere, innaniterque garriente.

S. Ant. p. 4. serm. c. 6. S. 8.

XVIII. Unguentum est oratio, quo sanantur pestes, & ulcera animæ, quæ in se suavis est. Muscæ sunt importunæ cogitationes volatiles, quæ menti occurrunt, quæ tunc moriuntur, cum permanent, & odorem perdunt, id est, destruunt suavitatem, & consolationem orationis.

S. Gr. l. 16. mor. c. 19.

XIX. Sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere vel maculare contendunt, quod in nobis Deo flentes immolamus: unde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit; sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & perversæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.

S. Aug. l. de cura pro mort. c. 1.

XX. Orantes de membris sui corporis faciant, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternunt solo, & si quid aliud visibiliter faciant: quamvis eorum invisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut ei humanus pandatur animus; sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius; & nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque rursus exterius visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.

S. Aug super Ps. 95.

XXI. Tunc in toto corda clamatur, quando aliunde non cogitur; tales orationes raræ sunt multis, crebræ paucis utrum nec cuiquam nescio.

Idem.

XXII. Si quis intendat ita animam suam in singula verba Psalmorum, sicut gustus est ad discretionem saporis ciborum, iste est, qui complet, quod dicitur: Psallite sapienter.

S. Isid. l. 3 de summ. bono.

XXIII. Mens nostra cælestis est, & tunc orando Deum bene contemplatur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur.

S. Ephr. tom. 2.

XXIV. Vis loqui cum Deo? attende tibi. Vis audiri? te ipsum prius, quid loquaris, audi. Nec sic properes, ne frustra ores.

S. Bern. l. de anim. c. 8.

XXV. Magnam injuriam Deo facio, cum illum precor, ut meam precem audiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, ut mihi intendat, ego vero nec mihi, nec illi intendo: Quod deterius est, inutilia, & immunda in corde versando, fœtorem horribilem ejus aspectibus ingero.

Idem f. 47. in Cant.

XXVI. Unde vos moneo, dilectissimi, pure, semper, & strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut, sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed virili, ut dignum est, & sonitu, & affectu voces Sancti Spiritus depromentes. Pure vero, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis. Spiritus Sanctus illa hora gratiarum non recipit, quidquid aliud, quam debes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.

S. Isid. l. 4. epist. 12.

XXIV. Omnes homines sunt ita affecti, ut illis studeant, & opitulari, & attendere, quos viderint nequaquam dormientes, neque ignaviæ deditos; sed qui ipsi se præparant, & instruunt, & prompti sunt ad officii partes

tes

tes peragendas. Qua igitur fronte tu postulare audes, ut dum ipse dormis, nullaque salutis tuæ cura tangeris, insuperabile auxilium celeste ad te advolet? cumque voto frustratus fueris, egre fers? Præcedant itaque ea, quæ a te exiguntur, & tunc demum, quæ sunt auxili divini subsequentur.

Necessitas.

S. Bonav. de sex. alis. XXVIII. Instabilis est bonorum operum structura, quæ devota orationis frequentia non compaginatur.

S. Chrys. l. 1. de or. Deo. XXIX. Cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida vehementique cura teneri, continuo mihi palam est, cum nihil egregiæ dotis possidere. Et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis; nam hoc ipsum est evidentissimum argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium.

S. Aug. l. 4. de doct. Christ. c. 15. XXX. Munus suum ut præstet, magis opus est orationum, quam Oratoris facultate, ut orando pro se, & pro illis, quos est allocutus, sit Orator ante, quam dictor.

S. Chrys. l. 1. de or. Deo. XXXI. Arbitror, cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac vitæ hujus cursum peragere. Etenim qui fiat, ut virtutem quis exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur homini.

Ibid. XXXII. Sceleratissimi spiritus continenter obambulant observantes nos, ut si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio, protinus abripiant.

Gaufridus ap. P. ter. l. 1. doct. asc. c. 24. doct. asc. XXXIII. Cesset oratio, quoties deest necessitas, quoties tibi nullum imminet periculum ipsa etiam morte gravius. Sed si nescis: Militia est vita hominis super terram, & continua colluctatio adversus nequitias spirituales. Neque aliud forte discrimen gravius potest, aut periculosius inveniri, quam dissimulatio ipsa periculi. Numquam deest igitur orandi necessitas, ubi numquam est vera securitas.

S. Bonav. de inter. dom. c. 48. XXXIV. Nullo alio modo Deus ad misericordiam flectitur, quam si animus deprecantis ad eum toto devotionis affectu convertatur.

S. Carol. Borrom. XXXV. Inter alia, quæ Sapientia Dei, Christus Dominus noster, in toto sancti Evangelii decursu, summa cum sollicitudine nobis commendavit, oratio præcipuum locum habet, cujus usus, & exercitium homini Christiano adeo est proprium, ut Deus propter ipsam eos ab omnibus Mundi nationibus dissimiles facere voluerit, Domus mea, inquit Redemptor, domus orationis vocabitur.

S. Climac. grad. 19. XXXVI. Quando dæmones vident Religiosum externis corporis ministeriis distractum, non posse precibus operam dare, invadunt ipsum gravissime, & turpissimas cogitationes objiciunt, quibus illum ad ruinam compellant.

S. Vincen. Ferr. s. 6. dom. 5. post Trin. XXXVII. Sciendum, quod inter omnia opera, quæ possumus in hoc Mundo facere, necessaria est devota oratio ad Deum. Ratio, quia certum est, quod omnia bona tam temporalia, seu corporalia, quam etiam spiritualia, habemus a Deo: Nam *omne datum optimum*, scilicet bonorum temporalium, & corporalium, *& omne donum perfectum*, scilicet (ut glossa ait) bonorum spiritualium, *desursum est, descendens a Patre luminum* id est, Angelorum. Si ergo vis rigare hortum tuum de alio fonte, oportet ponere canalem, per quem aqua venit ad hortum; ita etiam si vultis, quod aqua gratiarum Dei veniat ad vestrum campum, hortum, vineam, domum, corpus, & animam, de fonte ab alto spiritus sapientiæ, verbum Dei in excelsis, ponatis canalem, scilicet orationem devotam: mediante ista veniunt ad vos bona temporalia, corporalia, & spiritualia.

S. Laur. Justin. de orat. c. 6. XXXVIII. Nihil tam validum reperitur ad hostium nostrorum conterendam rabiem, quam orationis perseverans opus: sed quia alia negotia hoc minime permittunt, non prætermittenda, sed intermiscenda est nostris oratio actionibus, quamvis magna voce ipse clamet ad Dominum, qui etsi lingua taceat, bonis tamen operibus perseverat; connitendum tamen est, ut in primordio saltem cujusque operis dirigatur oratio: quia, sicut militem procedere ad conflictum non congruit sine armorum protectione; ita & homini Christiano absque orationis munimine aliquid agere non licet. Egredientem igitur de hospitio armet oratio, regredientem de platea comitetur, cum ambulante ambulet cum operante collaboret, nec prius corpusculum requiescat in strato, quam anima precibus reficiatur.

Bellovac. Spec. mor. p. 10. lib. 1. dist. 14. XXXIX. Magnum negotium habet homo tractare in curia summi Regis; anima vero in corporis carcere detenta non potest illuc ascendere, nec coram eo sua negotia procurare; ideo opus est, quod ad illam nuncium suum, id est, orationem dirigat, quæ vicem ejus gerat, & ejus negotia procuret: unde Psalmista ait: *Intret oratio mea in conspectu tuo*: ubi Glossa Augustini dicit: Magna virtus puræ orationis, quæ quasi quidam nuntius intrat, & ibi negotia peragit, quo caro pervenire nequit.

S. Bernar. ser. 5. de Quadrag. XL. Qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certe, quod quærebat Deus, hoc erat, ad quod nos perducere satagebat, ut videntes defectum nostrum, & quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium.

S. Chrys. l. 2. de or. Deo. XLI. Quod si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris, ac si piscem ex aqua extraxeris; ut enim pisci vita est ex aqua, ita tibi deprecatio.

Utilitas.

S. Bonav. de prof. rel. l. 2. c. 40. XLII. Multiplex est orationis utilitas, quibus etiam alias bonas actiones ipsa excellit. Prima, quia facilius, & citius per eam impetramus, quæ a Deo desideramus, ita ut quandoque citius brevi oratione aliquis obtineat, quod diutinis jejuniis vel aliis laboribus, & piis

piis operibus vix obtineret; licet & alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur; unde in omni casu, in omni periculo, pro omni desiderio desiderato semper inveniemus Sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptius, quod petebant, consecuturos.

S. Laur. Just. de or. c. 2.

XLIII. Orationis virtus hominem illuminat; nam, & oratione melius solvuntur dubia, quam inquisitione alia, citiusque panduntur secreta precibus, quam studio.

S. Aug. s. 28. de tem.

XLIV. Orationis arte (Judith) arma victricia fabricavit, quibus adversa confligeret, ut pavescentes viros fœmina vindicaret, ubi enim assiduis orationibus calcatur Cælum, potentia semper calcatur armorum.

S. Chrys. l. 2. de or.

XLV. Oratio Ecclesiæ murus est, qui rumpi non potest, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, piis vero, nimirum nobis, tutum ac salutiferum.

S. Ambr. s. 3. de Eliseo.

XLVI. Oratio longius vulnerat, quam sagitta: sagitta enim non nisi proxime conspectum vulnerat adversarium; oratio autem etiam longius positum vulnerat inimicum; sic namque Eliseus Propheta, cum eum vellet Rex Syriæ captivare, ac suæ subdere potestati, multisque eum armatorum cinxisset agminibus: non est territus, sed annuncianti puero ait: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.*

S. Chrys. h. 67.

XLVII. Cuncta revera cælestium armorum genera divinis precibus continentur, quæ vel sola possunt eos tueri, qui se Deo tradiderunt; nam peditum quidem robur, atque peritiam, sagittariorum experientiam, in prodeundo hoste calliditatem, sæpe vel hostilis obtutus, atque adversariorum ardor animi, aliaque præterea inanem reddunt: at precatio telum est insuperabile, tutumque præsidium, quod æque militem unum, ac multa millia profligat.

S. Bonav. diet. sal. tit. 8. c. 1.

XLVIII. Est oratio similis scuto, quod divinæ indignationi debemus opponere; nam sicut scutum prohibet ictum lanceæ vel sagittæ, sic oratio servat a lancea, vel a sagitta sententiæ Iræ Dei: unde dicitur de Aaron, quod proferens scutum orationis restitit iræ.

S. Laur. Justin. de perf. gr. c. 22.

XLIX. Oratio placat Deum, lætificat Angelos, recreat Sanctos, penetrat cælos, postulata reportat, terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem.

S. Chrys. 6. h. de or.

L. Diabolus, cum nequam sit, & noverit, quod orationis tempore res magnas conficiamus, tunc nos aggreditur (sæpe enim in lecto supini jacemus, & nihil cogitamus, venimus ad orandum; & mox infinitæ cogitationes sese ingerunt) ut nos fructu illius vacuos, & penitus in irritum laborare faciat.

S. Isid. l. 3. sent. c. 8.

LI. Quando quisque orat, Sanctum ad se Spiritum advocat, at ubi venerit, confestim tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus humanis immergunt, præsentiam ejus ferre non sustinentes, effugiunt.

Ibid.

LII. Non est mirum, si tentationibus succumbat frequenter, & miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Unde B. Isidorus dicit: Hoc est remedium ejus qui vitiorum incitamentis æstuat, ut quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem fugiat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.

S. Chrys. in Ps. 1.

LIII. Sæpe contingit, ut, quæ studio nostro corrigere non possumus; ea per preces efficere valeamus.

S. August. in serm.

LIV. Oratio est animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium. Vid. & ejus Gloss. in Ps. 68. supra n. 36. cit.

S. Gregor. in moral.

LV. Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex charitate suffragatur, & pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto magis devote pro aliis intercedit.

S. Chrys. sup. Mat. 18.

LVI. Nihil potentius homine orante. Qui orat cum jejunio, duplices alas habet, nam neque aberrat, neque torquet.

V. Beda in hexam. l. 9.

LVII. Psalmus est tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor. Incipientibus primum efficitur, elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum.

S. August. hom. 40.

LVIII. Recte novit vivere, qui recte novit orare.

S. Bern. ep. 201.

LIX. Nunc autem manent tria hæc, verbum, exemplum, oratio; major autem horum oratio, ea namque operi, & voci gratiam, & efficaciam promeretur.

S. Aug. in Ps. 65. v. 16.

LX. Cum videris non a te amotam deprecationem, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus. Hinc Psalmista ait: Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

S. Bern. in scala claustrali s. 1. de S. Andr.

LXI. Nemo repente fit summus: ascendendo non volando summitas scalæ obtinetur. Ascendamus duobus veluti pedibus, meditatione, & oratione; illa docet, quid desit; hæc, ne desit, obtinet; illa viam ostendit, hæc deducit; illa imminentia nobis pericula agnoscimus, ista evadimus.

S. Chrys. l. 1. de Ino.

LXII. Quid possit inveniri sanctius his, qui cum Deo commercium habent? quid porro justius? quid ornatius? quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem brevi sic transmuttantur, ut illorum prudentiam referant, quid dicere convenit de his, qui divina consuetudine fruuntur & cum Deo sua colloquia miscent, ei sua vota deferentes, quanta sapientia, virtute, prudentia, bonitate, sobrietate, morum æquitate replet illos precatio, & obsecratio.

S. Chrys. l. c.

LXIII. Age jam, & illud exponamus vobis, quam multis Sanctis datum sit, deprecationis præsidio servare non solum gentes ac civitates, verum etiam orbem universum. In mentione vero deprecationis primus occurrit Paulus, ille insatiabilis Dei cultor, ille custos orbis terrarum, qui per deprecationem ac assiduam obsecrationem omnes gentes salvas fecit, semper illud dicens nobis: Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi.

S. Aug. s. 226.

LXIV. Oratio justi clavis est cæli. Ascendit precatio, & descendit Dei miseratio. Licet alta sit terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.

LXV.

S. Chryf. ho. 1. de nat. Dei sa semper. LXV. Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique author, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio est, atque etiam regia facultate potior, & superior.

S. Ambr. ep. 84. ad Demetr. LXVI. Petitio Deo facta magnus est fructus: & qui petit a Deo, dum petit, accipit; ipsum namque petere est accipere.

Dignitas.

S. Chryf. l. 1. de or. Deo. LXVII. Quantæ dignitatis sit, hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet. Cæterum eam dignitatem ratione consequi, nemo prorsus valet: quandoquidem hic honos etiam Angelorum superat Majestatem, quod ipsi probe intelligentes, apud Prophetas describuntur omnes multo cum tremore, laudes & cultum Domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reverentiam tegentes, volatu vero dum non valent quieti manere, magnum tremorem declarantes, nimirum, & nos interim docentes, ut tantisper dum oramus, humanæ naturæ obliviscamur, & occupati mentis alacritate, simul & tremore, nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in Angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere.

Ibid. LXVIII. Orare, commune est opus Angelorum pariter, & hominum; neque quidquam intercest inter nostram naturam, & illorum, quod attinet ad deprecationem. Hæc te separat a mutis animantibus, hæc te sociat Angelis, quin facile fiet, ut quis in illorum civitatem transferatur, in illorum vitam, & consortium, ad illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus, & divino cultui vacare studuerit.

LXIX. Quis non obstupescat, & admiretur S. Chryf. l. 1. de or. Deo. tantam benevolentiam Dei erga nos, ut mortalibus tantum honoris largiatur; & dignos habuerit, qui cum ipso colloquamur nostraque vota apud ipsum deponamus? Nam vere profecto cum Deo fabulamur quoties vacamus deprecationi.

S. Dam. l. 6. ep. 2. LXX. In æstimationis meæ lancibus gravius pensat sanctæ orationis obolus, quam auri talentum vel copiosam micantium multitudo gemmarum.

S. Ephrem de or. Deo LXXI. Non est alia, in tota vita humana, pretiosior oratione possessio.

S. Chryf. LXXII. Magna quippe dignitas orationis; mox ut ab ore processit, suscipiunt eam Angeli manibus suis, & offerunt Deo.

S. Chryf. hom. 66. LXXIII. Hac segregaris a pecoribus: hæc te Angelis jungit, hac brevi sane illorum reipublicæ, illorum vitæ, vivendique rationi, dignitati, nobilitati, sapientiæ, intelligentiæ adjungetur, qui omnem sibi vitam in precibus ponendam putavit.

S. Franc. Sal. tr. 3. coll. 14. LXXIV. In oratione Deum alloquimur, & audimus, & quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur.

Tellerat. in spec. tit. 14. LXXV. Honorabile est officium orandi, quia qui orat, cum Deo loquitur, magnus honor est loqui frequenter cum magno aliquo Principe, major cum Rege, multo fortius cum Rege Regum. Magna est orationis dignitas, quia ipse Deus, & tota curia cælestis intenta est audire orationes nostras, & delectantur in eis. Ibid.

LXXVI. Ad orandum movere nos debet cultus ejus nobilitas, quia non est officium rusticorum, ut fodere, arare, putare &c. Sed est officium Filii Dei, & Matris ejus & officium Sanctorum, & Angelorum; Filius enim Dei, & Mater ejus hoc officium habuerunt, & exercuerunt & Sancti ejus specialiter in terris idipsum exercent, & retinent in cælis, ut orent ibi incessanter pro nobis.

Jucunditas.

LXXVII. Oratio, mœroris omnis refugium, S. Chryf. hom. 10. hilaritatis argumentum, occasio perpetuæ voluptatis: oratio, portus tempestate jactatis, fluctuantibus anchora, scipio titubantibus, pauperum thesaurus, divitum securitas, morborum curatio, custodia sanitatis.

LXXVIII. Orando bibitur vinum spirituale, lætificans cor hominis, vinum scilicet Spiritus Sancti, quod inebriat mentem, & carnalium voluptatum infundit oblivionem: humectans interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, & mores impinguans. S. Bernar. ep. Ludov. Gran. l. 1. de or. c. 8.

LXXIX. Nihil est, quod dulcius in hac vita sentitur, majore cum gaudio percipitur, corda hominum fortius ab amore disjungit: nihil animum munit potentius, nihil hominem ad quævis bona opera facienda, & quasvis tribulationes perferendas seddit alacriorem studio contemplationis vel orationis. S. Bernar. ep. eund.

Assiduitas.

LXXX. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Frigus charitatis silentium cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas. Si semper clamas, semper desideras: si desideras, requiem recordaris. Semper orat, qui semper vitam beatam, æternam desiderat. S. Aug. in Ps. 36.

LXXXI. Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat. S. Aug. ad Prob. c. 10.

LXXXII. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea occurat ante, quam sessio, nec prius corpusculum requiescat, quam animam pascat. S. Hieron. in Epist.

LXXXIII. Utilius censent (Patres antiqui) breves quidem, sed creberrimas orationes fieri, ut frequentius Dominum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus. Cass. l. 2. inst. c. 10.

LXXXIV. Ait Propheta: *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum*; quo fit, ut Patres hominis cum Deo conjunctionem orationem esse definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ præludium appellent; siquidem in hoc potius, quam in ullis aliis rebus situm esse cælorum regnum censent, S. Io. Damasc. cap. 30. hist. Josaphat.

sent, ut ad sanctam Trinitatem appropinquet, camque contempletur; quam quidem ad rem cum precandi assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius præludium, ac veluti effigies quædam appellata est.

S. Ambr. lib. 6. de Sacr. c. 3. LXXXV. Ait Apostolus: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*: & Dominus dicit io Evangelio: *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*; non tibi videtur esse contrariom, ut dicat Apostolus: in omni loco ora: & Dominus dicat: intra in cubiculum tuum, & ora: sed non est contrarium, etsi aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Numquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? non utique: qua ratione? quia non contrarius, sed interpres est Christi; quid ergo? potes utique orare, & in cubiculo tuo semper orare; habes ubiqua cubiculum tuum. Et si inter Gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen ubique secretum cubiculum tuum: mens tua est, in populo licet positus, tamen in interiori homine arcanum tuum, secretumque conservas. Tu autem cum oras, intra in cubichlum tuum: bene addit, intra, oec sic ores, quomodo Judæus, cui dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*: non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio: animo totus iotende, intra in recessum pectoris tui.

S. Chrys. hom. 67. LXXXVI. Quando aliquem cerno, qui, non precari assidue, in magnis numeret detrimentis, omoium illum virtutum accerrimum cultorem, Deique templum esse conjicio.

Perseverantia.

S. Bonav. ser. 27. de Confess. LXXXVII. Oratio debet esse continua, ut sicut numquam deficit pugna, sic numquam cassemus petare misericordiam; numquam miles existens in pugna, deponit arma ante obtentam victoriam: arma nostra sunt orationas.

Gillebert. ser. 6. in Cant. LXXXVIII. Pertinax oratio pertingit ad finem. Et si tibi in initiis sicca & velut saxea videatur, oleum tamen gratiarum de hoc durissimo saxo, modo perseveres, modo te longior mora non dissolvat, modo tua vota dilatione non lentescant. Cave, ne illud tibi de Evangelio improperetur: sic non potuisti una hora vigilare mecum? Quod si torpor abest, vide, ne dilationis tædium te fatiget, & desiderium tuum infringat. Utrobique reatus est, si sit anima vel in postulationa remissa, val deficiens in expectatione.

S. Basil. c. 2. Monast. constit. LXXXIX. Munificentissimus est & augustissimus Rex noster, & indigne fert, quandocumqua qui exiguum aliquid a se petit, quandocumqua aliquis de rebus ipsum minime ipsi coovenientibus rogat. Noli igitur illum oratione tua iratum faccre, sed ea petito tibi, quæ digna sunt Rega, & Deo: hæc autem petens ab eo, ne prius recesseris, quam quod petis, impetraveris.

S. Greg. ho. 1. in Evang. CL. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus: cave, ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum cælorum accipias: esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cælis. Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed juvatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Bona, inquam, violentia, qua non quæritur lucrum cito periturum, sed regnum acquiritur sioe fina mansurum.

S. Aug. super Ps. 65. XCI. Ne deficias in oratione: Deus, quod concessurus est, etsi differt, non aufert. Non levitate utitur, qui promisit: non facile de sententia movetur: quod promisit, est fixum: fallere non potest: habet, unde faciat.

S. Greg. in homil. sup. Ev. XCII. Ecce stat, qui ante transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in orationc patimur, Jesum aliquatenus transeuntem sentimus. Cum vero orationi vehementer iosistimus, stat Jesus, ut lumen restituat, quia Deus in corde figitur, & lux amissa reparatur.

S. Bern. ser. 5. de quad. XCIII. Nemo nostrum parvipendat orationem suam; dico enim vobis, quod ipse, ad quem oramus, non parvipendit eam: postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo & unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod novit utilius.

Hier. adv. Pel. XCIV. Orandum est semper, etiam cum acceperimus postulata.

Bernhar. de quad. lib. 4. XCV. Oratio fidelis, humilis, ervens si fuerit, cælum sioe dubio penetrabit; tunc est, quod vacua non redibit.

Id. super Cant. ser. 83. XCVI. Persistentibus in oratione infunditur gratia, quamvis forte in initio aridi sint.

Facilitas.

Bellar. dist. 12. XCVII. Movere debet ad orationem orandi facilitas, & inexcusabilitas; quia opus de facili potest fieri, & ita inexcusabile est, secundum quod in Psalmo dicitur: *Apud me oratio Deo vitæ meæ*. Ubi Glossa ait: Apud justum semper est; quod dare potest, scilicet oratio, quam si non potest dare voce, potest eam semper dare mente, ut semper oret, bonum desiderando, & volendo.

Ibid. XCVIII. Non iofirmitate aut paupertate se potest excusare homo, cui si diceretur: jejuna, posset respondere: Non possum, quia infirmus sum: Si dicatur ei: fac eleemosynam, posset respondere: non possum, quia pauper sum: si dicatur, ora non potest hoc dicere: quia si non potest orare voce, potest orare corde; ipsa bona voluntas, & desiderium orandi, oratio est.

S. Chrys. in Ps. 145. XCIX. In orandis Hominibus, & sumptu opus est, & servili adulatione, multoque & molesto ambitu: non enim solum recta ipsos Dominos adire licet, & appellare de munere, sed frequenter necassum, ministros, dispensatores, curatores eorum, pecuniis, & varbis, & omni denique pacto demulcere, quo vel ita tandem postulata accipiant. Nihil istiusmodi in orando Deo; non ibi opus est Ioterpretibus, neque tam ab intercessoribus, quam nostris ipsorum precibus, pro impetrandis muneribus exoratur.

De Oratione Dominica.

S. Chrys. de Orat. D.m. C. Quæ vera magis apud Deum Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de cujus ore prolata est?

S. Th. 2. 2. q. 83. art. 9. CI. Oratio Dominica perfectissima est; quia, sicut Augustinus dicit ad Probam: Si recte & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista Oratione Dominica positum est.

Tertull. lib. de or. CII. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, sed omnem pene sermonem Domini, omnem orationem disciplinæ, ut revera in oratione hac Evangelii breviarium comprehendatur.

S. Aug. Epist. 121. CIII. Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies, quod non ista Dominica contineat, & concludat oratio.

Dionys. Carthus. in c. 6. Matth. CIV. Tanta est hujus orationis profunditas in sensu, fœcunditas in mysteriis, efficacia in effectu, & artificiositas in ordine, ut nemo capere queat, vel eloqui.

De oratione Publica.

Hugo Car. CV. Congregare illi Sanctos ejus, ut illi simul pro nobis intercedant: quod enim Dominus uni Sancto forsitan negaret, omnibus congregatis, & orantibus non negaret: sicut in claustris, quando Conventus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, ut patiantur repulsam.

S. Chrys. h. 2. in c. 1. Cor. 2. CVI. Persæpe Deus quasi pudore commovetur, cum multitudinem ad precationem concordem, atque conspirantem cernit.

S. Basil. CVII. Deprecatio consonantes non habens, multo est invalidior.

S. Ambr. CVIII. Multi nimirum, dum congregantur unanimes, magni fiunt, & multorum preces impossibile est non audiri.

S. Vinc. Ferr. s. 6. in Dom. 4. post Pent. CIX. Ideo congregamur in solemnitatibus, vel processionibus, ut ab invicem inflammemur, & oratio ascendat ad Deum.

Tertull. in apolog. c. 39. CX. Hæc vis Deo grata est. Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quasi facta manu precationibus ambiamus.

MEDITATIO.

Ejus Qualitas.

S. Laur. Justin. de discipl. mon. c. 8. CXI. Quicumque esse Dei fidelis servus & prudens desiderat, Salvatoris gesta, & præcipue ipsius Passionem ruminare non negligat.

Utilitas.

S. Basil. ep. 1. ad Gr. Th. CXII. Maxima viarum ad veri investigationem ferentium meditatio est SS. Scripturarum. Quandoquidem in his cum rerum agendarum præcepta inveniuntur, tum beatorum hominum vitæ memoriæ proditæ, ac præscriptæ, tanquam simulacra quædam animata proposita sunt vitæ ad normam divinam instituendæ, iis quidem, qui bonorum operum exemplaria cupiunt imitari. Proinde in qua re quisque nostrum senserit, se eo, quod oportet, defici, in illud assidue incumbens, tamquam ab officina quadam medicinæ, appositum suæ infirmitati medicamentum invenire poterit.

CXIII. Sedula meditatio non remanet extra, non hæret in superficie, sed ulterius pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, & masticando ac simando succum elicit, & transglutiendo usque ad cordis intima transmittit. *S. Bern. in Scala claustr. c. 1.*

CXIV. Consideratio rerum particularium mentem, de qua oritur, purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat incorrectum, aut correctione egens. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. *Idem l. 1. de consid. c. 7.*

CXV. Nihil aptius Deum possidere facit, & mentem refrænat, quam attenta meditatio, quæ in oratione proponitur. Hæc siquidem cor amovet ab exterioribus, & ad se redire compellit. Hæc est disciplina mentis, spiritualis Pædagogus, orationis funiculus, incipientium eruditio, & intentionis mentis provida gubernatrix. Ex ipsius assiduitate stabilitur mens, purgantur cogitationes, solitudo sapit, delectat Deus, ingenium acuitur, castificatur sensus, illustratur ratio, loquela restringitur, & animus ad alta suspenditur. Ipsa est spiritualis janua orationis, per quam verbum ab ingredientibus agnoscitur, & puris manibus honoratur. Quamdiu mentis oratio veraciter possidetur, tamquam oculi pupilla custodienda est, velut quoddam spirituale depositum servanda. *S. Laur. Justin. de casto connub. c. 22.*

CXVI. Vera postulatio non est in vocibus, sed in cogitationibus cordis, valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Unde recte per Psalmistam dicitur: Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua. *S. Greg. l. 22. mor.*

CXVII. Meditatio docet, quid, & qualiter sit orandum, disponit & ordinat animum, & regulat mentem, & elevat cor in Deum. *Bellov. l. 1. spec. p. 10. dist. 11.*

CXVIII. Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem: meditatio est frequens cogitatio, curiosa, & sagax obscura investigare, & occulta ad notitiam trahere. Scientia est, quando homo ad notitiam sui assidua meditatione illustratur: Compunctio est, quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. *S. Aug. l. de spir. & anim. c. 30.*

CXIX. Ascendamus velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione: meditatio si quidem docet, quid desit: oratio, ne desit, obtinet: meditatione agnoscimus imminentia nobis pericula, & oratione evadimus. *S. Bern. s. 1. de S. Andrea.*

CXX. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit, oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat, & reficit, lectio in cortice, meditatio in adipe, oratio in desiderii postulatione, contemplatio in acceptæ dulcedinis delectatione. *Id. c. 4. scb. claus.*

Ne-

Necessitas.

S. Bonav. spec. disc. p. 1. c. 12. CXXI. Ad orandi studium meditatio provocat, & informat. Hugo ait: Sic orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat. Nam & hi, qui mala sua considerare negligunt, aut nihil petendo facile per ignorantiam falluntur, aut certe minus, quam oportet, digne petendo per desidiam tepescunt. Quanto homo magis mala sua intelligit, tanto amplius suspirat, & gemit.

§. IV. EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Lib. 1. de im. c. 18. §. 5. I. O Quantus fervor omnium Religiosorum in principio suæ sanctæ institutionis fuit! O quanta devotio orationis! quanta æmulatio virtutis.

II. Leva oculos tuos ad Deum in excelsis, & ora pro peccatis tuis & negligentiis: mane cum eo in cella, quia non invenies alibi tantam pacem.

lib. 2. c. 1. §. 4. III. Apud Altissimum sit cogitatio tua, & deprecatio tua ad Christum sine intermissione dirigatur.

l. 3. c. 15. §. 2. IV. Semper cum timore Dei & cordis humilitate desiderandum est, & petendum, quidquid desiderabile menti occurrit, maximeque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine, tu scis qualiter melius est: fac hoc vel illud, sicut volueris. Da quod vis & quantum vis, & quando scis.

Meditatio.

l. 1. c. 20. §. 1. V. Quære aptum tempus vacandi tibi, & de beneficiis Dei frequenter cogita.

Ibid. VI. Si te subtraxeris a superfluis locutionibus & otiosis circumitionibus, nec non a novitatibus & rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens, & aptum pro bonis meditationibus instituendis.

l. 2. c. 1. §. 4. VII. Si nescis speculare alta & cælestia, requiesce in passione Christi, & in sacris vulneribus libenter habita.

§. V. EXEMPLA CATHOLICA EXTERNA.

Qualitas.

Joan. 11. Matt. 26. I. CHristus elevatis sursum oculis dixit: Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Sed & in horto progressus pusillum, procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

2. Mac. c. 10. v. 25. II. Appropinquante exercitu Timothei Judas Machabæus, & qui cum illo erant, deprecabantur Dominum, caput terra aspergentes, lumbosque ciliciis præcincti, ad altaris crepidinem provoluti, ut eis esset propitius, & inimicis eorum inimicus.

2. Mac. c. 15. v. 12. III. Idem Judas quondam vidit in somnio Oniam, qui fuerat summus Sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum & qui a puero in virtutibus exercitatus erat, manus protendentem orare pro omni populo Judæorum. Post hoc apparuisse & alium virum ætate & gloria mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei.

IV. S. Jacobus Minor usque adeo flexis genibus Deum pro populo deprecabatur, ut callum durissimum obduceret. Quod ipsum etiam de S. Edmundo Episcopo Cantuariensi Surius testatur, additque, sæpe etiam sanguinem ex genibus erupisse. *S. Hier. de v. illustr.* *Sur. 16. Nov.*

V. S. Paulus Eremita genibus complicatis, erecta cervice, extensisque in cælum manibus, cum repertus esset a S. Antonio, hic eum primo vivere credens pariter orabat; sed postquam nulla, ut solebat, suspiria precantis audivit, in flebile osculum ruens intellexit, quod etiam post mortem Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precaretur. *S. Hier. in vit. S. Pauli.*

VI. S. Arsenius quovis sabbato, submissis genibus, a vespere usque ad matutinum tempus orationem facie semper ad Orientem versa continuabat, illum adorans, de quo per Prophetam dicitur: Ecce vir oriens nomen ejus. *Marul. l. 2. c. 1.*

VII. S. Servatio Trajectensi Episcopo igneus supra verticem radius apparuit, qui mox in sublime evolans cælum, specie testatus, ut videtur, in ignis specie orationum ejus fervorem, in splendore vitæ puritatem, in ascensu meritorum altitudinem. *Ibid.*

VIII. S. Bernardus nocturnis vigiliis assistens vidit Angelos diligentissime singulorum orationem notantes, & illorum quidem, qui cum fervore eam peragebant, aureis: eorum, qui minus ferventer orabant, argenteis: qui voluntatem bene orandi absque effectu habebant, atramento: qui somnolenter & pigre, ac oscitanter Deum laudabant, aqua scribebant: de illis qui vel peccato mortali obnoxii, vel voluntarie distracti erant, nihil notabant. *Spec. ex. v. Aug. ex. 11.*

IX. Dormienti sub oratione Monacho Christus obversis humeris apparuit, asserens servum tam pigrum non mereri videre faciem suam. Alteri sub choro dormienti imago Christi descendens tantum colaphum inflixit, ut tribus post diebus fuerit extinctus. *Rodr. p. 1. tr. 5. c. 24.*

X. Cum quadam nocte duo fratres sedendo in lectis suis pariter dicerent matutinum, diabolus subito adfuit & fœtorem intolerabilem producens dixit: Tali orationi tale incensum convenit. *Spec. ex. v. or. ex. 14.*

XI. Quodam tempore nocte in specie Monachi dæmon ad ostium Cellulæ S. Macharii pulsaverat dicens: Surge, Abbas Machari, & eamus ad Collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur; sed ille gratia Dei repletus falli non potuit, intellexit enim diaboli fallaciam, & ait: O mendax veritatis inimice, quid tibi societatis est cum Collecta & Congregatione sanctorum? at ille ait: Latet ergo te, Machari, quod sine nobis nulla Collecta agitur, nulla Congregatio Monachorum? Veni tu denique, & videbis opera nostra: dixit autem *Spec. ex v. 1. dæm. ex. 4.*

Macharius: imperet tibi Dominus, dæmon immunde, & conversus ad orationem petiit a Domino, ut sibi ostenderet, si hoc verum esset, quod gloriatus est dæmon. Abiit ergo ad Collectam, ubi a fratribus Vigiliæ celebrabantur, & iterum in oratione Dominum deprecabatur, ut ei veritatem verbi hujus ostenderet: & ecce vidit per totam Ecclesiam quasi parvulos quosdam pueros æthiopes nigros discurrere huc atque illuc, & velut volitando deferri: discurrentes autem illi æthiopes pueri singulis quibusque fratribus in oratione positis, atque psallentibus illudebant: & si cui de eis oculos duobus digitis compressissent, statim dormitabat: si cui vero in os misissent digitum, oscitare eum faciebant: item cum post Psalmum ad orandum se projecissent fratres, percurrebant iterum singulos, & ante alium quidem jacentem in oratione, quasi in mulierum speciem vertebantur: ante alium quasi ædificantes aut apportantes aliquid, aut diversa quæque agentes apparebant, & quæcunque dæmones quasi ludentes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant; ab aliquibus tamen fratribus, ubi aliquid horum cœpissent, quasi violenter repulsi præcipites dejiciebantur ita ut nec stare ante eos, aut transire auderent, aliis etiam juxta cervices & dorsa ludebant; hæc cum vidisset S. Macharius graviter ingemuit, & lachrymas profundens, ad Dominum dixit: *Respice, Domine, & ne sileas: neque mitigeris, Deus: sed exsurge & dispergantur inimici tui, & fugiant a facie tua, quoniam anima nostra repletur illusionibus.* Post orationem autem, examinandæ veritatis gratia, seorsum evocatis singulis quibusque fratribus, ante quorum faciem viderat dæmones diverso habitu, & variis imaginibus ludentes, requirit ab eis, si in oratione vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diversa, quæ unicuique per dæmones imaginata viderat: & singuli eorum ita confitebantur, in corde suo fuisse cogitationes, sicut ille arguebat. Et tunc vere intellectum est, quod omnes malæ & superfluæ ac vanæ cogitationes, quæ vel psallentibus, vel somniorum aut orationum tempore occurrunt: quasque unusquisque in corde conceperit illusione & instinctu dæmonum fiant. Nam ab aliis, qui omni custodia servant in timore & amore Dei cor suum, illi tenebrosi Æthiopes, & hæ, quas immittunt, cogitationes repelluntur: Christo enim mens conjuncta, & præcipue tempore orationis intenta, nihil malum, nihilque superfluum recipit.

Ib. V. ir. ca. 7. XII. Venerunt aliquando ad Abbatem Lucium in Hennato Monachi quidam, qui dicebantur Euchitæ, hoc est oratores, & interrogavit eos senex dicens: quod est opus manuum vestrarum, & illi dixerunt: nos non contingimus aliquando opus manuum; sed, sicut dicit Apostolus, sine intermissione oramus: dicit eis senex: & non manducatis? illi autem dixerunt: etiam manducamus. Et dicit: eis quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? & iterum interrogavit eos dicens; non dormitis? & illi dixerunt: dormimus. Et dicit eis senex: cum dormitis, quis pro vobis orat? & non invenerunt, quid ad hæc responderent ei. Et dixit eis: ignoscite mihi, fratres, quia ecce non facitis, sicut dixistis. Ego autem ostendo vobis, quia, operans manibus meis, sine intermissione oro, sedeo enim juvante Deo infundens paucas palmulas, & facio ex eis plectam, & dico: *Miserere mei Deus, secundum magnam &c.* & dicit eis: oratio est an non? & dicunt ei: etiam. Et ille dixit: quando permansero tota die laborans, & orans corde, vel ore, facio plus minus sexdecim nummos, & pono ex eis ad ostium duos nummos, & residuos manduco, & qui accipit illos duos denarios, orat pro me tempore, quo ego manduco, vel dormio, atque ita per gratiam Dei implebitur in me, quod scriptum est: *Sine intermissione orate.*

XIII. Virgo quædam religiosa secundum numerum Psalmorum centum quinquaginta salutationes Angelicas, cum totidem veniis, Reginæ cæli singulis diebus offerebat, sed quoniam propter ipsam multiplicitatem minus digna devotione, quam oporteret, eas recitabat, admonita est ab eadem Domina nostra, quatenus rescissis duobus partibus, quinquaginta sibi quotidie salutationes cum convenientibus orationibus Dominicis intente & amorose persolveret, patenter insinuans, Deo & sibi acceptius fore, si parum cum devotione recitet, quam multum negligenter & sine devotione exhibitum. *Ib. V. fol. Aug. ca. 7.*

XIV. Dæmon quidam adolescentis venusti speciem induens, ad quemdam militem venit, obsequium suum illi offerens. Cui cum multum placeret, tam in decore, quam in sermone, gratanter ab eo susceptus est. Qui mox militi servire cœpit diligenter, & tam timide, tam fideliter, & tam jucunde, ut satis ille miraretur: numquam equum suum ascendit, numquam descendit, quin ille esset præparatus, & genuflexo strepam teneret, disertum, providum, hilarem semper se exhibuit. Die quadam dum simul equitarent, & venissent ad fluvium quemdam magnum, miles respiciens, & plures ex inimicis suis mortalibus post eos venire considerans, ait servo: Mortui sumus, ecce inimici mei post me festinant: fluvius ex opposito est, nullus superest locus refugii: aut occident me, aut capient. Tunc ille: Ne timeas, Domine, vadum fluminis hujus bene novi, sequere tantum me, bene evademus. Respondente milite: numquam homo fluvium istum in hoc loco transvadavit; spe tamen evasionis suum ducem secutus, sine periculo venit ad litus: & ecce eis transpositis, hostes ex opposito litore consistentes mirati sunt, dicentes: quis unquam adivit vadum in flumine isto? non alius nisi diabolus illum transvexit, timentesque reversi sunt. Processu vero temporis accidit, ut militis uxor infirmaretur usque ad mortem, in qua dum omnes Medicorum artes defecissent, ait iterum dæmon domino suo: Si domina mea inungeretur lacte leonino, statim sanaretur, dicente milite: unde haberetur lac tale? respondit ille: ego afferam; qui vadens, & post spatium unius horæ re- *Ib. V. er. ca. 11.*

diens,

diens, vas plenum secum attulit, a quo cum fuisset peruncta, mox meliorata pristinum recuperavit vigorem. Cui cum diceret miles: unde habuisti tam cito istud? respondit: de montibus attuli Arabiæ: recedens a te, in Arabiam ivi, leænæ speluncam intravi, catulos abegi, & ipsam mulsi, sicque reversus sum ad te: stupente milite ad verba ista, & dicente: quis ergo es tu? Respondit ille: Non sollicìteris de hoc, servus enim tuus suum. Ergo instante milite, tandem confessus est, dicens: Dæmon ego sum, unus ex illis, qui cum lucifero ceciderunt. Tunc magis miles stupens subjunxit: si natura diabolus es, quid est, quod tam fideliter servis homini? Respondit dæmon: Magna est mihi consolatio, esse cum filiis hominum: dicente milite, non audeo de cætero uti servitio tuo, iterum ille respondit: hoc pro certo scias; quia si me tenueris, numquam a me vel propter me aliquid mali evenit. Non audeo, inquit, sed quidquid pro mercede tua postulaveris, licet dimidium bonorum meorum, libens tradam tibi. Numquam homo homini servivit tam fideliter, & tam utiliter: per tuam providentiam juxta fluvium mortem evasi, per te uxor mea recepit sanitatem; tunc dæmon: ex quo tecum esse non potero, nil pro servitio meo, nisi quinque solidos requiro, quos cum recepisset, militi illi reddidit dicens: peto, ut ex eis nolam compares, & super tectum pauperis illius Ecclesiæ ac desolatæ suspendas, ut per eam saltem Dominicis diebus fideles ad divinum convocentur Officium; sicque oculis ejus disparuit. Et hoc idcirco dæmon petiit, ut hi, qui hactenus debitam horam Officii prævenientes, cum summa devotione expectabant, eo quod timerent tardius ad divina mysteria concurrere, de cætero non nisi post auditum nolæ sonum convenirent.

Ib. V. Aug. ca. 12. XV. Celebrabantur aliquando solemnes vigiliæ, & S. Bernardus cum cæteris fratribus aderat, cumque hymnus, *Te Deum laudamus*, cantaretur, vidit S. Angelos multa claritate fulgentes, mira etiam vultus alacritate devotos, qui utrumque chorum percurrentes modo hunc, modo illum excitabant, cantantibus aderant, & quasi congratulantes astabant, & ut diutius ille hymnus cum devotione præcineretur, modis omnibus elaborare satagebant. Intellexit quoque Vir sanctus, hymnum illum vere esse familiarem ipsis, quos tanta instantia vidit operam dare, quatenus a fratribus ad honorem Dei cum fervore devotionis cantetur. Cuidam etiam fratri spirituali videre concessum est, dum idem hymnus inciperetur, quod ab ore incipientis flamma magni splendoris erumpebat, & sursum conscendebat.

Jo. Rho l. 3 c. 3. n. 4. XVI. De Dominico Anadono Ordinis Prædicatorum, sic scribit Joannes Rho: Gemina in hoc, quod sequitur, laus, publica & privata, continetur. Altera Valentini Cœnobii Patrum est, qui centum ipsas aras, sacram intra ædem, & domestica claustra, Deo excitarunt: ut mihi, unius familiæ Religio urbem tueri posse, & cœnobium illud gloriosiori elogio, quam a centum portis olim Thebæ, a centum altaribus cognomentum posse desumere videatur. Altera Anadono debetur: nam quum tuendæ altarium religionis satis esse videri posset, domesticorum aliquem singulas ad aras Deo quotidie supplicare; nec leve id, quamquam frequenti in familia, vel ad pietatis augmentum, vel ad publicæ salutis tutelam, momentum allaturum esset; quid de Anadoni orandi studio dicere nos convenit? qui unus si aliorum cessasset industria, omnium obivit partes, & centum altaria quotidie circumiens, singulisque advolutus, vir minime alioqui otiosus, præpotenti Deo laudis hostias centum, novo atque admirabili hæcatombes genere immolavit. Abundamus nimirum tempore, si attendamus, neque illius spatia summa vitæ jactura, per negligentiam elabi finamus.

XVII. Non minor in Joanne Dei orationis contentio, quem non in lectulo afflictum jacentemque, sed genibus nixum, ardentissimas ad Deum preces fundentem, renovata Pauli Anachoretarum Principis memoria mortalitatis extrema necessitas occupavit, ac veluti Religiosum illum corporis habitum reverita, humi affligere cadaver non est ausa, ut clarissima esset testificatio; quam assidue orare consuesset ille, cujus exuviæ, ad quam longo se usu composuerant, frigida in morte pietatis retinebant imaginem: abstulit illi mors animam & orationem, orantis gestum non abstulit. Ib. n. 7.

XVIII. Non unius hæc Joanni laus fuit, additur illi comes Marcus Angelus Gambaranus C. Sommascus, clarum inter socios Hieronymi Æmiliani nomen; ea enim nocte, quæ illi suprema fuit, quum instare sibi mortem sentiret, vires animo addente, vestes induit, & quamvis ægre se moliens, ad Ecclesiam adiit, quam cum clausam, ut novis tempore, reperisset, domesticum ad oratorium perreptavit; ibique flexo poplite, scamnoque innixus, cum oratione, cui assueverat, aliquantulum temporis extraxisset, scamnum manu pulsans, absolvendæ simul vitæ, simul orationis veluti dato signo, ad meliores emigravit. Ib. n. 8.

XIX. De Angelo Pacio Ordinis Minorum referi idem Author. Nocte manus ad Deum non frustra tolli, verbis, exemploque docuit Propheta, quem omnes plerique sequuntur. Cæterum meridiem huic operi destinare instituerat Pacius & qua maxime diei tempestate mortales otia sectantur, ipse, qui precum continuus esset, tum ipsam, quantum poterat, intendebat, suique facti non unam reddebat rationem: & primo quidam, imitari se Apostolos, qui ex veteri disciplina ad horam orationis nonam templum adire consueverant, deinde nullam sibi opportuniorem Deo exorando ea videri, qua perfecto magno Christi sacrificio totius hominum generis salus condita est: quid enim precibus aliud poscimus, quam quod ea nobis obveniat? Ib. n. 12.

XX. Clerici, qui Minores dici voluerunt, eam suscepere provinciam, ut semper domi aliquos in Dei oratione habeant occupatos, quod- Ib. n. 17.

quodque singulis non possunt, ut vicaria invicem opera præstent universi, cæloque assimiles sint domus illæ, in quibus a Dei laudibue numquam cessatur.

Ib. n. 20. XXI. Seraphinum Cavallum Ordinis Prædicatorum Generalem Magistrum, constantissimæ pietatis fuisse, tradunt annales: illud ex nominis augurio memorabile, tres ipsas horas late dispansis brachiis quondem orando perseverasse; quem corporis habitum vix per semihoram a paucissimis tolerari posse crediderim; sed ut beeta illa Seraphim perpetuo alis librata, Deum circumstant, sic iste ne nomine videretur indignus, immoto corpore animum altissimo volatu explicabat.

Assiduitas.

Drex. in Ros. mar. p. 1. c. 9. XXII. B. Virgo cum tanta assiduitate orationis vacabat, ut omnis ejus vita & operatio, teste S. Alberto Megno, fuerit sedula precetio, & ideo S. Ephrem eam Thuribulum aureum, In quo sine Intermissione thus orationis suavissimum offerebatur, appellarit.

Mar. l. 2. c. 1. XXIII. S. Bartholomæus centies de die, & centies de nocte, flexis genibus, orationi vacavit.

S. Athan. in ejus vita c. 6. XXIV. S. Antonius sæpe per totam noctem orans, exorto sole, dixit. Ah quid me Impedis, o sol, qui oriris, ab amœniore me sole ebstrahens!

Ibid. XXV. Paulus in finibus Africæ quingentorum Monachorum Pater, nullo vitæ suæ die quidquam prius egit, quin trecentas orationes genibus provolutus Domino obtulisset.

Ibid. XXVI. S. Mertinus Turonensis Episcopus ne tunc quidem cum laboraret menibus linguem ab oratione cohibuit; imo in agone, frigescentibus jem membris labie adhuc movebat, nec prius orere destitit, quam subito lumine circumfusus Spiritum reddidit.

Luc. 2. v. 37. XXVII. Anna vidua, teste S. Luca non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte.

Mar. l. c. XXVIII. S. Martha centies per diem, & centies per noctem submittere genua solita fuit, dum illum in cælis edoraret regnantem, quem in terris morantem hospitio exceperat, non jam minus in supplicando sollicite, quam olim fuerat in ministrando.

Ibid. XXIX. De Trasilla Virgine Amita sua testetur S. Gregorius: quod, cum ipsam post mortem lavare vellent, genibus cubitisque concretam callorum duritiem invenerint ex assiduo precandi studio creetam.

Ped. Chr. c. 7. c. 13. §. 6. hist. 2. XXX. Theis meretrix S. Paphnutii opera ad frugem revocata, tente tenebetur anteactæ vitæ verecundia, tam se ex animo abjiciebat, ut Dei nomen proferre non ausa, hoc solum frequens repeteret! *Qui plasmasti me, miserere mei*: que demissione ad illum virtutis gradum intre annum pervenit, ut illustrem gloriæ locum, quem S. Paulus Simplex In cælo viderat, & Patri suo Antonio paretum credebet, vox de cælo Ipsa Thaidis esse diceret, quemque esset Intra quindecim dies felici morte consecutura.

Jo. Rho. l. 3. c. 8. n. 2. XXXI. Pius V. quam privata in disciplina orandi consuetudinem hauserat; eam, non inter Pontificatus ardua, negotiorumque tempestatem unquam Interrupit, ita non modo statis horis divinarum laudum pensum diligentissime persolvebat, verum & certas noctis horas & quidquid otii alienis temporibus poterat suffurari, totum id agendo cum Domino, quæ plurima pro ejusdem gloria susceperat peregenda, expediendis diligentissime impendebat: & profitebatur palam, sine orandi studio neque Pontificatus, neque interiores sibi animæ rationes consistere. Quenta autem ejus esset in orando Numine vis, quam secundo in precibus uteretur Deo, novit Christiana Respublica, quam celeberrima de Turcerum classe impetrata victoria eb imminenti discrimine liberavit.

XXXII. Joanni Baptistæ Vitellio quindecim ut minimum horas diebus singulis absumebet oratio, quantula perte, (si reliqua pietatis demus officia) curando corpori relicta, sed si opus esset, vehementius multo agebat: fuit enim, quum in gravibus Christianæ Reipublicæ temporibus totidem sæpe dies perdins ac pernox ante aram & divinissimam Eucheristiam perseveravit immotus, si duas modo horas sub auroram excipias, quas naturæ usibus concedebat. Quid non a Deo auferret, quem de petendi ac precendi constantia nulla temporis dimoveret vicissitudo? fortissimus Ducum Josue, qui ardore enimi cælo novas dedit leges, elatæ manus perseverantia hostium urbee delevit. *Ib. n. 18.*

XXXIII. Thomes Sirietus sacerdotelc precum brevierium quotidie ex formula percurrit ad annum quintum supra centesimum, qui vitæ illi supremus fuit. Meruit æternos inter Dei laudatores enumerari, qui victis temporum legibus, spretisque vicissitudinibus hic laudare perseveravit. *Ib. c. 10. n. 8.*

XXXIV. Pastumius Abbas adeo orandi studio ducebatur, ut nulla corporis debilitas animi sedulitatem coerceret adversa valetudine pressus, cum de lectulo surgere non valeret, jecens orabet: jam languor vehemens expeditius loquendi ademeret facultatem, & tacitus labiorum motus, etiam tum illum orare testabetur; denique discedens anime non prius orationem quam corpus reliquit; Orantem edhuc Angeli exceperunt, & ed cælum tollentes Domino obtulerunt, ut semper lætari possit, eam se beatitudinem impetrasse, quam semper petierat. *Sab. l. n.*

XXXV. Sisinius Elpidii Abbatis discipulus cum annos septem sub illius institutionibus suisset conversatus, tendem discedens, quodam satis grandi monumento lapideo se occludens per triennium semper recte orasse dicitur, neque interim aut sedisse aut jacuisse, aut inde pedem extulisse. Quid prius mirer nescio, an anguste habitantem, an immobiliter stantem, an continenter orantem? cuncta quidem dura sectuque difficilie, nisi quod corporis lassitudinem animus Deo intentus minus sentire potuit. Qui enim tam perseveranter orevit, is in cælo magis quam in sepulchro fuit. *Ibid.*

XXXVI. Elisabetha Lendgravii Turingiæ Principis uxor impetrata a viro noctis conti- *Ibid.*

nen-

nentia, ad orationem facedebat, super pavimento distento tapetulo cubitans, ne mollius jacenti altior somnus horas interciperet orandi. Vir quoque sanctitudine illius delectatus, ad ea quæ Dei sunt magis magisque inflamabatur, id quod petitum erat facilius concedere, & ipsemet impensius orare.

Theodor. in hist. SS. Patr. cap. 24. XXXVII. De Zebinæ viri sanctissimi oratione sic scribit Theodoratus in historia religiosa: Stupebant omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim noctu diuque varsans non solum non fatiebatur, sed atiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum iis qui ad ipsum ventabant, paucis disferens, non potarat in animum inducere, ut cogitationem a cælis deduceret, sed statim ab illis liberatus & nec tantillum quidem ab eis quæ divina sunt separabat, offerebat rursus deprecationem.

Tob. XXXVIII. Mira fuit Saræ junioris Tobiæ uxoris in oratione perseverantia & assiduitas, quæ acerbo convitio ab ancilla sua extimulata tribus diebus ac noctibus sine cibo & potu in oratione persaveravit.

Utilitas.

Ex. 17. v. 11. XXXIX. Moyses quamdiu in vertica collis manus elavabat, populus Israeliticus contra Amalec vincabat; sin autem paululum remi- *1. Reg. 1.* sisset, superabat Amalec. Anna per orationem *3. Reg. 18.* sterilitatis malum avertit. Elias pluviam im- *4. Reg. 20.* petravit. Ezachias vitæ prolongationem. Sara in cubiculo domus suæ tribus diabus orans, ab improperio ancillæ liberata est: postea ve- *Tob. 3. & 9.* ro atiam eodem medio cum Tobia, a dæmo- *Jud. 8.* nio protecta. Judith contra Holofernem pugnatura, oratorium suum ingressa, cilicio induta, cinereque consperfa, & in rerram prostrata, Domino prius supplicavit: sed & Oniæ & civibus disit: Nihil aliud fiat pro me, nisi *Esth. 4.* oratio ad Dominum. Esther quoque Mardochæo dixit: Congrega omnes Judæus, quos reperies, & orate pro me; sicque salutem illis peperit, malumque paratum in hostium ca- *Dan. 3.* put convertit. Tres pueri in fornaca Babylonica benedicantes & orantes Deum, ab incen- *Dan. 9.* dio liberati sunt. Danial quia atiam contra Regis dacretum ter de die orationem conti- *Dan. 13.* nuavit, a leonibus est custoditus. Susanna quia flens suspexit in cælum, fiduciamque habebat in Domino, ab adulterii crimine, & morte, *Jon. 2.* libera declarata est. Jonas in ventre ceti clamans ad Dominum, ab eodem ceto incolumis *1. Mach. 4. 9. & 11.* in terram ejectus est. Judas Machabæus quoties oravit Dominum, vicisse legitur, bis vero victus ab Antiocho & Bacchide, orasse, non legitur.

Act. 12. XL. Quia pro S. Petro in carcere detanto, oratio sine intermissione fiebat a populo, ab Angelo cælitus ei submisso mirabiliter liberatus est.

Sur. in vit. 7. Mart. XLI. S. Thomas fatebatur, se doctrinam suam magis oratione, quam labore obtinuissa: dicere quoque solitus, Religiosum sine oratione esse militem sine armis.

Spec. ex. V. or. ex. 11. XLII. S. Jacobus Episcopus Nisibensis civitatem suam a gravissima Saporis Regis obsidione liberavit, dum ciniphum & culicum agmina ingentia in hostilem exercitum immitti impetravit.

XLIII. Oratione Fublii Monachi dæmon a Juliano Imperatore in Persidem missus pro certo responso afferendo, per decem dies detentus, ad Julianum sine effectu redire coactus est. *Ib. ex. 5.*

XLIV. Bertoldus juvenis dissolutus cum se pro conversione impetranda B. Elisabethæ Thuringiæ Ducissæ commendasset, ea ornate usqua adeo arsit & sudavit, ut ne omnino a nimio æstu consumeretur, clamare, peteraque, ut ab oratione desistat, debuerit. *Ib. ex. 12.*

XLV. Orationibus fratrum Cuno Monachus adeo in morte roboratus est, ut, licet quindecim millia dæmonum ad eum oppugnandum convenerint, nihil ei nocere potuerint. *Ib. v. mori ex. 18.*

XLVI. S. Climacus refert, unum ex priscis Anachoretis dicere solitum suissa, se in oratione matutina cursum totius diei conspicera, quali enim tenore ac modo prima illa oratio præcederet, tali reliqua omnia eo die solere sequi. *S. Clim. grad. 28.*

XLVII. Cum Joannes Alarionius Aloysio Bertrando Ordinis Prædicatorum, velut sodali suo in Albaide de hyemis ac frigoris penetrabili vi conquereretur, nec jam sa esse ferendo affirmaret: quin te igitur, ait Aloysius, ad orandum recipis? neque enim fieri potest, ut rite Deum orantes non incalescant. *Jo. Rho. c. 6. n. 5.*

XLVIII. De Bonaventura Seraphina sic scribit Joannes Rho: singulari hujus Virginis innocentia puerilibus etiam in annis mirum, quam delectaretur Deus. Educabatur illa cum socia apud Moniales Gandienses, quibus persuasum erat, quidquid a Deo hæ flagitassent, absqua dubio impetraturas; itaque Magistra morum quoties sive agris pluvia, sive annona sororibus opus erat accitas ad se puellas jubebat actutum se in preces dare, ni Deum axorarent, ne ad sa reverterentur, neve jentaculum sparerent; parebant illæ atque in secretum horti domestici locum secedentes flagellis tantilla in corpora dasævientes, atque precibus incumbentes, quod imperabatur, impetrabant. Mira Numinis indulgentia, quasi testari vallat, illius vocis nequaquam se pœnitere: Sinite parvulos venira ad me. *Ib. n. 16.*

XLIV. Sapor Rex Persarum truculentissimus Ecclesiæ persecutor, quique non tam pro regnis acquirendis, quam ut fidem Catholicam penitus extirparet, bella gerebat, cum Nisibim civitatem per validissimum exercitum arcta cinxisset obsidione, illiusque mœnia & propugnacula, perlaboriosa derivatum & deductum in eadem vicini fluminis impetum, dejecisset, & solo æquasset, S. Jacobus ejusdam loci Episcopus hoc usus est consilio: videns murum corruisse, vocavit populum urbis & Clarum & milites ad orationem: facto mane invenerunt muros urbis cum omnibus propugnaculis reparatos post orationem: quod videns Sapor timuit, quia vidit super murum quamdam imperiali schemate ornatum; quem cum crederet esse Romanorum Imperatorem, mortem minitabatur esploratoribus suis, qui ei dixerunt, quod Romanus Imperator in illis partibus non adesset. Quem cum cognosce- *Bar. ad an. 437. n. 48.*

ret, non esse hominem, ajebat, Deum agere bella Christianorum; ad quem cum præcepisset multas dirigi sagittas, nec ipsum læderent, nec Sapor cessaret ab obsidione: Episcopus abductus est super turrim eminentiorem ut Sapori & exercitui malediceret, qui oravit, ut Dominus superbiam eorum muscis & cyniphibus domaret: & statim nebula exivit de fluvio, quæ emisit muscas & cyniphes & culices, quæ intrantes per proboscides Elephantorum, & nares & aures equorum, faciebant eos discurrere & fugere ab exercitu infinitis sessoribus, qui in eis sedebant, interfectis; & ita Sapor non sine multa confusione discedit ab obsidione.

Bellovac. l. c. dist. 34. L. Cum olim totus quasi mundus Arriana peste esset contaminatus (ut proinde in lectionibus Sancti Damasi Papæ dicatur: Ingemiscens orbis terrarum, se Arrianum esse miratus est) quonam putatis modo Deum sacrilegum hunc prostravisse? Bellovacensis ait: Legitur in Ecclesiastica historia, quod cum Constantious Imperator factus Arrianus defenderet Arrium, convocavit Concilium apud Constantinopolim in quo secta Arrii confirmaretur; cum autem Alexander Patriarcha Alexandrinus; omnibus dictæ sectæ se opponeret, comminantur ei exilium Arriani, nisi eis in mane consentiret; ipse autem tota nocte pernoctans in oratione, provolutus sub altari, causam suam & Ecclesiæ Domino commendavit; facto mane cum Arrius cum suis constipatus duceretur cum maxima gloria ad Concilium, necessitate compulsus declinavit ad publicum locum. Ubi cum sederet, omnia intestina sua, & viscera emisit in secessum.

Ibid. LI. In fine Historiæ Ecclesiasticæ legitur, quod, cum Valentinianus Arrianus vitam finisset laqueo, substituitur ei Eugenius, similiter Arrianus. Theodosius autem vir Catholicus contra eum arma movit, præmuniens se jejuniis & orationibus, vigilans in oratione ante thecas Martyrum prostratus. Cui quidam sanctus Eremita promisit victoriam. Cum transiret Alpes cum suis, & videreot infinitam multitudinem undique confluentem, & eos ad pedes montis ad pugnas expectantes, sui territi terga vertebant & fugam parabant, descendit Theodosius, & projectis armis ad terram se prostravit in oratione, qua completa, Dominus animavit suos, ita ut reversi more leonum irruerent in hostes gentiles & Arrianos, & subito insurgens ventus vehemens tela, quæ hostes projiciebant, intorquebat in ipsos, Dei virtute. Eugenius adducitur ante pedes Theodosii, ubi vitam finivit.

Jo. Abb. l. 3. c. 8. n. 18. LII. De belli Duce quodam natione Gallo multum in bello fortunato, orationibus proinde addictissimo, Blasio Monluco nomine, scripta reperio sequentia: Hominis hic ego pugnacissimi, quem vere Martis pullum dicere possis, libenter nomen intersero, ut doceam, neque ipsa inter arma, quod nonnulli tamen habent pro explorato, cessare pietatem. Tradit ipse de seipso in libris, quos de rebus suis stylo edidit militari, nullum sibi diem abiisse non adorato Christianis precibus Numine; cum vero arma essent expedienda, atque in hostem pugnandum, tum concepto a se carmine tum ex sacris formulis, magno animi sensu semper orasse. Nam qui ad præsentis mortis periculum toto corpore perhorresceret, ubi preces ac vota cooceperat, addi sibi animos, novumque per ossa vigorem currere, atque incalescere in venis sanguinem sentiebat, ut unus omnium maxime in media exinde ruerer pericula, temeritati propior, quam fortitudini, videretur.

LIII. In vita S. Thomæ de Aquino legitur, quod, cum aliquando multo tempore studuisset, ut textum aliquem difficillimum Isajæ Prophetæ, super quem tunc commentabatur, interpretari posset, solito ferventius ad orationem confugerit pro illius intelligentia. *Hist. Sol. c. 121.* Cumque in majori orationis fervore positus esset, apparuerunt coram eo S. Petrus & S. Paulus, qui difficultatem plane declararunt, unde vere dicere potuit: Petrus Apostolus & Paulus Doctor gentium ipsi me docuerunt, & quidem frater Reginaldus socius ejus vocem Apostolorum distincte audivit, licet, quinam essent, scire non potuerit; abeuntibus vero Apostolis, Reginaldo ad se accersito dixit: Illas resume paginas, in quibus, me dictante super Isaiam, proximis diebus scribebas, & quæ dictabo, diligenter excipe. Cœpi ego statim scribere, illo non aliter dictante, quam si legeret illa, quæ dictabat: Cumque scripseram, dixit: Redi jam ad quiescendum, quia adhuc multum noctis superest. Reginaldus autem summa cum instantia imo & cum lacrymis S. Doctorem interrogavit, quinam illi fuissent, qui in obscuro & silentio noctis cum illo miscuissent discursus; tandem post multam factam reluctantiam, & acceptam a Reginaldo promissionem, quod ea, quæ dicturus esset, quoad usque viveret, manifestare nollet, dixit ei: Vidisti me hisce diebus valde anxium super difficultate loci Prophetiæ hujus, quem nunc exposui; cujus cum sensum percipere non possem, & ea me res mirifice angeret, non prius a precibus & lacrymis destiti, quam a Deo impetravi, ut mihi liceret scire, quod ut scirem, tantopere laboraveram: quare pius Dominus servi sui misertus, Beatos ad me Apostolos Petrum & Paulum hac nocte misit, qui mihi, sicut vides, rem planam & apertam fecere.

LIV. In Chronicis Cappucinorum sequens recensetur Historia: Frater Matthæus de Bascio unus ex primis Religionis illius Fundatoribus & sæculi sui Apostolus, atque in dono miraculorum insignis, utpote qui sæpius siccis pedibus mare inambulavit, cum die quadam *Chron. Cappucin. to. 1. p. 1. an. 1552. n. 26.* Venetiis Hebræis prædicaret, unus illorum finxit se compunctum esse simulavit, dictumque Dei servum, ut pro se intercederet, rogavit, ut hac ratione ad veræ fidei perduceretur notitiam. Cui vir Dei se pro eo oraturum esse, firmiter promisit, at vero Hebræus ille vix ab eo recesserat, cum protinus cum aliis suis sodalibus & sectæ coosortibus, datam sibi promissionem, vanamque & fictam illam fiduciam, effuso cachinno derisit: post aliquot vero dies huic viro Dei obviam factus, eidem

dem dixit: Nescio quid sibi velit, quod, postquam me tuis orationibus commendavi, Christus vester, ne vel semel mihi in mentem venerit, aut minimum mihi lucis radium communicavit: ita quidem est, respondet vir sanctus, sed post paucos dies hujus tibi edicam rationem: interea vero te obsecro, ut ad me venias, quia opera tua indigeo. Paulo post igitur Judæus illum conveniens, ab eo ad palatium quoddam uno milliari ab urbe distans perductus fuit, ubi in limine ejus bajulum quemdam invenit, nec non saccum frumento refertum, & scapham in mari positam. Conversus igitur ad Hebræum vir Dei, eidem dixit: Frumentum hoc naviculæ huic imponere vellem, ut per mare ad domum nostram deportaretur: Adjuva me igitur, ut saccum hunc præsentis bajuli humeris imponere possim: Judæus igitur perlibenter manus ori sacci applicavit, F. Matthæus autem eumdem saccum ex alia parte apprehendit. Cumque Hebræus saccum levaret, vir Dei ex industria eumdem cadere permisit. Quod cum sæpius ab eo factum fuisset, Hebræus viro Dei irascens dixit: Oportet, ut & tu ex ea parte onus sustineas, quia ego idipsum solus portare non possum: tunc Dei servus ait: Dimitte saccum nunc te paucis verbis affabor: Nuper me rogasti, ut pro salute tua Dominum precarer pro tui illuminatione, ut veram fidem amplecteris: ego quidem omni cum diligentia partibus meis satisfeci, tu vero defecisti, & mihi, & tibi ipsi: conjunge cum sinceritate cordis orationem tuam cum mea, moxque super te descendere videbis divinam misericordiam: quo dicto mox palatium, frumentum, bajulus, & navicula simul ab oculis eorum disparuerunt. Ex quo miraculo stupefactus, & domi suæ domesticis idipsum enarrans occasionem sumpsit, ut gremio Ecclesiæ se cum omnibus familiæ suæ domesticis aggregaret. Optime igitur D. Chrysostomus ait: Si nos in virtutis studio seduli fuerimus, efficaces erunt & preces aliorum pro nobis; si vero desides fuerimus, nemo nos juvare poterit.

Jo. Rho. l. 3. c. 8. ex. 8. LV. Eximiam meretur laudem incredibilis illa Caroli V. orationis incumbentis attentio: de qua P. Rho in hæc verba scribit: Quam intento animo ibi esset, tunc maxime patuit, cum magni Regis Legato per internuncium urgenti, ut admitteretur, rem magni momenti afferre se se, respondit: Nec ego quidem nunc leviter sum occupatus, qui cum Deo ago.

Spec. Ex. V. Mors. ex. 19. LVI. Cuno magnus Dominus de Walpurg, vir potens & dives in sæculo, tam valens in militia, ne dicam malitia, quam vigens in prudentia sæculari, ante finem vitæ in Claustro habitum suscepit regularem, & quia temporis longinquitate non poterat, morum probitate dies suos dimidiare satagebat: Ubi adeo profecit, quod *consummatus in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius*; unde & qui vocaverat eum ad suum servitium, non solum præstitit ei veniam delictorum, sed & in tali ordine præcognitum ei fecit finem suum. Habebat Conventus proletarium pulcherrimum, quem equaritiæ suæ propter fœtum nobilem deputaverat, quem cum vir nobilis Henricus de Isenburg concupisceret, neque pretio habere posset, hoc actum est, ut absconse subtractus, ei trasmitteretur, quem cum minime redderet, missus est prædictus Cuno, qui eidem Henrico fuerat in sæculo amicissimus, & cum nihil proficeret, videns hominem obstinatum irruente in se, ut post patuit, Spiritu Dei, ad divinum judicium appellavit, diem ei præfigens. Quid plura? Henricus appellationem contempsit, & Cuno domum rediens, omnibus modis, quibus potuit, ad eumdem diem se præparavit; dicebat igitur Abbati: Domine, sexta feria crucem accepi: sexta feria transfretavi: sexta feria in Capella mea me vobis tradidi: sexta feria habitum indui regularem: Deus sexta feria laborum meorum mihi restituet mercedem; expletis vero jam tribus annis in sancta conversatione febre correptus est, visitatus ab amicis se dixit tertia die moriturum: illi autem recedere volebant, eo quod levis esset ejus infirmitas, & nulla adhuc signa mortis apparerent: sed ipse rogabat, ne solemnitati suæ deessent; & factum est ut moreretur die tertio, hoc est in Vigilia Sancti Jacobi, sicut ipse prædixerat: eo sane tempore erat mulier obsessa in villa proxima, quæ hora mortis ejusdem Cunonis liberata est, & venit ad Sacerdotem suum, dicens, dæmonem exisse. Post paulum vero rediens diabolus, gravius vexare miseram cœpit: adducta est igitur ad Sacerdotem, qui quasi concionando cum diabolo cœpit interrogare eum, & dicere: Miser tu exieras? Ita est, inquit. Et ubi, ait, fuisti infelix? ad quod diabolus: Cuno ibi super mattam jacebat, & debebat mori, ad cujus transitum festinantes, pene quindecim millia sociorum meorum, cum maximo tripudio illuc transibant, & videbar mihi numquam gaudium aliquod habiturus, nisi ivissem cum eis; sciens autem vas istud mihi traditum amittere non posse, reliqui illud ad tempus, & ivi cum eis; dixitque Sacerdos: Quid actum est ibi? Respondit diabolus: Supervenerunt maledicti tonsurati illi, & circumstantes cadaver, atque orantes, ita valide propugnare cœperunt, quod nullus nostrum propius accedere ausus fuit. Dixit iterum Sacerdos: & ubi devenit anima? Respondit diabolus, ad pedes Altissimi. Et videte boni homines, quanta nobis injuria fit allata. Homo iste nobis servierat plus quam quadraginta annis ad omnem voluntatem nostram nocte ac die paratissimus, & modo tribus annis tantum alteri servivit Domino, & ille nobis abstulit eum. Cum igitur nobis anima auferretur, furore commoti in nos invicem tota debacchatione grassati sumus, & ego modo non habeo, ubi me vindicem, nisi hoc vasculo, quod mihi traditum est. Ex cujus occupatione doloris remedium aliquantulum recipio.

LVII. Bernardinus Pallius Capucc. Generalis longo ipse usu doctus magnifice de toto orationis negotio loquebatur, si quis enim a se peteret, quisnam bonus esset? responsurum illico dicebat: Qui orat: urgenti quis melius? non maturum se, sed additurum: Qui melius orat: prementi adhuc instantique: quis omnium optimus mortalium esset? idem repositurum *Jo. Rho. l. 1. c. 8. n. 35.*

com-

commutata vocula tantummodo: Qui omnium optime orat. Oraculum hoc si cum Demostheneo, aut Augustinianeo conferas, ut illo multo sublimius, ita huic suppar judicabis. Nam ut actionem Oratoris, cum Christianis precibus non componamus, Modestiam animi, cui Augustinus primas, & secundas, & tertias tribuit, ita bene cum Oratione convenit, ut dissociatæ nusquam inveniantur.

Dignitas.

L. de orat. Dei. LVIII. S. Chrysostomus ait, apud Angelos in honore & æstimatione esse eos, quos Deo per frequentem orationem vident magis familiares esse, & tunc adstare ipsos magno cum silentio, & postquam cessaverint, applaudere, laudare, admirari.

Nadast in anno Ang. heb. 16. n. 8. LIX. S. Bernardus vidit noctu Angelum thuribulo, thymiamate cælesti referto, chorum lustrare, & divina illa thymiamatis in intimis ferventium præcordiis odores ac fervores clentem, somnolentos autem cum nausea negligentem.

S. Dorot. Doctr. 11. LX. Dioraticus vir S. teste S. Dorotheo, vidit noctu in principio Psalmodiæ e Sacrario ingredientem Angelum veste splendida indutum, qui omnes Religiosos præsentes ambulando signabat, uti, & subsellia legitime absentium; pertransisse vero loca eorum, qui per desidiam aberant.

Meditatio.

t. 1. f. 61. LXI. B. Virgo, teste D. Bernardino Senensi, tanto lumine illustrata fuit, ut, etiamnum in utero materno existens perfectius Deum contemplata sit, quam alii homines in ætate perfecta, magisque excesserit in contemplatione dormiendo, quam alii vigilando.

Gen. 24. v. 63. LXII. Isaac egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die, & deambulabat per viam, quæ ducit ad puteum viventis & videntis.

D. Bon. in vit. c. 10. LXIII. S. Franciscus perdius & pernox in illa oratione; Deus meus & omnia: hærebat, sæpeque visus est corpore sublevatus a terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus.

Sur. 19. Jul. LXIV. S. Aquillinus Episcopus Ebroicensis ut liberius meditationi vacare posset, non longe ab Ecclesia distantem elegit cellam, ubique secretum quærens, animarum causas & negotia tanto curabat melius, quanto plus corporum declinabat præsentiam.

Nad. in anno cruc. hebd. 21. n. 3. LXV. Joannes de Firmo septennis etiamnum puer clam se a puerorum consortio subducebat, ut attentissima mente in agro paterno Christum passum meditaretur; id quod tam serio faciebat, ut præ lacrymis cor parvulum deficere, & in amore Ccrucifixi tabescere videretur.

Sur. to. 7. LXVI. Frater Ægidius tam sæpe & tam ardenter de Deo, ejusque beneficiis & operibus meditabatur, ut non potuerit postea de Deo sine ecstasi cogitare; unde fratres ejus colloquio frui cupientes studiose cavere debebant, ne de Deo, vel SS. Trinitate mentionem facerent.

S. Ber. l. 1. de con-sid. LXVII. S. Bernardus Eugenio Pontifici scribens, inter cætera dicebat: Quod vivis & sapis, totum das actioni, considerationi nihil, laudo te? in hoc non laudo. Hinc quinque libros de consideratione ad eumdem scripsit, & in iis sic eum colloquitur: Si totus vis esse omnium per actionem instar illius, qui dicit: Omnibus omnia factus sum, esto & tuus, nam & tu homo es, in sinu tuo, quo omnes recipis, teipsum etiam collige: Omnes habent te, esto & tu ex habentibus unus, ut quid solus fraudaris munere tui? quid prodest, si universos lucreris, te ipsum perdas? sapientibus, & insipientibus debitorem, & soli negas te tibi: omnes de fonte bibunt, de pectore tuo, & tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus, qui suam partem facit deteriorem, quid ille, qui se penitus reddit expertem?

§. VII. EXEMPLA DOMESTICA.

Qualitas.

I. S. Ignatius in horas singulas se colligebat, animumque in Deum elevabat. Tam frequenter autem orabat, ut ex intentione animi morbum contraheret. In rebus gravioribus nihil statuebat prius, quam rem Domino in oratione commendasset. Sperabat se præsidio orationis quamcumque molestiam, etiamsi Societas dissolveretur, æquo animo laturum. Hinc inter vias & rationes ad suos custodiendos adhibitas, primum precandi & commendandi studium persuasit: quo se velut quotidiana esca reficerent. *Rib. l. 5. vit. c. 1.*

II. S. Franciscus Xaverius pro attentione comparanda ante singulas Horas Officii divini Hymnum Veni & S. Spiritus recitabat tanto fervore, ut ei cor e pectore exilire, animusque deficere videretur. Hinc ejus oratio ardens semper & accensa; ac plerumque cælestibus deliciis affluens erat. Libentius autem in sacris ædibus, quam aliis in locis orabat, eo quod crederet, in illis Deum benignius audire orantes. *Orl. l. 1. hist. n. 92. Vit. l. 6. c. 5.*

III. S. Franciscus Borgia omne tempus perire existimabat, quod non cum Deo, aut ad Deum pertinentibus transigeretur. In Missa lacrymas ubertim fundebat, gratiasque postea diutissime egit, ut nonnisi ægre & cum suspiriis ad prandium duceretur. Extra se non raro positus videbatur: corpore quidem præsens, animo vero in cælis versebatur. Negotiis diurnis, quoad fieri poterat, se subducebat, ut in orationis montem secederet. Altari summo imminentem cellam frequenter adibat Romæ, talemque etiam in cæteris Societatis collegiis exstruendam curabat. Orandi & in se inquirendi studiosos amabat, & consuetudine illorum diu delectatus. Collegiorum ipsis curam mandabat, ut eam ipsam socios fidei suæ creditos virtutem docerent. *Vit. l. 4. c. 4.*

IV. B. Aloysius tantum studii orationi ponebat, ac si in ea virtutum summa omnium posita esset. Hinc dicebat: Religionum tam miseras facies ex una oratione neglecta provenire; illam esse compendiosam viam ad perfectionem; sine illa neminem se perfecte vincere posse. Maximas reputabat delicias, cum ora- *Vit. l. 2. c. 2.*

orationis tempus appropinquabat, dicebatque, se putare, eum, qui has delicias semel gustasset, non facile ab oratione avelli se passurum. Omnem in præparatione diligentiam adhibebat, dicens: Animum non præparatum tam parum posse divinam similitudinem in se recipere, quam parum aqua turbida humanam faciem repræsentat. Ne distraheretur, ab expuendo etiam abstinebat. Nihil erat ei facilius, quam mentem cum Deo conjunctam habere, tantumque sentiebat ipsa difficultatis in cogitationibus a Deo avellendis, quantum alii mentem Deo uniendа.

Vit. l. 2. c. 4. V. P. Petrus Faber tam incenso in orationem studio ferebatur, ut præter quotidianæ Psalmodiæ pensum, contemplationisqua nocturnæ, quocunque ingrederetur, ansas ubique quæreret, & captaret orandi. In itineribus optatissima nactus otia, totum prope tempus piis cogitationibus & sanctis precibus consumebat. In conducendis novis ædibus ac permutandis hospitiis mos ei erat, primo suo ingressu singulis in cubiculis preces flexo genu fundere, tum ad abigendos impuros spiritus, qui aerem obsident, tum ad arcendam aeris inclementiam; memineratque inter has preces etiam eorum, qui vel habitassent olim in tali domicilio, vel imposterum essent habitaturi, na quid eorum animis illa habitatio noceret. Triplex potissimum orandi genus adhibabat, nempe ex Litaniis, quas assidue & ad omnem adhibebat usum, ex mìsteriis vitæ, & passionis Christi, per quæ tum singulas S. Triados Personas, tum omnes cælites obtestabatur: Ex præceptis Dei & Ecclesiæ, nec non peccatis & virtutibus, animæque internis pariter atque axternis potentiis. Ajebat orantis amorem & charitatem ex orationis attentione perpendi. Quocirca ad continendam in ea mentem, præsertim in imperata Psalmodia vias omnes indagabat, præcipue vero sequentes industrias

Hist. Soc. l. 3. n. 71. adhibebat. 1. Tempus orationis sæpe in memoriam sibi revocabat, & paulo ante omnia negotia disponebat. 2. In ipsa oratione post singulos Psalmos dicebat: Pater cælestis da mihi spiritum bonum. 3. Imaginabatur sibi utrumque Angelum bonum & malum, illum quidem omnia verba pia pronuntiantem, hunc vero omnes evagationes scribentem. 4. Imperabat animo, ut vel in uno Psalmo sine evagatione persisteret: id si acquisivit, ad alium dein simili cum pacto progressus est. Perfecto Psalmodiæ munere, nisi ex sententia votoque succederet, concipiendum esse dolorem ajebat, sed quietum, qui perpetuus sit, & ad novum usque tempus Psalmodiæ duret. Ex quibus industriis illæ suavitates ac dulcedines, quibus tamquam jucundo pabulo se recreabat, ortum habebant; negabat enim citra Dei miraculum fieri posse; ut qui nulla precandi cupiditate ac fame, nisi tum, cum constitutum precationi tempus advenerit, incitatur, is solidiorem ex ea gustum voluptatemque percipiat.

Vit. 10. de Aug. præf. VI. P. Franciscus Suarez studiis licet occupatissimus, tamen, cum se orationi dabat omnes penitus curas usque adeo deponebat, ut affirmaret, quoties Breviarium in manus sumeret, ita omnes mox alias cogitationes evanescere, ut nulla res quantumvis magni momenti, eum distraheret, quam collectionem temporis distributioni (quam illa matrem spiritus vocabat) adscripsit.

VII. P. Sebastianus Barradius jam senex duodecim horas in exercitiis spiritualibus quotidia insumebat & tanta cum attentione, ut strepitus introeuntium in cubiculum vel sacellum non audiret. Hic quanta mentis animique contentiona Deum sacerdotali ex formula quotidie, extremam præsertim laudaret ætatem, vel ex eo discere possumus, quod lentissime facaret, sex solidas horas huic ille operi destinabat, & ne amicus senectuti somnus obreperet, vel diloricato ad fenastram pectore frigidissimæ auræ morsu illum vellicabat, vel frigida manus ac faciem asperso prorsus abigebat. Idem Medicis per valetudines abstinere jubentibus, alto cum suspirio, quantum potarat, obluctabatur: Quid, inquiebat, cum hominibus famulari permittitis, Dei laudibus interdicitis? ac ne præsidum accederet auctoritas, illis ad se adeuntibus, vires, quantum quidem potarat, excitans, se vegetum animoque arecto ostendere conabatur, ut dulcissimo sibi labori parem crederent, nec abstinerent; nam gravior illi ipsa morte videbatur vita, quæ Dei laude non viveret. *Vit. nonis præf. — Jo. Rho. l. 7. c. 10. n. 7.*

VIII. P. Baltassar Alvarez septem suas horas Canonicas cum magna quiete & reverentia, suis temporibus, & in recollecto loco, ut cordis effundendi occasiones fugeret, recitabat; numquam est visus in aliquo transitu orare, nec deambulans, sed per multos annos in medio sui cubiculi flexis genibus orabat. Ordinarie orabat solus, ut diutius orare, atque in sensis, quæ Deus communicabat, hærere ac frui posset. Ex frequenti usu Psalmorum in suis exhortationibus, & spiritu, quem ex eis hauriebat, advertebatur horum internorum sensuum ejus magnitudo: perpendebat enim valde quodlibet eorum verbulum. *Vit. c. 6.*

IX. In Ludovico de Ponte aa fuit reverentia erga SS. Eocharistiam, ut, cum cernuus eam adorarat (adorabat autem sæpissime) videretur infra terram & fines rerum, ad nihilum usqua velle dimittere. Solebat horas Canonicas, si poterat, coram Venerabili Sacramento a genibus, aut certe si egredi non potuit, versus illud recitare. Si ob difficultatem respirandi pronunciare preces non poterat, intus eos non minori sensu atque ardore dicebat. Nequa pro Romano Breviario prolixo voluit unquam privilegium brevioris admittere. Consueverat, atiam raptim interspirare, cum Psalmi suggererent affectum. Ubi ad illa verba pervenisset: *Procidamus ante Deum*: tum vero totum corpus prosternebat humi, non minori animi sensu ac reverentia, quam si præsentem Dominum intueretur. Reliquum vero sacerdotalium laudum ita persolvebat attentus, immotusque, ut interpellatores non admitteret, quicumque illi demum assent; nec cuiquam roganti ante absolutas preces verbum redderet: ut mirum non sit divinis voluptatibus fuisse delibutum, qui cælestem rorem tam attente colligeret. *Vit. l. 1. c. 6. n. 2. — Jo. Rho. l. 7. c. 10. n. 6.*

X. P. Leonardus Lessius mirabatur officium *Vit. c. 10. n. 46.*

Ca-

Canonicum ab aliquibus desoltorie percurri, ut spontaneis se precibus impendant, cum non has, sed illud primæ curæ esse oporteat. Ad id a negotiis non secus, quam ad laborum solamen placidamque quietem se conferebat; singulorum Psalmorum literales, Anagogicas, & Allegoricas intelligentias callebat, & præterea quo quisque Psalmus fine, affectu, & modo fuit conceptus, quibus omnibus assequebatur, ut singulari cum facilitate & oblectatione compositam mentem in divino isto officio contineret.

Vit.f.335. n. 315. XI. Joannes Berchman nihil aggrediebatur, nisi Deo per orationem consulto. Affirmabat omnium imperfectionum remedium esse orationem. Ejus axioma erat: Si non habuero orationis habitum, non vivam in societate cum pace. Ad orandum se componebat oculis clausis, manibus ante pectus adductis, genibus perpetuo flexis, corpore ad stuporem immoto, ore quasi subridente, eo ardore, ut aliqui juxta ipsum flecterent tantum ideo, ut aliquid ardoris ex ejus propinquitate haurirent.

Hist. soc. p. 3. l. 4. n. 3. XII. Bernardus Japon a S. Francisco Xaverio Romam missus doceri quidem cœpit, sed ob infirmam valetudinem cum sola ei Dominica oratio exposita fuisset, postea etiam valentior factus nihil præterea sibi addiscendum putaret, quidquid enim scire oportet, ea in oratione contineri, illam sibi, & obedientiam, omnium loco studiorum esse; & tamen erat ingenii peracuti.

Ib. l. 12. n. 66. XIII. P. Antonius Criminalis quotidie trigesies prolixius orare consueverat.

Hist. soc. p. 2. l. 9. n. 127. XIV. P. Franciscus Villanova tantam ex orationis studio familiaritatem cum Deo est nactus, ut Deum semper præsentem, lacrymas quoque de Deo ad placitum haberet.

Jo.Rho. c. 9. n. 7. ex uystris. XV. Auferebant tantum diei, ac virium Petro Cottono Henrici Magni, cui a Confessionibus & concionibus erat, Aula, & Christianæ rei commoda, ut vix quidquam illi otii superesset ad contemplationem, ac de legitimis somni spatiis quicquam decerpere, sine periculo valetudinis, non posset. Ergo qua erat in Deum spe, petere ausus, ut liceret vel in somno divina contemplari, feliciter impetravit: quamquam ille, quantum conniti poterat, in tanto negotiorum æstu, descripta quotidianæ commentationi, Sacrificio, & divinis laudibus tempora, ita sibi seposita volebat, ut viros etiam utriusque ordinis Principes a limine severissime id temporis excluderet; securus offensionum. Quod quum de quiritantibus audisset Henricus, hominis institutum laudavit, eumque chariorem habuit. Multum enim interest, otrum humanis volens libensque, an coactus implicearis; qui ultro sequuntur, via ulla sublimioris quietis superest spes, coactis multa indulget Deus.

Ib. c. 10. n. 1. ex no-stris. XVI. Sancta Bellarmino fuit ea horarum partitio, qua divina carmina a sacerdotibus decantari veteri Ecclesiæ mos fuit. Adiverat ad invisendum hominem Petrus Aldobrandinus Cardinalis, qui ut admissus in cubiculum, vidit eum de genu horarias preces recitantem, neque sibi assurgentem, cum nec interpellare esset ausus; nec porro quidquam interrogaret, audivit ab eo, sua Deo tempora sarta esse servanda; jamque vulgatum id erat in aula, ut quieto, quocumque in loco, vel Principum conventu suas preces peragere liceret. Idem, cum in cubiculo inambulantem offendisset socius, & quod toto ex ore se prodebat, medicabundum, rogavissetque, num forte sacerdotale pensum persolveret, admiraus respondit: Adeone me Dei negligentem putas, ut obambulans eum solemni more precari sustineam? Digna Viro vox; obiter Deo supplicat, qui obambulando precatur.

XVII. Benedictus Herbestus extrema valetudine vestes numquam exuit, nec se lectulo credidit celsi animi vir, qui necessariam illam quietem segnitiem interpretabatur; verum extremæ jam proximus luctæ, ministro decumbentium abscedere jusso, nec nisi post horam ad se redire medio in conclavi genibus nixus, solemnes Sacerdotibus preces auspicatus eo abjit, ubi dulcissime nullo labore æternum persolvet. Ib. n. 4.

XVIII. Eluxit in Claudio Aquaviva adhoc puero, quæ in sene miraculo propemodum fuit, singularis divinas inter preces animi pietas. Vix decimum supergressus annum, eas persolvere orsus est, usurpabatque quæ tunc magna erat in celebritate Sanctæ Crucis Cardinalis descriptionem. Jam vero vir, & Reipublicæ admotus, obrutusque negotiorum mole, ac temporibus durissimis exercitus, adeo, dum recitaret, ibi totus erat, ac si extra hominum consuetudinem ageret in solitudine: tantis incendebat lætitiis, ut crebro gemitu ac suspiriis se proderet. Rapiebatur maxime Psalmorum sublimitate, ac latenti, sed viris magnis non ignota in illis Divinitatis vi, ut divino lumine superfusus abditos ibi thesauros videret: quorum indicem in aliquot eorum subsecivas commentationes homo occupatissimus ad posteros etiam transmisit. Addebat etiam quotidie plerasque privatæ hujus pietatis exercitationes, adeoque inter induendas vestes, compositis ad sacerdotalium imitationem carminibus precabatur. Ib. n. 7.

Meditatio.

XIX. Sanct. Ignatius P. Jacobo Layni suadenti, ut longius tempus pro meditatione præscriberet, dixit, sufficere etiam unicum quadrantem ad vitam religiose instituendam. Lanc. op. 2. n. 313.

XX. S. Franciscus Xaverius ne in summis quidem Commorini occupationibus horam meditationis intermisit, quippe meditandi occupationem præcipuam dicebat; hinc nocturnæ quieti aliquot horas detrahebat, quas orationi dabat. Maxime vero in Christi vitæ mortisque meditatione acquiescebat, satis gnarus ibi eximia omnis exempli documenta in illustri posita monumento intueri, atque imitari licere. Hoc meditationis genus maxime salubre, ac frugiferum, præcipuum utique exemplar Christianæ vitæ, & ingens invitamentum divinæ charitatis impense complectebatur ipse, & aliis commendabat. Vit. l. 6. c. 5.

XXI. S. Franciscus Borgias post noctem maxime mediam meditationi vacabat, quo tem- Vit. l. 4. c. 4.

tempore ita extra se rapi videbatur, ut quinque vel sex horas momenti instar judicaret, ardereque ignibus quasi inflammatus.

Vit. l. 1. c. 16. XXII. P. Jacobus Laynes, etsi multis & præclarissimis a Deo donis, & doctrina præsertim rara & excellenti, societatem perinde, ut S. Ignatius pietate illustraret, tamen precationi & meditationi pleraque accepta referebat. Hinc sive privata, sive publica, sive sua, sive aliena res gereretur, sive adversa, sive secunda inciderent, precibus ad Deum tamquam portum, sic ab Ignatio edoctus confugiebat.

Vit. 1. præfat. & Bib. scrip. soc. XXIII. P. Franciscus Suarez, qui omnem Theologiam cum pluribus tomis egregie illustravit, ingenue fassus est, malle se, quidquid scientiæ acquisivisset, perdere, quam unicam solitæ meditationis horulam intermittere.

Vit. c. 11. XXIV. P. Baltassar Alvarez ex dono Contemplationis, post sexdecim annos in ordinario modo meditandi adhibitos, fassus est, se sequentes fructus percepisse. 1. Subsidium ad vivendum in cruce, in labore, & probatione, quamdiu voluerit Deus. 2. Veram opinionem & appretiationem pretiosi, scientiamque illud a vili separandi. 3. Media satis apta, nec difficilia ad cælum perveniendi. 4. Novam notitiam & intelligentiam veritatum, quibus ad pectus usque ipsius Dei penetraret, ex quo veritates illæ fluebant. 5. Vitam & Spiritum interiorem, & per hunc remotionem omnium impedimentorum perfectionis. 6. Solatium & levamen in gubernatione, ut inter multas curas, quasi sine cura transiret. 7. Evanescentiam anxietatum & tentationum habendi plus temporis ad orandum. 8. Compassionem cum alienis defectibus. 9. Humiliationem prudentem in propriis peccatis. 10. Summam animi tranquillitatem ad pacem.

Hist. soc. p. 2. l. 1. n. 107. XXV. P. Franciscus Villanova ante, quam alii surgerent, jam ordinarie per horam meditatus fuerat tantamque ex familiaritate hac cum Deo fiduciam est consecutus, ut licet pauperrimi Collegii esset Rector, numquam tamen penuriam pateretur.

Annal. 1602. Pr. Belg. coll. Lovan. XXVI. Bertrandus Coadjutor & Infirmarius circumgestata clepsydra orationis horam mensurabat, ne vel particulam doni hujus boni per officii sui distractiones ammitteret.

Vit. l. 2. c. 4. XXVII. P. Petrus Faber fatebatur, plus se jucunditatis, & solidi gaudii succique sentire in meditationibus, quas ad salutem proximorum dirigebat, agendo hominum causas cum Deo, quam ex altissimarum rerum consideratione, si ab omni eam vel vivorum vel mortuorum utilitate sejungeret. Erat autem quotidiana meditationis ejus materia vita Christi, licet præter illam interdum etiam aliis adhiberet.

Annua 1590. f. 128. XXVIII. P. Ignatius Martinius diebus singulis ac noctibus horas quinas meditationi flexis genibus immobili firmitate impendebat.

Annua 1609. f. 230. XXIX. P. Georgius Colibrand quotidie ab hora nona ad decimam de noctis novissimis meditabatur.

Vit. l. 3. c. 2. XXX. P. Gonsalvus Sylveria dum in Judæa Provincialis esset, constituit, ut socii omnes tempore pomeridiano etiam integram horam de Deo & divinis rebus contemplationi darent, quo ad bene vivendum, atque ad conversionis officium cum fructu peragendum ab eo vires acciperent.

XXXI. Joannes Berchman quamdiu bene valuit, non solum non intermisit, sed neque trajecit quidem statam meditationis horam, ut plus virium haberet suam cum aliorum precibus conjuncta oratio. Audito signo ex meditatione statim surgebat, factoque examine, calamo excipiebat illustrationes, proposita. *Vit. p. 1. c. 12. f. 111.*

XXXII. Conimbricæ olim instar criminis habebatur, si quis e Collegio pedem efferret, & non prius coram SS. Sacramento meditationis materiam pararet. Unde fiebat, ut nonnumquam in itinere æstu contemplationis abrepti in obvia quæque seu homines, seu jumenta, seu lapides, velut oculis & sensu capti incurrerent, occursantium ludibrium. Durabat oratio etiam in mensa, unde tantus in vultu pallor exorsus erat, ut externi joco dicerent, palearum illos fuligine eum sibi colorem accersere. *Hist. soc. p. 1. l. 2. n. 12.*

XXXIII. Petrus Vellon Coadjutor Lapicida profestis quatuor, in ipsis vero Festis octo horas vel in cubiculo, vel ante Venerabile Sacramentum genibus nixus impendit.

§. VII. EXEMPLA PROFANA.

I. SCipio Africanus numquam rem aliquam arduam auspicatus est, quin prius a Jove consilium & auxilium pro felici successu petierit. *Beirl. the. 2. in festo. S. Barth.*

II. Cræsus Lydorum Rex a Cyro victus, & rogo, ut cremaretur, impositus, Appolinem invocavit, ut rogum extingueret. Quod mox coacta cælo sereno nubes copioso imbre effecit. *Ibid.*

III. Numam Pompilium Jovem e cælo precibus suis deducere potuisse, superstitiosa credidit antiquitas. *Ibid.*

IV. Lacedæmones, teste Platone, orante solum pulchra & bona petere solebant, nec unquam aliud quid precari audici sunt. *Drex. V. Or. in loc. simil.*

§. VIII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

I. SIcut ii, qui ad audientiam magni Domini admittuntur, famulos suos extra conclave relinquunt; ita qui ad Deum oraturi accedunt, creaturas & negotia (quæ ad famulandum homini datæ sunt) extra cordis conclave, vel templum relinquere debent.

II. Sicut sponsa cum sponso solo amicum habens colloquium, indignatur, si quis januam pulset, eamque a tam grato colloquio abstrahere velit, ideoque expectare eum jubet, ita & anima cum Deo colloquens, siquidem eum amet, cum indignatione repellere debet omnes cogitationes, quæ januam cordis pulsant, camque ab oratione impedire fatagunt. *Idem.*

III. Sicut is, qui allium comedit, ob fœtorem oris ad Regis colloquium non admittitur; ita qui cor terrenis desideriis plenum habet, merito ab oratione excludendus est. *Idem.*

IV.

Fulvius Andr. de confess. IV. Sicut, qui caponem comederet, & alicui Domino sola de illo ossa trasmitteret, merito gravem illius indignationem incurreret; ita non parum offendet Deum is, qui in oratione distractus, sola verba, velut ossa Deo transmittit, affectus vero pios, & devotionem (quæ sunt potissima orationis pars) eidem non offert.

V. Sicut si frater & soror simul coram Principe audientiam haberent, fratre perorante, deceret, ut soror modeste, oculis demissis, & quieta adstaret; ita cum anima & corpus cum Deo loquuntur: decet, ut corpus ad modestiam atque quietem religiosam se componat.

S. Chrys. ho. 12. in c. 15. Mat. VI. Sicut si quis supplex tibi advolvatur ad genua, sed manibus attrectet fordidissimis, quas paulo ante luto merserit, non modo non eum exaudires, sed calcibus etiam expelleres; ita nec Deus exaudiet orationem, quæ fordida mente peracta est.

S. Chrys. in ps. 42. VII. Sicut ad Imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere; ita etiam tu, atque longe adeo amplius cave, ne ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis, & nihili, ut verbi gratia, si quis in pecunia tibi fecerit injuriam, aut si quis affecerit te contumelia.

Rodr. p. 2. tr. 5. c. 17. VIII. Sicut si quis tenebrosum subit cubiculum, principio quasi nihil videt, sed si istic moretur, perspicit, quæ in eo sunt, omnia; ita idem sperare potest, qui in oratione primo parum videns, tamen in ea perseverat.

Fr. Ægid. IX. Sicut arbor, cum plantata est, non protinus grandescit, aut fructus parit, ita nec oratio supervacanea est, quia non illico fœcunda.

Stapl. in Dom. 20. post Pent. sb. 6. X. Sicut fumus ex modica flamma suscitatus cito evanescit, nec alte ascendere valet; sic oratio ex modico fervore spiritus profecta statim remittit, ad Deum difficulter ascendit, & impetrandi viribus caret.

Id. Dom. infr. Oct. Nat. sb. 6. XI. Sicut, qui absque ullo merito in Rempublicam, peteret magnam pecuniæ summam a Rege, mirari non deberet, si repulsam pateretur; ita nec mirum videri debet, si homines tam male de Deo meriti, nihil per preces obtinebunt.

S. Basil. in c. 1. Is. XII. Sicut si quis filium Regis occidisset, & manus adhuc sanguine ejus cruentas pro re aliqua obtinenda extenderet, indignationem potius, quam liberalitatem Regis provocaret; ita qui in peccato gravi constitutus Deum orat, iram potius, quam misericordiam conciliabit.

S. Bern. s. de mod. ben. viv. & Ven. Beda in festo Inn. XIII. Sicut si ferrum in vulnere manet, medicamentum non proficit; ita nec oratio proderit, quamdiu dolor, vel odium hæret in pectore.

Idem de pers. mo nast. c. 13. XIV. Sicut ignis, quanto magis in unum colligitur, tanto amplius nutritur, & flammas evaporans sursum impetuosius erumpit, ita & mens cum diutius intra se commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium urit in se, & per desiderium elevatur in Deum.

S. Laur. Just. c. 4. de orat. XV. Sicut qui terram colit, solerter sentes debet eradicare, ut uberiores valeat colligere fructus; ita qui dulcedinem devotionis in oratione gustare cupit, summopere impedimenta declinare debet.

XVI. Sicut qui mendicant ante fores Ecclesiarum, omnem dolorem & deformitatem, quam habent in corpore, ostendunt; sic & tu Domino, & Angelis ejus infirmitatem animæ tuæ ostendas in oratione. *S. Bon. s. de confess.*

XVII. Sicut aqua, dum per plana & ampla spatia fertur, non in altum exsurgit, sed tenuem sese late quaquaversus expandit: cum autem manu artificum subtus colligente, stringenteque coacta fuerit in angustum; jam inde solicita omni telo velocius se in excelsum jaculatur, petitque regionem supernam; sic mens humana dum otiosa, & liberior, quam expediat, degit, diffunditur, lateque defluit. Ut igitur mens nostra in Deum elevetur, intentiusque bona contempletur cælestia, oportet illam restringere, atque ab affectu & amore horum terrenorum & mundanorum sequestrare; nam ut S. Greg. ait, quanto cor hominum terrena desideria dilatant, tanto sinus cordis ad susceptionem S. Spiritus angustatur. *S. Chrys. ho. 7. de Nat. Dom.*

XVIII. Sicut est quoddam genus serpentis, quod, cum vadit ad bibendum aquam, antequam accedat ad fontem, evomit venenum. Imitare ergo hujus serpentis astutiam, & omne venenum amarissimum projice ab anima tua. *S. Basil. ad mon. ad Fil. Spirit.*

XIX. Sicut lignum aridum, omnique humore liberum, aptum est, ut ab igne consumatur: sic mens ab amore temporalium mortificatione purgata, disposita est, ut cælesti illustratione & calore formetur. *Orig. ho. 1. in gen.*

XX. Sicut ad elaborandum ferrum non sufficit, quod ignis calore emolliatur, nisi insuper mallei ictibus contundatur ad imprimendam ei, quam volumus, figuram: ita quoque cor nostrum per orationis calorem mollificari non sufficit, nisi etiam adhibeatur martellus mortificationis ad animam nostram elaborandam, tollendo ab ea qualitates noxias, quas habet, & ad figurandum in ipso virtutes, quibus indiget; & hoc fine servire debet dulcedo orationis, & amoris divini suavitas, ut facilitetur labor, & tædium, quæ mortificationi conjuncta esse noscuntur. *Rodr. ap. Mans. disc. 28.*

XXI. Sicut gustus corporis singulas alimenti particulas discernit, sapit, ac diglutit; ita interior animæ gustus singula verba Spiritus S. attendat, gustet, atque revolvat: hoc modo psallere, est vere sapienter psallere, quoniam sapientia dicitur quasi sapida scientia. *Dion. Cart. 16. dist. 22.*

XXII. Sicut vox sine modulatione auribus hominum inoperosa existit; sic oratio absque devotione auribus Dei inexaudibilis est. *S. Laur. Just. c. 6. de lign. vit.*

XXIII. Sicut, si quis coram Rege astans & cum eo colloquens, a conservo autem suo vocatus, Rege relicto, cum illo sermones miscet: ita Monachus, qui in sua Psalmodia cum Deo colloquitur, intentione interim mentis suæ alio reflexa. *S. Ephr. par. 30.*

Necessitas.

XXIV. Sicut venti sæpenumero ex adverso ingruentes accensum ignem lucernæ flatu diventilato extinguunt, sic & diabolus cum accen- *S. Chrys. to. 7. ho. 57.*

fam

ſam in nobis orationis flammam viderit, innumeris non ſolicitudinibus hinc inde perflatos, non prius finit quieſcere, quam lucem extinxerit.

B. Ægid. ep. Sur. 23. Apr. XXV. Sicut, ſi quis litem alicui intentat, coram judice, is, cui lis infertur, omni ſtudio laborat, ne contra ipſum ſententia feratur; ita & dæmon facit, nam quando pius homo Deum orat pro ſua aliorumve ſalute, litem intendit dæmoni, tamquam animaruoi prædoni.

S. Chry. ho. 2. hom. 68. XXVI. Sicut radix neceſſaria, ut vigor, viror, ſapor, & quicquid eſt aliorum bonorum, ad arborem tranſmittatur; & ſicut fundamentum neceſſarium eſt ad uoiverſam fabricam ſuſtentandam; ita etiam oratio neceſſaria eſt ad vigorem ſpiritus, ad florem virtutum, nec non ad corroborandam perfectionem in anima.

S. Chry. ib. XXVII. Sicut corpus nervorum beneficio conſtat, currit, ſtat, vivit, compactumque eſt, iiſque inciſis omnes corporis articuli diſſolvuntur; ſic animi per ſanctas preces conglutinantur, & conſtant, curſumque habent pietatis facilem & ſecundum.

Manſi diſ. 14. tr. 10. XXVIII. Sicut homo, qui per breviſſimum ſpatium temporis reſpirare deſtoit, moritur; ita anima, quæ ab oratione deſiſtit, quovis momento in mortis æternæ eſt periculo.

S. Chryſ. hom. 6. 7. XXIX. Sicut corpus noſtrum cum animus abeſt mortuum eſt, & fœtidum; ita oiſi ſe animus ad precationes excitet, mortuus eſt, miſer & fœtidus; atqui quavis morte acerbius putandum eſſe precatione ſpoliari, Vates ille nos Daniel docet, qui mori maluit, quam tribus diebus a precibus retardari.

Beirl. ſe. 2. in feſto S. Barth. XXX. Sicut Holofernes aquæductum incidit, ne in oppidum Bethuliæ influeret; ita hoſtis animarum incidi curat orationem, ne divinum in nos auxilium fluat.

Scapl. 16. 2. in Dom. Inf. Nat. Dom. XXXI. Sicut ægrotus, qui vix pedibus conſiſtere valet, aſſiduo eget alimento: & cæcus, qui pariter difficile graditur, continuo eget ductore, qui eum in via dirigat: & arbor in arido plantata ſolo frequentibus eget aquis, quibus, irrigatur, ut fructum proferat, & locus ſordidus ac malos fœtores exhalans, bonis odoribus implendus eſt, oe noceat: & ulcus ardore ſuo finitimam carnem incendeos, frigidis aſſidue liquoribus refrigerandum eſt; ita & homo quivis per naturæ conditionem infirmus, per cupiditatem cæcus, in arido hoc mundo plantatus, fomitem peccati fœtidum circumferens, aſſiduis ad Deum orationibus, velut optimo & præſentiſſimo medicamento opus habet.

S. Chryſ. b. 2. de orando Deo. XXXII. Sicut piſcis ſine aqua vivere non poteſt, atque adeo ex illa extractus, mox deficit ac moritur; ita nec anima poteſt ſine oratione vivere, eaque deficiente etiam ipſa mox deficit.

Ibid. XXXIII. Sicut qui nervos corporis incidit, univerſam corporis harmoniam diſſolvit; ita qui orationem impedit, omnem virtutum ſtructuram penitus corrumpit.

Gran. in ſylva loc. com. v. oratio. XXXIV. Sicut tota Olitoris cura in fodiendis irrigandiſque plantarum radicibus verſatur, utpote ex quibus terræ ſuccus in alimentum arboris attrahitur; ita maxima piorum cura in eo verſari debet, ut cogitationum & affectuum ſuorum radices in cælo figant, ut inde cæleſtis gratiæ ſuccum trahant, quo virtutum germina in terra proferant.

Gran. l. 1. de orat. c. 11. XXXV. Sicut pullus recenter excluſus neceſſe habet pipire, atque ope parentum gemitu ſuo implorare; ita homini gratia nudato, & ex omnibus auxiliis deſtituto oratio ante omnia eſt neceſſaria.

Vit. PP. l. 1. n. 209. XXXVI. Sicut qui domum periculo incendii expoſitam habent, aquam ſemper paratam in propinquo habere quoque debent; ita cum quivis homo concupiſcentiæ flammis obnoxium eſſe ſe ſciat, merito orationis medium ſemper to promptu habeat, neceſſe eſt.

S. Th. de Vill. c. 11. XXXVII. Sicut ſine calore naturali impoſſibile eſt vitam hominis corporalem conſervari, alimentaque prodeſſe, & bonam concoctionem fieri; ita ſine oratione vita animæ conſiſtere nequit: per illam autem ſpiritus vires acquirit ad operatiooes vitales exercendas.

S. Thom. Aquin. 1. p. Hiſt. F. Dom. l. 2. c. 37. XXXVIII. Sicut miles ſine armis ludibrium eſt hoſtibus, utpote quibus neutiquam oocere, facile autem ab iis ſuperari poteſt; ita homo ſine oratione, cum ſe contra inſultus dæmonum tueri non valeat, haud difficulter ab iis vincetur, & ſubjugabitur.

S. Chryſ. ap. Rod. p. 1. tr. 5. c. 13. XXXIX. Sicut ad agros fœcundandos non ſufficit una pluvia, ſed frequentiori imbre opus eſt; ita ut homo optatos virtutum fructus ferat, non ſemel, ſed ſæpius pluvia gratiarum per orationem peteoda eſt.

S. Hil. l. de nat. & grat. XL. Sicut oculus corporis etiam pleniſſime ſanus non poteſt cernere, niſi candore lucis adjutus; ſic homo etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æternæ juſtitiæ luce divinitus per orationem adjuvetur, recte vivere non poteſt.

Rodr. p. 2. tr. 5. c. 16. XLI. Sicut faber ferrarius, quando opus juxta votum non ſuccedit, illud io ignem denuo injicit, & recudit; ita ad orationis ignem ſæpius redeundum, & deſideria bona recudenda ſunt.

Id. c. 18. XLII. Sicut qui cum triremibus contrario vento navigant remis fortius navem impellunt; ita in oratione, deficiente proſpero vento internarum illuſtrationum, vires ac potentias noſtras tanto amplius applicare oeceſſe eſt.

Ibid. XLIII. Sicut hortulaous in eo omnem curam ponit, ut terram ſemper humidam & teneram conſervet, quo aptior ſit ad fructus producendos; ita ſervus Dei ante omnia operam dat, ut cor ſuum ſemper ſit plenum humilitate & fœcunditate gratiæ, quam ab oratione recipit.

Ibid. XLIV. Sicut radii ſolares ſemper cum ſole conjungi neceſſe habent, ut conſerventur; ita ut anima in devotione & ſplendore ſupernaturali vitæ perfectæ conſervetur, perpetua cum Deo conjunctione opus habet.

Ibid. XLV. Sicut arbor in loco, in quo a ſole lunaque irradiari non poteſt, nec creſcet, nec fructus producet; ita qui orationem cæleſtis ſolis lunæque influxu recipere oon ſtudet, numquam io virtute & perfectione proficiet.

Utilitas.

Beir. 16. 2. in feſto S. Barthol. XLVI. Sicut in medicina corporali quædam ſunt Alexipharmaca, pluribus morbis curandis

dis utilia; ita omnibus animæ infirmitatibus unica eſt medicina oratio: Inclinat quippe & ad ſe trahit Deum velut medicum animarum noſtrarum, qui ſolo nutu quæcumque perdita reſtaurat.

S. Chryſ. l. 2. de orando Deo. XLVII. Sicut, ubi Regina ingreditur aliquam civitatem, neceſſe eſt, ut omnis opulentia pariter conſequatur; ſic poſtquam deprecatio venerit in animam, omnes virtutes ſimul ingrediuntur.

Gran. l. 3. de orat. c. 3. XLVIII. Sicut luna pro vario acceſu ſolis magis vel minus creſcit in lumine; ita anima tanto magis in virtute proficit, & irradiatur, quanto propius divinitatis ſoli per orationem conjungitur.

Ibid. XLIX. Sicut cera ad ſolem purgatur, & quotidie candidior efficitur; ſic anima ſoli juſtitiæ per orationem expoſita, quotidie purior ſanctiorque evadit.

S. Chryſ. de prec. l. 2. L. Sicut ii, qui cum Rege collocuti ſunt, ab eoque honorem conſecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum, & abjectorum hominum; ita qui ad familiaritatem Dei admiſſus eſt, nequaquam dignabitur in mundi, carnis & dæmonis contubernium venire.

Id. h. 82. in Jo. LI. Sicut ſi quis unguentariæ tabernæ aſſidet, etiam invitus accipit illum odorem; ita multo magis, qui Eccleſiam & orationem frequentant, etſi duri & aſperi ſint, incipient tamen aliquando ea, quæ audierint, & intellexerint, opere complere.

Hier. in l. de ador. in ſpir. LII. Sicut lapis, quo altius ruit, tanto fortius cadit, & tundit terram; & aquæ, quæ paulatim de cælo cadunt, magis proſunt arvis quam quæ magno impetu ea perfundunt; ita & doctrinæ, quæ ex oratione cœlitius hauriuntur, magis proſunt, quam quæ propria experientia & labore hauriuntur.

Rodr. p. 1. tr. 5. c. 14. LIII. Sicut ferrum in igne molleſcit, ut ad omnem nutum Artificis tractari & formari poſſit; ita per orationem homo emollitur, ut flecti ſine labore in Dei voluntatem poſſit.

Id. c. 15. LIV. Sicut fons in horto poſitus, omnibus plantis vigorem & virtutem per aquas ſuas communicat; ita orationis efficacia omnes virtutum plantæ vividæ, floridæque conſervantur.

Vit. PP. l. 5. n. 40. LV. Sicut, qui incantant ſerpentes, non intelligunt vim verborum, & tamen illos fugant; ita ſæpe meditantes divinas ſcripturas, & orantes, licet non intelligant, quid dicant, tamen fugant dæmones.

Drex. in Rhet. cæl. l. 1. c. 15. §. 2. LVI. Sicut quando carbonibus vivis thus injicitur, optimus odor ſpargitur; ita cum amoris prunæ thus orationis accipiunt, Deo gratiſſimus odor incenditur.

Ibid. LVII. Sicut reſpiratio non ſolum eſt cauſa, ſed etiam ſignum vitæ; ita oratio vitalis plane ac ſalutaris eſt, etiamſi non impetret, quod poſtulat. Atque ideo David dixit: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.

S. Chryſ. h. 88. LVIII. Sicut ſi qui Regem familiariter alloquuntur, & apud illum locum obtinent dignitatis, fieri non poteſt, ut inopia laborent; ita fieri omnino longe difficilius poteſt, ut, qui ſupplices ad Deum accedunt, & cum eo colloquuntur, mortales animos nanciſcantur.

S. Ambr. l. 7. de Ab. l. 4. c. 6. LIX. Sicut corporis virtus exercitatione augetur frequenti, at inexercitata minuitur, & labitur; plurimi enim exercitii diſſuetudo etiam naturalem conſuevit diſſolvere virtutem, ſimiliter animæ fortitudo exercitationis aſſiduitate ſolidatur, ut labor ipſe diſciplina ſit non oneri futurus ſed uſui. Hunc cibum menti noſtræ deferamus, qui multa attritus meditatione, ac politus, cor hominis, ſicut illud cæleſte manna confirmat.

LX. Sicut carnalibus cibis alitur homo exterior, ſic devotis orationibus homo interior paſcitur, ac nutritur. *S. Bon. p. 1. ſpec. diſt. 2. 22.*

LXI. Sicut aqua ignis extingitur; ita concupiſcentiarum vitioſarum impetus oratione ſuperatur. *S. Lau. Ju. c. 12. de or.*

LXII. Sicut ſpeculum facit hominem ſeipſum cognoſcere; ita oratio clarius facit homines agnoſcere defectus ſuos, vel profectus; quia lucidius conſcientia ibi ſe ſibi repræſentat, & vel ex profectus conſideratione in fiduciam ſpei læta erigitur, vel ex defectus conſideratione confunditur. *S. Bon. lib. 2. de per. Relig. c. 64.*

LXIII. Sicut corpus ſolis lumine, ſic animus precationum radiis illuſtratur. Si ergo cæci calamitas eſt, ſolem non poſſe aſpicere, quanta tandem eſt Chriſtiani viri jactura, non aſſidue Deum precari, Chriſtique ſplendorem in animum precibus inferre. *S. Chryſ. h. 67.*

LXIV. Sicut ille, qui tenet caſtrum Regis in obſidione, ſi obſideretur ab inimicis, reputaretur infidelis, niſi caſtrum Regis denunciaret obſeſſum, vel peteret ſuccurſum, vel niſi expectaret a Rege auxilium; vel ſi poſt auxilium redderet hoſtibus caſtrum; ſic cum hoſtes viſibiles & inviſibiles obſident animam tentationibus, ſtatim debemus Regi Regum nuncium orationis mittere, & obſidionem denunciare; ſicut faciebat Propheta, qui dicebat: *Concilium malignantium obſedit me*; Deus enim non differt auxilium mittere. *S. Bon. in diet. sal. tit. 2. c. 3.*

LXV. Sicut urbs mœnibus minime ſepta, facile in hoſtium poteſtatem venit, ideo, quod nemo illos propulſare poſſit; ſic precatione animum non communitum facile diabolus in ſuam redigit poteſtatem, facileque contaminat omnium turpitudine flagitiorum. Sed enim cum animam precibus viderit circumſeptam, vires robur ac vim, quam preces illi ſuppeditant (quæ animum magis alunt, quam cibus corpora) propius non audet accedere. *S. Chryſ. h. 22.*

Dignitas.

LXVI. Sicut ii Aulici, quibus liber ad Principem aut Regem acceſſus conceditur, beatiſſimi & ſummo honore affecti cenſentur; ita qui per orationem familiarius cum Deo loqui aut converſari conſuevit; merito tanto beatior honoratiorque æſtimatur, quanto altior digniorque ipſe eſt Deus. *Idd. 20. c. de fruct. orat.*

LXVII. Sicut ſi ruſticus aut mendicus in aulam admitteretur, & cum ipſis primariis Aulicis Regi ſervitium commune præſtare ſineretur, ſummam, nec immerito, dignitatem facilitatemque conſecutus videretur; ita cum homo per orationem Angelis ſe ſociare & cum iiſdem Deum laudare permittatur, merito ob tantam gratiam perbeatus, & magno honore affectus cenſeri debet.

Faci-

Facilitas.

S. Chryf. hom. 22. LXVIII. Sicut neque charitatis vis, ita neque precationis efficacitas, loci intervallo coercetur; sed quemadmodum illa longe conjunctos copulat, sic & hæc eos, qui procul absunt, admodum juvare potest.

Jucunditas.

LXIX. Sicut si mendico daretur facultas mendicandi per aliquam urbem, & is sciret, in quavis domo se liberalissimam stipem obtenturum, utique jucundissima ei mendicatio brevissimaque accideret; ita merito tempus orationis cum tanto majori alacritate lætitiaque impendere debemus, quanto certiores sumus, nos tum a Deo, tum a sanctis amplissima dona gratiasque obtenturos.

Vita PP. l. 3. libell. 7. n. 20. LXX. Sicut viator sarcina gravatus, flando, & respirando, oneris & viæ laborem imminuit; ita homo per orationem laborem hujus vitæ levat.

L. Sulpic. Sever. in vita S. Martini. LXXI. Sicut Fabri Ferrarii ut lacertis suis nonnihil parcant, ex industria subinde a candenti massa aberrant, obiter ac molli brachio incudem tundentes; ita a negotiis publicis orando respirandum, uti S. Martinus fecisse se dixit.

Granat. l. 1. de a. or. c. 8. LXXII. Sicut primi homines dicuntur glandes reliquisse, postquam frumenti usum invenerunt; ita anima nullo negotio respuit voluptates carnis, quando semel cælestes per orationem degustavit.

Ibid. LXXIII. Sicut mater videns noxium cibum arripuisse infantem, ut illum relinquat, dulces ei cupedias offert; ita Deus cælestes in oratione prægustare delicias facit hominem, ut terrestres & noxias dimittat.

Idem in silva loc. comm. V. Præpar. ad orat. LXXIV. Sicut parentes, ægrotante filio, si forte somnum salutare cupit, observare studiose solent, ne ab aliquo domesticorum somnus talis strepitu intercidatur; ita cælestis sponsus anima in illo quiescente, & per orationem obdormiente diligenter curat, ne salutaris iste, ac vitalis somnus impediatur.

Perseverantia.

S. Laur. Just. c. 4. ligu. vit. LXXV. Sicut certaminis bravium non assequitur, qui antequam metas attingit, deficit; sic orationis fructu privatur, quisquis in illa non extiterit importunus.

Pro Oratione Dominica.

Tertull. l. 1. de or. ap. Mansf. dist. 40. LXXVI. Sicut Breviarium compendiose in se includit, quidquid in tota Sacra Scriptura tam veteris, quam novi testamenti continetur, imo multo plura, scilicet sermones & homilias a SS. Patribus scriptas; ita dici posse videtur, quod increata & incarnata Sapientia, Verbum Patris abbreviatum, in hac oratione velut Breviario quodam gesserit, quidquid boni aut pulchri est in Sacris Litteris.

Meditatio.

LXXVII. Sicut chalybis affrictu ignis copiose ex lapide exilit; ita dum mens discursu meditationeque quasi percutitur, ignis amoris divini, & desiderium perfectionis excitatur. *S. Cyrill. Alex. ap. Rod. p. 1. tr. 5. c. 11.*

LXXVIII. Sicut Sol non omnes, quos illuminat, etiam calefacit, sed eos tantum, quos ad calorem recipiendum bene dispositos advertit; ita meditatio multos quidem illuminat, non tamen perinde omnes ad operandum movet, & excitat, sed eos dumtaxat, qui per generosam resolutionem se capaces faciunt. *S. Bern. serm. 3. sup. Cant.*

LXXIX. Sicut stulte ageret, qui totum diem in transmittenda acu sine filo consumeret, numquam vero sueret; ita non minus inepte agere censendus est, qui totum meditationis tempus in discursu insumit, nihil autem affectui tribuit. *Rodr. l. c.*

LXXX. Sicut Sol vapores e terra attollit, ex quibus pluvia gignitur; ita meditatio ex peccatis consideratis varios effectus producit, ut ex illis pluvia voluntaria lacrymarum oriatur. *Polec. l. 3. de officiis Relig. c. 18.*

LXXXI. Sicut infans ab uberibus matris pendens, modo in hanc, modo in alteram uberum partem gyrat se, papillamque ori tandiu inserit, donec optato lacte fruatur; ita idipsum per meditationem facere quemque convenit, ut cælestium consolationum lacte, dulcedineque recreari mereatur. *S. Chryf. ap. Rodr. p. 1. tr. 5. c. 22.*

§. IX. MOTIVA.

I. *Necessitas:* Nam non propter hoc oramus, inquit D. Thomas, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum: non enim, teste D. Gregorio, obtineri possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea, quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare. *S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2.* *S. Greg. l. 1. Dial. c. 8.*

II. *Utilitas.* Quæ quidem multiplex est: 1. *Ad vitia extirpanda:* Nam, teste S. Chrys., impossibile est hominem congruo precantem studio, Deoque continuo supplicantem, unquam peccare. Hinc S. Climacus orationem vocat speculum perfectionis, & curiam ac judicium, & tribunal Domini ante futurum tribunal, plagis nostris adferens medicinam: quemadmodum enim obscurum juxta clarum, & curvum juxta rectum positum, magis elucescit; sic anima posita juxta præsentiam Dei, quæ lux est, & regula omnium rerum, confestim omnes defectus conspicit, & remedia petit ab eo, qui, uti caput est omnis rectitudinis, & pulchritudinis, sic remedium est contra omnes miserias & calamitates. 2. *Ad virtutes comparandas.* Est enim inter virtutes & orationem reciproca quædam & inseparabilis conjunctio, ut Abbas Isaac apud Cassianum loquitur; nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmine omnia fuerint colligata, nullo modo firma poterunt vel stabilia per- *S. Chryf. hom. 79. ad popul. Antioch.* *S. Clim. grad. 28.* *Cassian. Col. l. 9. c. 2.*

S. Clim. grad. 28.

perdurare. Hinc S. Climacus vocat orationem Matrem & Reginam, & cibum, & fontem virtutum, & gratiarum Ministram, & profectum invisibilem. Id quod ipse etiam Deus S. Catharinæ Senensi confirmavit, dicens: Noveris, filia charissima, quod in oratione humili, continua & fideli, cum vera perseverantia, lucratur anima perfectionem & omnem virtutem. 3. *Ad lucrum spirituale meritorum augendum*: Nam, teste S. Bonaventura, quacumque hora lucratur homo oratione devota plus quam valeat totus Mundum: firma quippe est Servatoris promissio: Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis. Quod confirmans S. Chrysostomus: Oratio, inquit, thesaurus perpetuus, divitiæ inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, parens, fons & radix bonorum omnium, & innumarabilium. Quibus ultimis verbis aliud quoddam nobis insinuatur potentissimum motivum, ad imprimendam nobis firmiter orationis necessitatem: utpote per quam omnia bona recipimus, cunctaque mala declinamus: Unde S. Bonaventura ait: In hoc innuitur oratio multum nobis amanda, quia per ipsam impetratur obtentio omnis boni & amotio omnis mali. Quapropter citatus S. Chrysostomus merito monet: Vitam nostram in precibus, deique cultu traducamus, atque in ea re vitam, valetudinem, divitias, bonorum omnem positum esse, censeamus: 4. *Ad Dæmonis insidias evitandas.* Nam, ut S. Chrysostomus ait, si Dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illico resiliunt, non aliter ac prædones, ac facinorosi, ubi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari. Quod ipsum etiam S. Bernardus confirmat, dicens: Oratio frequens, Diaboli jacula submonet: Oratio quotidiana Diaboli telæ exsuperat: Oratio est prima virtus adversus tentationum incursus: Oratio superat tentamenta inimicorum; vincit Dæmones, superat immundos spiritus, per Orationem vincuntur Dæmonia, Oratio Dæmonibus & omnibus malis prævalet. Et S. Laurentius Justinianus inquiens: Nihil profecto sic terret Leviathan, sicut orationum crebra instantia, atque deprecantium devota suspiria: æque orationis, quam gehennæ crematur incendio: 5. *Ad veram devotionem & appetitum rerum spiritualium obtinendum.* Quod nullo efficaciori argumento, ait Granatensis, quam ipsa experientia probari potest, qua quisque experiri potest, se, si una alterave noctæ sedeat ante altare, & cum Deo conversetur, totum alium quam accesserat, discessurum.

Dial. c. 66. — *S. Bon. de praf. vit. c. 7.* — *S. Chrys. ho. 5. de incompr. Dei.* — *Idem t. 2. ho. 67.* — *S. Chrys. l. 1. de or. Deo.* — *S. Bern. s. 20. de mod. ben. viv.* — *S. Laur. Just. c. 5. de inter. conflict.*

III. *Æquitas.* Quid enim æquius, quam ut homo ex se pauperrimus a Patre suo cælesti panem aliaque necessaria petat? quid æquius, quam ut artem, quam per totam æternitatem exerciturus est, in hac vita perfecte addiscere & exercere incipiat? Nam ut bene advertit S. Augustinus, meditatio præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet, quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri futuræ, qui se ad illam modo non exercuerit. Bellovacensis hunc in finem exemplum omnium creaturarum ob oculos ponit, dicens: Debent nos movere ad orationem exempla rerum sensibilium. Terra enim nimis sicca, quasi petens a Deo pluviam, hiat superius diversis scissuris, quasi innuens rationali creaturæ, ut os aperiat ad superna fluenta obtinenda, dicens Patri pluviarum: Anima mea, sicut terra sine aqua, tibi. Item terræ nascentia, ut herbæ, & arbores & earum flores, quot habent folia, tot linguas suo Creatori erigunt, quasi augeri & perfici postulantes, & quasi clamant: *Imperfectum nostrum viderunt oculi tui, Domine.* Item creaturæ irrationales, ut jumenta & aves, Bos enim indigens pabulo aut potu, caput sursum, quasi ad Deum elevans, & quasi sibi quod necessarium est, a Deo postulans mugit, asinus rudit, equus hinnit: Joel. 1. 18. *Ingemuit animal, mugierunt greges armenti, quia non sunt pascua eis.* Job. 12. 7. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi: loquere terræ, &c.* Item quædam volucres, ut columba, & turtur quod desiderant, gemendo indicant: *sicut pullus hirundinis sic clamabo.* Isaiæ 38. 14.

S. Aug. in Ps. 148. — *Spe. mor. l. 2. d. 1. p. 1. dist. 12.*

IV. *Dignitas:* quid enim magis honorificum quam intimam cum Deo, Summo Domino, cælique Principibus familiaritatem habere.

V. *Jucunditas:* quid enim jucundius, quam mendicum posse a Deo Cælitibusque, quandocumque placuerit, non mendicare solum stipem liberalissimam, sed etiam expectare? ægrum posse Medico peritissimo miserias suas secundum voluntatem exponere, præsensque remedium expectare? Reum posse cum Judice suo loqui pro libitu, & veniam impetrare? Discipulum indoctum cum sapientissimo Magistro? Sponsam cum dilectissimo Sponso ad votum colloqui posse.

VI. *Facilitas:* nam si hominem rogare volueris, inquit S. Chrysostomus, interrogas, quid facit? & dicit tibi, prandet, cœnat, dormit, cum amicis agit, non vacat: aut certe Minister respondere tibi non dignabitur: ad Deum autem nihil horum opus est, sed ubicumque fueris, aut invocaveris, audit te, Non enim quæritur locus, sed devotio mentis. Sed neque assistit miles, qui expellat; non satelles, qui dicat: non est nunc tempus accedendi. Nec opus est Janitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis. Sed quando ipse per te ipsum accesseris, & tunc maxime exaudiet. Adde, quod ipse quoque modus sit admodum facilis, quid enim facilius mendico, quam suas miserias aperire & exaggerare? quid facilius læso, quam de injuriis Judicem interpellare? quid facilius amanti, quam in amati laudes se effundere, aut alios amantibus proprios affectus elicere? Sed & ipsa quoque impetratio ex parte Dei non est difficilis, cum, ut ait S. Chrysostomus, quemadmodum parturiens cupit emitti fœtum, ita Deus cupiat misericordiam effundere, & ut, S. Birgittæ revelavit, paratior sit dare, quam aliquis petere: nec enim, teste S. Cypriano, ullis finibus premitur, nec coercentibus claustris intra certa metarum spatia frænatur, manat jugiter, exuberat affluenter; nostrum tantum sileat pectus, & pateat. Quantum illic fidei af-

S. Chrys. ho. 17. de muliere Chanan. — *Idem in Ps. 4.* — *S. Chrys. orat. de B. Philog.* — *L. 5. revel. c. 35.* — *S. Cypr. l. 2. epis. de Donat.*

fe-

ferimus, tantum gratiæ haurimus. Et ut sponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrorat, ita se Spiritus cælestis infundit. Imo, quod admirabilius est, creaturam suam (quemadmodum B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis revelavit) tamquam benefactricem recognoscit, dum recipit illa dona, quæ illi donat, quamvis ille beneficium conferat, & illa recipiat, quæ ex se est medica, & ab eo dicata. Adeoque complacet sibi Deus, dum benefacit, ut pro beneficio in se collato æstimet, dum ejus beneficia & dona a nobis recipiuntur. Hinc recte S. Augustinus parabolam de Amico ob importunitatem pulsantis panes dante discurrens ait: Ille qui nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia alter in petendo non deficit, quanto magis dabit Deus bonus, qui hortatur nos, ut petamus: cui displicet, si non petamus?

P. 3. vit. §. 3.

S. Aug. ser. 5. de verb. D. m.

§.X. MEDIA.

I. *Præsentia Dei, Angelorum aliorumque cælitum cogitata:* uti suasit Eusebius Emissenus his verbis: Intueamur, qua disciplina cordis & corporis nos oporteat in conspectu Angelorum psallere & orare. Ne vacui dimissi vacuos dimittant nos, qui venerant, ut vota deferent: qui venerant amici, quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium, & pulsat, si nulla ei digna devotio de intus respondens aperiat, recederet conquerens, & dicens: Attendi, auscultavi: nemo, quod bonum est, loquitur. Idem medium etiam V. Beda suasit, dum quæsitus, quomodo quis obtinere possit, ut sensus in oratione non vagetur? Respondit: Si certus sit, se ante oculos Domini assistere. Idem S. Bernardus suasit sequentibus verbis: Veniens ad Ecclesiam pone manum tuam super os tuum, & dic: Expectate hic cogitationes pessimæ, intentiones & affectus cordis, & appetitus carnis: tu autem anima mea intra in gaudium Domini tui, & videas voluntatem Domini, & visites templum Sanctum ejus. Hujus medii efficaciam expertus est Monachus ille, qui cum immotus & totus ardens in templo oraret, rogatus, quod medium adhiberet? Respondit; se ad initium orationis cor suum colligere, & cogitationibus suis dicere: Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. Sed & S. Chrysostomus hoc medium commendat, dicens: Imaginare tibi, quando ad orationem pergis; intrare te curiam illam beatam, in qua Rex gloriæ sedet, stellis coronatus, innumerabilibusque Angelis & Sanctis ipsi ministrantibus circumdatus, qui in te unum omnes oculos mentemque convertant, ut dicere orantes possint: Spectaculum facti sumus Mundo, Angelis & Hominibus. Nullus ergo fit Citharædus, nullus Lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressurus, timens, ne aliquid insuave & inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum, non usurpemus modo officium, quorum sortimur consortium.

Euseb. s. 1. ad monach. de vot.

Ven. Bed. l. hexam. l. 9.

S. Bern. ap. Rodr. p. 1. tr. 5. c. 22. ib.

S. Chrys. in P. 18.

Idem in Ps. 4. S. Bern. s. 72. in Cant.

II. *Vita bona:* Multum enim, teste V. Beda, juvat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis; quidquid enim ante orationis horam (inquit Cassianus) anima nostra conceperit, necesse est, ut orantibus nobis per ingestionem recordationis recurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex præcedente enim statu mens atque animus in supplicatione formatur. Et idcirco quidquid orantes nolumus, ut nobis irrepat, ante orationem de abditis pectoris nostri extrudere studeamus.

Ven. Bed. de templo Salom.

Cassian. coll. 9. c. 3.

III. *Studiosa præparatio:* juxta Siracidis monitum: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Hinc Numæ consilium: Adoraturi sedeant: quod observavit S. David sedens coram Domino: qui & fructum exposuit, dum dixit: Præparationem cordis eorum audivit auris tua, Domine. In quo autem præparatio ista consistat, indicasse videtur Deus, dum Moysen secum collocuturum *solum* sine sociis montem ascendere jussit, & ubi id fecit, nube sex diebus texit; nam, ut sapienter advertit S. Gregorius, intentioni animæ si exterior evagatio clauditur, interiora secessus aperitur: & qui extra se spargi propter disciplinam mens non potest, eo se supra se intendere per profectum potest, quia & in altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. Hinc S. Bernardus oraturus dicebat: Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea, venite ascendamus in montem, ubi Dominus videt, vel videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, pœnæ, servitutes, expectate me hic cum asino (corpore isto) donec ego cum puero, intelligentia scilicet & oratione usque illuc properantes revertamur ad vos: revertemur enim, & heu revertemur quam cito. Hanc ob causam Machetes senex apud Cassianum, ejusque exemplum secutus S. Ignatius fasciculum litterarum sibi orationis tempore oblatum, in ignem non legentes projecerunt.

Eccl. 18. v. 23.

2. Reg. 7. v. 18. Ps. 10. v. 17. Ex. 24. v. 2. & 16.

S. Greg. in moral.

S. Ber. in medit.

Cass. l. 5. inst. c. 29. Rib. l. 5. c. 7. vit. Matt. 6. v. 6.

IV. *Sensuum exteriorum, & præcipue oculorum custodia:* hoc enim Christus suasit, dum clauso ostio cubiculi orare nos voluit. Et prisci Patres dum amantem orationis cæcum, & surdum fieri volebant. Quid est autem claudere ostium; inquit S. Aug. hoc ostium tamquam duas habet valvas, cupiditatis, & timoris. Aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat: Timoris ergo & cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? cupiendo regnum cælorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æternalis Christus intrat. Recte ergo & breviter S. Bernardus dixit; Juge silentium, & ab omni strepitu sæcularium perpetua quies cogit cælestia meditari.

Orat. in Rhet. cal. l. 1. c. 5. S. 2.

S. Aug. in Ps. 141.

S. Bern. in epist.

V. *Curarum sepositio, & affectuum inordinatorum derelictio:* nam & hæc duo inter potiora, impedimenta orationis S. Bernardus posuit, *curam* scilicet *pungentem & affectum vigentem*, id quod super illa verba Isaiæ: Et vocaberis Sabbatum delicatum; discurrens Granatensis, pul-

Lud. Granatens. in Sylva loc. tom. V. præparat. ad orat.

pulchre ostendit, dum ait: Dictum mirum est, quam arduum, ac difficile sit piis etiam hominibus, mentem a terrenis ad cælestia perfecte elevare; non enim a peccatis solum vel levissimis, quæ fervorem charitatis tepefaciant; sed a multis etiam aliis, quæ, quamvis peccata non sint, mentem tamen distrahunt, & ab interna illa vocatione, vel avocant, vel impediunt, abstinendum est. Ideo non mirum, si Sabbatum delicatum a nobis exigat, quod videlicet, *delicate*, hoc est, non segniter aut oscitanter, sed magna cura & attentione, quod in eo percipitur, agendum sit.

VI. *Temporis apti electio*: ita S. Bernardus [S. Bern. s. 86. in Cant.] insinuavit dicens: Non modo locum, sed & tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque, maxime autem, cum profundum nocturnus sopor silentium indicit, tunc plane liberior puriorque exit oratio. Hoc Christus observavit pernoctans in oratione. Hoc Isaias [Is. 26 v. 9.] de se ipso dicens: Anima mea desideravit te in nocte. Hoc David [Ps. 118. v. 55.]: Memor fui nocte nominis tui. Hinc & alios hortatur: In noctibus [Ps. 133. v. 2. l. c.] extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. Et merito; quam enim secura (inquit S. Bernardus) ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctoque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam. Quam serena & placida, nullo interturbata clamore vel strepitu! Quam denique munda & sincera, nullo respersa pulvere terrenæ solicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata. Tunc plantæ, inquit S. Chrysostomus [S. Chrys. h. 42. ad pop.], respirant, in nocte dico, tunc & anima maxime rorem, & plus illis suscipit; quæ per diem Sol excussit, hæc nocte refrigerantur.

VII. *Solitudinem mentis procurare*; quid enim prodest solitudo corporis, inquit S. Gregorius [S. Greg. lib. 30. mor. c. 12.], si solitudo defuerit mentis? qui enim corpore remotus vivit, sed tumultibus conversationis humanæ, terrenorum desideriorum cogitationibus se ingerit, non est in solitudine. Si vero prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in urbe. Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant, ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restringant amoris, omnesque motus importune se offerentium levium cogitatum, quasi quasdam circumvolantes muscas, ab oculis mentis abigant manu gravitatis, & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silenter loquatur.

VIII. *Exemplum servorum mundanorum attendere*; uti S. Chys. [S. Chrys. h. 20. ad pop.] suasit dicens: Nam si Deus nostrum in orationibus torporem & negligentiam exquirat, & quod in ejus conspectu positi, & orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum Dominis servi, quantum Ducibus milites, quantum amicis amici.

IX. *Considerare naturam & præstantiam orationis*: uti S. Anselmus monet, dum ait: Oratio est quasi quoddam familiare colloquium cum Deo; & subdit [S. Ans. ap. Bellov. l. c.]: Orationis tempore Christianus homo cum Deo loquitur: consideret igitur fidelis anima, quam reverenter, humiliter, & attente debet loqui cum summo Principe: quam timorate, cum summo Judice: quam familiariter cum amico: quam dulciter cum sponso dulcissimo. Tota igitur attentione & toto affectu, & mentis adnisu loquatur homo cum Deo, sine interruptione & sine mentis evagatione.

X. *Assiduitas orationis*: nam, ut bene advertit S. Bonaventura [S. Bonav. lib. 2. de prof. c. 5.], quanto frequentius quis orat, tanto fiet oratio ei delectabilior & efficacior; & quanto rarius, tanto insipidior & tædiosior.

§.XI. ASCETICA.

Oratio in genere.

I. DE hac sequentia præcipue Asceta bene cognoscere, aliosque docere debet. *Quid & quanti facienda sit oratio*: namque quod sit reverens & amica conversatio cum Deo. Et ideo tum ob summam dignitatem, tum ob necessitatem & utilitatem suam prorsus singularem maximi facienda, cum vere juxta dictum S. Augustini, recte norit vivere qui recte novit orare.

II. *Nosse debet triplicem fidei articulum velut fundamentum, ad orationem cum debita alacritate & dispositione faciendam*: quorum primus est, quod oratio nostra vere cognoscatur a Deo, id quod Deus ipse per Isaiam [Is. c. 38. v. 5.] Ezechiæ indicari jussit dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas [Jo. 16. v. 24.]. Alter est, quod nihil dare velit, nisi per orationem, quemadmodum ipse iterum indicavit dicens: Petite, & accipietis: & S. Thomas [S. Thom. 2.2. q. 83. a. 2.] cum communi sensu Theologorum tradit. Tertius, quod oratio semper fructuosa sit futura, si debito modo fiat; ita enim ipse promisit: Amen, amen dico vobis [Joan. 16. v. 23.], si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; eo scilicet modo, quem S. Bernardus indicavit, dum dixit: Unum ex duobus indubitanter sperare possumus; quoniam aut dabit, quod petimus; aut quod novit utilius.

III. *Nosse debet, quæ de præparatione ad orationem scienda sunt* [Eccl. 18.], iterumque ad tria capita revocari possunt. 1. Omnino necessariam esse præparationem juxta illud Siracidis: Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. 2. Diligentiæ hujus præparationis plerumque successum orationis respondere, juxta illud Davidis [Ps. 20. v. 17.]: Præparationem cordis eorum audivit auris tua. 3. Duplicem esse præparationem adhibendam, remotam scilicet, & proximam. Et remotam quidem in tribus consistere, videlicet *ardenti desiderio orandi*, quia desiderium pauperum exaudivit Dominus, ut David. loc. cit. ait: *Curarum, & affectuum impertinentium remotionem*, juxta consilium Thomæ Kempensis [Th. Kem. l. 2. c. 8. §. 2.]: Oportet te esse nudum (id est, ut ibidem explicat, sine alicujus creaturæ implica verbo) [Matt. 6. v. 22.] & purum cor gerere, si vis vacare & videre,

quam

quam suavis sit Dominus. Vere enim, ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, inquit Christus; *Amicitiæ cum Deo & proximo restauratione*; nam, ut recte S. Clemens advertit, cum precatio sit conversatio & collocutio cum Deo, inter familiares & amicos fieri debet, atque [Jo. c. 9. v. 31.] adeo supponit deletam offensam: Fixum quippe est, quia peccatores Deus non audit. Hinc & cum proximo amicitia, si quidem dissoluta sit, restauranda est; ita enim Christus clare [Matt. 5. v. 23.] indicavit, dum dixit: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum. Hinc recte S. Augustinus infert: Si non oraveritis, spem non habebitis; si aliter, quam Magister docuerit, oraveritis, non exaudiemini; aut si in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo & orandum, & verum dicendum est: & sic orandum est, quomodo ille voluit: Vellis nolis, quotidie dicturus es: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vis securus dicere? fac, quod dicis. Proximam vero præparationem pariter in tribus consistere, nempe in *firmo proposito* distractiones & causas earum cavendi ad exemplum Christi Discipulis [Matt. 26. v. 36.] dicentis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem; & ipse avulsus est ab eis: *divinæ gratiæ petitione*: ad exemplum S. Matris Ecclesiæ, singulis horis Canonicis versum illum: Deus in adjutorium &c. præmittentis; *præsentiæ Dei imaginationem*: ita enim iterum Ecclesia nos monet, dum in Laudibus Feriæ quintæ nobis occinit: Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusque nostros prospicit a luce prima in vesperum.

IV. *Nosse debet, quæ conditiones in ipsa orationis serie sint observandæ*, nempe tres præcipue. 1. *Reverentia* tam exterior (quæ in humili ac decenti corporis compositione consistit) quam interior debitam attentionem ad ea, quæ oramus, requirens; vere enim magnam injuriam Deo facio, teste S. Bernardo, [S. Bern. l. de an. c. 8.] cum illum precor ut meam precem audiat; quam ego, qui fundo, non audio. 2. *Fiducia firma*: juxta ipsius Servatoris promissum: [Matt. 21. v. 22.] Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis: hinc commune Theologorum dogma est, mensuram credendi esse mensuram impetrandi, juxta quam [Ps. 32. v. 22.] Sanctus David dixit: Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te. 3. *Perseverantia*; quia, teste sancto Grego- [S. Greg. in mor.] rio, virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Veraciter orare est amoris in compunctione gemitus & non composita verba resonare. Quod etiam confirmat Sanctus Bonaven- [S. Bon. t. 7. l. 2. de prof. rel. c. 67.] tura dicens: Non propterea a prece cessandum est, quia Deus probat hoc orantis constantiam, expurgat humiliati conscientiam, & remunerat afflicti patientiam. Unde & Gil- [Guilb. Ab. s. 6. in cant.] bertus Abbas, pertinax, inquit oratio pertingit ad finem: etsi ab initio sicca & velut saxea videbatur, oleum tamen elicies gratiarum de hoc lapide durissimo tantum si perseveres, si te longior mora non dissolvat, si non dilatione tua vota lentescant; molesta plane amanti dilatio, sed solent protracta desideria amplius crescere. Rationem vero hujus ulteriorem reddit S. Bernardus, dum ait: Ad Dei beneficentiam obtinendam, retinendam, & observandam necessaria sunt præsidia sedulæ & longanimis orationis. Ubi nota, quod præmittat perseverantiam, & longanimitatem, & postea ad alios transeat actus virtutum, quibus cum oratio conjungi debet, in qua tanta sit fides, ut speret anima, tanta devotio, ut Deum cogere videatur, tantus amor, ut omnia, quæ petit in oratione se sentiat obtinere: tam benigna humilitas, ut in omnibus, non suam, sed Dei præoptet fieri voluntatem, habet cordis puritatem. Cum quo consentiens Sanctus Gregorius: vult Deus orari, [S. Greg. in Ps. 6. Pœn.] vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicitur: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Quid hac rapina locupletius? bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur. S. Ambrosius similiter ait: O beata violentia, quæ vim patientis bonitatem elicit, & utilitatem tribuit inferendi! quisquis enim violentior Christo fuerit, religiosior habebitur a Christo.

V. *Nosse debet causas & remedia distractionum in oratione*; quarum quidem tres præci- [P. 1. tr. 5. c. 21.] pue assignat Rodriquez. Prima est *propria nostre incuria*, quam in eo admittimus, quod rerum vanarum & affectionum terrenarum species & simulacra amandare ex corde non studeamus; quale enim frumentum molendino affundimus, hoc molit & conterit lapis; qualem liquorem vasi infundimus, hunc redolet: quales herbas plantavimus in corde, tales seminabit. Hinc merito antiqui Patres monebant: Quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus: ex præcedenti enim statu mens atque animus in supplicatione formatur. Altera causa est *dæmonis conatus* ad orationem impediendam, veluti aquæductum, per quem in corda nostra cælestes gratiæ derivantur, ad quem proinde conatum elidendum tanto acriori studio ad orationem incumbendum, atque in ea persistendum est, quanto ei inferiorem esse dæmonem novimus. Tertia causa est *humana debilitas & infirmitas* per peccatum adeo vitiata, ut, teste D. Bernardo, vix semel orationem Dominicam sine distractione recitare possimus. Contra quam potissimum humiliatio & vilipensio sui ex his ipsis distractionibus desumpta serviet.

VI. *Nosse debet potiores tentationes, quæ circa hoc saluberrimum orationis exercitium occurrere solent, modumque solidum eisdem occurrendi*: quarum quidem potiores hæc fere esse solent. Prima est *consolationum defectus*: pro qua vincenda ostendat. 1. Veram devotionem non in sensibili sapore, sed in bona & prompta voluntate Deo serviendi consistere. 2. Revocet in memoriam, uti nihil in orbe, ita neque has desolationes sine voluntate Dei obvenisse, utpote qui eas vel ad negligentiam

nostram in præparatione aut alio genere commissam, castigandam, vel ad humilitatem conservandam, vel virtutem ad patientiam probandam, vel majorem suam & nostram gloriam promovendam immisit; unde oportet dicere cum pio Asceta: Adesto mihi Domine Jesu, in omni loco & tempore. Hæc mihi sit consolatio, velle carere omni solatio. Etsi tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas & justa probatio pro summo solatio. 3. Jubeat legere ipsum ejusdem Authoris Caput nonum ex secundo libro, qui plenam de modo se in simili casu gerendi instructione inveniet; speciatim vero illa verba jubeat bene ponderare: Numquam inveni aliquem tam religiosum & devotum, qui non interdum habuerit gratiæ subtractionem; aut non senserit fervoris diminutionem; non enim est dignus alta Dei contemplatione, qui pro Deo non est exercitatus aliqua tribulatione. Solet enim sequentis consolationis tentatio præcedens esse signum. Secunda tentatio est, *mentis instabilitas, & distrationum multitudo*: circa quam salubriter iterum illi sequentem Thomæ Kempensis doctrinam in memoriam revocet: Nec est illusio, quod aliquando in excelsum subito raperis, & statim ad solitas ineptias cordis reverteris. Illas enim invite magis pateris, quam agis, & quamdiu displicent, & reniteris, meritum est, & non perditio. Non ergo te conturbent alienæ phantasiæ de quacumque materia ingestæ. Forte serva propositum, & intentionem rectam ad Deum. Invoca divinam gratiam, abige cum Abrahamo aves sacrificium orationis consumere volentes; & si filum orationis abrumpitur, connecte iterum cum priori parte. Nec dubita pergratum, imo gratiorem fore hunc conatum, quam si absque omni distractione orasses. Tertia est *defectus temporis ad orandum ob varia negotia*: cui occurrat ostendendo, 1. Non requiri longas orationes, sed breves sufficere, quas antiqui Patres frequenter, imo assidue usurpasse dicuntur, ne illa vigilanter erecta intentio per productiores moras evanescat. Ostendat 2. varios modos, quibus hunc defectum compensare possit, nempe vel per *pia desideria*; nam, teste Galfardo, vir desideriorum vir orationum est, bene semper orat, qui bene semper optat sine intermissione; efficacius enim apud Deum vota, quam verba clamant. Sic, ut Sanctus Anselmus testatur, orabat Moyses, cui tacenti Dominus dixit: Quid clamas ad me? clamabat enim corde, quamvis nihil diceret ore. Ita juge desiderium & incessabilis amor assidua est oratio Sanctorum. Aliter idem defectus per *bonam vitam*, legisque & obedientiæ accurratam impletionem compensatur, nam ita Siracides docuit dicens: Qui conservat legem, multiplicat orationem: Sacrificium salutare est, attendere mandatis. Huic sapienter Sanctus Augustinus adstipulans dixit: Vis semper laudare Deum? bene fac omnia, & laudasti Deum. Denique potest, & per illum motum suppleri, quem vir quidam Sancto Ignatio & sociis sarcinas portans adhibuisse dicitur, dum illis in hospitio orantibus, in angulo latens dixit: Domine Deus, viri hi Sancti sunt, & ego jumentum ipsorum, quod ipsi volunt, & quærunt, hoc & ego. Qua oratione altissimæ tandem & extraordinariæ orationis donum consecutus scribitur, uti fusius refert Rodriquez. Quarta tentatio est, quod nihil efficiant & impetrent sua oratione: cui occurrat ostendendo causas, ob quas id eveniat. 1. Quia opponunt nubem peccati, ne transeat oratio & manus sanguine Christi pollutas ad Deum extendunt: hinc quia is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur, ut recte dixit Sanctus Gregorius (vide fusius num. 10.) 2. Quia petunt male, hinc audire coguntur illud Sancti Jacobi: Petitis: & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Juste ergo non exaudiuntur ad votum, ut exaudiantur ad sanitatem, quemadmodum loquitur Sanctus Isidorus, qui & addit: Multi orantes non exaudiuntur, quia Deus meliora illis providendo, quam petunt, reservat; sicut contingere solet parvulis, qui, ne in schola vapulent, Deum exorant; sed non datur illis postulationis effectus, quia impeditur auditio ad profectum. 3. Quia dona sua tardius dando commendat; non negat, ut testatur S. Augustinus; Desiderata diu, dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt. Pete, quære, insta: petendo & quærendo crescas, ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, & tu discas magna magis desiderare.

VII. *Nosse debet illusiones & fraudes dæmonis, quibus hoc saluberrimum orationis exercitium, aut fructum certe illius impedire conatur*: Quorum plurimas enumerat Ludovicus Granatensis, ex quibus tamen hæ fere sunt potiores & usitatiores. 1. Quod impellat ad cæremonias sacras & situm corporis decentem in oratione contemnendas, quasi incipientibus magis, quam perfectis convenientes. Cui occurratur ostendendo cæremoniarum istarum utilitatem, utpote quæ perinde conducunt ad virtutes conservandas & acquirendas; sicut accidentia ad substantiæ productionem & conservationem; & præterea faciunt, ut homo non secundum animam dumtaxat, sed corpus etiam servitio Creatoris impendatur, sicque perfectum fiat holocaustum; quæ ratio sane persuadet, ab ipsis etiam perfectis tanto accuratius esse observandas, quanto magis ab iis, quam ab imperfectis ejusmodi holocaustum expectatur. 2. Quod instiget ad Magistros spirituales contemnendos, eo quod per orationem ab ipso Deo velut nobiliori Magistro instituantur: cui occurratur ostendendo, quam constanter Deus hunc morem tenuerit, ut homines pro instructione ad homines miserit, ita ut ipsum Sanctum Paulum ad Sanctum Ananiam pro simili instructione ablegarit; atque ideo multos, qui ejusmodi morem & humilitatem neglexerunt, & dono orationis privarit, & gravissime errare permiserit, uti ex Hæresiarcharum aliorumque virorum spiritualium ruina patet. 3. Quod semini bono piorum desideriorum,

L. 3. de imit. c. 10. §. 1.

L. 3. c. 6. §. 1.

Galfardus ap. Hier. astr. doctr. l. 2. doctr. & c. 74.

S. Ansel. in c. 3. ep. 2. ad The.

Eccl. 35. v. 1. & 2.

S. Aug. in Ps. 148.

P. 1. ex. de perf. tr. 5. c. 20. §. 4.

Thren. 3. v. 44.

S. Greg. in Past.

Jac. 4. v. 3.

S. Isidor. lib. 3. de summo bono.

S. 1. de verb. Domini.

L. 2. c. 4. de orat.

rum, etiam zizania malorum immiſceat, ſicque in Angelum Lucis ſe transformet: cui occurrendum commendando conſilium S. Joannis: 1. Joan. 4. v. 1. Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint. Quomodo autem probandi ſint, mox oſtendit, dum ait: In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: Omnis Spiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe (ejuſque exemplo ſe conformare ſtudet) ex Deo eſt: & omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum Chriſtum, ex Deo non eſt. 4. Quod inducat cor, qui orationis dono præditi ſunt, ad alios contemnendos, utpote ſimili gratia non donatos: cui occurrendum oſtendendo, ſicut a circuli peripheria variæ lineæ tendunt ad centrum; ita varias quoque in hoc orbe vias eſſe ad Deum, qui centrum noſtrum eſt, perveniendi, unde inſipienter alii contemnerentur, qui per alias vias & virtutes, quam per orationem ad Deum tendunt. 5. Quod ſuadeat, ut vel revelationem petant a Deo, vel certe gratias a Deo in oratione acceptas obviis quibuſque, puerorum more, manifeſtent: cui occurrendum, oſtendendo, quod, cum ejuſmodi revelationes ſint extra ordinarius favor Dei, qui nec magis Sanctum facit, ſi adſit: nec minus Sanctum, ſi abſit, merito non petendæ a Deo, ſed potius, ſi dentur, cum magna reverentia & humilitate acceptandæ ſunt, & quantum fieri poteſt, occultandæ, exemplo Chriſti ſæpius prohibentis, ne miracula a ſe patrata manifeſtarent. Hinc S. Bernardus recte monet illam Prophetæ ſententiam: Pſ. 24. v. 16. Secretum meum mihi: in parietibus cubiculi, aut certe in ipſo corde eſſe ſcribendam, ſemperque ob oculos habendam. 6. Quod incitet ad devotionis exercitium tanti æſtimandum, ut præ illo aliarum virtutum, obedientiæ præſertim, & mortificationis ſtudium negligatur; qui error, teſte Granatenſi, L. 2. c. 32. eſt unus ex primarus, qui in hac vita ſolent occurrere; immo & ex univerſalioribus, quia in omnibus, & per omnia deſtruit vitam ſpiritualem, quæ eſt Divinæ legis adimpletio, ad quam oratio, velut medium ordinatur, quem tamen ordinem hic error pervertit, dum ex medio finem, & ex fine medium facit. Quare ut huic illuſioni ſolide occurratur, ante omnia verba Chriſti præ oculis habenda ſunt: Luc. 9. v. 23. Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Quare ita expetat, & recipiat donum orationis, ut tamen ſemper meminerit, ſibi non tantum in colle thuris, ſed etiam myrrhæ commorandum eſſe. Sequatur item morem viatoris, qui ita intrat hoſpitium & jentaculum ſumit, ut tamen ſimul etiam ſollicitus ſit de eo, quod reſtat, itinere peragendo: ſimiliter ergo & ipſe ita fruetur divina dulcedine inter orandum hauſta, ut tamen ſe reſolvat, ac paratus ſit, ad reliqnum vitæ iter per aſperas vias tribulationum, amore illius, a quo tam ſuaviter recreatur, ſuſtinendarum conficiendum.

VIII. *Noſſe debet, potiores circumſtantias, vel induſtrias, quibus oratio Deo gratior efficaciorque fieri ſolet*; quales quidem ſequentes eſſe videntur. 1. Si preces cum Chriſti orationibus, per humilem utrarumque oblationem æterno Patri factam, uniantur; ſic enim per orationem Chriſti & tegentur imperfectiones noſtræ orationis, & quaſi una oratio facta non poterunt non placere æterno Patri. 2. Si cum aliis hominibus jungantur, multique ſimul orent; nam, ut recte ſanctus Ambroſius dixit, S. Ambr. l. de pœn. multi minimi, dum congregantur unanimes, ſunt magni, & multorum preces impoſſibile eſt non audiri; quia, teſte Tertulliano, coimus in cœtum & Congregationem, ut ad Deum quaſi facta manu precationibus ambiamus orantes. Tertull. Apol. c. 39. Hæc vis Deo grata eſt. Et, ut ſanctus Chryſoſtomus ait, S. Chryſ. ho. in ep. ad Cor. Deus frequenter reveretur multitudinem unanimem & conſentientem in precando, ut velut pudore victus, non audeat illis negare. Hinc pulchre alibi: Idem ho. 90. ad pop. Vis, inquit, diſcere, quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? vinctus erat Petrus, multiſque catenis circumdatus; oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo, & ſtatim eum a carcere liberavit. Quid hac igitur oratione ſit potentius, quæ columnam & Eccleſiæ turrim adjuvit? ut intelligas primum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & jugi concordia plurimorum hominum. 3. Si ex vero & humili corde procedat; nam, teſte Judith, Judit. 9. v. 16. Pſ. 50. v. 19. & humilium & manſuetorum ſemper ei placuit deprecatio, & Sacrificium Deo gratiſſimum eſt ſpiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum non deſpiciet. 4. Si attenta ſit; quam attentionem qualis eſſe debeat, Sanctus Bernardinus ſequentibus verbis indicavit: S. Bern. 29. Manſ. diſ. 20. c. 8. Triplex eſt in oratione attentio procuranda: Prima ad verbum: Secunda ad ſenſum: Tertia ad objectum. Prima attentio procuranda eſt ad verbum, id eſt, vocalem prolationem, & formationem verborum, ſcilicet ne in eis homo aliquo modo erret, maxime corrupte proferendo ſanctiſſima verba Scripturæ Sacræ. Secunda attentio debet eſſe ad verborum ſenſum, quæ in oratione proferimus. Tertia attentio debet eſſe ad objectum, id eſt, ad Deum, quem oramus, & etiam ad rem, ob quam oramus. Bona quidem eſt attentio prima: melior eſt ſecunda: tertia optima reputatur.

IX. *Noſſe debet, diabolum nullo tempore magis quam tempore orationis, nobis inſidiari*: nam ut S. Chryſoſtomus notat, S. Chryſ. in Pſ. 140. cum ſciat, quod eo tempore obtinere poſſumus remiſſionem peccatorum, optans nos in ipſo portu orationis impingere, tempus illud adoritur, mentemque ab intellectu verborum avertit, quo auctiores damno, quam lucro, ex precibus abeamus.

X. *Noſſe debet cauſas, ob quas preces noſtræ non exaudiuntur*: nimirum primo, *quia nubem peccati opponimus*, nam ut recte notavit Philippus Abbas: Phil. Abb. de Silent. c. 9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*, dum inſpector intimus non labrum exterius, ſed internam attendit conſcientiam: *Ecce non eſt abbreviata manus Domini, ut ſalvare nequeat; neque aggravata eſt manus ejus, ut non exaudiat*, ut Iſaias, inquit, *ſed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem*

ejus a vobis, ne exaudiret; manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate; non est, qui invocet justitiam. Cujus genuinam rationem assignat S. Clemens Alexandrinus dicens: [S. Clem. 7. Strom.] Precatio, cum Deo conversatio, & collocutio est, proindeque inter familiares & amicos fieri debet, & supponere deleram offensam. Unde recte S. Gregorius concludit: [S. Greg. l. 10. mor. c. 1.] Si id, quod præcipit, facimus, id quod petimus, obtinebimus; valde namque apud Deum utraque hæc sibi necessario congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio; paulo post vero in hæc verba concludit: Juxta ergo Joannis vocem, tunc cor fiducia in oratione accipit, cum sibi vitæ pravitas nulla contradicit: Hinc admodum bene subjungit Rupertus Abbas: [Rup. Abb. l. 9. de vict. verbi Dei c. 4.] Cum igitur invocamus, & Dominus non exaudit dum clamamus, & non dicit: Ecce adsum, scire debemus Sanctis Angelis invocationes atque clamores nostro Deo offerentibus, resistere, & contradicere malos, habentes in manibus accusationes, & jacula, quæ sunt peccata nostra. Secundo. *Quia sic expedit ad profectum nostrum*, uti preclare S. August. super verba Ps. 76. [S. Aug. in ps. 76.] *Voce mea ad Dominum clamavi*, ita scribens advertit: Sed multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis, damnisque evitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate seculari, postremo etiam pro ipsa salute corporis; pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum, vix quisquam propter ipsum Dominum, facile quippe homini est, quodlibet desiderare a Domino, & ipsum Dominum non desiderare, quasi vero suavius esse possit, quod dat, quam ipse, qui dat; quisquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dominum, nondum est transiliens, propter quod dicit: *Voce mea ad Dominum clamavi*. [Idem.] Et rursus idem alio loco memorat: Quidquid aliud petitur, quam quod ad vitam æternam cedit, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. 3. *Quia tardius dando, sua dona magis commendat, & desiderari facit:* Agit igitur divina providentia nobiscum, ait B. Laurentius Justinianus, [S. Laur. Just. c. 4. de orat.] ut differat utiliter, quæ liberaliter donare disponit; ut discamus magna magne desiderare, quia quo diutius abest, quod ardenter diligitur, eo robustius, & expectantis desideria cumulantur, tantoque dulcius sapit, & cautius conservatur, quod percipitur, quanto diutius in prece suspensus extitit petentis affectus. 4. *Quia utilius quid dare decrevit*, uti S. Augustinus indicavit dicens: [S. Aug. ep. 210. ad Honorat.] Sive consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione, & non solum gratias agamus, si consequamur, sed & si repulsam passi fuerimus, nam cum Deus nobis aliquid negat, non minus est, quam si concessisset; nescimus enim nos, quæ nobis conducunt, sicut ipse novit. Et confirmans idipsum S. Chrysostomus: [S. Chrys. h. 6. b. de or.] Aliquando dat, inquit, aliquando non dat, ac utrumque quidem utiliter, adeoque ut, sive accipias, sive non accipias, acceperis, tamen, dum non accepisti; & sive impetres, impetraveris tamen, dum non impetrasti; nonnumquam enim non accepisse, utilius est. Hinc recte suadet Blosius: [Blos. in Parad. an. c. 37.] Omnino dabit id, quod petis, si expedit ut accipias; si vero illud non conducit, dabit aliud, quod conducat. Novit, quando, novit, quatenus tuæ petitioni satisfacere debeat, dum ex infirmitate humana postulas, quæ utilia non sunt. Absit, ut donet, quæ petis, quando tale aliquid desideras, quod utrum illi placeat, ignoras. Hoc aut consimili modo orare disce: Domine, si tibi placet, si expedit, ut id fiat, fiat: si vero non tibi placet, si non expedit, non fiat. 5. *Quia vult, ut instantius petatur, & sic plus mereamur;* uti S. Antonius Paduanus indicavit dicens: [S. Anton. Pad. s. in s. 3. post 1. Dom. Quad.] Alto consilio Omnipotens Deus, cum Sancti ejus adversariorum persecutionibus comprimuntur, cumque assiduis, ut liberentur, interpellationibus clamant, differre solet voces, seu vota petentium, ut merita patientium crescant, quatenus eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiantur ad votum. Cum quo consentiens S. Chrysostomus: [Chr. 30. in Gen.] An non præstare potest, inquit prius quam petamus? potest utique, verum propter hoc differt, & expectat, ut occasionem accipiat, qua juste nos sua cura dignos efficiat. Multi enim sunt omnis meriti expertes, & gratiarum, quas postulant, impetrandarum indigui, quorum preces Deus ideo exaudire differt, ut per virtutum exercitium, vivæ scilicet spei, veræ fidei, humilitatis profundæ, ardentis charitatis, & verecundæ confidentiæ acquirant sibi meritum ut exaudiri possint. Quam doctrinam pulchra similitudine confirmat S. Isidorus dicens: [S. Isid. l. 3. sen. c. 7.] Tardius exaudiuntur quorumdam orationes, ut dum differuntur, fortius excitatæ majoribus præmiis cumulentur, exemplo pruinarum, & repressione messium, in quibus quanto tardius sata semina exeunt, tanto ad frugem cumulatius crescunt. 6. *Quia vult nos secum diutius retinere*, uti S. Chrysostomus indicavit his verbis: [S. Chrys. h. de prof. Evang.] Si differt aliquando Dominus, non odio facit, nec te aversatur, sed differendo, diutius apud se conservare vult; sicut & patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud se detineant, quos desides videt, dedita opera morantur aliquid daturi. 7. *Quia vult patientiam & fiduciam probare, quam habemus in eo, & an amore puro propter seipsum magis, quam propter dona, diligamus eum.* uti S. Thomas Villan. non notavit: [S. Thom. Vill. in Dom. 2. Quadr.] cui consentiens S. Basilius, [S. Bas. c. 2. Const. Monast.] ex hoc inquit, & Fides nostra & charitas erga Deum declaratur, quandocumque quod petitur, non celeriter auferimus.

XI. *Nosse debet causas, ob quas communis multorum oratio citius exauditur*, quas quidem bene assignat Cornelius a Lapide sequentibus verbis: [Cornel. a Lap. in c. 1. Act. Ap.] *Prima Prærogativa est*, quia Oratio in Ecclesia est prolixa quædam Dei invocatio, & adoratio ejusdem in præsentia omnium facta, unde major ei laus & honor, quam a privatim orantibus. *Secunda Prærogativa est*, quod, tametsi Deus in omni loco præsens sit, specialius tamen in Ecclesiis, utpote locis cultui suo consecratis, adsit, juxta

illud

illud Pfal. 10. *Dominus in templo sancto tuo.* Ibi quoque in gratiis suis dispensandis liberalior existit, majorique cum fructu homo divinam ejus recolere potest præsentiam, quippe qui in SS. Sacramento vere & realiter adest; unde de Ecclesia Christianorum longe magis verificatur, quam de templo Jerosolymitano, quod 3. Reg. c. 9. dicitur: *Exaudivi orationem tuam; & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: Sanctificavi domum hanc, quam ædificavi, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Tertia Prærogativa est*, quod propter societatem aliorum majorem recipiant fervorem, & efficaciam, propter bonum aliorum exemplum, & ob sanctam quamdam æmulationem, & maxime propter unionem orationum, quas Sacerdotes fundunt, ad eum fere modum, quo moneta aliqua defectuosa, cum multis bonis conjuncta facilius expenditur. *Quarta* denique *Prærogativa est*, quod Oratio facta in Ecclesia adjuvetur & corroboretur a Sanctis, quorum corpora & reliquiæ ibidem in veneratione sunt.

XII. *Nosse debet, quomodo juxta Apostoli monitum, sine intermissione orare possimus*: id quod egregie explicat S. Antoninus sic loquens: Non sunt hæc intelligenda superficialiter, quantum ad ipsum actum orationis pro continuo tempore, quia illud esset impossibile, cum oporteat dormire, comedere, & in aliis occupari. Sed secundum quod exponit S. Th. Primo quantum ad desiderium charitatis, quod est causa & motivum ad orationem, hoc debet esse in nobis continue in actu vel virtute; virtus autem hujusmodi desiderii manet in nobis in his, quæ facimus in charitate, & ad gloriam Dei; omnia enim debemus facere in gloriam Dei, & sic semper oramus. Secundo quantum ad effectum, vel in ipso orante; nam ex ipsa oratione facta, sæpe etsi non continue, remanet magis devotus, & pro tunc etiam dicitur orare, respectu illius orationis effectus, vel in aliis, puta, cum suis beneficiis provocat aliquem ad orandum pro se, etiam cum ab oratione quiescit. Hoc ipsum etiam indicavit Deus, dum ad Virginem Catharinam dixit: Sanctum desiderium, animæ scilicet bona voluntas, continua oratio est, quia virtutem habet orationis. Et quidquid homo in Dei, proximique charitate facit, potest vocari oratio, cum charitatis affectus pro oratione reputetur. Unde recte S. Petrus Damianus ad Cinthium illius temporis Urbis Romæ Gubernatorem, Virum timoratæ conscientiæ, & orationis exercitio summopere deditum ita scribit: Cave ergo, ne propter peculiare orationis studium, cui insistere forte contendis, disciplinam tam innumerabilis populi, qui tibi commissus est, negligas, & propter proprium commodum, communem salutem plebis, quæ justitiam a te præstolatur, amittas; scriptum quippe est: *Qui conservat legem, multiplicat orationem: & sacrificium salutare, attendere mandatis*: justitiam ergo facere quid est aliud, quam orare?

S. Antoninus p. 4. c. 8. §. 6.

Blosius in concl. anim. c. 3.

S. Petr. Dam. l. 8. ep. 17.

XIII. *Nosse debet, quid a Deo petendum sit*: qua in re facem præfert Hugo Cardinalis, explicans illa verba Christi: *Si quid petieritis*: & sic loquens: *si quid petieritis*, id est, aliquid, in quo ostenditur, quid sit petendum, scilicet vita æterna, quæ est quid, non temporalia, quæ nihil sunt. Clarius vero Sanctus Bonaventura idipsum indicat dicens: Digna, & congrua debes petere; quæcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audiet nos: salutem animæ tuæ, & quæ ad salutem fiunt, petere debes; talia enim secundum voluntatem Dei sunt. Cujus rationem assignans Abbas Isaac: Nihil caducum, inquit, vult a se, nihil vile, nihil temporale æternitatum Conditor implorari; itaque illius magnificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid & caducum ab eo maluerit postulare, & offensam potius, quam propitiationem Judicis sui, vilitate orationis incurrit. Hinc recte concludit Blosius dicens: Nulla præstantior oratio est, quam, ut quis petat gratissimam Dei voluntatem in se & in omnibus aliis fieri.

Hugo Card.

Apud Cassian. coll. 9. 11.

XIV. *Nosse debet, quo sensu Deus peccatores exaudire, & non exaudire dicatur*; id quod bene ostendit S. Bernardus de cæco illuminato disserens, & hanc distinctionem afferens: Orationem peccatoris ex bonis desiderio naturæ procedentem exaudit Deus, non quasi ex Justitia, quia hoc non meretur peccator, sed ex pura misericordia: observatis tamen quatuor conditionibus, quæ communiter requiruntur ad orationem scilicet, ut pro se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter; & hæc quatuor noscuntur in uno versu Prophetæ, cum ait: *Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: susceptor meus es*: per hoc enim, quod dicit: *Deo*, involvitur, pie, per *vitæ*, ad salutem; per *meæ*, pro se, per hoc, quod dicit, *dicam*, perseverantia denotatur, propter propositum de futuro. De hoc patet exemplum de Publicano, qui ait: *Deus, propitius esto mihi peccatori*: & ex hac oratione meruit Justificationem: & sic debet intelligi verbum cæci nati, dum Jo. 9. ait: *Peccatores Deus non audit*; nam peccatores, in quantum peccatores sunt, Deus non exaudit, sed solum in quantum sunt boni, & bono adhærent, & detestantur mala: nam peccatores de peccatis pœnitentes magis connumerandi sunt in numero pœnitentium. Quam doctrinam etiam Sanctus Antoninus confirmat sequentibus verbis: Convenit orare viatoribus omnibus, non solum justis, sed etiam peccatoribus; licet enim dicatur Jacobi 5. c. 16. *Multum valet deprecatio Justi assidua*; valet tamen, & exauditur oratio peccatoris, ut patet de oratione Publicani; & hoc non merito sui, sicut justi audiuntur, sed ex pura misericordia, si tamen debite oret; nec est contra illud; Jo. 9. *Peccatores Deus non exaudit*: quia intelligitur secundum Thomam, cum petit in quantum peccator, secundum desiderium peccati, id est, committendo aliquod iniquum: Vel potest dici secundum Augustinum, quod illud dixit Chelidonius noodum perfecte illuminatus, sic enim putabat, sed sic non erat.

S. Ber. in vigil. c. 7.

S. Antoninus p. 4. c. 6. §. 4.

XV.

XV. *Nosse debet modum discendi orationis exercitium*, quem quidem S. Climacus sequentibus verbis indicavit: Habebis præceptorem Deum in oratione tua: facultatem dicendi non possumus per sermonem discere; naturam enim ipsam sequitur; ita nec orationis præstantiam, per doctrinam alterius assequimur; ipsam enim per seipsam doctorem habet Deum, qui docet hominem scientiam, & suggerit precanti orationem. *Non est, qui se abscondat a calore ejus*: unusquisque enim Magistrum intra se habet, qui eum docet, quomodo orare debeat, adeoque nemo excusare se potest, & dicere, non posse se orare. Quam doctrinam apte confirmat Alphonsus Rodriquez sequentibus verbis: Sicut pater, qui filium habet phreneticum, eidem compatitur, & ingentem in animo suo sentit dolorem, dum filium suum mox, ut loqui incipit, delirare in sermonibus suis audit; ita quoque pientissimus Pater Cælestis, ad pietatem, & compassionem erga nos movetur, quando videt, tantam esse naturæ nostræ debilitatem, & infirmitatem, ut, dum cum ipso sensate loqui volunt, subito in mille deliras incidant cogitationes, ac proinde tametsi quis nullam sentiat in oratione devotionem & succum, sed e contra ingentem ariditatem, cogitationum, & imaginationum conflictum, in eoque toto tempore orationis perseveret, propter hoc orationem non deserat, utpote quæ Deo gratissima est, magnique in divino ejus conspectu valoris & meriti; imo certo credat, talem orationem sæpe Deo magis esse gratam, magisque meritoriam, quam si illam magna cum devotione, & consolatione perfecisset, eo quod in illa ex amore Dei majorem sustinuerit difficultatem.

S. Clim. grad. 28. n. 26.

De meditatione in specie.

XVI. *Nosse debet* 1. *Quis sit scopus illius*, nempe *cultus Dei & Sanctorum*, cum sit verus actus Religionis: *Illustratio intellectus* in rebus propriam cujusque vocationem ac statum concernentibus: *Excitatio voluntatis* ad ea, quæ intellectus facienda dictaverit, executioni mandanda: *Petitio gratiæ* cum congruis affectibus. 2. *Quomodo materia & forma optima eligi debeat.* Et materia quidem optima erit, si vocationi cujusque & statui accommodata doctrina, non quæ elevet, sed pascat, discutienda assumatur, qualis quidem vel ex perfectionibus Divinis vel ex vita Christi & Sanctorum, vel ex præceptis & regulis, vel ex natura virtutum & vitiorum desumi potest. Forma erit optima: si *dispositio* sit optima, id est, præludia aliæque industriæ ad meliorem successum meditationis ab Ascetis, & præcipue S. Ignatio in Additionibus præscriptæ, studiose observentur: si *consideratio* sit optima: id est, si bene cujuslibet actionis, aut virtutis, aut vitii natura perpendatur: motivaque apta ad ea fugienda vel exercenda excogitentur, & media pauca, sed efficacia ad eumdem finem indagentur, cum firmo proposito, deinceps illa serio adhibendi: *si colloquia* sint optima, id est, variis affectibus, maxime gratulationis, doloris, humilitatis, oblationis, desiderii, propositi, spei, invocationis, &c. eliciantur, maxime circa virtutem aut mysterium, quæ sunt materia meditationis: si *Examen* quoque sit optimum, id est, gratiæ de bono successu agantur; dolor de malo concipiatur, radices quoque mali successus indagentur, si proposita per diem recolantur, & renoventur. 3. *Quanta cum diligentia & accuratione ea instituenda sit*, utpote quæ, teste S. Theresia, omnium virtutum comparandarum principium est, & in qua omnium Christianorum vita sit constituta; cujus vel unicus quadrans legitime insumptus, teste S. Ignatio, sufficit ad hominem brevi tempore ad apicem perfectionis perducendum. 4. *Quæ industriæ aut dispositiones sint ex nostra parte adhibendæ ad solidum ex hoc exercitio fructum referendum*, quales sunt: Si insignis & excellens in Deum amor, atque ad res spirituales affectum atque propensio procuretur; si cum sincero fine, scilicet non consolationis hauriendæ, sed divinæ gloriæ, suæque ac alienæ perfectionis promovendæ gratia meditatio suscipiatur; si non puncta dumtaxat, sed ipse etiam fructus meditationis prævideatur; si quis se ante Deum velut cœcum, nudum, mendicum, famelicum, ab omnibus derelictum constituat; si affectibus potius voluntatis quam discursibus intellectus insistatur: si non in generalibus dumtaxat terminis consistendo, sed ad particularia descendendo, virtutis cujuspiam exercitium, aut vitii fuga proponatur; sic circa eamdem materiam magis necessariam, per plures dies meditatio continuetur. Quæ omnia susius explicata apud Rodriquez videri possunt.

In idea perf. c. 30.

P. 1. tr. 5. a c. 11. usque ad 22.

De oratione vocali in specie.

XVII. *Nosse debet*, 1. *Quis sit scopus illius*, videlicet *Laudare* Deum & Sanctos illius: *Varias gratias* a Deo & Sanctis *petere*; *varios virtutum actus exercere*, aut certe earumdem eliciendarum propositum concipere. 2. *Quis modus solidus & optimus sit*, *hanc orationem peragendi*, videlicet is, quem S. David suasit, dum dixit: Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter. Ubi quinquies repetito verbo *psallite*, insinuare videtur voluisse, quoad *habitum & situm corporis* reverenter: quoad vocem distincte, & non præcipitanter: quoad *memoriam* attente, quoad *intellectum* intelligenter: quoad *voluntatem* ardenter & devote esse orandum; quod præstabitur, si affectus in ipsa oratione contenti, præcipue gratulationis, doloris, timoris, fiduciæ, desiderii, amoris eliciantur, & interna quædam ac singularis reverentia SS. Jesu & Mariæ nominibus, & ad versum *Gloria Patri &c.* exhibeatur. 3. *Quanti facienda sit hæc oratio*, *quantaque adeo diligentia ac reverentia peragenda*, cum vere homines nos, quid oremus, sicut oportet, nesciamus; qui autem scrutatur corda; sciat, quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat; atque adeo Breviarium & alii similes libelli sint quasi orationes a S. Spiritu composita, & dictatæ; si ergo Præceptor summopere dolet,

Ps. 46. v. 7.

let, si oratio ab ipso magno labore composita, non ea, qua decet membrorum & vocis moderatione decentiaque recitetur; quanto magis displicebit Spiritui Sancto, si orationes, ab ipso dictatæ, oscitanter, & parum decore persolvantur.

§. XII. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Qualitas.

Ps. 140. v. 2. I. EX occasione thematis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*: potest natura orationis per comparationem cum Tymiamate explicari. Et 1. quidem quia sicut ad Thymiama quinque res requirebantur, videlicet thus, galbanum, onyx, stacte, mastiche; ita ad orationem fructuosam requiruntur quinque virtutes, nempe Fides, Spes, Charitas, Humilitas, Perseverantia. 2. Sicut Thymiama non nisi in templo & Sancto Sanctorum incendi debebat; ita oratio non nisi in ipso pectore aut anima, quæ est verum templum Dei peragi. 3. Quia sicut Thymiama a Summo Sacerdote offerri debebat; ita orationes nostræ nonnisi per Christum Dominum vel Summum Sacerdotem Deo sunt repræsentandæ, uti ipsa Ecclesia suo exemplo docet. 4. Sicut Thymiama per ignem animari debebat; ita orationes nostræ per ignem cælestem Spiritus Sancti, & charitatem ab eo infusam, sunt accendendæ. 5. Sicut Thymiama recte sursum ferebatur, neque ullo vento ad latus trahebatur; ita oratio recta ad Deum tum per intentionem purissimam, tum per attentionem sedulam dirigi debet. Excitentur proinde Auditores, ut S. Gerardi Pannoniensis Episcopi pietatem æmulentur, qui in æde D. Gregorii a se exstructa aram B. Virgini posuit, cui thuribulum argenteum & duos senes assignavit, qui singulis horis Catholico ritu thus adolerent.

4. Reg. 13. v. 17. II. Ex occasione thematis: *Jace sagittam: sagitta salutis Domini*: potest dici, Deum imitari matres quorumdam populorum in novo orbe, qui ut filios suos assuefaciant ad sagittas jaciendas, nihil dant, nisi quod sagitta petierint, & obtinuerint: similiter enim & ipsum, ut oratione assuescamus, nihil dare velle, nisi per orationem id obtinuerimus. Quare mature discendam artem utendi hac sagitta, adeoque tria ostensum iri hac concione. 1. Quantos fructus sperare possimus ex hac sagitta; illos ipsos nimirum, quos fabulosus ille sagittarius, de quo P. Jacobus Bidermannus in Utopia scribit, unica sagitta in altum jacta est consecutus, dum scilicet ramum, cui tres columbæ insidebant, ita diviserat, ut illæ unguibus in illa fissura hæserint: postea ulterius progressa sagitta accipitrem columbis insidiantem transfoderit: tum, quia adhuc impetus eam altius evehebat, etiam ciconiam talu prætervolantem interemerit: postea vero pondere suo depressa in aquas inciderit, & grandis lupi casu ibi natantis tergo inhæserit: cumque eam in alto hærentem sagittarius conspexisset, & extractam cum lupo post tergum projecerit, lupus sagittæ infixus leporem tunc fortoito prætercurrentem pondere suo oppresserit, & mactarit. Hæc quinque, inquam, verius per sagittam orationis obtineri, nempe Spiritum Sanctum per columbam significatum, accipitrem diabolum animabus nostris insidiantem, ciconias, id est, malos socios, & inimicos, qui in æstate prosperitatis ad nos accedunt, in hyeme tribulationis abeunt: lupum in aquis, id est, auxilium in adversitatibus; & leporem, id est, benedictionem in temporalibus bonis. 2. Ostensum iri, quomodo sagitta hæc constituta esse debeat, nempe facta esse ex *arundine humilitatis*, ut sit levis, & nubes penetrans: *binas habere pennas* charitatis, & fiduciæ: & tandem *cuspide ferrea* perseverantiæ armata esse, ut efficacius feriat. 3. Ostensum iri, quomodo se gerere debeat ipse sagittarius in hac sagitta jacienda, nempe ut habeat *pharetram* sagittis refertam; id est, memoriam aut libellos precationibus variis impletos: *arcum* eumque intendat, id est, potentias suas applicet ad orationem debita cum attentione faciendam: ut *unum oculum*, nempe *externum* claudat, altero, scilicet *interno* ad metam collineet, id est, intentionem pro orationibus faciat: ut *genuflectat*, quo certius collimet, & obtineat, quod petit, id quod per humiliationem externam præstabit. Quæ omnia facile fusius deduci, imo per tres conciones in tribus feriis Rogationum, aut tribus Dominicis antecedentibus, demonstrari possunt.

III. Ex ocasione thematis: *Legationem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt*: dici potest, *Luc. 14. v. 32.* Christum l. c. per parabolam monere, quid faciendum sit Regi, qui venienti contra se fortiori resistere non valet, scilicet legationem mittendam, pacemque rogandam; atque adeo cum & nos propter nostra peccata Deum offensum habeamus, & graves pœnas ac calamitates minitantem aut inferentem, merito hoc ipsum consilium arripere, legationemque, id est orationem mittere; ut autem fructuose hoc faciamus, operam dandam, ut oratio observet Legati proprietates; & 1. quidem sicut Legatus debet esse *gratus* ei, ad quem mittitur (cum enim is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora *S. Greg. in Pastor.* provocatur) & habitu decenti comparere; ita & oratio per charitatem Deo grata, & decenter vestita esse debeat. 2. Sicut Legatus debet habere litteras *Credentiæ*, ut vocant, quibus doceat fidem sibi habendam, seque sperare a Rege audiendum; ita & oratio fiduciam similem habere debeat juxta illud Christi: Omnia quæcumqoe orantes petitis, credite, quia accipietis. 3. Sicut Legatus debet *Marc. 11. v. 24.* esse instructus pretiosis donariis Regi offerendis; ita oratio debeat cor contritum, & humiliatum, quo Deo nihil est gratius, offerre. 4. Sicut Legatus debet cum magna reverentia, & attentione suum negotium proponere Regi; ita & oratio cum simili diligentia causam suam explicare. 5. Sicut Legatus non statim debet desperare, & cedere, si statim non obtineat, quod petit, sed sæpius urgere; ita & oratio perseverans, & importuna esse debeat. Quæ omnia fusius explicata apud Fabrum

brum Conc. 1. in Feriis Rogationum videri possunt.

Plutarc. in Catone. IV. Ex occasione ejusdem thematis dici potest, cavendum summopere, ne imitemur Romanos, qui pro pace facienda inter patrem, & filium, tres Legatos, quorum unus caput vulneratum, alter animum vecordia laborantem, tertius podagram habebat, atque adeo audire coacti sunt a Catone Censore: Populi Romani legatio nec caput, nec cor, nec pedes habet. Itaque 1. curandum, ut legatio nostra habeat *caput*, id est, *attentionem*, quæ per varias distractiones quodam modo discinditur, & defœdatur, ut facies per vulnera: ac *prudentiam*, ne stultum aliquid, & puerile petat. 2. Ut habeat *cor*, id est, *fiduciam charitati junctam*, juxta illud S. Joan-
1. Jo. c. 3. v. 21. nis: Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, &, quidquid petierimus, accipiemus ab eo. 3. Ut habeat *pedes*, id est *fervorem*, & *perseverantiam*, quos indicavit Christus illis verbis: Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quæ omnia fusius a-
Luc. 11. v. 9. pud Fabrum in Auctario explicata videri queunt them. 2. in Fer. Rogat.

Eccl. 18. v. 23. V. Ex occasione thematis: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*: potest oratio cytharæ
Psal. 42. v. 4. comparari, juxta illud Davidis: Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. Et 1. ostendi, quod sicut in cythara sunt variæ fides; ita oratio contineat varias virtutes, fidem, spem, charitatem, humilitatem, religionem, perseverantiam: Aut si magis placet, explicari possunt hæ fides per potentias exteriores, & interiores. 2. Quod sicut fides hæ debent esse concordes, atque intensæ; ita & orantis animus, & potentiæ, ut concordent, & totæ se applicent ad laudandum Deum, intendi, id est, ad id, quod faciendum est, excitari debeant. 3. Ostendatur modus id faciendi, si scilicet juxta monitum S. Chrysostomi videat oraturus, quis roget? nempe homo: quem roget? nempe Deum: quid roget? nempe indulgentiam. De quibus vide Fabrum in Auctario th. 1. in Fer. Rogat.

Matt. 15. v. 22. VI. Ex occasione thematis: *Ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit dicens ei: Miserere mei, Domine, Fili David*: possunt conditiones bonæ orationis explicari. Nam 1. Sicut illa *egressa* est a finibus Tyri, & Sidonis, gente impia; ita & orans debet secedere a peccatorum statu, & a turbis impedientibus orationem. 2. Sicut illa cum magna *fide, & fiducia* oravit, credens ipsum posse, & sperans velle eum juvare; ita similem fidem, & fiduciam oraturus habere debet. 3. Sicut illa *devote*, id est, ferventer, & attente clamando oravit, nihil aliud nisi filiæ miseriam, & Christi benignitatem ac potentiam considerando; ita & oraturus pari cum devotione orare debet. 4. Sicut illa *humiliter*, & *modeste* rogavit, catellum se vocans; ita pariter ab orante talis humilitas, & modestia afferenda est. 5. Sicut illa oravit *perseveranter*, non desistens, etsi repulsam jam passa fuerit; ita & oraturus constanter in oratione perseverare debet, uti fusius Faber in Auct. them. 5. in Feriis Rogat. ostendit.

VII. Ex occasione thematis: *Publicanus a* *Luc. 18. v. 13.*
longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare, sed percutiebat pectus suum: possunt ritus, & cæremoniæ externæ in oratione adhibendæ explicari, nimirum 1. quod *clara voce recte invocatur* Deus; tum ad excitandam devotionem interiorem, tum ad obsequium corpore æque ac animo Deo præstandum, tum ob redundantiam ex animo in corpus se exonerantem. 2. Quod *caput denudetur*; tum ob virilis sexus præcellentiam, tum ob divinæ Majestatis reverentiam; tum ob orationis, quæ aperta esse debet, conditionem. 3. Quod *manus recte jungantur, & extollantur*; tum ut veniam suppliciter nos petere, opem a cælo expectare, cor nostrum Deo offerre ostendamus; tum ut opera orationi nos jungere velle significemus. 4. Quod *genua recte flectantur*, tum in signum humilitatis; tum in signum miseriæ humanæ, quam incurrimus; tum in signum obedientiæ, quam exhibere Deo sive ob peccata plectenti, sive varia præcepta injungenti parati sumus. 5. Quod *oculi recte demittantur*; tum ad indignitatem suam ostendendam; tum ad divinitatis excellentiam protestandam; tum ad varias gratias ac dona cælitus per hanc humilitatem obtinenda. Videantur hæc fusius a Fabro conc. 4. in Dom. 10. post Pent. explicata.

VIII. Ex occasione thematis: *Bona est ora-* *Tob. 12.*
tio cum jejunio, & eleemosyna; afferri possunt *v. 8.*
causæ, cur hæc tria jungenda sint. 1. Quia
necessaria sunt ad dæmonem expugnandum; *Eccl. 29.*
nam sicut Militi ad se defendendum tria sunt *v. 18.*
necessaria, gladius, lorica, & scutum, ita Militi Christiano oratio pro gladio: jejunium, quo anima operitur, pro thorace: eleemosyna, quæ, teste Siracide, super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum pugnabit, pro clypeo serviet. 2. Quia necessaria sunt ad satisfactionem peccatorum; nam per orationem satisfacimus Deo, puniendo nos in bonis animi, quibus ipsum offendimus, & obviamus superbiæ vitæ: per jejunium satisfacimus nobis, puniendo nos in bonis corporis, & concupiscentiæ carnis obviamus: per eleemosynam satisfacimus proximo, puniendo nos in fortunæ bonis, & concupiscentiæ oculorum obviando. 3. Quia juvant ad faciliorem impetrationem; tum quia ut mendici preces, centones, & vulnera repræsentant; tum quia aurum, thus, & myrrham offerunt; tum quia impedimenta, scilicet, gravationem mentis per cibos factam, & distractionem curarum per divitias causatam, tollunt jejunium, & eleemosyna, sicque oratio facilius, & attentius peragitur. Quia juvant summopere ad vitam æternam promerendam, oratio quidem per modum misericordiæ, eleemosyna per modum amicitiæ, jejunium per modum mercedis, prout fusius explicat Faber conc. 3. in Fer. Rogat.

IX. Ex occasione thematis: *Apertis thesau-* *Matth. 2.*
ris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & *v. 11.*
myrrham: ostendi potest, quomodo Magi in templorum frequentatione sint imitandi, & 1.
qui-

quidem *ante ingressum*, videntes stellam gavisi sunt gaudio magno valde, quos imitari oportet, alacriter ad templum properando, quod non difficulter præstabitur, si stella fidei oriatur, & demonstret, qualem Deum adorare, & colere velimus, & quid ab eo sperare possimus. 2. *In ingressu* duo præstiterunt, adorarunt, & munera obtulerunt: Idem ergo in templis quoque nostris præstandum, dicendumque cum Davide: In conspectu An-
Ps. 137. v. 1. gelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum. Sed & aurum charitatis, thus orationis, & myrrha mortificationis in superandis impedimentis, & molestiis offerenda. 3. *Post egressum* per aliam viam reversi sunt in regionem suam, quod tanto diligentius in templo faciendum, quanto magis genuinus, & proprius hic templorum frequentatorum fructus est, utpote quæ per festum ipsum, per altare, & ibi absconditum sanguinem Christi; & per confessionale ac cathedram, hujus emendationis nos admonet.

X. Ex occasione thematis: *Orantes autem*
Matth. 6. v. 7. *nolite multum loqui*: proponi possunt, & corrigi varii errores circa orationem committi soliti. Quorum primus est eorum, qui nimis parum orant, eo quod non æstiment, quibus proinde necessitas, utilitas, & dignitas breviter ostendenda. Secundus eorum, qui nimis multum orant cum negotiorum domesticorum detrimento, quibus ostendendum, orationis efficaciam non in multitudine, sed bonitate precum consistere, posseque etiam per bona opera ex obedientia suscepta, Deum laudari. Tertius eorum, qui nimium anguntur ob distractiones; qui docendi, non nocere distractionem, si voluntaria non sit; jubeantur proinde bonam intentionem præmittere, & agere, quod possunt, abigendo cum Abrahamo volucres a Sacrificio, sicque quieti sint. Quartus eorum est, qui animum abjiciunt, si non statim exaudiantur, quibus proinde causæ, cur Deus non exaudiat statim, sed differat, exponendæ, uti susius priori §. n. 6. sub fin. & n. 10. ostensæ sunt.

Ibid. XI. Ex occasione ejusdem thematis potest oratio *clavi aureæ*, qualis solet a Principibus dari Camerariis, comparari. 1. Quia sicut illa est aurea, ita oratio debet esse formata charitate, seu ex auro charitatis composita. 2. Sicut illa debet esse *cava*; ut in seram intrare possit; ita oratio debet esse humilis per exinanitionem, & vilipensionem, qua orans se ipsum nihil esse, & posse judicat. 3. Sicut clavis habet *barbam* crucibus plerumque instructam; ita oratio quoque debet habere fiduciam non in ullo orantis merito, sed sola Christi passione, & intercessione confidentem. 4. Sicut clavis habet *manubrium*; ita & oratio cooperari debet Deo dona sua offerenti, tum per attentionem sedulam, tum per bonam operationem. 5. Sicut clavis debet esse *robusta*, ut facilius repagulum januæ removere possit; ita & orationem constantem, & perseverantem esse oportet, ut facilius impetret, quod petit. Explicetur subinde utilitas, & dignitas hujus clavis; quem in finem conc. 1. Fabri in Dom. 5. post Pascha num. 1. & 4. servire potest.

XII. Ex occasione thematis: *Præparate scu-* Jer. 46. v. 3.
tum, & clypeum: vel *apprehende arma, & scutum*: potest oratio scuto comparari, idque probari 1. authoritate Salomonis dicentis: Proferens servitutis suæ scutum, orationem. Psal. 34. v. 2.
2. Authoritate SS. Patrum, præcipue S. Ambrosii dicentis: Bonum scutum oratio, quo omnia Adversarii ignita spicula repelluntur. S. Ambr. in or. funer. de obitu Val.
Et S. Hieronymi: semper in manibus tuis sit divina lectio, & tam crebræ orationes, ut omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, hujusmodi clypeo repellantur. 3. Experientia, & inductione, sic S. Hier. epist. ad Salvian.
enim Josue urbem Hai, dum clypeum in altum levavit, expugnavit. Sic David, teste S. Chrysostomo, multos ac sævos inimicos effugit precationis ope, non aliis armis exercitum muniens, sic alii carnem, alii Diabolum vicerunt orationis præsidio, ut pluribus exemplis ostendit Faber in Auctar. them. 4. in Domin. 5. post Pascha num. 3. Jos. 8. v. 19.

XIII. Ex occasione thematis: *Confitebor ti-* Psal. 42. v. 5.
bi in cithara Deus: potest illa S. Ambrosii explicatio afferri, qua dicit: Habet citharam suam anima nostra. Neque enim diceret Paulus: Orabo Spiritu, orabo & mente: psallam Spiritu, psallam & mente, nisi citharam haberet, quæ plectro Spiritus Sancti resultaret. Itaque explicetur, quos effectus habeat hæc cithara. 1. Quam apta sit ad *laudandum Deum*, utpote cum qua etiam viginti quatuor seniores canticum cecinisse, a
Joanne sunt auditi. 2. Ad *Dæmonem*, & Spi- Apoc. 5. v. 8.
ritum malum pellendum, ut olim David Sauli Spiritum malum recedere coegit; sic enim Christus testatus est dicens: Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur nisi per oratio- Matth. 17. v. 20.
nem, & jejunium. 3. Ad *feras*, id est, *peccatores attrahendos*, & *convertendos*, uti Orpheus fecisse olim fingitur, sed verius de oratione dicitur, uti exemplo S. Pauli per preces S. Stephani, Sancti Augustini per preces Matris, & plurium aliorum per aliorum preces conversorum probari potest. 4. Ad *Animas ex orco aut purgatorio educendas*: ut Orpheus Eurydicen eduxisse fertur, & vere factum, plurimis exemplis alibi monstratum est. 5. Ad *saxa pro urbe cœlesti ædificanda*, uti olim Amphion fecisse, & cithara sua lapides ad urbem Thebarum ædificandam attraxisse fingitur, quatenus scilicet viatico sacro sumpto mox se movent, & cum gaudio inter orationes ad cœlestem urbem se conferunt, futuri ibi angulares lapides. Vide Faber, them. 4. in Dom. 3. post Pascha num. 5. item in opere tripart. c. 3. in eamdem Domin.

XIV. Ex occasione thematis: *Petite, &* Jo. 16. v. 24.
accipietis: potest narrari factum mendici, qui omnibus suis liberis statim post nativitatem crura fregit, ut semper miseri essent, & mendicare cogerentur, causamque quæsitus respondit, se nullam artem faciliorem, & magis quæstuosam scire, quam artem mendicandi, idque proprio exemplo didicisse. Applicetur ergo hoc ad artem orandi, & 1. ostendatur, quid

quid ad hanc artem requiratur, ut scilicet meodicorum more inopiam, & miseriam agnoscamus, & aliis etiam demonstremus; ideo enim Deus quoque crura nobis, & manus fregit, ut ad omnia impotentes mendicare ab ipso opem cogeremur: ut affectuose ferventer opem petamus, & importuni simus in petendo eorumdem mendicorum more. 2. Ostendatur hanc artem facillimam esse, & quæstuosissimam, cum, & ipsa inopia nostra nos impellat, & Deus paratissimus sit ad audiendum, & dandum, quod petimus, aut, quod melius est. Quem in finem conc. 1. Fabri in Dom. 5. post Pascha n. 3. & 4. serviet.

1. Thess. 5. v. 17. XV. Ex occasione thematis: *Sine intermissione orate*: potest dici, merito mirum videri, cur Deus ad orationem sine intermissione faciendam hortetur, cum tribus de causis homines rogare soleant, vel quia nesciunt alii eorum indigentiam; vel quia nos non amant; vel quia non pertinet ad ipsos nobis providere, quarum causarum nulla in Deo militat: de ipso enim dixit Christus: Scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis. Et iterum: Non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis; ipse enim Pater amat vos; atque adeo ad ipsum etiam spectat vobis providere. Afferantur ergo causæ, cur nihilominus velit rogari, scilicet 1. ut per orationem disponamur ad accipiendum; fiducia quippe est vasculum, quod quo capacius est, eo plus accipimus. 2. Ut sic donum, quod petimus, promereamur, sicque gaudium nostrum plenius sit. 3. Ut, dum Dei bonitatem velut aquam fontanam magis constringimus, & urgemus, largius illam effluere faciamus. 4. Ut debitum Deo cultum per exercitium tot tamque præstantium virtutum, puta fidei, spei, charitatis, humilitatis, religionis, longanimitatis, perseverantiæ &c. exhibeamus, sicque ipsos quoque habitus harum virtutum augeamus. 5. Ut familiares magis Deo efficiamur, atque ingentia quæ talis familiaritas secum affert, bona participemus. 6. Ut Dei dona magis æstimemus, si diu, & importunis precibus fuerint obtenta. Quæ omnia fusius explicata vide apud Fabr. c. 2. in Dom. 5. post Pasch.

Psal. 33. v. 6. XVI. Ex occasione thematis: *Accedite ad eum, & illuminamini*: potest ostendi necessitas orationis per comparationem animæ nostræ cum luna, & Dei cum sole. Nam 1. sicut luna nullam habet lucem, nisi a sole; sic, & nos omne donum perfectum a Patre luminum accipimus. 2. Sicut luna lumen accipit secundum aspectum solis, & tota illuminatur, cum recte, & totaliter illi obvertitur; minus vero accipit, cum oblique eum respicit; sic anima nostra secundum dispositionem quem in oratione affert, plus vel minus lucis cælestis recipit. 3. Sicut luna operatur in inferioribus juxta formam luminis a sole accepti; ita anima sibi, & aliis prodest juxta mensuram gratiæ in oratione acceptæ. 4. Sicut terra inter solem, & lunam interposita omnem communicationem luminis, & influxus impedit; ita terrestria desideria, & curæ potissimum fructibus ex oratione percipiendis impedimentum objiciunt.

XVII. Ex occasione thematis: *Si ergo orabitis: Pater noster, qui es in cælis &c.* potest *Matt. 6. v. 9.* ostendi septemplex necessitas ex septem necessitatibus; nempe 1. necessitas Ecclesiæ, ratione cujus petitur, ut sanctificetur nomen Dei. 2. Necessitas constantiæ ob fragilitatem, ratione cujus petimus, ut adveniat Regnum ejus, ne excidamus ab eo. 3. Necessitas cæcitatis, ratione cujus petimus, ut fiat voluntas tua, quia illa optime scit, quid prosit nobis. 4. Necessitas sustentationis, ratione cujus petimus panem quotidianum. 5. Necessitas auxilii ad vitanda peccata, & remittenda, ratione cujus dicimus: Et dimitte nobis debita nostra. 6. Necessitas roboris contra tentationes, ratione cujus oramus: Et ne nos inducas in tentationem. 7. Necessitas protectionis contra pericula, & mala corporalia, ratione cujus dicimus: Sed libera nos a malo. Quæ omnia fusius apud Fabrum conc. 5. in Fer. Rog. & conc. 1. in Dom. 5. post Pentec. n. 2. explicata vide.

XVIII. Ex occasione thematis ejusdem potest orationis Dominicæ præstantia, & excellentia super alias orationes demonstrari, simulque petitiones in ea contentæ explicari, specialiter vero ostendi, quomodo septem petitiones contra septem vitia capitalia præsens offerant remedium. Quæ omnia videri possunt apud Fabr. conc. 11. in Fer. Rogat. & concl. 12. Item in auct. them. 3. in easdem Ferias.

Accidentia Orationis.

XIX. Ex occasione thematis: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*: vel, *nescitis, quid* *Rom. 8. v. 26. Matt. 20. v. 18.* *petatis*: dici potest, Christum recte hoc dixisse. 1. Quia plerumque *noxia* petimus, uti experientia ostendit, quia scilicet in rebus supernaturalibus cognoscendis plerumque adhuc infantes sumus. 2. Quia non *legitimo modo* petimus, uti, proh dolor! iterum experientia quotidiana clare nimis ostendit. 3. Quia *tempore importuno* petimus, scilicet, ut statim, quando petimus, concedatur. Vide hæc fusius explicata a Fabro in Auctario them. 2. in festo S. Jacobi.

XX. Ex occasionem ejusdem thematis narrari potest, quod Gilimer Rex Wandalorum in monte præruptissimo juxta Hipponem a Duce Phara inclusus, misso ad hunc Tabellario tria petierit, scilicet, *panem*, quia diu nullum vidisset: *spongiam*, qua lacrymas abstergeret: *citharam* ad miserias suas deplorandas; Ostendatur eadem nobis petenda a Deo: Scilicet *panem* quotidianum, id est, necessariam sustentationem: *spongiam*, id est, veram pœnitentiam ad peccata delenda: & *citharam* vitæ honestæ, & sanctæ, quæ ex variis virtutibus velut fidibus componitur, & plus quam quidquam aliud animam in hac, & altera vita lætificat. Videri possunt hæc tria aliter explicata apud Fabrum in Auctar. them. 1. in Fer. Rogat. n. 3.

XXI. Ex occasione thematis: *In illo die in* *Jo. 16. v. 26.* *nomine meo petetis*: moveri potest quæstio, cur Christus dixerit: *in illo die*: respondendumque

hoc

hoc factum, ut significaret, semper quidem orandum esse, sed specialiter in certis quibusdam temporibus, nempe 1. In rebus dubiis. 2. In electionibus faciendis. 3. Cum iter agendum. 4. Quando matrimonium contrahendum 5. Quando cibus sumendus. 6. Quando res difficiles aggrediendæ 7. Ad alia negotia. Quæ omnia fuse diducta videri possunt apud Fabrum in Auctario them. 3. in Dom. 5. post Pascha.

Joan. 16. v. 24. XXII. Ex occasione thematis: *Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: explicari potest quid sit in nomine Christi petere, scilicet 1. In nomine meo, id est, jussu, & imperio meo. 2. Propter me, & merita mea. 3. In persona mea, ut fratres Josephum in nomine Patris. 4. In nomine Jesu: ad salutem vestram 5. Ad gloriam nominis mei. Quæ omnia fusius explicata videri queunt apud Fabrum them. 2. in Dom. 5. post Pascha.

Luc. 11. XXIII. Ex occasione thematis: *Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est*: possunt pariter enumerari causæ, cur Deus diferat audire orationes, videlicet. 1. Ut miseriam nostram cognoscamus. 2. Ut dona illius magis æstimemus. 3. Ut rectius petamus 4. Ut melius probetur virtus, & patientia nostra. 5. Ut fervor in nobis major excitatur. 6. Ut nos secum diutius in oratione retineat. 7. Ut talione nos puniat. Quæ copiosius probata videri possunt apud Fabrum conc. 4. in Feriis Rogat.

Matt. 15. v. 8. XXIV. Ex occasione thematis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*: explicari possunt causæ, & remedia distractionum, simulque ostendi, orationem esse omnium rerum difficillimam, & facillimam. Possunt autem prædictæ causæ, & remedia fusius explicata videri apud Fabrum conclus. 7. in Dom. 5. post Pascha.

Apoc. 19. v. 6. XXV. Ex occasione thematis: *Alleluja, Alleluja, Alleluja*: explicari potest, quid sibi velit ista vox Alleluja, quod nimirum. 1. Hortetur ad gaudium spirituale. 2. Ad Dei laudem, & gratiarum actionem. 3. Ad pugnam spiritualem. 4. Ad vitæ renovationem ac puritatem. De quibus vide Fabrum concl. 7. in Dom. Resurrect.

Luc. 11. v. 5. XXVI. Ex occasione thematis: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte?* possunt explicari ritus in supplicatione adhiberi soliti, dicique 1. cur Vexillum præferatur. 2. Cur Litaniæ cantentur. 3. Cur Reliquiæ gestentur. 4. Cur faces, & lumina adhibeantur. 5. Cur ordine procedatur. 6. Cur mortificatio adhibeatur. De quibus videatur Faber conc. 10. in Fer. Rogat.

Luc. 10. v. 4. XXVII. Ex occasione thematis: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta; & neminem per viam salutaveritis*: ostendi potest, quæ cavenda sit in processione: nempe 1. non portandus saccus negotiationum. 2. Non pera commessationum, 3. Non calceamenta superbi vestitus. 4. Nemo in via salutandus per confabulationem. 5. Eundum, sicut oves eunt, quæ videntur apud Fabrum them. 4. in festo S. Marci.

§. XIII. ALII CONCEPTUS.

Qualitas.

I. HAbebat olim populus Hebræus erga Arcam valde magnam fiduciam, & tamen cum aliquando eamdem contra Philisthæos eduxissent, cruentam ab illis passi sunt stragem: fastique sunt præda inimicorum suorum; & merito, inquit Theodoretus, cur enim Legem transgredientes, Arcam ad auxilium traherent, quæ Legem intus habeat sitam? quot sunt, qui ab Arca mystica, Beatissima inquam, Virgine Maria, ejusque patrocinio tutelam, & protectionem expectant, cum tamen ipsi impurissimam vitam ducant? Numquid magna est temeritas, ejus implorare auxilium, ut impudicitiæ sordibus, quarum ipsa est inimica, vivere possint. *Mans dis. 28. n. 6.*

II. S. Leo Magnus Attilam coercuit, qui victoriosus, & insolens, per potentissimum exercitum universæ Italiæ servitutis jugum imponere minabatur: idem vero Sanctus Romæ per orationum suarum efficaciam a Deo obtinere nequivit, ne Gensericus Romam cum exercitu suo intraret: undenam oritur hæc utriusque eventus diversitas; maxime cum credibile sit, quod S. Leo, sicuti in annis profecerat, ita quoque in majori merito apud Deum pariter accreverit? Sciendum igitur est, hunc eumdem S. Pontificem Urbi Romæ in pœnam ingratitudinis suæ hanc calamitatem prædixisse, siquidem non solum ob gratiam, per repulsum Attilam receptam, nullam erga Deum exhibuit gratitudinem, verum etiam deinceps magis, quam ante, theatris, spectaculis, aliisque profanis gaudiis se dara cœpit, quibus iram Dei vehementer exasperavit. *Ib. n. 7.*

III. Cælestis Sponsus non sine mysterio prius ad montem Myrrhæ iturum se esse dicit, priusquam collem thuris ascendit: quia cum thuris nomine oratio symbolice intelligatur, anima orans ad sanctum hoc exercitium quam maxime disponitur, si mortificationem, quæ per Myrrham denotatur, sibi faciat familiarem: eos namque familiariter visitat, inquit Sanctus Gregorius, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas, & utiles orationes suaviter redolere perspicit. *Id. disc. 29. n. 7.*

IV. Pater Ribadeneira postquam in vita S. Francisci Borgiæ de Spiritu orationis, & contemplationis, in quo excellebat, fusius egisset, & tandem in capite sequenti de ejus mortificatione differere vellet, sequens præmisit effatum: Recte in Asceticis judicant homines pii, suspectum videri orandi studium, nisi, & sui victoria comes accedat; sic enim appello, quam vulgo mortificationem dicunt: quæ domandas esse animi perturbationes affectionesque doceat. Non fugit cælestis hæc Philosophia Franciscum, diu, multumque in ea exercitatum, ideo orandi studio, mortificationis exercitium adjunxit. *Vita lib. 4. cap. 1.*

V. S. Nilus ait: quod si Moyses monitus fuit, ne ad rubum accederet, nisi depositis calceis, multo minus convenit, ut præsumamus per orationem cum Deo nos unire, nisi *Mans disc. 29. n. 1.*

cal-

calceos affectuum carnalium, & terrenorum depofuerimus.

Id. n. 7. VI. Hieronymus Cardanus curiofe inquirit, cur rofæ fpinis armentur, hancque illius affignat rationem: Quia fi rofa fpinifera non fit, nec etiam erit odorifera. Idem quoque in præfenti dicere poffumus; fiquidem orationis noftræ incenfum fuam cælum verfus non exalabit fragrantiam, nifi prius contritum, & fuper prunas ardentes concrematum fuerit.

Id. n. 8. VII. Idem Author fequens movet dubium, videlicet undenam fiat, quod, cum oratio adeo fit grata, & fuavis (fiquidem per hanc cum ipfomet Deo loquimur, & converfamur, & in hoc colloquio anima magnam lætitiam experitur, *non habet amaritudinem converfatio illius, nec tædium convictus illius, fed lætitiam, & gaudium:* cumque adeo fit utilis, & neceffaria eadem oratio, nihilominus adeo illam difficilem, & tædiofam effe experiamur, ut, ficut Sanctus Bonaventura de profectu Religioforum differens notat, quafi ligati catuli ad ftipitem, renitente animo cogamur effe in Divinis? Porro ratio, quam ad dubium folvendum adfert, hæc eft: quia licet oratio natura fua non fit difficilis, molefta tamen eft mortificatio, quæ eft difpofitio ad illam neceffaria; fic enim in rebus naturalibus videmus, quod difficultas in forma introducenda non confiftat, fed in difponendo fubjecto ad illam recipiendam; quot enim conatus non facit ignis, ut in ligno viridi prius humiditatem abforbeat, priufquam ardere incipiat? quatenus inde nafcitur fumus? quot ftrepitus, & rumores trunci illius viror excitat? at vero, quando lignum difpofitum eft, flamma fine difficultate flagrare, & lignum confumere incipit; eodem modo difficultas, quam in oratione experimur, in eo confiftit, quod fcilicet viror, & vigor paffionum noftrarum difficulter tollatur, quod edrænes appetitus noftri habeois refræneotur, & coerceantur: hoc autem femel obtento, mens noftra per viam orationis faciliime ad cæleftia elevatur, divinoque inflammatur amore.

Neceffitas.

Lib. 5. l. 12. n. 8. VIII. In vitis Patrum legitur, quod fratres Abbatem Agathonem interrogaverint dicentes: Pater, quæ virtus in converfatione plus habet laboris? & dixit eis: Ignofcite mihi, quia puto non effe alium laborem talem, qualis eft orare Deum: dum enim voluerit homo orare Deum fuum, femper inimici dæmones feftinant interrompere orationem ejus, fcientes, quia nulla re impediuntur, nifi per orationem fufam ad Deum.

Manf. difc. 11. n. 5. IX. Holofernes ut civitatem Bethuliæ armis fuis fubjiceret, eamque juris fui faceret, aquæductus, per quos aqua in civitatem manabat, incidi, & alio diverti præcepit, fuamque fine dubio affecutus fuiffet intentionem, nifi divina providentia Heroinam illam Judith ad notum illud heroicum facinus patrandum permoviffent: idem quoque eft Holofernis infernalis ftratagema, & artificium, qui, ut animam noftram fibi fubjiciat, myfticos incidere nititur aquæductus, idest, removere a nobis fatagit Sanctus Spiritus impulfus, & infpirationes cæleftes, lumina item, & virtutes, quæ oratione mediante in animas noftras tranfmittuntur.

X. Obfervaftifne aliquando, quam differenter fe Chriftus habuerit in trium illorum mortuorum refufcitatione? fcilicet filii viduæ Naimiticæ, & filiæ Archifynagogi, necnon, & Lazari fratris Marthæ, & Magdalenæ: porro in duabus primis refufcitationibus Evangeliftæ nullam orationis Chrifti mentionem faciunt ad æternum Patrem fuum directæ, ficut in hac tertia, qua Lazarus refufcitatus fuit: Nam Sanctus Joannes hanc refufcitationem defcribens, ait: *Jefus autem elevatis furfum oculis dixit: Pater! & infremuit Spiritu: Rurfum fremens in femetipfo.* Et quid vero ad hujus difficultatis folutionem refponderi poffe exiftimas? Nimirum Lazarus peccatorem repræfentabat in peccatis habituatum, & inveteratum: unde Rupertus Abbas ait: Typum gerit peccatoris, jam confuetudine nequitiæ inveterati, jamque mala confuetudine fœtentis; ut autem talis peccator in vitam, idest, in ftatum gratiæ revocetur, opus eft efficacia orationis; oratio enim eft officium fructuofum, ait Bellovacenfis: magnum eft lucrum hujus officii; quia femper, omni hora, & omni loco poteft homo orando lucrari rem maximam, fcilicet veniam peccatorum, gratiam meritorum, & ipfum Deum, & ejus gloriam. *Id. difc. 16. n. 5.*

XI. P. Rho de P. Magiftro Joanne Avila ita fcribit: Adolefcentibus, quos litterarum labor exercebat, identidem affirmabat, malle fe illorum genua callis obdurefcere ob orandi contentionem, quam oculos laborare ob ftudia litterarum; harum enim fæpe inanem effe laborem, illius nunquam non frugiferam occupationem. Idem Stephanum Centenarefium, cujus ingens erat concionandi ftudium, & laus, cum ab eo partitionem diurnarum, ac nocturnarum horarum inter orationis, ac litterarum ftudia audiffet, horas aliquot litteris ademptas, precationi juffit contribuere, quod ifta Chriftiane dicendi optima effet Magiftra. *Rho l. 1. c. 8. n. 2.*

XII. Regius Pfaltes ait: *Os jufti meditabitur fapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Qui loquendi modus prima facie quidem improprius videtur, quia meditari ad mentem, non vero ad os pertinet: & tamen optime dicit, quia per hæc verba alludere voluit ad orationem vocalem, cujus lingua eft inftrumentum; nec non ad mentalem orationem, quæ interius fit in corde; quando igitur ambo hæc uniuntur, tunc Prædicator loquitur, & prædicat cum judicio, cum prudentia, cum fructu: tunc *lingua ejus loquetur judicium.* *Manf. difc. 6. n. 6.*

XIII. Sanctus Carolus Borromæus fumma cum follicitudine fanctum hoc exercitium populo fuo Mediolanenfi recommendavit, fiquidem in illius littera quadam paftorali fequentia leguntur: Inter alia, quæ Sapientia Dei, Chriftus Dominus nofter, in toto Sancti E- *Alla Med. f. 1001.*

van-

vangelii decursu summa cum sollicitudine nobis commendavit, oratio præcipuum locum habet, cujus usus, & exercitium homini Christiano adeo est proprium, ut Deus propter ipsam eos ab omnibus mundi nationibus dissimiles facere voluerit: *Domus mea*, inquit Redemptor, *domus orationis vocabitur*; quibus verbis evidenter demonstrat, orationem populi Christiani peculiarem tesseram esse debere, qui, sicut (tamquam Dominus Dei familiare) e cælo vivunt, idest, ex auxilio Dei, a quo omnia bona sperant; ita quoque per sanctum, & continuum orationis exercitium cum Deo, & Cælitibus commercium habere debent. Et paulo post orationi attribuit encomium, quod sit omnium virtutum principium, progressus, & complementum. Card. Baronius ex Epistola Theodolphi Abbatis Floriacensis, qui postea ad Episcopatum Aurelianensem assumptus fuit, verba quædam refert, quibus Clerum suum, ad quem prædictam Epistolam direxerat, ad legendum libros sacros, & orandum, his verbis invitat: His armis vitia comprimuntur: his alimentis virtutes nutriuntur.

Vita S. Philip. l. 7. c. 2. XIV. Unum ex præcipuis mediis, quibus S. Philippus Nerius ad tantam perfectionem devenit, fuit Oratio, cui per affectum adeo excessivum addictus fuit, ut omnia exercitia, quæ in Congregatione nostra instituit, & ordinavit, ad hunc præcipue finem directa fuerint: unde ob eamdem causam Institutum nostrum *Congregationem Oratorii* appellari voluit. Præterea ex libris, quos frequentius legere solitus fuit, specialis erat Joannis Cassiani lectio, in quo inter cæteras ejus Collationes sine dubio sequentia verba legit: Omnis Monachi finis (& consequenter cujuscumque alterius ad perfectionem adspirantis) cordisque perfectio, ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, & quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem; qui idem Cassianus paulo post subdit: Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmini fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Unde S. Nilus monet inquiens: Omne, quod agis, oratione obsignato. Si enim cor nostrum hoc orationis sigillo obsignatum fuerit, nullum erit periculum, ut dona gratiæ, merita, virtutes, quas in se recludit, ei eripiantur. Et ideo pariter S. Ephrem ait: Sigillo muniamur orationis.

Mansi d. 11. n. 8. XV. Archangelus Raphael de cælo missus, ut Tobiæ in itinere ducis loco serviret, eum juxta flumen Tigris immensum illum cœpisset piscem, eum exenterari, & excerptum ex eo jecur assari, & conservari præcepit subdens: *Cordis ejus particulam si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum*. At vero, inquies, quidnam fumus sicci hujus piscis super carbones positi cooperari poterit ad spirituum rebellium fugam, & dissipationem? respondet Lyranus per fumum hunc orationem symbolice intelligi, uti ex illis verbis Apocalypsis colligitur: *Ascendit fumus incensorum*. Quod si igitur sola orationis Umbra, & Figura, quamvis remota, ad dissipandum universum infernum sufficit, quid ipsa oratio non præstabit? utique extricat omne genus dæmoniorum. Ad hæc quamvis dæmon omnibus aliis Saræ sponsis necem intulerit, attamen mox ut Sara, & Tobias ad orationem se prostrarunt, superatus, & confusus remansit; unde Lyranus ait: Fumus ille ex igne procedens significavit orationis virtutem Tobiæ, & Saræ, cujus merito Angelus Raphael expulit dæmonem a Sara.

XVI. Sanctus Bernardinus rationem assignat, cur oratio tempore matutino facta, opportunior sit, quam quavis alia diei hora ad Deum effusa; ait enim: Merito mane oratio optima est, propter mysterium suum; nam signat gratiæ infusionem, quæ maxime in illa hora a fidelibus per orationem acquiri potest; quia sicut in aurora fugiunt latrones, sic tunc per orationem infusione gratiæ fugiunt dæmones, sicut in aurora lupi, vulpes, & aliæ feræ se abscondunt, nam in tempore noctis hinc inde ad pastum vagantur, unde Psalm. 103. dicitur: *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ*; de mane vero idem ait: *Ortus est sol, & congregata sunt, & in cubilibus suis collocabuntur*: Sic in nocte tentationes multiplicantur, in aurora tunc per gratiam in oratione infusam discedunt. *S. in Rog. a. 2. c. 1.*

XVII. Sponsus cælestis, teste Blosio, Sanctæ Catharinæ dixit: Scito, filia, quod anima perseverans in humili fidelique oratione, adipiscitur omnem virtutem; unde nullo modo orationis studium negligendum, aut omittendum est ob aliqua adversantia, sive ea procedant ab illusione Satanæ, sive a fragilitate propria, sive a cogitationibus immundis; sive ab inordinatis stimulis, & carnali motu corporis: frequenter enim diabolus orationis tempore animam variis imaginibus, & phantasmatibus magis infestare conatur, quam extra tempus orationis. Tunc callide suggerit oranti, quod talis oratio nihil illi prosit, cum alia cogitare non debeat, quam illa, quæ orat; malignus hostis hoc persuadere nititur, ut is, qui orat, tædium, confusionemque mentis incurrat, atque ita omittat exercitium orationis, quæ est armatura fortissima adversus omnes inimici insultus. *In Canel. c. 1.*

XVIII. Sanctus Bonaventura alium quemdam recenset orationis effectum, scilicet reparationem virtutis naturæ, juxta illud Jacobi 5. *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum*; unde Ecclesiasticus cap. 38. merito nos monet, ne, dum infirmi sumus, nos ipsos negligamus: *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum*: at vero quonam id modo practicandum erit, ut ab infirmitate resurgamus? sapiens subdit: *Ora Dominum, & ipse curabit te*; potestisne meliorem hoc Medicum desiderare? est hic Medicus tibi semper vicinus, & promptus, qui pro restituenda sanitate aliud non requirit stipendium, quam orationem, de qua B. Laurentius Justinianus ait: Infirmitatem orationis virtus sanat, omnes Medici pecuniis; Deus autem noster pu- *S. Bon in c. 18. Luc.*

ſa oratione ad conferendam ſanitatem placatur.

Salvian lib. 2. de gub. Dei. XIX. Salvianus explicans illud Pſalm. 33. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum:* Sic loquitur, id quod dicit, divinas aures in precibus ſemper eſſe juſtorum, non audientia tantum Dei, ſed quædam quaſi obedientia deſignatur; quomodo enim in precibus juſtorum divinæ aures ſunt, quomodo, niſi ut ſemper audiant, niſi ut ſemper exaudiant, niſi ut prompte audita tribuant, niſi ut illico exaudita concedant.

Manſi d. 30. n. 4. XX. In aulis regiis ſæpe fit, quod, poſtquam quis eſt admiſſus ad proxima regio conclavi penetralia, ab hoc tamen non ſtatim ad audientiam admittatur, ſed ſæpe longo tempore expectando hærere debeat; at vero non ſic res orationis cum Deo habet, ſed oratio recta ingreditur, nec diu præſtolatur audientiam; quin potius Deus expectat nos, magnaque cum anxietate preces noſtras præſtolatur, atque audientiam a nobis habere deſiderat; unde David dicebat: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus*. Et in Apoc. dicitur: *Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo*; vix oratio Dei throno appropinquavit, eum ecce ſubito ingreditur, nec eſt, qui illam impediat: *Intret in conſpectu tuo oratio mea*. Prius dixerat: *Appropinquet deprecatio*. Inquit Hugo Cardinalis, nunc dicit: *Intret poſtulatio*, quod plus eſt. Oratio enim non tam ſupplicat, quam imperat. Ly enim *intret*, imparium ſonat, ſicut, & ſequentia verba: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*.

Hom. 4. de Ann. XXI. D. Chryſoſtomus eorum, qui ab oratione facienda exemptos ſeſe autumant, eo quod ſacris in locis eam, ob negotia ſua impediti, fundere nequeant, nequaquam admittit excuſationes; ne excuſationem quæramus, inquit, dicendo, non eſſe propinquam precationis ædem; nos enim ipſos, ſi ſobrii fuerimus, templa faciet Divini gratia Spiritus, ut magna utique nobis precandi facultas affluat; neque enim talis eſt apud nos Divinus cultus, qualis quondam apud Judæos erat, multum habens ſenſibilium cæremoniarum: Illic precaturum opportebat ad templum aſcendere, thus emere, ligna, & ignem ad manus habere, arrepto cultro, altari aſſiſtere, aliaque multa præcepta perficere; hic nihil tale, ſed ubicumque fueris, preſto eſt tibi altare, & culter, & victima: tu ipſe altare, & ſacerdos, & victima es. Sacrificia illa in limitato loco, & templo offerebantur; ad noſtram autem orationem, quæ grata eſt Deo, loco holocauſti, uti B. Laurentius Juſtinianus ait, non locus, ſed affectus ad orandum eſt eligendus.

Ibid. XXII. Etiamſi nec genua flectas, nec pectus pulſes, nec manus ad cælum tendas, ſi mentem ſolum afferas fervidam, nihil tibi ad abſolutam precationem deerit; licet enim mulieri colum tenenti, aut telam texenti ſuſpicere in cælum, ac ardenti pectore Deum invocare: licet etiam viro in foro verſanti, aut iter facienti ardenter precari. Alteri itidem in officina ſedenti, ac coria ſuenti, animam ad Deum erigere: licet ſervo ſurſum, & deorſum curſitanti, vel in culina miniſtranti, ſi non adire Eccleſiam, precationem intentam ex imo pectore ciere: non pudet loci Deum.

S. Baſil. ho. 33. in exh. ad bapt. XXIII. Silentes audit Deus: non locus, ſed propoſiti initium quæritur. Jeremias enim in luto erat, & Deum attraxit. Danial in leonum lacu Deum placavit. Tres pueri in camino Deum promeruere. Latro non cruce prohibitus, quin Paradiſum aſſecutus fuerit. Job in ſtercore Deum ad miſericordiam provocavit; igitur ubicumque fueris, ora.

Perſeverantia.

S. Baſil. c. 2. Conſt. Monaſt. XXIV. Fortaſſe differt, quæ daturus eſt, inquit S. Baſilius, ut hoc modo magis te ad aſſiduitatem vocet, & ut intelligas, quod ſit donum Dei, & ut datum diligenter cuſtodias, ſiquidem nititur unuſquiſque, quod magno labore invenit, id majori etiam quadam diligentia cuſtodire, nec eo amiſſo, labores etiam cum eo ſuos multos amittat, neque neglecto Dei munere, æterna vita indignus efficiatur. Proinde noli unquam animum deſpondere, niſi celeriter invenias, quod rogas: ſi enim intellexiſſet Dominus, ta, ſi munus celeriter impetraſſes, id nequaquam eſſe amiſſurum, ſine dubio, quæ ejus eſt bonitas, ultro ipſe tibi, nullo tuo rogatu, detuliſſet.

Manſi d. 33. n. 4. XXV. Cornelius Janſenius ponderans verba illa: Petite, quærite, pulſate, inquit; Tribus iſtis ſententiis unum, & idem ſignificatur, niſi quod congeries ſententiarum commendet fidentem, inſtantem, & ardentem precationem; nam ipſum petere fiduciam in oratione neceſſariam ſignificat; quærere vero, diligentiam, pulſare, ardoram & perſeverantiam.

S. Bon. in Luc. c. 18. XXVI. S. Doctor Bonaventura ſuper conſilium illud Evangelicum in principio capitis 18. S. Lucæ relatum: *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere*, ita ſcribit: Hoc intelligitur, ut oratio ſemper, vel ſit in ore per poſtulationem; vel ſit in corde per deſiderium; vel ſit in opere per præparationem; qui autem bona agit, ad hoc ſe diſponit, ut ejus oratio debeat audiri, & ſecundum hoc dicitur: *Sine intermiſſione orate*, ubi Gloſſa ait: Semper orat, qui bene agit ſemper; ipſum enim deſiderium bonum, oratio eſt; & ſi continuum eſt deſiderium, continua eſt oratio; & hoc eſt, quod dicit Beda in gloſſa: Semper orat, qui ſemper agit bona, nec deſinit orare, niſi cum deſinit juſtus eſſe.

in Pſ. 148. XXVII. S. Hieron. ſuper illa verba: Laudate eum ſol, & luna, inquit: in eo, quod a ſuo officio, & ſervitio non recedant, ſervitium ipſorum laus Dei eſt: quod idem propoſito præſenti applicare poſſumus.

Hom. 4. de Ann. XXVIII. S. Chryſoſtomus objectioni cuipiam a ſæcularibus fieri ſolitæ in hæc verba reſpondet. Dices: qui fieri poteſt, ut homo ſæcularis forenſibus negotiis affixus, tribus horis diei precetur, & ad Eccleſiam currat?

Re-

Respondet S. Doctor: Potest, & facile est, licet enim ad Ecclesiam currere non sit commodum, potest inibi, foro, curiæque vestibulo inhærens precari; ad hoc enim mente magis opus est, quam voce; animi contentione magis, quam manuum extensione; nec tam refert, quo corporis habitu id facias, quam quo animæ affectu.

S. Bon. Luc. c. 13. XXIX. S. Bonaventura observat, quod Christus nos in oratione instruens, nullam fecerit temporis mentionem: tempus, inquit, tacetur, ut ostendatur, quod omni tempore indifferenter est orandum secundum quod dicit infra: Oportet semper orare, & non deficere: & Ecclesiastici 15. Non impediaris orare semper.

De Perf. grat. c. 12. XXV. B. Laurentius Justinianus hujus sancti exercitii multos enumerat effectus, inquiens: Terret dæmones, adversarios superat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, inter quos ultimus hic effectus consideratione est dignus; siquidem, ut experientia docet, multi quidem sunt in operibus bonis producendi fœcundi, at vero spiritus eorum sæpe similis est igni ex stramine vel paleis excitato; sicut enim hic magnam flammam parit, sed subito evanescit; ita quoque multi in primis vitæ fervoribus multis quidem vacant virtutum heroicarum operibus, at vero mox fatigati, minime in iis perseverant.

De objecto orationis, seu quid petendum.

Mansi d. 38. n. 2. XXXI. Psalmista Psalm. 54. ab his verbis exorditur: *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me*: At vero undenam Davidi tanta nata est confidentia de se exaudiendo? Audite expositionem Bedæ dicentis: Multorum exauditur oratio, cum pro temporalibus rogant, & conceditur eis, quod postulant, quorum postea despicitur deprecatio, quia terrena orant, non æterna, & ideo iste utrumque ponit, scilicet ut orationem exaudiat, & deprecationem non despiciat, idest, terrena eum orare permittat.

Ibid. XXXII. Idem Regius Propheta Psalm. 76. ita incipit: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi*. At vero quis unquam repertus est, qui voce alterius clamarit? Cur igitur *voce mea*? Audiamus eundem Bedam dicentem: Hac voce clamat, qui corde clauso ab omni affectione terrena, tota mentis affectione non ad aliquid terrenum, sed ad Deum aspirat, ut ipsum præmium recipiat; ille vero non hac voce clamat, qui magis terrena, quam Deum desiderat, & ideo non pro se, ut ipsum præmium habeat, sed pro ipsis terrenis postulat, qui infelicior est, cum exauditur, quam si non exaudiretur.

S. Ambr. in Ps. 118. XXXIII. S. Ambrosius circa populum Hebræum ad Deum clamantem, nec exauditum, & circa Moysen, qui licet os suum non aperuisset, auditus tamen, & exauditus fuit, sequentem instituit ingeniosam observationem: Dicit ad eum Dominus: *Quid clamas ad me?* Sonum ejus non audio, vocem ejus agnosco, silentium ejus lego, clamorem ejus in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur, tacebat Moyses, & exaudiebatur. Non populo dictum est, *quid clamas ad me?* *Mansi 1. n. 8.* Non enim ad Deum clamabat populus, qui injusta, & viris indigna clamabat, sed Moysi dictum est, *quid clamas ad me?* Hoc est, tu solus ad me clamas, qui de me speras. Scire ne cupitis, quonam desideria illius, quem inter omnes homines Deus secundum cor suum esse agnovit, directa fuerint? Ipsemet ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram*, sed quænam est res hæc una, quam petiit? Num forte, ut cessaret Saulis persecutio? vel ut ad solium regium, pro quo possidendo a Samuele consecratus fuerat, inthronizaretur? Aut vero numerosam a Deo prolem sibi dari petiit: Nequaquam, sed hoc solum: *Ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Nimirum priusquam Christus illam annunciaret Evangelii magnam veritatem, jam eam perfecte intellexerat, scilic. *Primum quærite Regnum Dei, & Justitiam ejus*. Et ideo dixit: *Unam petii*, idest, ut Hugo Cardinalis exponit, vitam æternam.

De publica, & communi oratione.

XXXIV. In Actibus Apostolorum terribilis illa legitur Herodis contra Ecclesiam tunc nascentem persecutio, occidit enim Jacobum fratrem Joannis gladio, videns autem quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet, & Petrum. Imo S. Petrus paulo post incarceratus, & duabus catenis vinctus, multisque militum custodiis summa cum diligentia custodiebatur; & tamen in eodem carcere ceciderunt catenæ de manibus ejus, descenditque Angelus quidam de cælo, qui carcerem illum aperiens, eum liberavit. Quare hoc? Quia, dum Petrus servabatur in carcere, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. *Mansi d. 38. n. 9. Act. 12. v. 5.*

XXXV. In Exodo legitur: *Moyses, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis*. Ubi Lippoman. ait: Ascenderunt ad orationis locum; ubicumque enim duo vel tres Dominum fuerint deprecati, in fide exaudiuntur. Quod si vero tantum valent duo vel tres, quanto plus mille, decies mille, & centum millia, imo integer quidam populus valebunt? Multorum oratio frequentior fit, & exaudibilior, ideo orationes agendæ etiam in Ecclesia. *Exod. 6. 17.*

XXXVI. D. Chrysostomus eos, qui dicunt: Orare domi possumus, his verbis perstringit: Te homo decipis, & magno in errore versaris: Nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, neque tuis cum fratribus; est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, sacerdotum preces. Præsunt enim ob eam rem sacerdotes, ut populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, *S. Chrys. n. 2.*

validiores illas complexæ simul in cælum evehantur.

Ser. 131. XXXVII. S. Chrysolog. super illa verba: *Quod si duo ex vobis consenserint*, &c. inquit: Audistis quantum possit, & prævaleat sanctæ petitionis assensus? Non dixit illud aut illud, sed totum se promisit, quicquid unitas postulationis concupierit præstiturum. Et paulo post subdit: Ubi sunt, qui præsumunt, Ecclesiæ conventum posse contemni, & solitarias preces venerandæ congregationi autumant anteferri, si duobus vel tribus simul positis medium se futurum, & omnia se promittit, quæ postulatus fuerit, præstaturum? Qui nil negat tam paucis, quid in congregatione Sanctorum poscentibus denegabit? Sic credens Propheta, hoc adeptum se gloriatur? Cum dicit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio justorum, & congregatione.*

De Oratione Dominica.

S. Fern. ap. Mens. d. fe. 40. n. 9. XXXVIII. Omnia, quæ desiderantur, inquit S. Bernardinus, sive ad finem acquirendi aliquod bonum, sive removendi a nobis quodcumque malum, vel conservandi bona, quæ habemus, vel denique liberandi nos a malis, in quæ incidimus, aut quæ imminent, in hac oratione petuntur. Et quidem bona, quæ petuntur, vel sunt naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ: Primo autem loco postulamus bona gloriæ, dicendo: *Adveniat regnum tuum*. Secundo bona gratiæ dicendo; *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*. Tertio bona naturæ, quæ in illa continentur petitione: *Panem nostrum &c.* Postea petimus, ut nobis remittantur mala, sive illa sint præterita, sive præsentia, sive futura, sive culpæ, sive pœnæ, sive etiam tentationis. A malis culpæ liberari petimus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*. A tentationibus, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*. A malis pœnæ, dicendo: *Libera nos a malo*.

Mens. d. 40. n. 2. XXXIX. Ipsemet Filius Dei apud S. Joann. c. 16. ait: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. Quanto igitur major spes nobis esse poterit, si non solum in ejus nomine, verum etiam per supplicationem a Filio Dei compositam desideratas ab ipso gratias postulemus? quod idem S. Cyprianus his verbis tangit, dicens: Quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Maxime cum, ut S. Cyprianus ait: Hoc sine Christus illam composuerit, ut dum prece, & oratione, quam Filius docuit, apud Patrem loquimur, facilius audiamur, & agnoscat Pater Filii sui verba, cum precem facimus. Gratiores enim accentus in auribus æterni Patris resonare nequeunt, quam Filii illius, de quo sæpius e cælo testimonium perhibuit, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Quasi dicere vellet: Audite ejus instructiones, & estote certi, quod si mihi supplicationes vestras ab ipso formatas porrexeritis, mihi futuræ sint gratissimæ.

S. Bern. f. 6. c. 2. XL. S. Bernardinus hanc rationem insinuat: cur cælestis Magister hanc orationem componere voluerit, dum ait: Propterea ne vagemur incerti, omnium petendorum nobis in hac oratione formam dedit. Unde videtur mihi, quod æterna, & prima veritas, quæ errare non novit, nec se decipi permittit, nobis Christianis dicat illud Joelis Prophetæ 2. 23. *Filii Sion lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem*. Sic orabitis: *Pater noster &c.* S. Aug. ad Probam nos ab hujus petitionis limitibus nequaquam egredi posse dicit: Liberum est aliis, inquit atque aliis verbis, eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum, alia dicere: Porro de hujus orationis securitate S. Cyprianus testatur, inquiens: Quæ vera magis apud Deum Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est?

XLI. Deus in Exodo præcepit, ut ad illuminandam domum suam, quam domum orationis esse dixit, magnum quoddam funderetur candelabrum, totaliter aureum, in septem lucernas, a septem ramis in formam liliorum fabricatis, sustentatas distinctum. Omnia autem hæc in figura contingebant illis. Candelabrum enim hoc orationem Dominicam præfigurabat, quæ septem continet petitiones, velut totidem lucernas; mysticum animarum fidelium templum illuminantes. Mens. d. 40. n. 3.

XLII. Nescio an vos ad hoc aliquando reflexeritis, quod quando Verbum hoc abbreviatum e sinu Patris in terram descendit, tribus præcipue rebus manum suam apposuerit, illisque omnibus ad salutem nostram spectantibus. Abbreviavit enim, & compendiavit sacrificia, præcepta, & orationes. Porro sacrificia, & oblationes legis Mosaicæ non habebant numerum, & hæc omnia restrinxit, & compendiavit in incruento Missæ sacrificio. Unde in Collecta quadam ita orat Ecclesia: *Deus qui legalium differentiam hostiarum in unius sacrificii perfectione sanxisti &c.* Præcepta vero cæremonialia, judicialia, & legalia, omnia in unum solum restrinxit, videlicet in præceptum dilectionis proximi: *Plenitudo legis est dilectio: qui diligit proximum, legem implevit*. Orationes pariter, quarum multæ, & variæ erant, prout ex sacris litteris deducitur, in unam solam compendiavit, scilicet in hanc Orationem Dominicam, siquidem hæc virtualiter, & eminenter omnes alias preces complectitur. Adeo ut, sicut ab increata Sapientia homo vocatur omnis creatura, ita quoque oratio. De qua proinde multo melius, quam de Apocalypsi dici potest. *Tot sacramenta, quot apices*. Ib. n. 8.

XLII. Inter alias orationes Oratio Dominica principaliter invenitur; habet enim quinque excellentias, quæ in oratione requiruntur. Debet enim oratio esse secura, recta, ordinata, devota, humilis. Omnes autem hæ prærogativæ in hac oratione recluduntur. Nam primo est securissima; est enim ab Advocato nostro formata, qui est sapientissimus Petitor, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ; securior apparet ea hoc, quod ipse, qui orationem exaudit cum Patre, docuit nos orare secundum illud Psalmi 90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Etenim si quando vobis memoriale aliquod ad certam quandam gra- S. Th. op. c. 7.

gratiam implorandam Principi porrigere volentibus, ipsemet Princeps, cui illud porrigendum est, ipsum propria manu formaret, aut dictaret, numquid vos omnimodam per illud memoriale quidvis impetrandi securitatem, & fiduciam habere existimatis? Tale quid autem nobis contingit in præsenti; nam ut D. Chrysologus ait, orandi thema, materiam petendi, supplicandi normam, paucissimis in verbis ipse tibi, qui tibi exorandus, indulsit, ut ex hoc petendi tu sumas sensum, intellectum postulandi capias, mensuras colligas impetrandi, & brevissimo magisterio orandi latissimam capias disciplinam; simol quia ad amoris indicium Rex ipse officio functus est Advocati, ut preces, quibus responsurus erat, ipse dictaret; cunctatio ablata est impetrandi omnis: Immo fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus, qui rogatur. Secundo est certa; nam ipse Christus doctor est; nam ipsius est docere, quod nos orare oporteat; Ea quippe, quæ ipse orare docuit, rectissime postulantur. Tertio est ordinata; est autem hic debitus ordo, ut spiritualia carnalibus, cælestia terrenis, desiderando, & orando præferamus, secundum illud Matth. 6. *Primum quærite Regnum Dei.* Hoc Dominus in hac oratione servare docuit; in qua primo petuntur cælestia, postea terrena. Primo enim loco docemur mentem, & vocem elevare ad cælum, invocando Deum, tamquam Patrem: *Pater noster qui es in cælis.* Postea ad sanctificandum ejus nomen, & ad regnum ejus postulandum, necnon ad implendam divinam ejus voluntatem. Quo facto, docemur petere res alias, ad nostrum commodum, & utilitatem spectantes: *Panem nostrum, &c.* Quarto est devota, quia pinguedo devotionis facit, sacrificium orationis esse Deo acceptum. Devotio plerumque propter prolixitatem orationis obtunditur; unde superfluam orationis prolixitatem docuit vitare Matth. 6. *Orantes nolite multum loqui*; & S. Augustinus dicit ad Probam: Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseveret intentio: Unde Dominus hanc orationem brevem instituit. Consurgit autem devotio ex charitate, quæ est amor Dei, & proximi, quorum utrumque in hac oratione ostenditur. Nam ad insinuandum divinum amorem vocamus eum Patrem. Ad insinuandum autem amorem proximi, communiter pro omnibus oramus, dicentes: *Pater noster, & dimitte nobis &c.* Ad quod proximorum dilectio nos inducit. 5. Est humilis; nam vera humilitas est, quando aliquis nihil ex suis viribus præsumit, sed totum ex divina virtute impetrandum expectat. Hoc autem in præsenti adimpletur, quia gratias, quas postulamus, ex liberalitate Dei proficisci agnoscimus, de nullo merito proprio præsumentes.

MEDITATIO.

Matth. 6. 14. n. 6. XLIII. Inter alias Regni cælorum similitudines cælestis Magister hanc quoque adduxit a sinapi desumptam, inquiens: *Simile est Regnum cælorum grano sinapi.* Quis vero non admiretur, quod cælum adeo vastum, grano tam minuto ab illo comparetur, qui dixit: *Ego sum ostium, per me, si quis introierit, salvabitur?* Sciendum vero est, hanc esse seminis hujus proprietatem, ut Glossa interlinearis ait, & ipsamet confirmat experientia, scilicet quod quanto plus teritur, tanto plus redolet ejus fragrantia, acrimonia, & virtus, quam in se continet? Ecce tibi igitur mysterium, ob quod huic semini Regnum beatum assimilatur, nimirum quia, qui illud sibi vult acquirere, huic necessum est, ut per attentam meditationem mysteria fidei nostræ, ut ita dicam, masticet, & comminuat. Quoniam putatis modo Davidem Legis Dei amore, & affectione capitum fuisse? Ipsemet idipsum dicat; Nam postquam dixisset: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine?* Protinus respondit: *Tota die meditatio mea est*; Nimirum perfectionem, & profectum, quem ab observantia hujus legis anima fidelis percipit, attente meditabatur; Unde dicebat: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium &c.*

XLIV. Jeremias causam, propter quam innumerabiles animæ perduntur, his verbis assignat: *Desolatione desolata est omnis terra, quæ nullus est, qui recogitet corde*; ubi ponderandum est verbum illud, *recogitet*, non enim sufficiebat Prophetæ dicere, *cogitet*, sed dixit, *recogitet*; Unde, & Ezechias in Cantico suo ita canit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Domine, si sic vivitur &c.* fructus autem, quem inde percepit, hic fuit: *Tu autem eruisti animam meam, ut non periret.* *Jerem. c. 12.*

§. XIV. MISCELLANEA.

Qualitas.

I. S. Gertrudis e cælo didicit, orationis verba, & devota verba nobilissimis gemmis aut floribus vernantissimis esse similia, aut organi instar suavissimam edere harmoniam; si autem oratio negligentior sit, & sine cura, tum verba floribus marcidis, gemmis obscuris, & insuavi musicæ similia esse. *Drexel. Rhe. cæl. l. 3. c. 9. §. 2.*

II. Orator coram Turcarum Imperatore causam acturus per plurima conclavia deducitur; in singulis gestu supplici, submissis humi genibus, reverentiam, tanquam adversus Imperatorem præsentem exhibere cogitur, siquidem ad aures Imperatoris admitti velit. *Drexel. Rhe. cæl. l. 1. c. 6. §. 2.*

III. S. Hieronymus, quærens, cur Jeremias dixerit: Neque taceat pupilla oculi tui. Respondit, quando coram Deo lacryma funduntur, tunc dici pupillas oculorum transmittere Deo voces. *S. Hier. ap. Rodr. p. 3. c. 2. c. 12.*

IV. P. Drexelius ait, quosdam Authores illum Davidis versum: respexit Dominus in orationem humilium: interpretari *in orationem cicadæ*: Quod cum aliæ aviculæ primo vere canere incipiant: & in summis caloribus sileant, hæc toto æstivo tempore: incredibili constantia strideat, atque adeo moneat, etiam tempore adversitatis orare. *Libr. 2. Rhe. cæl. c. 3. §. 4.*

V. S. Climacus modum orandi docens, ante omnia, ait: In orationis nostræ chirographo gra- *Grad. 28. p. 393.*

tia-

tiarum actionem sinceram statuamus: in secundo autem versu confessionem, & contritionem animi, ex intimo affectu prodeuntem. Atque ita demum Regi nostro postulationem indicemus nostram.

P. Joan. Philip. de Mar. in Miss. Jap. l. 2. c. 21.

VI. In Regno Bao cum nocte quadam Christiani in templo orarent alta voce, repente silvestris bubalus oppidum ingressus, templi atrium intrat, ubi bubalus domesticus erat, in quem silvestri capto impetu, cum ab eo aberraret, eodem furore in columnam impegit, quæ erat una e templi fulcris (ædes enim inferne ob tigrium metum non incolunt) tanto impetu, ut totum templum concuteretur. Interim oraurium ingrus nemo se omnino movit, sed omnes precibus erant intenti, velut nihil accidisset; ipse etiam domestici bubali Dominus orare non destitit, sed monitus, ut eum tumultum sedaret, respondit; Non videri sibi conveniens, ut Deum relinquat, ad bubalum servandum: ejus loco siquidem interiret, alium se empturum.

Rader. in Virid. p. 1.

VII. S. Sanctus quidam Cœnobii Antistes assidue Deum precabatur, ne pateretur unquam cætum suum a se separari, nec in hac, nec altera vita, sed ut & in cælo sint simul. Hunc Christus post tot preces ita erudiit. Appetebat in remoto Asceterio festus Sanctorum dies, ad quem invitatus, per quietem vocem audiit: *Ito, sed præmitte Fratres tuos; tu postremus sequere.* Christus igitur ægri mendici specie media se in via abjecit. Discipuli præeuntes ægrum rogant causam ejulatus, qui respondit; *Æger insidebam jumento, quod excusso me fugit, etiam desertus non habeo, qui me ad urbem deportet;* Cur Monachi se excusabant: quod & ipsi pedites irent; & eo relicto abierunt. Secutus Abbas eumdem offendit, cognitoque illius statu quæsivit, nonne paulo ante transiere quidam Monachi, & te hic etiam relictum invenere, *Sane*, inquit æger, *sed audita conditione mea abiere, quod dicerent: Se pedibus incedere, non posse opem ferre.* Et Abbas: *Potesne paululum ingredi, ut simul sensim progrediamur? Non possum*, inquit. Ergo Abbas eum in humeros suscipit, dicens: *Deus nos sublevabit: Abeamus.* Et æger: *Quomodo me per tantum spatium itineris feres? Abi modo, & precare pro me.* Et Abbas: *Non dimittam; en saxum, cui te impositum subibo, & gestabo.* Passus est igitur id fieri miser; & primum quidem sensit onus ad hominis modum grave; mox levius, iterumque facilius; tandem cum vix sentiret amplius sarcinam, cœpit mirari, quid hoc rei esset: cum e vestigio, qui gerebatur, nullus fuit, & nusquam apparuit; sed vocem audiit se compellantem: *Quando assiduo oras pro tuis discipulis, ut vivi, & mortui una sitis, & illi honore cæli, & beatitate juxta tecum perfruantur, videns ut longe diversa illorum, ac tua sint studia virtutum? Conare ergo illos ad sui emendationem incitare, uti se tecum exerceant, ut possim tuæ petitioni satisfacere.* Alienæ preces tum demum prosunt, cum per eas tibi non obes, sed opere adjuvas precantem.

Cornel. a Lap. c. 2. in Alter. v. 2.

VIII. S. Bernardus fere contemplationi sedendo vacavit, ut & Apostoli in Adventu Spiritus S. erant sedentes; & secundum Aristotelem: *Anima sedendo fit sapiens.*

Necessitas.

Rosw. p. 1. tr. 2. c. 2.

IX. S. Thomas Aquinas ajebat, Religiosum sine oratione, militem esse sine armis, imbellem scilicet imo nudum.

cap. 16. vit.

X. S. Thomas de Villanova dicebat, præstare orationem, quod calor naturalis in stomacho solet, nempe vitam hominis conservare, alimenta concoquere, membra vegetare, totumque hominem restaurare.

Ap. Rodr. p. 1. tr. 5. c. 14.

XI. Theodoretus refert, Monachum quemdam dixisse orationem esse medicinam universalissimam, efficacissimamque, omnibus animi affectibus perdomandis atque curandis, omnibus hostibus sternendis, omnibus denique virtutibus comparandis sufficientem, quod nimirum applicet animæ bonum infinitum, quod est Deus, atque hoc sensu orationem omnipotentem vocari, quia una cum sit, omnia potest.

S. Aug. in Ps. 85.

XII. S. Augustinus medium assignans ad cor conservandum, non putrescit, inquit, cor, si levetur ad cælum. Frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares illud ad superiora. Frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere; frumentum levares ad superiora, cor leva in cælum. Et unde, inquis, possum? qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? gradus affectus est, iter tuum voluntas tua est, amando ascendis, & orando.

Utilitas.

Drex. l. 1. Rhet. cal. c. 2. §. 4.

XIII. Cum Carolus V. Imperator Provinciam Peruanam sibi reconciliatam cuperet, nobilem illum Gascam huic officio destinavit, eique complures chartas puras, & a scripturæ vacuas, solo nomine suo notatas dedit, eo consilio, ut, quisquis privilegium aut munus peteret hoc ipso, si in charta illa scriptum fuisset, impetraret. Ita Christus fecit, dum dixit: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Drexel. c. 1.

XIV. Lucianus fingit Deum Supremum Jovem ad ingentem cæli fenestram quotidie per unam horam sedere, suique copiam facere, dicturis partibus, aut aliquid rogaturis. Quisquis autem illam horam aucupari norit, omnia impetrare; extra illam nihil. Hinc quia paucis illa nota est, paucos etiam esse, qui impetrent quod petunt.

H. S. p. 2. l. 2. n. 126.

XV. Constantius Hæreticus dicebat quondam de Religiosis Soc. Jesu: Si Jesuitæ orationi dediti sint, & a mulieribus caveant, perseveraturos ne dubita.

Drex. l. 1. Rhe. cal. c. 5.

XVI. Hebræi de cultu divino per sacrificia maxime ab ipsis peracto, decem miracula commemorant. 1. Quod, licet innumera hominum multitudo confluxerit, nullus tamen unquam se exclusum sit quæstus. 2. Quod, cum starent, se compresserint: cum vero confessionem peccatorum facerent, & in terram procumberent, quatuor cubitorum spatium nemini sit negatum. 3. Quod, licet sacri-

crificia sub dio fuerint peracta, numquam tamen ignis per pluvias fuerit extinctus. 4. Quod sacrificiorum fumus nunquam fuerit a vento impeditus, quo minus recta pergeret. 5. Quod ipsum etiam Sacerdotem summum eo die, quo sacrificandum erat, nullus unquam sinister eventus impedierit. 6. Quod in panibus propositionis nullum unquam vitium fuerit deprehensum. 7. Quod nulla fœmina, quæ uterum ferret, carnis sanctificatæ nauseam senserit. 8. Quod caro sanctificata numquam fœtoris aliquid contraxerit. 9. Quod in eo, quo victimæ mactabantur loco, nullæ unquam muscæ fuerint conspectæ. 10. Quod nemo sacrificantium a serpente aut scorpione sit læsus.

Gran. l. 3. de or. c. 11. XVII. Cum Noe columbam ex arca misisset, ut videret, num aquæ cessassent, illa primo die quidem vacua, sed octavo die cum ramo olivæ rediit; simili modo oratio e corde demissa, licet non statim prima vice exaudiatur, suo tempore tamen fructum refert, ramumque divinæ misericordiæ afferet.

Col. 9. c. 7. XVIII. Abbas Nilus apud Cassianum dixit, orationem esse campum floribus pulcherrimis refertum, juxta illud Scripturæ: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

Gen. 27. v. 27. Rho l. 3. c. 11. n. 4. XIX. Cardinalis Burbonius cum aliquando in Italiam proficisceretur, ad alpium pedem ob nives densissimas plures dies coactus est in hospitio subsistere cum omni, & quidem magno comitatu; aperta demum aliquantum via, abiturus voluit, ut erat, humanus Cardinalis hospiti loqui: Id fiebat sub mensæ finem; cum ejus eleemosynarius, gratiis de more Deo actis, consuetum etiam *Retribuere*, subjungeret. Interim Cardinalis œconomus seu moderator rogat diu quæsitum hospitem, quantum pro hospitio debeant. Ille negat, se quidquam acceptare, idque tam constanter, ut Cardinalis ratus, arcanam causam latere, hospitem ad se evocarit, qui varias initio, & officiosas causas prætexebat. Tandem cum urgeretur, sic ait: Ante annos aliquos duo PP. Cappuccini divertebant, qui altero mane discessuri conjugi meæ dixere, se pro sua symbola ei dare suum consuetum illud: *Retribuere dignare*. Et uxor quidem acquiescebat; ego vero superveniens, indignabundus eos insequor, & eis pallium aufero; vix domum attigi, cum in mania incido, instar furiis acti, nulla mali remissione. Uxor conjiciens mali causam, æquitem versus Patres illos expedit, rogatque, ut revertantur. Redeunt, ac precibus suis me restituunt mihi: ego ad eorum pedes supplex accido, ac veniam errati postulo: voveoque nunquam accipere pretium ab illo hospite, qui in domo mea ad gratiarum actionem post mensam diceret: *Retribuere*: Quod quia etiam Eleemosynarius iste fecit, voti teneor. Laudavit Cardinalis pietatem hospitis, & ejus liberalitatem acceptavit, quia ex voto erat: sed hospes nihil perdidit. Postquam enim numerum, & ætatem liberorum ejus intellexit, ac inter eos esse filium melioris ingenii ad studia nati, assignavit eidem quingenta scuta annua, & usumfructum unius e suis beneficiis, ut in collegio aleretur, pollicitus insuper ei plura præstiturum, si se habilem ad ea faceret.

Dignitas.

XX. Diogenes Oratores ter homines vocabat, quia, sicut eum, qui nec facundus, nec humanus, nec doctus est, hominem esse negamus; ita is, qui disertus, affabilis, & doctus est, ter homo merito potest vocari. *Dres. l. 8. Rhe. cal. c. 2. §. 1.*

XXI. Moyses ex Divino colloquio in monte, cum tanta claritate, & vultus sui splendore descendit, ut filii Israel faciem ejus intueri non potuerint. *Exod. 34. v. 29.*

Jucunditas.

XXII. Oratio manna quoddam est cæleste, inquit Rodriquez, quod unicuique saporem offert, & affert, quem vult, & desiderat. Quæris humilitatem? dabit tibi saporem humilitatis, exercitium quodlibet de peccatis, de morte, de Christi cruciatibus, de Resurrectione, de beneficiis Dei. Quæris, & desideras dolorem, & confusionem tui? Patientiam, mansuetudinem? dabunt affatim ea, quæ diximus. *P. 1. tr. 5. c. 14.*

XXIII. Jonathas olim dicebat: Paululum gustavi mellis, & ecce morior: sed qui orationis dulcedinem fructumque degustat, rectius dicit: Paululum gustavi mellis in oratione, & ecce vivo, idest, totus resurgo, & alium hominem induo. *L. 1. Reg. 14. v. 43.*

XXIV. Favus melis, verba composita, inquit Salomon, dulcedo animæ, sanitas ossium, quæ autem verba magis composita existere possunt; quam quæ ab ipso Spiritu S. dictata, & ab Ecclesia approbata sunt. *Prov. 16. v. 24.*

XXV. Orationi recte applicari potest illud Siracidis: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini. Spirtus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum. *Eccl. 24. v. 26.*

XXVI. Oranti evenit, quod olim Ezechieli evenisse S. Scriptura testatur, dum volumen oblatum est, quod, ubi comedit, factum est in ore ejus, sicut mel dulce; Idem enim operantur doctrinæ cælitus in oratione haustæ. *Ezech. 3. v. 1.*

Meditatio.

XXVII. Gerson quæsitus, quodnam exercitium fructuosius censeret Religioso? Optimum sibi videri meditationem respondit, eo quod fructus ex lectione aut oratione vocali haustus plerumque cum illis impressus, etiam in futurum serviat. *Part. 2. Alph. 14.*

XXVIII. S. Scriptura dicit, splendorem, qui in facie Moysis post congressum cum Deo apparuit, fuisse cornu similem, in quo robur animalium solet consistere, ad significandum egrediendum esse ab oratione cum robore, & fortitudine ad laborandum. *Exod. 34. v. 29.*

XXIX. Eadem S. Scriptura testatur, Patriarcham Josephum fratres suos duriuscule quidem allocutum esse, jussisse tamen interea, œconomum saccos ipsorum frumento, & pecuniis impleri; ita facere solet & Deus, dum durius *Gen. 42. v. 25.*

quidem in meditatione per ariditatem suos filios habet; sed tamen interea mentem cælestibus donis replet.

In itiner. perf. c. 18. XXX. S. Theresia dixit, neminem quantumvis perditum meditationis exercitium, si a Deo ad id excitetur, negligere debere, eo quod ipsa omnium virtutum comparandarum principium, & omnium Christianorum vita in ea sit sita.

§. XV. AXIOMATA.

I. QUi nescit orare, adeat mare,
II. Qui nescit tribulari, nescit precari.
III. Non clamor, sed amor clangit in aure Dei.
IV. Carius est multo precibus quodcumque paratur,
Quam quod opes, & quod copia larga parant.
Multo constat, quod precibus emptum.
V. Preces Principum armatæ sunt: Cogit rogando, qui rogat potentior.
VI. Recte novit vivere, qui recte novit orare.

§. XVI. AUTHORES.

I. Alphonsus Rodriquez p. 1. tr. 5.
II. Jacobus Alvarez tom. 3.
III. Eusebius Nierembergius de adoratione in spiritu, & veritate.
IV. Theophilus Bernardinus lib. 6. toto.
V. Joannes Busæus in Viridiario, V. oratio.
VI. Jeremias Drexelius in Rhetorica cælesti. Item in Rosis Marianis part. 1. cap. 9.
VII. Bernardinus Rosignolius lib. 4. de discipl. a c. 1. usque ad 23.
VIII. Nicolaus Lancizius opusc. 6. 7, & 11.
IX. Ignatius Balsamon tract. de modo recte orandi.
X. Ludovicus Granatensis de oratione, & Meditatione lib. tres.
XI. Petrus Sanchez in Regno Dei pag. 7. c. 3.
XII. Franciscus Arias tom. 2. tr. 7.
XIII. Josephus Mansi Biblioth. moral. tract. 58.

TITULUS CVIII.

ORBIS.

PROŒMIUM.

ETsi S. David Propheta, dum in Psalmo octavo opera Dei consideravit, merito exclamavit: Domine Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in universa terra! ea tamen est hominum, non laudanda sane consuetudo, ut, quæ communia sunt, & quotidie oculis objiciuntur, minus plerumque æstimare, & admirari soleant. Quare cum tantopere necessario sit cuivis Homini Dei velut Conditoris, & supremi finis cognitio & æstimatio (ex his enim ipse amor, in quo consistit perfectio hominis, oriri solet) merito sperari potest non modicum ad dictam Dei æstimationem ingenerandam proficuum fore, si ea præcipue, quæ rarius in Orbe occurrunt, & in admirationem homines plerumque rapiunt, breviter restrantur; hæc enim si ad Deum æstimandum non sufficiant, merito de talibus Personis sequentia Salomonis Sap. 13. verba pronunciari possunt: Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque intendentes operibus agnoverunt, quis esset Artifex. Unde paulo post subdit: Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, sciant, quanto his Dominator eorum speciosior est; speciei enim Generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis; a magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Qualis quidem conjectura, & illatio specialiter ex his, quæ in Orbe admiranda occurrunt, relatis merito sperari potest. Non ignoro equidem, plures hac de re Authores eruditos commentarios reliquisse, uti Simonem Maiolum in canicularibus diebus, S. Joannem Nierembergium & alios; verum quia hi libri grandiores sunt quam ut emere eosdem, aut perlegere Lectori lubeat, ideo potiora, quæ libris illis admiranda enarrantur, placuit in breve compendium redacta proponere, ut vel ipsa brevitate Lector alliciatur ad materiam hanc non sine speciali fructu, gustuque, ut spero, perlegendum.

§. I. DE MORIBUS GENTIUM.

I. ÆGyptii ventum mortuorum eximunt, ut omnium peccatorum causam: Onera capitibus ferre virorum est, humeris fœminarum, fœminæ stantes urinam egerunt, viri sedentes. Suillum pecus adeo detestantur, ut subulcis omnia templa interdicta sint. Et si quis porcum attigerit, cum omnibus indumentis in flumine abluctur. Decedente aliquo mulieribus familia caput, ac vultum sibi luto deformat, excurrit deinde, & per urbem plangit,

viri

viri nudatis pectoribus se converberant. Apud eos Amasis Regis edicto unusquisque cogebatur singulis annis destinato magistratui indicare, quo se artificio alat, omittentibus pœna capitis erat decreta.

II. Apud Arabes consanguinei omnia habent communia; Maximus tamen ætate præcedit cæteros. Una omnibus uxor, ad quam ingressurus baculum (quem semper portant) ante fores deponit, ne alius ingrediatur.

III. Assyrii ægrotos in viis proponebant, & exquirebant a prætereuntibus, illis dare remedium.

IV. Apud Babylonios ubi Virgines factæ sunt nubiles, omnes in unum locum congregantur, & circumsistenti virorum frequentiæ a præcone sigillatim secundum ordinem formæ venduntur.

V. Bactriani senio vel morbo confectos canibus devorandos objiciunt, ad hoc de industria enutritis, quos sepulchrales vocant.

VI. Carmani percussa faciei vena perfluentem inde sanguinem vino permiscent, propinantque, amicitiæ finem statuentes, sanguinem gustasse mutuum: Nemini apud eos licebat uxorem ducere, nisi prius caput occisi hostis ad Regem detulisset.

VII. Caspii Parentes inclusos fame necant, cum annum 70. ætatis excesserunt.

VIII. Catti Germaniæ populi Virgines nubiles in publicum producunt, & accurrente juvenum multitudine dant optionem eligendi virum, quem velint.

IX. Apud Crestones populos singuli plures habent uxores; cum autem vir moritur, oritur certamen inter illas, quæ ardentius amavit viventem? in quo quæ vicerit, ad mortui tumulum exornata ducitur, & a propinquis mactata cum viro humatur.

X. Galli antiqui liberos ad conspectum suum prius venire non patiebantur, quam per ætatem adolevissent, & militantibus periculis subeundis essent idonei.

XI. Nullum absque Philosopho faciebat sacrificium; quia censebant per divinæ naturæ conscios sacra fieri oportere, tanquam Diis propinquiores; horum intercessione bona a Diis judicabant petenda, quorum consilio in pace, & bello uterentur.

XII. Gymnosophistæ nudi degebant in sylvis, ab ortu ad occasum perstabant intuentes solem immobilibus oculis; ferventibus arenis toto die alternis pedibus insistebant. Apud eos omnes adolescentes ex diversis locis conveniebant ad cibum; tum magistri interrogabant, quid frugi ab ortu ad illud tempus effecissent? Qui nihil haberent, quod offerrent, impransi foras ad opus trudebantur.

XIII. Indi festum agunt diem, si a Rege capilli abluuntur. Expectatam mortem pro dedecore vitæ habent, nec ullus corporibus honos redditur, quem senectus solvit. Filii senio confectos Patres interficiunt, & eorum carnibus vescuntur, nullum animantem occidunt.

XIV. Lacedæmonii furandi usum impune concedebant, quod furandi solertia acueret animos adolescentium, & insidiarum astus, & vigilandi tolerantiam, & obrependi celeritatem; atque adeo pro bello aptos redderet. Solebant liberorum suorum indolem publice experiri, verberibus admotis, illosque hortari, ut flagellorum ictus fortiter perferrent, & vulnera præberent vulneribus. Quoscumque plectebant, noctu puniebant. Quilibet Patri in suo artificio succedebat. Ante bellum amori sacrificabant, quod is unus victoriam pariat; aut musis, ut facinora in bello patrata prædicarent.

XV. Apud Persas Regi ebrietas semel in anno permittitur. Homines amant adunco naso, quod ejusmodi fuisse Cyrum Regem prodant annales. Ministranti famulo nec hiscere, nec spuere, nec loqui licet.

XVI. Phigalii adeo gaudent, ut non alibi, quam in cauponis habitent, hospitibus domos elocantes cum uxoribus.

XVII. Sabæi corpora defunctorum non pluris faciunt, quam stercora, hinc ipsos etiam Reges in sterquilinia abjiciunt.

XVIII. In Monomotapæ Regno & Aola, si Rex bibit, tussit, sternutat, qui adsunt, ingenti clamore proferunt verba, quibus ipsi bene precantur, idem præstant, qui foris sunt, auditis prioribus sequuntur reliqui in tota civitate. Nemo ad hunc Regem accedere audet, nisi calceis detractis.

XIX. Scoti ætate S. Hier. vescebantur humanis carnibus, & licet per sylvas invenirent armentorum & porcorum greges, tamen pastorum nates, & fœminarum papillas abscindere solebant, & has solas pro deliciis arbitrari.

XX. Tibareni populi Scythiæ in Asia, quos amant, senio confectos suspendunt in patibulis. Si quando mulieres pepererint, viri velut ægritudine simulata in lectulis decumbunt, ut puerperæ, his jacentibus ministrant uxores.

XXI. Tonemphoræ canem habent pro Rege, motu ejus Imperia augurantes.

XXII. Æthiopes Reges suos ita honorant, ut si eorum aliquis unoculus sit aut alio membro careat, turpe judicent, si non omnes consanguinei, & domestici eodem careant; sed & iniquum putent, Rege mortuo supervivere.

XXIII. Ægyptiorum Regi nullus famulus aut alia res secundum voluntatem conceditur, imo ipse se fœlicem judicat ex eo, quod non secundum voluntatem suam, sed secundum solam legem vivere possit. Unde præscribitur ipsi, quomodo ire, stare, lavare, cum uxore cohabitare, quid & quantum comedere debeat, &c. Hoc modo mire conciliant sibi animos subditorum, ut hi eo mortuo 72. diebus nullas nuptias peragant, & in civitate quotidie 200. vel 300. discurrant, luctum testantes, & Reges laudes cantantes.

XXIV. Troglodytæ inter se acriter certantes, si anus adveniat, pacem præcipiens, mox obediunt. Pro grandi piaculo habent, si quis vivere cupiat, qui vita nihil præstare potest, & nonnisi in aliis oneri est; Et pariter judicant malum, si quis talem hominem patienter videat, nec omnino occidat.

§. II. DE QUADRUPEDIBUS.

In his plura occurrunt admiratione dignissima, quarum aliquæ placet degustare.

XXV. In Suecia sylvestres asini sunt tantæ proceritatis, ut summo dorso æquent mentu-

ram

ram hominis porrecti in brachia elata. In Scythia cornibus præditi nascuntur. Terra Indica gignit asinos cornutos, e quorum cornibus si fiant pocula, venenum nihil nocet. Est autem his asinis peculiaris forma; nam unicornis est, solipes, est præterea sylvestris, velox, audax, pugnax, equi magnitudine, purporeo capite, reliquo tamen corpore albus, nigris oculis, & uno cornu in fronte præditus, cujus superior pars punicea, inferior alba, media nigra est. In Urbe Memphi sunt gradarii asini, tam apti ad equitandum, ac optimi equi. Maurisii asini tam celeriter currunt, ut volare videantur; fessi tamen adeo immobiles fiunt, ut præ pedum dolore lacrymentur, oporteatque eos equis alligari, ut trahantur potius, quam incedant. Ita Majolus col. 7. Saphronius narrat, quosdam Anachoretas habuisse asinum, quem illi sternentes miserunt ad hortum cum his verbis: Vade in hortum, & affer olera; quibus auditis, ille mox ad hortum solus perrexit, ibique capite januam pulsavit, oneratusque domum reversus est. Albertus Magnus tradit, se expertum esse, si ex ea parte corii asinini, qua ille onera portavit, fiant calcei, numquam eos consumi, etiamsi scabris lapidibus iter peragatur.

XXVI. Apud Saxones mons Regius est, in quo reperiunt Bisontes (*Buffi*) intra quorum cornua tres viri sedere possunt, in cujus pelle 15. viri cubare queunt; cornibus equum cum sessore in altum jactant; lingua vero hominem ad se trahunt. Majol. col. 7.

XXVII. Boves in India reperiuntur exigui quidem, sed præter oneris ferendi industriam, etiam sub fræno currere, & equitare dociles, equorum gradariorum more. Ælianus scribit apud Indos esse boves hircis non majores, qui conjugati velocissime cursum conficiunt perinde, ac Getici equi: Alii reperiuntur, quorum cornua usque ad caudam se porrigunt. Alii cornua in humeris habentes, alii gibbosi sunt ad onera ferenda, & quandoque elephantis majores. In India Orientali, Provincia Magni, boves reperiuntur sylvestres criniti prolixiore juba, quæ ad pedes usque protenditur; cauda quoque est illis, quam equis elegantior: cornua vero tam magna, ut non tantum extendant se ab occipite usque ad caudam, sed etiam Incolæ pro amphoris utantur. In India sæpe unicornes, aut tricornes reperiuntur, solidisque ungulis. Apud Misios omnino carent cornibus; Ælianus scribit, Erythræos boves cornua mobilia habere, ut auriculas. Majolus ib.

XXVIII. Plinius dicit, in Canariis Insulis canes esse miræ magnitudinis: & in Regno Thebeto asini magnitudine adversus feras omnes dimicare. Unde Incolæ eos domi familiarius alitos subire jugum, & trahas vehere docent, cujusmodi boves trahere solent. Imo Ælianus l. 4. c. 18. docet, eos contra leonem pugnare, & si leo victus fuerit, tam mordaciter eum retinere, ut etiamsi ense eorum crura abscindantur, non tamen eum dimittant, nisi tandem moriantur, Garamantum Regum canes ducenti ab exilio reduxere præliantes contra resistentes. Rhodiensium militum canes ita educati fuerunt, ut cum noctu vagarentur, Turcas a Christianis solo odore ita discreverint, ut illos latratibus & morsibus impeterent, his blandirentur. Alii in conflictum hostium se immiscuerunt, eosque morsibus graviter læserunt, quin, & captivos Indos commendatos tanta solertia asservarunt, ut si qui aufugissent, eos etiam multitudini admixtos internoscerent, & retraherent; quod si vero noctu aufugissent, tametsi jam ad multa millia dilapsos nutu dominorum, odore insequentes invenerunt, deotibusque abreptos dextera fortissime retenta ad reditum compulerunt, reluctantes discerpseront, unde in catalogum militum conscripti, dupliciqoe stipendio sunt donati. Quidam ita erat assuefactus, ut lumen in mensa stabili vestigio prioribus pedibus tenuerit, donec epulæ perdurarent. Canes cœcorum Romæ loco ligati, dominos ad omnes Ecclesias, ad omnes Principum civiumque domos, eleemosynæ petendæ gratia ducunt; norunt enim, quo veniendum sit, ibique subsistunt. Majol. ib.

XXIX. Capræ Lybicæ ad equorum magnitudinem accedunt, cornua pectori appensa habent. Aliæ enim in cruribus cornua gerunt; aliæ sex mensibus non bibunt, sed tantum mare intuentur hiantes, aurasque excipiunt. Plinius scribit, lib. 8. cap. 50. cum duæ capræ in ponte tenui, qui utramque non caperet, sibi occurrissent, earum alteram se prostravisse super pontem, ut altera super ipsam transiret.

XXX. Cervi Aquilonares aliqui sunt, quibus triplex cornu est, quorum unum ad 15. ramos propagatur, collo crinito equorum more, pedibus fisis. In novo Orbe in regione Chicorariotum adeo cicures sunt, ut educantur & reducantur ad pascua gregatim, sicut apud nos capræ & oves. Ptolomæus secundus cervi hinnulum munere accepit, qui linguæ Græcæ innutritus sic ad eum sermonem assuefactus est, ut loquentes intelligeret. Majolus l. c. Æliano, Olao teste, jugum ferunt, & bini currum trahunt per amplissimas nives & glacies.

XXXI. Crocodilus quidam repertus est 26. cubitorum longus: alii capita tam ingentia habuerunt, ut hiatu vaccam commode glutiissent.

XXXII. Elephas arandi, veheodi & pugnandi artem addiscit, lapides ad certum scopum jacit, & optime natare discit, uti & scribere & intelligere suo modo. Imo quandoque etiam funambuli officium exercere, uti Neronis tempore contigit. Tempore Germanici sex elephantes mares virili vestitu induti, & totidem fœminæ muliebri stola ornatæ decore epulis accubuerunt, ac in mensam promuscides tanquam manus porrexerunt, & summa modestia epulati sunt: Quandoque excrescunt in altitudinem 15. pedum, Majolus l. c.

XXXIII. In Sarmatia sunt equi, qui per centena millia, & 50. passuum continuo cursu currunt. In Arabia diem & noctem integrum assiduo cursu currunt. Probo Imperatori equus fuit, qui 100. milliaria singulis diebus currere posset, & decem diebus perseverare. Cæsar equum habebat, qui anteriores pedes humanos habebat, nec alium dorso accepit. Franc. Alv.

Alv. memorat Pretojanni Principi ex Ægipto missos 30. equos elephantorum magnitudine. In Balaxia Urbe Persidis adeo validis sunt unguibus, ut soleis ferreis numquam egeant. In Corsica Insula sunt equi ovibus paulo majores. Bucephalus Alex. M. 16. talentis emptus est. Scytharum Rex equam habuit generosam, ad quam admissus pullus ejus, ut ex illo reciperet, recusavit. Postea vero velata matre admissus, ut vidit & agnovit matrem, aufugit, & se præcipitem dedit; sed & ipsa mater ob incestum exhorruit. Aristoteles scribit, in Syria ex agrestibus equis unum armento præesse, nec pati, ut juniores fœminas conscendant, sed corrigere, & tam diu delinquentem insectari, donec armentum in terram flexum ore exscindens pudenda, castraverit.

XXXIV. Ælianus scribit, Maurisios leones uno eodemque tecto cum pueris ali; ex eodem fonte cum hominibus bibere, & si domum alicujus ingrediantur, ut canes foras propelli; imo solis verbis a mulieribus abigi, maxime similibus: Non te pudet, quod cum sis animalium rex, ad hoc tuguriolum divertas, & quem decebat animalia venerari, misericordiam muliebrem canum more exquirere? Idem memorat in exercitu Jubæ Mauri adolescentem venando leonem levi ictu percussisse; post annum vero in reditu exercitus per eadem loca exercitum penetrasse, neminem prorsus lædentem, nisi illum adolescentem, quem discerpsit, nullo valente auxilium afferre.

XXXV. Juxta Urbem Belsa Orientalis Indiæ vulpes reperitur, quæ toto ore ac collo, atque anterioribus pedibus vulpes est, posteriores pedes vero anserinos habet: hæc mittitur in mare fune collo alligato, venatur ore pisces, captosque in cymbam littusve ad dominum, cui servit, defert. In Caspia vulpes ingrediuntur civitatem, & adulantur hominibus in ædibus, ut canes. Apud Tartaros nigræ, in Borealibus regionibus albæ, & rufæ cum cruce in dorso reperiuntur. Isidorus scribit ex equa aliquando vulpem natam.

XXXVI. In Prasiis Indis simiæ habent comam ac barbam, caudamque leoninæ similem, capite & extrema cauda flavæ sunt, reliquo corpore albæ, accedunt ad suburbium Latageæ Urbis, & oryzam coctam a Rege abjectam quotidie accipiunt. Tanta autem est earum copia, ut Alex. M. putaverit, ingentem exercitum sibi obviare, nam erecto corpore steterant. Ælianus scribit, quamdam ita instructam fuisse, ut aurigæ fungeretur officio. Marcus Polus narrat, se vidisse apud Tartaros ursos prægrandes albos, ac 20. ulnis longiores. Alb. M. addit, observari, hos albos ursos aquis mergi incolumes, ac in imo maris pisces venari. Saxo Grammaticus memorat, in agro Suecico ursum virginem rapuisse, & in specum, quæ inviis paludibus perplexa ramorum serie tegebatur, omnibus incognitum locum protraxisse, reddidisse prægnantem; peperisse puerum, cui nomen Ulno fuit, qui perinsignis instruendis fraudibus fuit. Diu virgo in eo loco diluit, ossi præda victitans, ac tandem casu a vicinis specu inventa est, & in eadem ursus, mater & proles.

XXXVII. In Cyrenaica Regione sunt mures erinaceorum genere, pungentibus pilis. Ælianus ait, alios leporum similitudinem gerere. Olaus tradit, mures in saccaro alitos effectos albos, postea vero, quando cessavit saccari alimonia, pristinam nigredinem repetiisse. Aristoteles testatur, mures erectos ire, quasi bipedes, eo quod postrema crura prælonga, anteriora brevia habeant. Alber. M. ait, in India esse mures magnitudine vulpibus pares. Amyntas scribit, in Caspiis montibus murium maximam esse multitudinem, eosque intrepide fluvios præcipites tranare; caudas enim inter se mordicus tenentes transmutant flumina.

XXXVIII. Cameli dicuntur in 15. usque diem perferre sitim. Intra unum diem 100000. passuum absolvere possunt ambulando. Leonius scribit, eos doceri choreas ducere hoc modo. Includitur junior camelus in loco, ubi pavimentum præcalidum sit, ut urgente calore, alternatim pedes attollere cogatur, interea semper ad fores tympanum a ductore pulsatur; unde fit, ut habitu contracto, quoties dein tympanum pulsatur, similes saltus peragat.

XXXIX. Josephus Anchieta scribit, in Brasilia animal compertum esse Echino persimile, cujus setæ prælongæ, ac perduræ sunt, colore pallido, sed aculeatæ, somma cuspide nigræ, quæ cuspis etiam ab animantis divulsa cote, si alicui rei admoveatur, sponte eam penetrat, nemine urgente, ita ut unica nocte crassissimum corium perinde ac acus perforarit; unde mulieribus ad aures perforandas in usu est.

XL. Aloysius Almeida narrat in Regno Gotho, extare silvam, in qua reperiatur animal canis magnitudine, auribus brevibus, aureo colore, præmolli villo; hoc cum senuerit, sponte mare ingredi, & paulatim in piscem mutari; Id compertum ex eo, quod aliquando captus sit ejusmodi piscis, cujus una pars adhuc manebat quadrupedis, altera squammis & pinis formata apparebat.

XLI. In Lybia animal est, cui nomen Numerus; hoc venatu vivit, & prædam semper in undecim partes dividit, decem comedens, undecimam relinquens. Hermes Trismegistus narrat in Ægypto quadrupedem fuisse duodecies paribus omnino intervallis emittentem urinam, unde observatum horologii vicem animal præstetulisse, ideoque per horas duodecim tunc diem dividi cœpisse, conjicit Trismegistus.

§. III. DE AVIBUS.

XLII. Tiberio Principe corvus sutoris ita sermoni assuefactus erat, ut omni matutino tempore evolans in rostra in forum, versus Tiberium, deinde Germanicum & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Rom. salutaret, postea ad tabernam remearet. Majolus coll. 6.

XLIII. Cœlios Rhodiginus narrat, Cardinalem Ascanium psyttacum habuisse, qui perpetua serie recitaverit symbolum fidei latino idiomate, nullo penitus arrore admisso.

XLIV.

XLIV. Anthus avis si herbis pascatur, & equi adveniant, ipsa avolat fugiens, sed ipsorum hinnitum apertissime imitatur, atque injuriam accepti pabuli quasi derisione ulciscitur.

XLV. Taurus avis in Arelatensi agro boum mugitum aperte imitari dicitur, uti & alia, cui nomen alina, asinorum rugitum voce sua imitatur.

XLVI. In Traprobana Insula ita edocentur aves, ut pueros in aera evehant, incolumesque in terram destituant. In eodem mari nautæ avibus pro magnete ad orbis partes indicandas utuntur. In Norvegia autem horologii vicem supplent, cum toties tribus mensibus sol semper videatur, neque crepuscula dignosci possint; Cornices enim interdiu conticescunt, deinde canentes assuetos solis occasus indicant.

XLVII. In ipso Ægypti Heracleotico ostio hirundines evaganti Nilo continuatione, nidorum molem inexpugnabilem opponunt stadii fere unius spatio, quod humano opere perfici non posset, atque ita omnem humanam Regum potentiam superant.

XLVIII. In Orientali India arbores sunt super ripas maris, de quibus aves procreantur rostris infixis, arboribus dependentes; tempore vero maturitatis ex arboribus decidunt, ac per incrementa proficientes, sicut cæteræ aves volare incipiunt; verumtamen nisi decidentes cito aquas invenerint, vivere non possunt, quoniam in aquis est nutrimentum earum.

XLIX. In India Orientali dicuntur arbores esse, cujus folia etiam a trunco separata animata sint, & moveantur, sed non ultra octavum diem ob defectum alimenti. Olaus quoque scribit, ad Orchades Insulas arborem esse, cujus fructus si in mare decidant, tempore anates fiant, sensimque crescentibus alis evolent in silvas.

L. Phirarchus scribit puerum aquilam educasse, mutuoque adeo se amasse, ut, cum puer ægrotaret, ipsa assiduo assideret, ipso non edente, cibum non caperent, ipso cremato, & ipsa in rogum avolaret. In unico aquilæ nido compertæ sunt reliquiæ 300. anatum, 100. anserum, leporum 40. & piscium innumerabilium.

LI. In saltu Hireiniæ aves nascuntur, quarum pennæ in tenebris fulgent, ut Incolis peregrinantibus viam moderentur.

LII. In Urbe Quetinsu Magni Cam gallinæ nascuntur, quæ pilis perinde ut feles nostrates teguntur.

LIII. Ælianus narrat, in Æthiopia Unicornes aves reperiri. Inter Moluccas Messana Insula est, in qua ejusmodi cornutæ aves ova sua in terra tecondunt, & inde opportuno tempore pulli prodeunt.

LIV. In ipsa Africæ Ora avicula est (Monocadiata, seu Paradisiaca ab Incolis nominata, quod ipsam in Paradiso Filius Dei proprio nasci crederent) corporis magnitudine, & pennæ forma Coturnici similis, pennarum ambitu discolore, sed venusto admodum ac decoro exornata, pedes nullos habens; pennæ ejus, quæ alas & caudam constituunt, in orbem extenduntur; immobiles plane velut radii rotæ infixi sponte sustinentur, neque unquam in terris videtur. Masculi tergum ex parte depressum & inflexum est, adeo ut sinum quemdam & foveam efformet, in qua fœmina (quæ ventrem cavum habet) ova deponit, & excludit, ex dorso maris duo nigra fila cornuum more extensa, & sutorio filo similia procedunt, ut fœmina mari firmius alligetur. Cibus eis solidior nullus, hinc mane nihil reperitur, sed totus venter pinguedine tantum repletus conspicitur. Ita Majolus, qui ait, se talem avem bis vidisse, & in manibus habuisse. Addit insuper, si fœminam dormire velit, a mare excipi dorso, & vicissim hunc a fœmina.

LV. Caprimulgus avis capvarum ubera sugit, & in summam earum perniciem; Inde enim vel excæcatur capra, vel certe debilitatur.

LVI. Vespertiliones (uti & vultures) non procreant ova, sed omnes sunt fœminæ, ventoque prægnantur, & pullos procreant, qui statim a partu sunt volatiles: uberibus & lacte eos nutriunt, & amplectendo deferunt. In Insula Messana sunt aquilis majores, & in cibum suavem homini parantur.

LVII. Regulus seu Trochilus, si pennis nudatus veru infigatur parvo, se ipsum in igne rotat, & assat, uti Alb. M. se expertum testatur.

LVIII. Nisus avis rapax raptam vespere aviculam intra pedum articulos nocte tota retinet illæsam, ut frigescentes articuli calefiant: mane autem accepti beneficii memor eam dimittit. Alb. M.

LIX. In Brasilia avis quædam est non minor corvo, cujus alæ simul repercussæ tantum fragorem emittunt, ut multarum arborum casum imitentur. Apud Corpios avis est, quæ supine volat, extensis cruribus, & collo suppositis, simulque catelli vocem emittit.

LX. Apud Indos avis est nomine Muscatulus, magnitudine humanum pollicem non excedens, rostrum mulieris acu majus non est, pedes quasi exigua scriptoris linea, tota avis cum nido ponderata 24. grana non excessit, miræ velocitatis est, ad oidum accedentibus statim iosistit, atque oculos primum petit, ac fugit.

LXI. Diacron avis est perdicis ovo non major, de cujus stercore si quis tantum, quanta milii est magnitudo, sumat solutum in poculo, moritur ad vesperam, sed morte suavissima, & somno simillima. Ipsius autem ejus liberator est doloris, & jucundissimus edentibus; unde Reges eam inter thesauros retinent.

LXII. Ælianus memorat, Tarentinam mulierem, nomine Heracleidem, ciconiam de alto lapsam & crure fracto afflictam curasse, & dimisisse, post annum vero redeuntibus ciconiis, cum ipsa solem vernum staret, ciconiam quamdam leniter demissam lapidem quemdam in sinum evomuisse ac avolasse, qui lapis noctu totam domum illustravit.

LXIII. In Brasilia avis quædam est, quæ numquam nido exit, sed ad eam, velut ad Regem, aliæ aves rapaces cibus deferunt.

Ibi-

Ibidem aviculæ quædam passeribus similes nidum 200. vel 300. sufficientem communi labore ædificant, miraque arte contexunt, velut amplam domum, in qua quævis sibi cellulam conficit, in quam ova deponat, & excludat; si grandior avis accesserit, tanto impetu arumpunt omnes simul, ut illa defessa aculeatis morsibus recedere cogatur.

LXIV. Albertus M. memorat, inventos esse anseres bicorporeos, solo dorso connexos, & utrumque propriis pedibus gradiendo, alterum dorso detulisse alterna delatione, anser aliquis in eadem domo 60. annis vixisse dicitur.

LXV. In Sinarum Regionibus aves tam grandes sunt, ut quamvis magnam quadrupedem attollant. Marcus Poluanarrat, avem, Ruch nomine, tam grandem esse, ut expansis alis 16. passus in latum tendatur. Magno Cham allata est penna ad 40. palmas longa, crassa ad ulnas duas. Unde hæc avis etiam elephantem raptum ad terram allidit, & devorat.

LXVI. In Balearibus Insulis reperitur avis, Aurifrigium dicta, quæ uno pede anserino, altero aquilino constat, rapto vivit ex terra & mari, solo morsu bibit, omnem cibum aqua tingit, & deinde rostro veluti manu ori applicat.

LXVII. Solinus memorat in Bœotia perdices certas in aere metas habere, ultra quas non transeant. Odericus memorat, in Trapezunte perdices congregatim hominem ductorem sequi, cum ipse quiescere, cum ipso progredi, & sic in Regiam duci, iterumque reduci, dimissis, quæ videbantur, ad usum Regis necessariæ.

§. IV. DE PISCIBUS.

LXVIII. Crassus Romanus Muranam habebat, quæ inauribus, & gemmis distincto monili ornata appellantis Crassi vocem agnoscebat, atque ad eum adnatabat, & si quid ei porrigebat, gaudio exiliens prompte accipiebat, Majol. coli. 9.

LXIX. Olaus memorat, se oculis spectasse, pulsante quodam cytharam & canente, plures delphines adnatasse, & ad horæ intervallum immobiles auscultasse. Plinius nagrat, Augusto regnante, delphinum quemdam e Bajono Pateolos in ludum litterarium deportasse, quoties puer eum vocabat, & pastum præbebat, iterumque reportasse, idque tam diu, donec puer post plures annos morbo extinctus est, tum enim & ipse non inveniens puerum in loco consueto præ desiderio expiravit.

LXX. Juxta Hispaniolæ littora compertus est pisciculus, non multo longior hominis ulna; hunc a parvulo domi marinis aquis oppleto vase alunt incolæ, fitque adeo cicur, ut palpari gaudeat. Subinde vero certo tempore funiculis retis modo obvolvitur, & dein prælongo fune alligatus perinde ac cania huc illuc vagatur, & obvium quemque piscem licet maximum aggressus latera primum morsum vellicat, neque prius prædam deserit, quam fune uterque in littus aut navigium attrahatur. Alius juxta Insulam Cubam cartilaginem tenuem gerit capite marsupii modo, quam obviis piscibus jactat in caput, & sic captam prædam ad dominum adducit.

LXXI. Fasten piscis est, in cujus ore marina aqua efficitur dulcis, unde dulcedine tali allecti pisces in os innatant, & ab eo degluttuntur.

LXXII. In Arotan insula Zeila piscis est, qui actu capi se permittit, verum capiens mox febri arripitur, nec desinit morbus, donec piscis dimittatur.

LXXIII. Olaus tradit, in Novergiæ Oceano marina quædam monstra esse, quibus sit humana facies simul cum Monachorum cuculli quadam similitudine, horum aliquid si a piscatoribus in cymbam trahatur, mox omnium, qui in navigio sunt, manus obstupescere; & præterea ingentem reliquorum ejus formæ piscium adnatantium fremitum edi, nec quiescere, donec captivus dimittatur.

LXXIV. Anno Domini 1043. capta in Holandiæ lacu marina mulier fuit, eo e mari dejecta, in Harlemum Urbem delata vestiri se passa est, & pane lacteque nutriri, didicit quoque fila ducere, & obsequi rebus multis muliebri more, imo & Christo crucifixo genua flectere, docilia ad omnia, quæ mandaret Patrona. Numquam tamen locuta est, licet multos ibi annos vixerit. In Baltico mari anno 1531. captus est vir marinus, qui Episcopum Infulis ornatum corporia habitu penitus exprimebat, dono datus Sigismundo Poloniæ Regis triduo tantum vixit.

LXXV. Ælianus memorat, piscem esse (Lunam vocant) qui cum pinnas suas molles & lenes in natando explicat, ad similitudinem lunæ semicirculum efficit. Idem piscia luna plena impletur, & hac deficiente deficit, imo etiam arbores vel puteos, si ipsis applicetur, crescere, vel descrescere simili modo facit.

LXXVI. Circa Africæ littora tanta copia pisces volant, ut procul conspicientibus insula quædam videatur.

LXXVII. Plinius memorat Hippotamum equino dorso, juba, & hinnitu, rostro resupino, ungulis bifidis, aprinis dentibus, cauda tortuosa præditum, M. Scauro allatum Romam esse. Hunc nimis saturatum acuto arundinum stipite se ipsum vulnerare, ac venam profluvio sanguini relevare; & rursum plagam limo obducere. Ii, qui novum orbem perlustrarunt, tradunt in Aquilonari plaga, & maxime Franciæ littoribus innumeros esse equos compertos, qui aqua terraque vitam agant.

LXXVIII. Piscis Parasitus, quæ delphinus cepit, devorat; itaque ex ejus tamquam ex mensa locuplete pinguescit, eo nimirum Delphinus tantopere delectatur, ut cum ipso libenter prædam dividat. Ælianus,

LXXIX. Margaritiferæ Conchæ simul gregatim, ut apes, natant, Regemque forma & magnitudine præstantem habent, quo tamen capto, loco se non movent, sed facile capiuntur.

LXXX. Albertus M. narrat se vidisse piscem, Spartam nomine, qui mucronem in capite prælongum gerat, utrinque dentatum feræ modo ad pedes quatuor porrectum; ut binis boum jugis non trahatur.

LXXXI.

LXXXI. Plinius ait, in summa maria piscem ascendere, Lucernam nomine, cujus lingua ignea per os exerta tranquillis noctibus lucet; attollit mari sesquipedanea fere cornua. Sed & in ipso Norvegiæ mari ingentis magnitudinis pisces conspiciuntur, quorum oculi procul ardentes igneis crediti sunt a piscatoribus.

LXXXII. Nautibus piscis Concha unica præditus, cum ex ima maris sede ad summam aquam effertur, invertit & mutat Concham dorsum versus, ne hausta aqua demergatur, ubi ad summum æquoris pervenit, quiescente mari Concham supremam vertit, ac quasi scapha utitur; brachiis enim duobus io utrumque latus remigat, sed si flet ventus, brachia quibus prius, ut remis, utebatur, constituit gubernacula, cætera brachia leviora in remigando exercens, inter quæ est membrana pertenuis, qua extensa pro velo utitur. Si instet a belluis periculum, Concham aqua complet, & simul ex pondere in imum fertur, donec supernatandum sit.

LXXXIII. Olaus memorat, maritimos quosdam pisces adeo ingentis molis esse, ut in littus abjectis exesis carnibus & ossibus mundatis, subeant vices amplæ domus confectis fenestris, & portis, cubiculis dispositis, imo etiam stabulis pro brutis, qui tamen sub hoc tecto dormiunt, perpetuo somniant, se procellis jactari, & naufragium imminere. Albertus M. memorat, se piscem vidisse, cujus oculorum cavitas 20. hominum capax fuisset. Addunt alii in sinu Orotigna compertum piscem, cujus capitis amplitudo in altum fuerit pedes 15. latitudine longe majori, reliquo corpore ultra 30. Ejus pinnas fuisse grandes, ut ingens dolium. Alium item visum, cujus caput erectum cum duabus anterioribus pionis altitudinem malorum navium superarit, licet reliqua membra sub aquis adhuc fuerint. Sanctus Basilius memorat, sæpe Cete inveniri montibus similla quoad magnitudinem, & Insularum vicem exhibere, si supernatent. Orthagoras scribit, Cete longitudine unius stadii dimidii excrescere, servata latitudinis proportione. Olaus tradit, visum Cete, cujus hiatus pateret ad pedes duodecim, dentibus hinc inde dispositis aprorum; aut Elephantum persimilibus, tam vastis oculis, ut ambitus 20. homines sedentes caperet, circa oculos ac supercilia pro pilis numerabantur cornua 250. eaque obdura, ut aliorum animalium, porrecta ad 7. pedum longitudinem.

LXXXIV. Cancellus piscis Concharum hospes ex limo & terra nudus nascitur, mox ingreditur Conchas vacuas, ubi creverit, ingreditur ampliorem, & sic deinceps.

LXXXV. Scaurus piscis cum in nassam inciderit, postremam sui partem de nassa ejicit, reliqui vero, qui capti non sunt, circumnatantes cum morsu corripiunt, & foras socium perferunt; si vero in caput exierit, foris alius caudam porrigit, quam ille apprehendens extrahitur.

LXXXVI. Capito piscis volens devorare piscem semper explorat, an adhuc vivat, seque moveat; nisi enim mortuum repererit, non devorat.

LXXXVII. Plinius docet in Heraclea Pontica & in Rhegio pisces defossos nasci, & contigisse aliquando, ut exsicata terra in silvas abierint, & bis quoque humore destitutis, in humido ut feras constitisse. Adjicit Aristoteles in Paphlagonia pisces optimos inveniri defossos, cum tamen nullæ aquæ sint propinquæ, atque adeo a terra produci. Olaus tradit, & Plinius, Menam piscem æstate nigerrimum, hyeme candidissimum esse.

LXXXVIII. Seneca narrat, Delphinos quondam e mari concurrisse, & cum agmine Crocodilorum ex Nilo venientium insignoiter pugnasse, victoresque evasisse propterea, quod inferiorem carnem Crocodilorum mollem ac teneram spinis suis vulnerarint.

LXXXIX. Invenitur piscis quidam totus rotuodus (unde & orbis vocatur, qui totus e capite constat, nullo alio membro apparente.

XC. Albertus M. narrat, Galatam piscem fœtus suos in alvo vivere sentientem extrahere, &, siquidem eos ad vitam maturos invenerit, foris relinquere; si autem non, eos in matricem, ut foveantur, reponere.

XCI. Dies, marinus piscis unam tantum diem vivit; Ephemerus vero piscis vix tres horas supervivit.

XCII. Abides cum senuerit, mutata forma in terram migrat, atque terrestre factus animal, terra vescitur, & Aftoiz vocatur.

XCIII. Tortura piscis est, qui scutum prædurum octo ac sæpe novem pedes patens, in capite hastam, cornu, & galeam habet.

XCIV. Testeus piscis pertæsus duritiem cutis transit ad aquas fluviatiles, ut rigore dimisso fiat mollior cutis, qua mollitie obtenta iterum redit ad pelagus.

XCV. Testudines aquatiles tam magnæ quandoque sunt, ut cymbæ usum præbeat Concha earum, imo quandoque domum una tegat. In Regno certe Indico Zapa quædam inventa est, cujus testa S. Antonii Patavini Sacellum texit.

XCVI. Piscatores in Anglia, Lucio pisci, ut emptori pinguedinem ostendant, vivo ventrem aperiunt, atque interiora abdomine referta esse, oculata fide testantur, quod si non veodatur excisus, resuitur filo veoter, & in vivario reponitur, ubi tinearum contactu glutinoso sanatur, vivusque perseverat.

§. V. DE SERPENTIBUS.

XCVII. In Aquilonari plaga serpens est, cui soli crista præcandida in capite patet, hanc reliquæ serpentes speciei ejusdem, quasi ducem sequuntur.

XCVIII. In Taprobana Insula serpentis quoddam genus est, quadrangulari ferme forma, cui sunt 4. capita, eo ordine, ut aliud Septentrionem, aliud Meridiem, aliud Ortum, aliud Occasum respiciat; quo se unum gradiendo dirigit, eo, reliquum corpus sequitur, nulla corporis conversione; multipedum enim animal est, & cuique capiti suus oculus.

XCIX. In Malabar serpentes sunt ad 6. cubitos longi, absque pedibus, visu horrendi, sed

fed mites; fponte vero accedunt ad hominum confuetudinem; caput illis eft anguillis perfimile, dorfum vero profert vultum hominis variis diftinctum coloribus.

C. Solinus memorat, in India tam magnos effe ferpentes, ut cervos & tauros deglutiant. Olaus ait, in Norvegia effe ferpentis genus in circuli modum contorquens corpus, quod 50. cubitos longitudine excedit.

CI. Poffidonius fcribit, Draconem in Macra juxta Jordanem repertum non minus jugero longum; alterum vero adeo, ut equites duo hinc inde pofiti fe mutuo confpicere non poffent; fquammæ ejus militare fcutum latitudine æquabant, oris hiatus hominem admittere poterat. Idem narrat, prope Damafcum inventum Draconem, qui hominem equo fedentem devorarit, feque vidiffe teftatur, fuiffeque longum pedes 240.

CII. Crocodilus cum lingua careat, in fubfidium Trochilum feu Regulum avem vocat, hic enim in os involans, ipfum primo os Crocodili, dein dentes, & tandem fauces repurgat, ita ut Crocodilus dulcedine captus fomno prematur. Nili Incolæ Crocodilos non aliter ac equos domant, inequitant, & maria trajiciunt.

CIII. Albertus M. narrat reperiri Vermem ftellæ figura, qui noctu ut ftella luceat, numquam nifi in magnis imbribus proveniat, ac ferenitatem adeffe demonftret; hujus tantum effe rigorem, ut tactum ignem non aliter, ac glacies extinguat, hujus etiam fanie contactum corpus de colore in virorem mutatur.

CIV. In Cypri ærariis fornacibus ex medio ignis nafcitur, majoris mufcæ magnitudine velut pennatum quadrupes, appellatur Pyralis, a quibufdam Pyraufta, quamdiu eft in igne vivit; cum egreditur, paulo longiore volatu moritur.

CV. In Hifpaniola eft Mufcarum genus, magnitudine fcarabæo noftro fimile, quod Coccinus nominatur, quarum oculi velut lucerna lucent, unde hujus fulgore integra familia, dum cœnæ accumbit, illuftratur; imo etiam Itinerantes fibi reftes ex ejufmodi mufcis faciunt, quos fi collo appendant, ad 40000. paffuum vident.

CVI. Ganges fluvius vermibus abundat, Ceruleis nomine, & colore, hi bina habent brachia fenum cubitorum, quibus elephantos ad potum ventitantes mordicus comprehenfos in profundum trahunt.

CVII. In India vermis nafcitur 7. cubitis longus, qui unum dentem in fuperiori, alterum in inferiori oris parte habet, quibus, quidquid comprehenderit, conterit, etiam boves integros. Pellis ejus duorum digitorum craffitiem habet; dum capitur 30. viri hafta, enfe, & fudibus inftructi, hamo ferreo ovem appendunt, & attractum interficiunt, qui 30. diebus fufpenfus oleum in fubjecta vafa diftillat, quod tantæ eft efficaciæ, ait, quidquid tangit, mox in cineres redigat. Unde Reges Indorum in portis Urbium aperiendis hoc oleo utuntur.

CVIII. Non longe a Nili ortu fanguifugæ repertæ funt cubitorum 7. longitudine; & tineæ alibi inventæ 30. pedum.

CIX. In Ponto albæ funt apes, bifque in menfe mella faciunt. In Æthiopia adeo cicures funt, ut inter hominum cubicula conficiant fua examina. In novo Orbe omnes aculeo carent, & mel album conficiunt.

CX. Solinus, & Ifidorus fcribunt, Indiam alere formicas canibus maximis non minores, quas aurum penitus egeftum cum fumma perniele attingentium cuftodire memorant. Plinius Ægyptiorum luporum magnitudinem eis tribuit.

CXI. In Infula Hifpaniola araneæ funt tam grandes, ut luforiæ pilæ æquales fint.

CXII. In India locuftæ funt quaternorum cubitorum longitudinis, femoribus & cruribus ferarum ufum præbentes, cum inaruerint.

CXIII. Alphora primum vermis eft, poftea in pifcem tranfit, rurfus tabe aliqua confumatur, is pifcis extra aquam fe recipit, & defluxa omni carne ufque ad caput & oculos, fi in aquam remittatur, corpus, quod fuerat abfumptum, carne rurfum veftitur, velut renovatum; eftque longe majus, quam antea fuerat.

§. VI. DE ÆDIFICIIS MEMORABILIBUS ORBIS.

CXIV. Templum Ephæfiæ Dianæ 220. annis factum ab univerfa Afia, in quo aliud quafi miraculum erant columnæ 127. a fingulis Regibus factæ 60 pedum altitudine.

CXV. In Mexico tantæ amplitudinis templum fuit, ut 500. domus in eo extrui poterant; In ambitu turres 400. præaltas habebat, ex iis 36. cœlatæ. Majolus coll. 23.

CXVI. In Templo Jerofolymitano erant 2000. talenta pecuniæ. Unica trabs auri 300. minas, & ultra pendebat. Deferviebant ei 24000. Sacerdotes (alii 44000. numerant, & 8000. Levitarum). Porta tam robufta erat, ut a 20. viris vix claudi poffet, & aperiri.

CXVII. Apud Ravennam templum integrum unico faxo tegitur. In Ægypto totum templum ex faxo erat, putantque Ægyptii hanc primam omnium Ecclefiarum fuiffe.

CXVIII. In India templum vifitur, cui ad cuftodiam 4000. militum perpetuo aluntur. Templum Upfalæ tantæ venuftatis erat, ut pavimentum, muri, columnæ auro tectæ, ipfum quoque tectum ex auro confectum fuerit, & infuper catena aurea totum templum ambierit.

CXIX. In Morimena Dariæ templum Jovis erat, in quo habitacula 3000. Sacerdotum vifebantur, quorum fummus cenfum annuum 15. talentorum habebat.

CXX. Marcus Polus teftatur, fe cum Magno Imperatore Cham in Cambalienfi Urbe habitaffe, cujus ædes Regiæ in ampliffimorum murorum medio extructæ funt, ex auro tectum habent univerfum, minio, lazurio, & eximiis coloribus ornatum; extant item ex auro columnæ 24. ac pinus arbor maxima auro illigata, e qua undequaque pendent ramufculi gemmis uvarum modo referti.

CXXI. Rex quidam Sinarum Palatium inhabitat, non muris fultum, fed octo columnis fu-

superimpositum, quæ ad pedes 70. assurgunt, quasque bini homines vix complecterentur, suntque tales hæ ædes, quæ tanti Regis Majestatem deceant.

CXXII. Summus Rex Sinarum Regiam habet, quæ 79. aulas continet, & tantæ Majestatis est, ut dies absumatur tota in ipsis aulis, cubiculisque perlustrandis; Ex iis aulis 4. magis insignes sunt, una inferne superneque tota ære, alia argento, tota auro & encausto alia, quarta unionibus, pretiosisque gemmis exornata, & contecta est. Septemplices muri invicem valde remoti omnia ædificia cingunt: visitur ibi solium Regium ex ebore, prorsusque confertum est gemmis pretiosissimis, adeo ut noctu micet, & in tenebris coruscet. Rex numquam sole lucente se spectandum præbet, sed qui adstant, Ministri, perpetuo faces accensos præ manibus tenent. Si adeatur colloquii, aut audiendorum Legatorum causa, ingentem ingreditur serpentem artificio factum in palatina area locatum, cubiculi capacitatem habentem, sex quoque necessarios secum ingredi jubet, in serpentis pectore fenestella est vitro obducta, ut loquentes ipse quidem videat, non tamen ab iis videatur.

CXXIII. Regis Zipangu Palatium totum laminis aureis confectum, uti & omnia solaria. Javæ Majoris Insulæ Regis Palatium amplissimum est, inque illud pluribus gradibus ascenditur, quorum semper alter aureus est, argenteus alter, quod idem etiam in laminis, quibus murus tegebatur, observabatur. Tectum quoque eximio auro compositum erat, plurimaque stabant simulacra aurea innumerabilibus gemmis, & diademis exornata; ita ut qui viderunt, dicerent, in orbe reperiri nihil pretiosius.

CXXIV. Regulus Abibeiba inhabitat paludem ingentem, in qua arbores excelsæ frequentissimæ sunt tamque latæ, ut octo viri conjunctis ulnis eas non complectantur; in iis ergo Rex cum reliquo populo habitat pensilibus casis exstructis.

CXXV. In Aquilonari Regione compertum est, muros construi ex glaciei fragmentis eadem ratione compactis, qua marmora junguntur, suntque adeo firma, ut nullis facile tormentis expugnari possint.

CXXVI. Jovius scribit, cum Rex Anglorum, & Galliæ in finibus Morinorum ad colloquium convenissent, Regem Angliæ ligneam domum attulisse, quæ erat instar amplissimæ Regiæ cum amplissimis porticibus, ac cœnaculis, quæ constabat ex materia miris modis elaborata, picta simul & inaurata, tanto fabrorum & architectorum ingenio, ut aptissimis juncturis ac vertebris tota plicatilis membratim dividi, & cum luberet, tolli, ac in varias formas distingui, & erigi posset.

CXXVII. In Regia Quabacondoni cubiculum erat totum ex laminis aureis ita compactum, ut quocumque luberet, transferri posset. Romæ olim tam splendidæ ædes visebantur, ut cum Constantius Imperator secum Hormisdam Persam peritissimum Architectum duceret, & suburbii parte maxima pertransita quæreret, quid de Roma sentiret? responderit Hormisda, se putare jam dimidium Urbis absolutum propter ædificiorum splendorem, cum tamen necdum intrasset illam.

CXXVIII. In Oxirinco Urbe Thebaidis plura erant Monasteria, quam domus; 20000. Virginum, & 10000. Monachorum ibi reperiebantur. S. Bernardus 160. Monasteria ædificavit cum sex Germanis fratribus.

CXXIX. Venerabilis Beda narrat, in Monasterio Benchor tantum esse numerum Monachorum, ut cum in septem portiones cum præpositis sibi Rectoribus Monasterium esset divisum, nulla harum portio minus, quam 300. homines haberet, qui omnes de labore manuum vivere solebant.

CXXX. Petrus Caveosis Abbas tribus millibus Monachorum una die vestitum Monachalem tribuit. In unico Monasterio ex iis, quibus S. Macarius præsidebat, 1400. reperiebantur. In Grinesiensi Monasterio in Gallia 900. Monachi priori sæculo vixerunt, uti & in Winbruno Britaniæ 500. Moniales.

CXXXI. Sub Serapione Monachorum 10000. vivebant. In Nitria non procul ab Alexandria 40000. passuum, numerabantur 500. Monasteria omnia sibi invicem proxima, in quibus numerata sunt 5000. Monachorum.

CXXXII. In Urbe Chinchem Sinarum Pons extat longitudine 900. passuum ex saxis, quorum minima amplitudo ad pedes 20. latitudo 5. se extendebat. Alius est non procul ab Urbe Anchieo 1300. longus passus. Alterius tanta est latitudo, & longitudo, ut vicus ingens sit in eo exstructus. In Quinsai Urbe 12000. pontium reperta sunt, qui omnes tantæ erant amplitudinis, ut onerarias naves admitterent.

CXXXIII. In India via ad Occimestre iter lapidibus ubique strata est, 200000. disposita sunt in itinerantium usum in hospitiis; in singulis vero hospitiis 400. equi cursores aluntur. Hospitia hæc ubique occurrunt, tam ornata, ut Reges capere possint.

CXXXIV. Reges Casconii duas vias militares direxerunt ad plura milliaria, quam 2000. Italica, atque in iis ad singulas septenas leucas diversoria constituerunt iam ampla, ut in singulis nudus, exarmatus, famelicus 40000. hominum exercitus subito appellans vestiri, armari, & in longum tempus pasci posset.

CXXXV. Strabo scribit juxta Damascum esse antrum, in quo 4000. hominum commode habitare possint.

CXXXVI. In Æthiopia vero aliud est tam amplum, ut in eo ingens Ecclesia, & Monasterium edificatum sit.

CXXXVII. In Ptolomæi Bibliotheca 200000. librorum reperta sunt, & tamen tota postea incendio assumpta est. Alexandriæ Bibliotheca 400000. librorum, teste Osorio, quæ postea aucta 700000. continebat.

§. VII. DE HORTIS, ET QUÆ IN HIS CONTINENTUR.

CXXXVIII. Phaacum Regio, cujus Rex Alcinous fuit hortus habuit tanta pomorum varie-

varietate nobiles, ut præmaturis primi nova statim renascerentur.

CXXXIX. In Thebis Ægypti 100. portæ fuerunt, & horti pensiles, e quibus si necessarium fuerat exercitus armatos educebant Reges, nemine e civibus id sentiente.

CXL. Babyloniæ fuerunt horti pensiles in quadrata figura, quorum latus quodlibet quaternum est jugerum, bifornicibus continentur, sese in forcipis modum intercidentibus, sitis super pilis, in aleatoriarum tabellarum formam, aliis super alias positis. Pilæ concavæ sunt, & terra plenæ, ut arbores maximas consitas recipere possint.

CXLI. In Ægypto labyrinthus est, qui domos 1000. & Regias 12. perpetuo parietis ambitu amplexus marmore extructus ac tectus omnium in se descensum habet; porticus omnes 90. gradibus ascenduntur, fuit in hoc labyrintho Colossus Serapidis ex Smaragdo 9. cubitorum; ambitum habet 3600000. passuum.

CXLII. In Insula Ceila arbores sunt tam crassæ, ut nec 24. viri eas brachiis circumdare possint. Unde etiam ob proceritatem a ripa in ripam pontium loco in fluminibus statuuntur. Aliæ ita excrescunt in altum, ut nec sagittis trajici possint; radices vero e terra adeo attolluntur, ut sub curvatura earum currus transire possint. Majolus coll. 21.

CXLIII. In Provincia Malcabar arbor est, ex cujus stipite extuberat unicum pomum, sed tam magnum, ut robustum hominem oneret. Continet autem Pini more intra se fructus 300. distinctis pelliculis, quorum singuli nostrorum pomorum magnitudinem æquant, rursumque intra illos continentur & alii, quales in Echino Castaneæ.

CXLIV. In Calecutis Regno arbor est, cui tantum sunt 4. folia ramorum vice expansa, quorum latitudo tanta est, ut hominem a sole & pluviis defendant. In Cael Urbe Provinciæ Malabar cujusdam infructuosæ arboris folia ad 6. cubitos longa, totidemque lata sunt, ita tenuia, ut papyri vicem subeant.

CXLV. In Themistitan, seu Mexico Urbe arbor est, cujus cortex est loco fili ad texendum percommodi; lignum, si acuatur, aptissimum ad acos conficiendas, unde ex eadem arbore vestes conficiuntur.

CXLVI. In Hircania ficus tam fertiles sunt, ut 270. modios ferant. Indorum pomaria ficus habent, quarum caudices in orbem spatio 60. passuum extuberantur, ramorum umbræ ambitu bina stadia consumunt, foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur, pomum est eximiæ suavitatis; ficus Ægyptiacæ uno anno septies fructum ferunt.

CXLVII. In Margiana Provincia vites sunt tantæ amplitudinis, ut bini homines conjunctis brachiis stipitem nequeant amplecti. Uvarum autem botri bipedali sunt longitudine. In Mauritania vero botri bicubitales reperiuntur.

CXLVIII. In Provincia Pudifetania arbor est, cui nomen est Pudor, quæ surgit in altitudinem palmorum novem, æque ideo pudoris nomen consecuta est, quod si quis propius succedat, mox illa velut retrocedens ramos in seipsam colligat; ubi vero iterum recesserit, mox eosdem iterum diffundat; e contrario vero alia arbor est, quæ equos etiam invitos attrahat, occulto quodam sensu, nec alia animalia, idque aliquando actu contigit Alexandro Magno equo suo insidenti.

CXLIX. In ripis Gangis fluvii arundines sunt, quæ hominis amplexum superent; ita ut ex singulis singulæ naves piscatoriæ fieri possint. Cortex enim earum ad palmi mensuram crassus est, singulaque internodia hominis cujusque proceritati æquantur; unde incolæ grandia vasa ex iis conficiunt. Bocatius scribit, in flumine Odono tam grandes arundines gigni, ut unam vix triginta homines ferre valeant, unde trabis firmissimæ officium in ædificiis subeunt.

CL. In Regno Samara prope Javam minorem nuces crescunt, quæ magnitudine sua humanum caput adæquant, præbentque ex medulla non cibum modo, sed potum etiam perquam sapidum.

CLI. In Urbe Cianga Persica sunt sapidissima duarum librarum.

CLII. In Urbe Quinsai pyra reperiuntur 10. librarum, & sapidissimi candidissimique succi.

CLIII. In India arbor est altissima, cujus rami excrescunt supra 12. cubita, reliquum postea sponte flectitur deorsum usque in solum, terræque etiam sponte figitur, ibique etiam radices mittit, rursum novam efficiens arborem, cujus etiam rursum rami eodem ordine reflectuntur, & radicibus emissis, nova quoque arbore exurgente, adeo in longum ea propagatio arborum augetur, ut longissima ornatissimaque porticus umbratilis efficiatur. Sunt autem hæ arbores tantæ amplitudinis, ut sub singulis ad evitandum meridianum æstum percommode 400. homines sedeant.

CLIV. In Orbe novo tam fertiles sunt aristæ, ut ex una bis mille grana numerata sint, & crassitie humano brachio æquentur. Africæ frumentum quibusdam in locis tam fertile est, ut ad quinque culmorum proceritatem culmi ascendant, nec minores calami sint digito, fructum 200. & 400. granorum ferant, bis in anno metitur, nec post prima sata seritur, cum sponte cadentia a culmo grana in novam messem exurgant.

CLV. Fabæ in Ægypto non procul ab Alexandria in arborem prope exurgunt, illarum folia tam ampla sunt, & tanta duritie, ut poculi ministerium sine artificio subeant.

CLVI. In Hispaniola Insula Pepones tam ampli sunt, ut singuli homines unico se sentiant onustos, vixque humeris ferant; crescunt autem toto anno semper maturi, semper sapidi, & ad vescendum grati.

§. VIII. DE OPERIBUS ADMIRANDIS.

CLVII. Colossus Rodius septuaginta cubitorum altitudinis fuit, pauci pollicem ejus amplecti poterant; digiti illius majores erant plerisque statuis, vasti specus hiabant fractis membris, 12. annis effectus est, constititque 300. talentis. Majol. 23. col.

CLVIII. In Orbe novo ex ossibus Cete na-

ves compingunt. Leander scribit, se Venetiis naves vitreas vidisse, imo & triremes, parvas tamen, & non ad usum navigandi factas. Lusitani ante hac satis diu navibus ex corio usi sunt. Ascitas tradit, Arabes bobulis utribus contabulatas crates imponere, & sic aquis se committere. Æthiopes habent plicatiles naves, quas, ubi ad ripam venerint, extrahunt, & humeris portant. Caligula Imperator navem Cedrinis tabulis compegerat, puppim fecerat eburneam, auro ac gemmis ornatam; eratque hæc navis tanta amplitudine, ut spatiosas aulas contineret, habaretque hortos virentibus arboribus consitos, ubi etiam irrigatione florarent.

CLIX. Ammulius Rex machinas invenerat, quæ tonitrua, fulguraque referrent, & fulmina ejacularentur.

CLX. Architas Philosophus pariter, & Mechanicus columbam fecit ligneam, quæ per æra volaret; si tamen semel consederat, non assurgebat.

CLXI. Albertus M. statuam hominis formæ articulate loquentem confecerat, quam S. Th. ad spectandum in cubiculum intromissus, cum audiret loquentem, perterrefactus baculo fregit. Interrogatus postea ab Alberto, quomodo machina placuisset, eum diceret, se eam confregisse, subjecit Albertus: Opus 30. annorum confregisti.

CLXII. Inventa sunt horologia, quæ non modo excitent dormientem hora, qua cupit excitari, sed etiam mallei ictu e silice ignem excutiant, ut adeo, dum esca sponte aduritur, & lychnus illi proximus accenditur, lumen habeatur absque humano opere.

CLXIII. Horologium turris Prætorianæ continet totius anni revolutionem cum recto cursu solis & lunæ, numeroque certo mensium & dierum, & assignatione Kalendarii totius anni: habens item ortum & occasum, meridiemque, solstitia, lunæ & solis altitudinem, æquationes, quantitatem dierum ac noctiom, lunæ oppositiones, ortum & occasum Zodiaci, numerum horarum triplicium seu integri, dimidii, & horarum inæqualiom seu planetariarom omni tempore concordantium, quas horas ostendit unica manus seu index, qui mobilis existens cum ipso sole de uno signo Zodiaci in aliud per unum gradum singulis totius anni diebus transit. Infra sphæram horologii foriosecus est alia grandis sphæra, cui inscriptum est Kalendarium, ubi Angelos a latere collocatus quotidie præsentem diem virgula demonstrat.

CLXIV. Aaron Rex Persarum ad Carolum Imperatorem cleplydram dono miserat ex aurichalco ita compositam, ot, quot horæ elapsæ fuerant, tot æreæ pilulæ so subjectum cymbalum deciderent, totidemque equites per fenestras apertas exibant, easque iterum claudebant.

CLXV. Cappoccios Senensis civis in utriusque manus onguibus delineaverat, quidquid de passione Christi tradidere Evangelistæ, & non res tantum & actus, sed etiam personas expresserat.

CLXVI. Plinius memorat, quemdam Homeri Iliadem in membrana, quæ nuce concludi posset, scripsisset.

CLXVII. Franciscus Alumnus Symbolum Apostolorum & S. Joannis Evangelia in spatio denarii, magnitudinem non excedente, distinctissime conscripsit.

CLXVIII. Callicrates ex ebore formicas, & alia animalia tam parva fecit, ut partes earum a cæteris cerni ooo possent.

CLXIX. Myrmecides quidam quadrigam ex ebore fecit, quam musca alis tegeret.

CLXX. Aurifex quidam Africanus Memphis pulicem catenula aurea alligavit.

CLXXI. Romæ Organum fuerat visum, quod tubas, tympana, & integros hominum choros referebat; ita ut pueriles voces se audire quis putaret.

CLXXII. Venetiis ex vitro facta erant organa valde sonora. Silvester II. Pontifex organa construxit, quæ calefactæ aquæ violentia modulatos ederent sonos.

§. IX. DE NATURÆ MIRACULIS ET PORTENTIS.

CLXXIII. Juxta Harpata oppidum Asiæ est cautes horrenda, unico digito mobilis, si tamen toto corpore impellatur, resistens.

CLXXIV. M. Curius, & Valeria cum dentibus nati sunt.

CLXXV. Filius Prusiæ Bithyniorum Regis in suprema oris parte non dentes, sed os continuum habuit loco dentiom. Timarchus duplicem utrobique ordinem dentium.

CLXXVI. Mecænas ultimo vitæ triennio nec unico quidem momento dormivit.

CLXXVII. Albertus M. testatur, fuisse virum quemdam melancholicum, qui in carcere per 7. hebdomadas jejuous durarit.

CLXXVIII. Scipio Africanus annis 54. nihil emit, nihil vendidit, nihil ædificavit.

CLXXIX. Gorgias Epirota in funere matris suæ utero elapsus, lectum ferentes consistere coegit inopinato vagitu.

CLXXX. Antipater Sidonios omnibus annis eo die febre laboravit, quo genitus est, eoque die etiam tandem extinctus est.

CLXXXI. Aristomenes Messenius ab Atheniensibus dissectus hirsutum cor habere repertus est.

CLXXXII. Quo anno Saguntus deleta est ab Annibale, puer in eadem Urbe reversus est io uterum matris.

CLXXXIII. Paulo ante mortem Cæsaris equorum greges comperti sunt pabulo abstinere, ubertimque flere. Pridie vero avem regaliorum cum laureo tumulo se Pompejanæ Curiæ inferentem, volucras varii generis discerpserunt.

CLXXXIV. Midæ puero dormienti formicæ io os grana tritici congesserunt; Platoni vero apes mel & favos iotuleruot.

CLXXXV. Anno, quo Nero excidit Principatu, oleæ & prata in contrarias sedes transfiere.

CLXXXVI. Ante paulo quam Aug. Imper. factus esset, bos in suburbano Romæ ad arantem locotus dixit, frustra se urgeri, non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

T 4

TITULUS CIX.

OTIUM.

§. I. QUOAD ESSENTIAN.

Definitio.

I. EST vocatio, seu cessatio ab utili negotio; hinc negotium, quod est oppositum otio, sic dictum est, quia negat otium; & penitus excludit.

Divisio.

II. Dividi potest in *Physicum* & *Morale*, seu *Actuale* & *Interpretativum*. Illud est, quando aliquis necessaria corporis quiete accepta ab omni negotio corporali vel spirituali abstinet, ut faciebant illi, quos Christus in Evangelio allocutus est dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Istud est, quando quis varia quidem negotia suscipit, sed inutilia & nociva; quod Stapletonus apta similitudine declarat, dum ait: Sicut pueri in luteis casulis erigendis occupati, aut in arundine equitantes, occupatissimi sibi videntur: cum tamen nostro judicio non nisi nugas tractent; Sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel Dei gloria, vel salus proximi, vel nostra non quæritur, etsi nobis seria, ac gravis videatur, Deo tamen & Angelis, & Sapienti cuique nugæ, & inane otium videntur. Hinc Christus dixit: Martha, Martha solicita es & turbaris erga plurima: Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea; dum scilicet solum divinæ gloriæ, & salutis suæ negotium curandum suscepit.

Matt. 20. v. 6. — *Stapleton. tent. 2. in Dom. Sep.*

Actus.

III. Primus est, *somno plus temporis tribuere:* quam recta ratio postulet, idque temporis dumtaxat fallendi gratia.

IV. Secundus est, *otiosis & inutilibus cogitationibus se occupare:* uti fecerunt illi, de quibus Salomon ait: Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. *Eccl. 7. v. 30.*

V. Tertius est, *otiosis & inutilibus verbis tempus terere:* de quibus Christus in Evangelio dixit: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matt. 12. v. 36.*

VI. Quartus est, *operibus inutilibus se occupare:* quemadmodum faciunt illi, qui non nisi honores, divitias, ac voluptates inordinate sectantur, atque adeo experientur olim quod David dixit: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum (& voluptatum ac honorum) in manibus suis. *Psal. 75. v. 6.*

VII. Quintus est, *tempus male agendo consumere:* ut omnes peccatores, maxime consuetudinarii faciunt. Unde recte concludit Seneca, totam fere hominum vitam otiosam esse, dum ait: Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *Sen. ep. 1. ad Lucil.*

§. II. EX S. SCRIPTURA.

Qualitas.

I. QUI operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. *Prov. 12. v. 11.*

Fuga.

II. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo. *Eccl. 7. v. 16.*

III. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat. *Eccl. 14. v. 14.*

IV. Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Ephes. 5. v. 15.*

V. Rogamus vos, fratres, ut operimini manibus vestris, sicut præcepimus vobis. *1. Thess. 4. v. 11.*

VI. Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. *2. Thess. 3. v. 7.*

Damnum.

VII. Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiscit, & desiderat. *Eze. 40. v. 32.*

VIII. Servo malevolo tortura, & compedes; mitte illum in operationem, nec vacet; multa enim malitiam docuit otiositas. *Eccl. 33. v. 28.*

IX. Qui operatur terram, satiabitur panibus, qui sectatur otium, replebitur egestate. *Prov. 28. v. 19.*

X. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus. *Matt. 7. v. 49.*

XI. Per agrum pigri hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & materia lapidum destructa erat. *Prov. 12. v. 10.*

XII. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit in æstate, filius confusionis. *Prov. 10. v. 1.*

XIII. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. *Ib. v. 4.*

§. III. EX SS. PATRIBUS.

Qualitas.

I. QUid est, quod cum labore meminimus, cum labore obliviscimur, cum labore discimus, cum labore nescimus, cum labore strenui, cum labore inertes sumus? nonne hinc apparet, in quo velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? *S. Aug. l. 22. c. 22.*

II. Nihil boni facere nihil aliud est, quam facere aliquid mali. Esempli causa: Si servum habes, non rapacem, non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem, idem tamen si totos dies domi sedeat otiosus, omittatque ea, quæ ad munus suum attineant, nonne graviter vapulabit? atqui nihil mali fecit; sed maleficii est, munus suum officiumque neglexisse. Si manus ita affecta sit, ut non linguam illa quidem præscindat, non oculos eruat, nihil *S. Chrys. in ho. 18. in ep. ad Ephes.*

denique detrimenti afferat, sed seditiosa cesset, nihil reliqua corpori inserviat, quis non istiusmodi manum inutilem, & ut paralyticam rescindendam potius, quam retinendam putat?

14. in 2. ad Thess. c. 3.
III. Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit; ideoque otiosus ab ordine suo, & creatione deficit.

S. Pr. l. de cont. s. temp.
IV. Non otiosis aut dormientibus provenit regnum cælorum, non otio & desidia torpentibus æterna beatitudo ingeritur.

Leo Papa in serm.
V. Mens otiosa nihil aliud cogitari novit, quam de escis, aut quam de ventre.

Ans. sup. Ep. 2. ad Thessal.
VI. In otio vivens res aliorum concupiscit.

Fuga.

S. Basil. in c. 2. Is.
VII. Quomodo non odio prosequendum otium, quod formica & ape pejorem efficit hominem, qui utique initio conditionis suæ positus est in Paradiso, ut operaretur, & custodiret eum? Primum igitur, & maxime proprium humanæ conditionis studium est, ut operetur; ita ut iners otium sit propemodum præter naturam hominis, id quod asserit, se Dominus odisse.

S. Amb. l. 2. de Cain c. 2.
VIII. Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est.

S. Hier. ep. 4.
IX. Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. Sic Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivendi, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non præpares?

Damnum.

S. Chrys. h. 14.
X. Otium malitiæ pars est, imo vero non pars, sed causa & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium.

S. Aug. s. 16.
XI. Per hanc (otiositatem) accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasti, per hanc suffocamur pretiose vestiti, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur. Numquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit.

Cassian. l. 10. inst. c. 6.
XII. Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quam de escis, & ventre, donec inventa quandoque sodalitate cujusdam viri aut fœminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur, & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem Professionis suæ se valeat enodare.

S. Per. s. 2. in Pur. B. V.
XIII. Cum arguantur otiositatis ipsi etiam, quos nemo conduxit; qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? fides quippe sine operibus mortua est.

Id. s. de PP. de mont.
XIV. Omnium tentationum, & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ.

Quidam ap. Eng. tom. 2. in Do. Sept. §. 2.
XV. Otium est naturæ pudor, sentina Familiæ, hostis artium, Magister ignorantiæ, Pater inopiæ, curarum prodromus, memoriæ situs, nox ingenii, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ, virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, dæmonum præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cæli dolor, Numinis odium, Hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum.

XVI. Otio velut janua utitur dæmon, ut illicitas cogitationum illecebras etiam in purissimas mentes instillet. *S. Ber. l. 2. de consid.*

XVII. Quis utilior est, is, qui in deliciis est, an qui exercetur? quæ navis? ea, quæ navigat, vel ea, quæ in littore manet? quæ aqua? ea, quæ fluit, vel quæ stat? quod ferrum? an quod movetur, vel quo nemo utitur? nam illud quidem splendet, ac argento simile est, hoc autem rubigine consumitur, & ubique inutile est. Tale quid fit etiam in otiosa anima; rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac alia omnia. *S. Chrys. ho. 3. in Act. Ap.*

XVIII. Otiosa vita mater est nugarum & noverca omnium virtutum; ipsa enim est, quæ virum fortem fortissime præcipitat in reatum, facit ei suffocare virtutem & viam construere ad gehennam. *Ber. in s.*

XIX. Otio periit Roma, deleta Carthagine. *Aug. l. 2. de civit. Dei c. 30.*

XX. Nihil in sancto proposito otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit, sanctæ vitæ ratio processu gaudet & crescit, cessatione torpescit ac deficit, quotidianis ac recentibus virtutum incrementis instauranda mens est & vivendi hoc iter, non de transacto, sed de reliquo metiendum. *Hier. ad Demetr.*

§. IV. EXEMPLA CATHOLICA:

Qualitas.

I. Gandavi cum plures Senatores ante portam domus senatoriæ sederent, & mendicus quidam afferens, se morbum occultum, quem prodere pudor veraret, habere, eleemosynam petiisset, omnesque dedissent; quidam illorum famulum suum post illum misit, percontaturum; quis esset tandem, morbus ille, quo laboraret? cui mendicus, cum omnia membra sana, & robusta apparerent, confessus est tandem, morbum pessimum, quo tantopere singula sua membra affligantur, pigritiam & otium esse. *Engel. in Do. Sept. §. 2.*

Fuga.

II. S. Paulus de se ipso ad Thess. scripsit: Scitis quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore, & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum graveremus. *2. Thess. 3. v. 7.*

III. S. Hier. de Ægyptiorum Monasteriis testatur, quod nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem, ne mens perniciosis cogitationibus vagetur. *S. Hier. ep. 4.*

IV. Abbas Paulus singulis annis folia palmarum intra annum collecta supposito igne cremabat, in tantum probans, sine opere monachum, nec in loco posse Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, ut cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exigeret, pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseverantia cellæ, vel acediæ ipsius victoria & expurgatione perficeret. *Cass. l. 10. inst. c. 24.*

V. S.

S. Bon. in ejus vit. V. S. Franciscus & sua ipse manu sæpe laborabat, & otiosum quemdam, laboribusque fugitantem, fratrem Muscam appellavit, atque ab ordine suo removit.

Sur. 20. Aug. VI. S. Bernardus, cum alios suos fratres diligenter in labore corporali exercendos suscepisset, ne se quidem excipi voluit; & si quidem communem laborem sustinere non valebat, alio sibi commensurato labore compensabat.

D. Aton. in vita ejus. VII. D. Aotonius Monachorum pater cupiens otiositatem fugere clamavit ad Dominum in eremo: Domine Deus, o animarum & corporum vere custos, suscita in me gratiam tuam, infunde servo tuo misericordiam, ut in eremo collocatus in conspectu tuo otiosus non maneam. Et audivit Antonius. Antoni cupis Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, semper aliquid facito, fac quod in te est. Age quod potes & non deficiet tibi auxilium de sancto.

Mar. l. 2. Ex. 6. 9. VIII. Ferunt Beatam Virginem Dei matrem, dum adhuc in templo serviret, a summo mane usque ad horam tertiam precationes extendisse, a tertia ad nonam lanificio sese occupasse; inde demum sumpto cibo usque ad occubitum solis lectitasse scripturas, & in earum meditatione pernoctasse. Hac itaque vitæ institutione ad tantam morum sanctitatem devenit, ut sola præ omnibus eligi meruerit, quæ & Salvatorem mundi pareret, & post partum Virgo permaneret. Quod si hæc quæ sine peccato concepta, omnis prorsus peccati expers semper fuerit, id tempore, quod lectioni orationique supererat manuum labore sibi transigendum duxit: quomodo te in ignavia, otii mollitudine, quandoque desidentem, securam arbitraris o virgo! quam in peccatis genuit mater, quam quotidie interius cogitationes, exterius proni ad vitia sensus impugnant. Crede mihi, non effugit decipulas diaboli, quisquis laborem fugit.

Damnum.

2. Reg. 11. v. 4. IX. David, quamdiu se exercitavit in militia, non insultavit ei luxuria; sed postquam in domo otiosus remansit laboravit adulterio, & homicidium commisit, ut loquitur S. Aug.

S. Aug. s. 16. ad FF. Jud. 16. v. 21. X. Sampson, dum cum Philistæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu Dalilæ, & otiose cum ea remansit, mox capitur, & excæcatur ab hostibus.

3. Reg. 11. v. 4. XI. Salomon, quamdiu occupatus erat in ædificatione templi, non sensit luxuriam; sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens fœmina instigante adoravit in thalamo vitulum aureum. Unde merito concludit idem S. Aug. Vigilate itaque, fratres mei, & nolite deficere, quia nec sanctiores Davide, nec fortiores Sampsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco.

Salut. p. 3. Spec. c. 37. XII. Quidam Patrum cum dæmonem e fratris cujusdam cella modo ingredientem, modo egredientem vidisset, & ex fratre quæsivisset, quid ageret? deprehendit, tum ingressum esse dæmonem, quando otiosus fuerat; iterumque exiisse, quando laboribus honestis, & utilibus sese occupabat.

Vide plura tit. Acedia §. 5.

§. V, EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius cum duos, tresve rei familiares adjutores ad januam alieno tempore conversantes aspexisset, illico jussit acervum lapidum in proximo situm, in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre; cumque post tres menses iterum confabulantes reperisset, eumdem acervum in priorem locum referre eos jussit, simulque admonuit nihil in Dei servitio periculosius esse, quam otium. Hinc etiam in regulis præscripsit, ut omnes, quamdiu sani sunt, semper occupati esse studeant, ne otium malorum omnium origo domi nostræ locum habeat. *Maff. l. 3. c. 6.* *P. 3. const. c. 1. §. 6.*

II. Paulus Vergius tam sedulo labori vacavit, ut varias quotidie laborandi rationes excogitaverit, dicere solitus, quo quis diutius in Religione vixisset, tanto minus ei de quiete & otio cogitandum esse. Et qui perseverare ac mori bene in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse. *Annua 1603. Coll. Crumbloviensis f. 171.*

III. Joannes Baptista Gentilis otium adeo execrabatur, ut non modo imperatos sibi labores peraccurate expleret, sed alios etiam studiosissime juvaret, ideoque pes & manus omnium diceretur. *Annua 1619. pro Med. Coll. Taur. q. 23.*

IV. Hubertus Vagemberg summus osor otii extiterat, ideoque laborem non minus, quam alii quietem amabat; unde cum per semestre ob morbum lecto affixus esse cogeretur, nihil gravius ei accidebat, quam quod consuetis laboribus vacare non posset. *Annua 1595. f. 320.*

V. Joannes de Mendoza licet honestissimis ortus natalibus tanta tamen cum sedulitate ministerium ac labores Marthæ obibat, ut etiam, cum debilitatus vix se sustentaret, ab iisdem cessare noluerit, ne mors, ut dicere solebat, cessantem & imparatum occuparet. *Annua 1612. f. 14.*

VI. Joannes Farinæus etsi toto jam corpore exhaustus fuisset, nihilominus tamen nec momentum elabi sibi passus fuerat, quod non vel corporalibus, vel spiritualibus exercitiis impenderet. *Annua.*

§. VI. EXEMPLA PROFANA.

Fuga.

I. C. Farius Ctesinus, cum ex parvo agello multo copiosiores fructus, quam alii ex amplioribus fundis perciperet, ideoque apud Senatum ut de veneficio suspectus accusatus fuisset, comparuit quidem, sed omnia sua instrumenta, bovesque, ac filiam validam in forum adducens, dicensque: Hæc sunt, Quirites, veneficia mea, quibus tam copiosos fructus obtinui: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & sudores meos. Quo audito omnium calculo absolutus est. *Plin. l. 18. c. 6.*

II. Pisistratus Rex Atheniensis in forum accersiri jussit otiosos in foro deambulantes, edixitque, si boves & sementem non haberent, de *Ælianus ap. Reg. in Dom. Sept. p. 2.*

de ſuo acciperent, ut terram excolerent, veritus, ne iſtorum hominum otium ſibi inſidias ſtrueret, aut ad furta ac rapinas provocaret.

Ibid. III. M. Aurelius eam regionem felicem pronunciavit, ubi nulli otioſi forent, ſed omnes proprio labore fruerentur, nec quiſquam ſudore alieno viveret.

Tarvicus ſ. ver. in d. l. 4. c. 203. IV. Sinenſes neminem otiari permittunt, quod uſque adeo obſervant, ut cœcos etiam in piſtrino laborare, claudos vero aut aliter pedibus male affectos, manibus laborare cogant.

Eng. l. c. V. Romanus Cato neminem in civem Romanum admittebat, qui non prius manum ſuam inſpiciendum dediſſet, eamque per labores, induratam, ac calloſam oſtendiſſet.

Fab. conc. 2. in ſept. VI. Draco Rex Bithynıæ lapidari juſſit eos, qui in otio deprehenſi fuerant, præter pueros, & ſenes.

Ibid. VII. Sed & Romæ olim nemini in publicum prodire licebat, niſi inſigne opificii vel artis, qua aleret, aut occuparet ſeſe, ſecum portaret. Quod ſi quis ſecus feciſſe compertus fuit, non ſolum puerorum inſequentium clamoribus ut fatuus inceſſebatur, ſed etiam a Cenſore condemnatus cum aliis ergaſtulis operi publico faciendo addicebatur.

Plin. l. 18. ſ. 12. VIII. Amaſis Rex apud Ægyptios legem condidit, ut ſinguli ſingulis annis apud Provinciarum Præſides demonſtrarent, unde viverent. Et qui hoc non faceret, aut, unde legitimo viveret, non demonſtraret, velut inutile pondus terræ vita mulctaretur.

Val. Max. l. 2. de inſt. antiq. IX. Athenienſes otioſos homines non aliter puniebant, ac ſi magnum aliquod delictum perpetraſſent.

Qualitas.

Senec. in epiſt. X. Varia vir Prætorius nulla alia re, quam otio notus conſenuit, propterea a tranſeuntibus dici ſolebat: Varia hic ſitus eſt.

Eng. Do. 9. poſt Pen. p. 2. XI. Domitianus Imperator quotidie per horas aliquot ſe in cubiculo abſcondebat, & muſcas ſtilo configebat. Hinc percunctantibus, quis cum Imperatore eſſet? reſponſum: Ne muſca quidem.

Ibid. XII. Hartabus Hircaniæ Rex talpas capiebat: Eropus Macedoniæ Rex Lydiæ filo ranas colligebat: Ptolomæus omnium artificum tabernas obambulabat.

§. VII. SIMILITUDINES.

Qualitas.

S. Aug. ep. 81. I. SIcut inter ignem, & aquam tenenda eſt via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; Sic inter apicem ſuperbiæ, & voraginem deſidiæ iter noſtrum temperare debemus, ſicut ſcriptum eſt: Non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Drex. in Nic. c. 3. §. 1. II. Sicut in Magnatum culinis, cum ignis ſegnior eſt, butyrum affundunt, ut ad flammam irritent; ita diabolus utitur otio ad corda hominum accendenda.

Damnum.

S. Bern. de lig. vit. ſ. 8. III. Sicut ex temperato labore carnis incendia cohibentur; ſic ex otio foventur & creſcunt.

IV. Sicut aqua, quæ caret decurſu, ac jacet in foveis, putreſcit; ita & corpus otii tabe confectum, concupiſcentiarum, & voluptatum carnalium parit ac nutrit inſaniam. *Id. de M. perſ. ſ. 8.*

V. Sicut terra non occupata ſemente aut conſitione quamlibet herbam producet; ſic & anima, quoties non habet, quod agat rerum neceſſariarum, cum omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſemet tradit. *S. Chryſ. h. 9. in 2. ad Cor.*

VI. Sicut oculus non deſinit cernere, atque ob hoc cernit mala, ſi bona non poteſt habere, objecta; ita & cogitatio, quoties ſe abducit a feriis vel neceſſariis, circa inutilia verſatur. *Mar. ſub. ſac. tr. 3. lect. 6.*

VII. Sicut per rimam ſentinæ aqua latenter intrat, & excreſcit, donec navis per nautarum incuriam demergitur, ita ex otio atque ignavia concupiſcentiæ, & cogitationes pravæ multiplicantur, donec navis cordis ei ſuccumbens in pectore periclitetur. *S. Bern. S. de S. Andr.*

VIII. Sicut auceps ſagittam in aves volantes dirigere non conſuevit, ſed, ubi conſederint, ac quieverint, in eas collimat ac ferit; ita dæmon non niſi otioſos telo cupidinis inflammare ſolet. *Engel. in ſept. 10. 2.*

IX. Sicut rubigo ferrum; ita vires otium emollit. *Lang. in Polyant. v. eod.*

§. VIII. MOTIVA.

I. QUia hoc vitium diſuadent exemplo ſuo *Deus & Chriſtus*; cum de Deo dictum ſit: In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Et iterum: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. De Chriſto vero, quod in laboribus fuerit a juventute ſua. *Act. 17. v. 28.* *Jo. 5. v. 8.* *Pſ. 87. v. 6.*

II. Quia diſuadent *omnes res creatæ*; uti pulchre S. Auguſtinus oſtendit his verbis: Ecce Sol curſum anni perficit. Luna etiam menſibus & viciſſitudinibus diſcurrit, & cæteræ ſtellæ. Omnia enim deputata ſibi officia ſine quiete exercent. Numquid etiam animalia bruta ad ſuæ naturæ induſtriam otium fugiunt, numquid etiam laborant, ut conſerventur in eſſe? numquid ſuis neceſſitatibus deſigere & pigreſcere ea advertimus? abſit. Omnia enim ſub obedientia ſunt, omnia agunt, quod agere debent. Quæ ergo dementia eſt, ut ſolus homo de ignavo otio agendo cogitet? *S. Aug. ſ. 16. ad FF. in er.*

III. Quia diſuadet *ipſa Natura* finem creationis improperans: neque eo conſilio, inquit S. Baſilius, Dominus hominem finxit, ut ſegnis ac languens deſideret, ſed potius ut eſſet, qui ſe in laboribus honeſtis exerceat: quandoquidem & primo Adæ in Paradiſo præcepit, ut laboraret, & paradiſum cuſtodiret; & tum deinde, poſtquam ex illo ejectus exulavit, ſententiam tulit, ut pane ſuo in ſudore vultus ſui veſceretur: *S. Baſil. in conſt. Monaſt. c. 5.*

IV. Quia ipſa *Otii malignitas* diſſuadet: tum otium maleficii principium eſſe, nemo eſt, qui ignoret, teſte S. Baſilio. Hinc & S. Chryſoſt. ſuos admonens, valde, inquit, deſidero, vos bonis operibus eſſe occupatos, omnium enim vitiorum quaſi magiſtra quædam atque origo eſt otioſitas. Et ſicut cognata ſunt vitia mentiri & furari; ita & proximi ſunt nihil & male agere: tempus perdere, & caſtitatem non retinere: otiari & luxuriari. *S. Baſil. h. 7.* *S. Chryſ. ho. 36. in Matt.* *Drex. in Nic. c. 3.*

V. Quia

V. Quia *præmii* laboribus promissi magnitudo disuadet: de quo sic S. Augustinus: Dicam Deo meo: Propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras, ad quam ego mercedem? Audi, & noli deficere. Si deficies in laboribus, promissa mercede fortis esto. Homo promisit, qui te potest fallere, quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori, nec fallere potest eum, cui promissum est. Et quid est? aurum est, quod hic multum amant homines, an argentum an possessiones, ob quas homines fundunt aurum? an amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur merces ista? vita æterna. Audistis, & gavisi exclamastis: amate, quod audistis, & liberamini a laboribus vestris in requiem vitæ æternæ.

S. Aug. tr. 9. in Jo.

VI. Quia disuadet *periculum* salutis amittendæ, quod otiosus incurrit, cum is, qui laborat, ab uno tantum, otiosus vero ab innumeris dæmonibus infestetur: atque adeo facile vincatur, uti jam olim antiqui Patres senserunt.

§. IX. MEDIA.

I. A*morem Dei ardentem procurare:* nam amor, teste S. Gregorio, numquam est otiosus; operatur enim magna si est; aut si operari renuit, amor non est.

S. Greg. in hom.

II. *Christi & SS. labores frequenter ponderare*; sic enim nollet quis sub capite, reliquisque membris laboriosis commembrum esse delicatum.

III. *Mundanorum exemplum ob oculos habere*; qui pro tam exiguis bonis tam magnos labores exantlant, atque adeo illam pii Ascetæ admonitionem sibi applicare. Erubesce serve piger & querulose, quod illi paratiores inveniuntur ad vanitatem, quam tu ad veritatem. Pro vana re & parva promissione die noctuque fatigari non timetur, sed pro dolor! pro bono incommutabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur.

Th. K. l. 3. c. 3. §. 3.

IV. *Præmii laborantibus promissi magnitudinem frequenter meditari*: certe S. Mechtildis, cum semel a Christo visitaretur, has voces Beatorum audivit: O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritorum enim cumulos majores potestis vobis comparare; si enim, quantum quotidie meritorum mortalis sibi acquirere potest, probe intelligeret, quo temporis articulo mane expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illucescere, qua Deo vivere, & tantis se divitiis locupletare posset.

Bredenb. l. 8. coll. c. 30.

V. *Timor supplicii otiosis in altero orbe parati*; *velut flagello, sese ad laborem extimulare*: Servus enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit *multis*.

Luc. 12. v. 47.

Vide plura in Verbo Acedia.

§. X. ASCETICA.

Cassian. l. 10. inst. mon. c. 23.

I. TRia præcipue de hoc vitio bene observare debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi & aliis persuadeat, quod Cassianus sequentibus verbis tradidit: Hæc apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem Monachum dæmone uno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus devastari.

II. Alterum est, ut pariter æstimare norit, quod S. Hieronymus pronunciavit dicens: Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit: Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit & deficit; quotidianis ac recentibus virtutum incrementis, instauranda mens est, & vivendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum.

S. Hier. ad Dem.

III. Tertium est, ut, si forsan ipse aut alius præteritum tempus minus fructuose impendit, noverit, quomodo hæc jactura reparari queat. Id quod eleganter S. Augustinus in hæc verba docuit: Expectatis a me forte scire, quid est tempus redimere? dicturus sum, quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipsi pauci, qui me audituri sunt, inter malos vivunt. Redimere tempus hoc est, quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut Deo vaces, non litibus perde. Ergo ex eo, quod perdes pretium est temporis. Certe quando pro tuis necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum aut aliquam supellectilem, das, & accipis; aliquid amittis, & aliquid acquiris, hoc est emere; nam si nihil amittas, & habeas, quod non habebas, aut invenisti, aut donatum accepisti, aut hæreditate acquisivisti. Quando autem aliquid mittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes emptum est: quod amittis, pretium est: quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid: sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere.

S. Aug. s. 21. de ver. Apost.

§. XI. CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Domine puer meus jacet paralyticus, & male torquetur*: potest otium paralysi comparari propter triplicem causam. 1. Quia omnia membra impedit a labore, atque adeo etiam lucro, sicut paralysis, qui effectus in otio tanto magis est æstimandus, quanto præstantius est lucrum, quod per laborem Dei causa susceptum superari poterat. 2. Quia gravem valde dolorem creat, ut paralysis; nam vere otioso applicari potest illud pii Ascetæ dictum: Tepidus habet tribulationem super tribulationem, quia interiori consolatione caret, exteriorem quærere prohibetur. 3. Quia admodum gravem molestiam creat domesticis, & aliis, quibuscum versatur otiosus, sicut paralysis; quando scilicet alii ipsum alere, portare, sublevare, ejusque labores, & officia in se suscipere debent, idque non per modicum tempus, sed per totam quasi vitam. Ostendatur subinde, quomodo ab hoc morbo curari possint, scilicet ad Christum confugiendo, ejusque vel exemplum ponderando, vel præsentiam cogitando, vel auxilium, in Eucharistia maxime, invocando.

Matth. 8. v. 6.

L. 1. de milit. c. 21.

II. Ex

Pr. 18. v. 10. II. Ex occasione thematis: *Qui sectatur otium, replebitur egestate*: potest explicari quadruplex egestas, quam patientur otiosi, nimirum. 1. *In bonis temporalibus*, juxta testimonium Salomonis: Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Et S. Pauli: Si quis non vult operari, non manducet. 2. *In bonis famæ*: quia qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit in æstate, filius confusionis, ut ait Salomon. 3. *In bonis gratiæ*; nam hic vel maxime verificabitur proverbium illud Salomonis: Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. 4. *In bonis gloriæ*; quia qui parce seminavit, parce & metet, & unusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem.

(Margin: Pr. 20. v. 4. — 2. Thess. 3. v. 10. — Pr. 10. v. 5. — Ib. v. 4. — 2. Cor. 9. v. 6.)

1. Cor. 3. v. 8. III. Ex occasione thematis: *Multam malitiam docuit otiositas*: demonstrari potest, quomodo otium vere sit radix omnis malitiæ, idque ex triplici capite. 1. Quia denudat & spoliat hominem otiosum auxilio, & præsidio divino; neque enim Deus juvare solet hominem, qui cooperari non cupit. 2. Quia a pluribus, imo, ut S. Hieronymus ait, innumeris dæmonibus infestari facit. 3. Quia homini ipsi etiam quodammodo manus ligat, ut defendere se contra hostes non possit. Quæ omnia facile fusius diduci possunt.

Pr. 24. v. 30. Eccl. 33. v. 29. IV. Ex occasione thematis: *Per agrum pigri hominis transivi, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ*: possunt explicari damna otii, spinisque hoc comparari. 1. Quia sterile & infructuosum est, ut spina. Hinc Siracides ait: Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim manus ejus quidquam operari, tota die concupiscit, & desiderat. 2. Quia impediunt etiam fructum seu semen bonorum operum, ut spinæ. 3. Quia fodicant & pungunt conscientiam, ut spinæ. 4. Quia sub se se abscondunt venenatæ bestiæ; id est, peccata, sicut sub spinis. Excitentur proinde Auditores ad has spinas toto animi conatu evellendas.

Pr. 26. v. 13. V. Ex occasione thematis: *Dicit piger: Leo est in via; & Leena in itineribus*: potest explicari radix, & causa potissima odii, scilicet *timor difficultatis*, & molestiæ, quæ in operando solet intervenire, & ob horribilem speciem merito leoni potest comparari? Et *concupiscentia inordinata bonorum sensibilium*, quæ ob vim alliciendi, & nocendi non incongrue leænæ assimilari potest. Unde merito jam olim Philosophi totam Philosophiæ summam in geminis illis verbis: *Abstine*, & *sustine*, collocarunt. Ostendatur proinde, quomodo gemina hæc causa seu radix evelli, sicque ipsum etiam otium eradicari debeat.

§. XII. MISCELLANEA.

Qualitas.

Sen. ep. 82. I. Recte de otio dixit Seneca: Otium sine literis mors est & vivi hominis sepultura.

II. Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare, servile otio & luxui vacare. Engelgr. in Dom.

III. Caji Marii apud Salustium imperatoria vox erat: Nemo ignavia immortalis factus est. Sept. §. 2. Ibid.

IV. Gerrardas Spartanus a quodam hospite rogatus, qua pœna mulctarentur adulteri, cum nihil super hac re sancitum a Lycurgo sit? Nullus apud nos adulter hospes est, respondit. Laertius ep. 1. n. 165.

V. Theophrastes interrogatus: quid esset amor? respondit: Animæ otiosæ affectus. Ibid.

VI. Demetrius vitam otiosam, & sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum reputabat. Seneca ep. 68.

Damnum.

VII. Recte cecinit Ovidius: Ovid. de remed. amor.

Otia si tollas, periere cupidinis arcus,
Contemptæque jacent, & sine luce, faces.

VIII. Fridericus Marchio Brandeburgensis extremis tabulis Fridericum secundo genitum Joanni primogenito prætulit, ac Marchionatum cum Electoratu Imperii hac una de causa transcripsit, quod natu major utpote otii ac quietis amantior non bene administraturus hanc dignitatem videretur. Æneas Sylv. in comm.

IX. Otium & Reges simul ac beatas perdidit urbes, ut recte jam olim Catullus cecinit. Catullus ad Less.

X. Appius Claudius sæpe dicere solebat, negotium populo Romano melius, quam otium committi, quod adverteret, nimia quiete imperia in desidiam resolvi; & negotium nomine quidem horrendum civitatis mores in statu suo continuisse, blandæ appellationis quietem vero plurimis vitiis respersisse. Seneca 1. 7. tit. sapienter dicta.

XI. Non male damna otii Ovidius descripsit his versibus: Ovid. 1. Pon. eleg. 6.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?
Et mihi, si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, estque minor factus inerte situ.

XII. Breviter etiam Lucanus: Lucan. 1.

Variam dant otia mentem.

XIII. S. Bernardus aliud damnum insinuavit dicens. Agnoscant homines, quod, qui in laboribus non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant, quam placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est. S. Ber. f. de nat. 1.

§. XIII. AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Jeremias Drexelius in Niceta c. 3.
III. Jacobus Marchanthius, in tuba Sacerd. tr. 4. lect. 6.
IV. Henricus Engelgrave in luce Ev. tom. 2. Dom. Sept.
V. Mathias Faber conc. 2. in Dom. Sept.
VI. Thomas Stapletonus text. 3. in Sept.
VII. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.
VIII. Didacus Stella lib. 3. de contemptu Mundi p. 26.
IX. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano p. 5. c. 7. §. 8.

FINIS TOMI QUARTI.

